This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

SC.7.P/.1.

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE FONDO VITT. EMANUELE(?)
37
9 F
11

- 941

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI
IN SÆCULORUM CLASSES
DISTRIBUTA.
SÆCULUM TERTIUM
QUOD EST AB ANNO CHRISTI DCC. AD DCCC.

Collegit Domnus Lucas d'Achery, *Congregationis Sancti Mauri Monachus*, *ac cum eo edidit* D. Joannes Mabillon, *ejuſdem Congregationis*, *qui & univerſum Opus Notis, Obſervationibus, Indicibuſque neceſſariis illuſtravit.*

PARS SECUNDA.



VENETIIS,

Apud Sebastianum Coleti, & Josephum Bettinelli.

MDCCXXXIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC EXCELLENTISS. SENATUS PRIVIL.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIONIS

ALTERA PARS.

1. CUM iſtius Sæculi Præfatio paullo jam excederet modum, ne procemii loco librum condidiſſe putarer, viſum eſt levandi faſtidii gratia eam dividere in partes duas, ut duplici tomo ſua cuique pars tribueretur. Jam ergo poſt Obſervationes, quas de eccleſiaſticis monaſticiſque rebus in prima parte exſecutus ſum, ſupereſt ut de argumento hiſtorico ſubjiciam animadverſiones nonnullas, quibus defenſio Præfationis Sæculi noſtri ſecundi ſuccederet.

§. I.

Obſervationes Hiſtoricæ.

2. DE Regibus Francorum ex his Actis quædam eruimus, quæ illuſtrandæ hiſtoriæ Francicæ non parum conducunt. Atque ut ab CHILDERICO Chlodovei ſecundi filio ducam initium, maxime notandi ſunt loci duo in fragmento de vita ſancti Lantberti ex Fontanellenſi Abbate Epiſcopi Lugdunenſis, quibus diſcimus, quot annis regnaverit Childericus, utque Dagobertum filium habuerit: quorum alterum hactenus non ſatis exploratum: alterum ab hiſtoricis noſtris prorſus ignoratum eſt. Sic ergo Auctor ille, qui imperante Ludovico Auguſto vivebat, ubi agit de prædiis quibuſdam Lantberto Abbati collatis in Neuſtria, primæ Obſervationi lucem præfert. *Edita eſt autem hæc regia largitio Arlauno jocundo palatio, undecimo anno præfati Regis in Auſtria, qui fuerat primus in Neuſtria.* Ex his verbis intelligimus, Childericum poſt decem annos quam in Auſtria regnare cœperat, Neuſtriæ ſolio impoſitum fuiſſe poſt mortem Chlotharii fratris, qui annis quatuordecim Neuſtria potitus eſt. Childericum proinde non ſtatim a morte Chlodovei patris, ſed poſt annos dumtaxat quatuor Auſtriæ præfectum fuiſſe, egiſſeque annum regni decimum, quum frater ipſius Chlotharius annum quartum-decimum, qui vitæ ſupremus fuit, abſolvebat: denique Childerici annum regni undecimum in Auſtria, primum ejuſdem in Neuſtria fuiſſe. Apud Baldericum in Chronici Camaracenſis libro primo, capite ſeptimo-decimo, exſtant litteræ quædam Choneberti Abbatis, datæ *anno duodecimo Childerici Regis*: qui proinde annus regni Neuſtraſiani ſecundus erat. Porro Childericus in ſumma regnavit *annis quatuordecim*, OBSERV. I. Childerici tempus regni.

 decim,

Digitized by Google

decim, ut patet ex Chronico breviſſimo, quod ex codice Tiliano poſt Erchanberti fragmentum edidit Andreas Cheſnius : & quidem in Neuſtria quatuor annis rerum potitus eſt, ex Actis ſancti Waningi ſuperiori in *S*æculo relatis, exſtinctus anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio in autumno.

OBSERV. II. filii, Dagobertus,

3. Alter locus ejuſdem fragmenti docet nos, Childericum habuiſſe filium DAGOBERTUM, qui una cum ipſo ac Bilhilde uxore occiſus ſit. Auctoris prædicti hæc verba ſunt : *Anteſatus autem Rex Hildericus inſidiis ſatellitum ſuorum, Amalberti videlicet & Ingolberti ſimulque Bodilonis, necnon & Lupi aliorumque, una cum conjuge ſua vocabulo Bilhilde, filioque nomine* DAGOBERTO, *vita & Regno privatus eſt : quorum corpora prænominatus maximus* ∴ Cetera deſiderantur in membranis, quibus uſi ſumus, magno ſane Francicæ hiſtoriæ damno. Sed tamen ex hoc loco diſcimus tandem, Childerico filium fuiſſe Dagobertum, quem puto eſſe infantulum illum, cujus urnula Reginæ matris ſuæ loculo impoſita juxta cineres Childerici patris in baſilica noſtra Germanenſi reperta eſt anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto : cujus detectionis narrationem Hadrianus Valeſius exhibet in rerum Francicarum libro vigeſimo primo.

OBSERV. III. & Chilpericus.

4. Præter Dagobertum Childericus filium etiam habuit CHILPERICUM, cognomento Danielem, qui poſt Dagobertum tertium in Francia regnavit. Id quidem jam probavere nonnulli ex quibuſdam Chilperici inſtrumentis, quorum unum Corbejenſibus Monachis, alterum Chillardo Abbati Dionyſiano conceſſum legitur. At cum ea inſtrumenta ex ipſis autographis deſumta non putarentur, iis fidem omnem non adhibebant viri quidam eruditi. Luſtravi proinde archivum Dionyſianum, in quo duplex reperi inſtrumentum primarium Chillardo Abbati conceſſum a Chilperico, unum *datum quod fecit menſis Martius dies quinque, anno primo regni, Compendio*, in quo Chilpericus *genitorem ſuum* CHILPERICUM, *avunculos*, id eſt patruos CHLODOCARIUM & ~~THEODERICUM appellat :~~ alterum *datum quod fecit menſis Martius dies ſexdecim*, itidem *anno primo regni*, *Compendio*, in quo DAGOBERCTHUM *proavum*, *avum* CHLODOVEUM, *genitorem* CHILDERICUM vocat. Utrumque hoc monumentum, quod mecum una viderunt in autographo viri clariſſimi Carolus Freſnius, Antonius Vion, & Joannes Baptiſta Cotelerius, cum aliis id genus inſtrumentis non ſine negotio erui ex ipſis primariis litteris, quæ ob apicum & ſtili ſalebras vix legi poſſunt. Ea videſis in calce hujuſce voluminis, ubi leges aliud etiam diploma Chilperici, *datum ſub die pridie Kalendas Martias, anno primo regni, Compendio*, in quo Chilpericus inſuper *conſobrinos*, id eſt fratres ſuos patrueles, nominat CHLODOVIUM, CHILDEBERCTHUM & DAGOBERCTHUM : quod diploma, quia mendoſum apud Dublerum legebatur, ex ipſo originali integrum repræſentare viſum eſt. Ex his patet corrigendos eſſe Ademarum alioſque, qui Chilpericum hunc Dagoberti fratrem fuiſſe ajunt.

OBSERV. IV. Theodorici initium regni.

5. Chronologiæ ſuperius ſtabilitæ de initio regni Childerici cum in Auſtria, tum in Neuſtria, ſuffragatur tempus initi principatus a Theodorico ejus fratre ac ſucceſſore, cujus annus quartus-decimus cum anno æræ Chriſtianæ ſexcenteſimo octogeſimo ſexto comparatur in inſtrumento quodam chartarii Benigniani, relato apud Perardum in collectione monumentorum Burgundicorum, dato *die ſabbato proximo ante medio menſe Aprili, in anno* XIV. *regnante domino noſtro Theodorico Rege* : quæ notæ conveniunt anno Chriſti prædicto, quo dies quintus-decimus menſis Aprilis litera dominicali G præditus erat : non vero Theodorici cognomento Kalenſis regno aptari poſſunt. Hæc vero epocha initi a Theodorico principatus confirmatur ex iis quæ de tempore cæſi Dagoberti poſtea dicturus ſum.

OBSERV. V. Dagoberti ſecundi reſtitutio.

6. Quo tempore Neuſtriæ dominabatur Theodoricus Chlodovei ſecundi filius, Childerici frater; eo etiam regnabat in Auſtria DAGOBERTUS ſecundus, filius Sigiberti junioris; patre mortuo in Hiberniam pulſus a Grimoaldo palatii Præfecto, ab Auſtraſiis poſtea revocatus : cujus reſtitutionem per multos

tos

Digitized by Google

tos annos ignoratam, tandem in apertam hiſtoriæ lucem nuper revocavit Hadrianus Valeſius, Hiſtoriographus regius; eamdemque præclaro commentario Godefridus Henſchenius illuſtravit. Argumenta potiora duo, quæ Dagoberti reditum perſuadent, ex Willelmo Malmeſburienſi Monacho in Actis ſancti Wilfridi Archiepiſcopi Eboracenſis, & ex libro de geſtis ſancti Memmii Catalaunenſis Epiſcopi repetuntur : ex quibus diſcimus quidem, Dagobertum in Galliam revocatum, in legitimam paterni Regni ſortem reſtitutum fuiſſe : at quo tempore, quove mortis genere deceſſerit, non diſcimus. Utrumque vero demonſtro primus ex Fridegodo & Eadmero, gravibus auctoribus, qui in libello quiſque ſuo de vita ſancti Vvilfridi, Dagoberti non ſolum reſtitutionem, ſed etiam mortis genus tempuſque nos docent : id quod neſcio an ab Stephano Heddio, qui ſancti Vvilfridi res geſtas primus ſcripſiſſe dicitur, an ab aliis Scriptoribus acceperunt.

7. Fridegodus Monachus Anglus, alius a Fridegodo Gallo ſancti Audoeni laudatore, is qui rogatu Odonis Cantuarienſis Pontificis ſæculo decimo vitam ſancti Vvilfridi verſibus deſcripſit, ſic de Dagoberto ſecundo & Vvilfridi ad eum adventu cecinit.

Ver gelidas tepidis jam ſolverat æſtibus Alpes,
Viribus adſumtis, cum Præſul lætus ab illis
Gallica rura petens exivit finibus, atque
Nota ſubit fidens DAGOBERTI *mœnia Regis.*
Is equidem merito, venturus ut adſeret ordo,
Publica ſuſcepto præbebat læta patrono.
Perditus, ut noſtis, inquit, popularibus alis,
Excepi mœſtas tenero olim ſomate erumnas.
Adſcendi tremulum non multo remige lembum,
Pulſus ad ignavos adoleſcens exſul Hibernos.
En vobis, cujus merui tutamine reddi,
Per me perque tuam, miles delecte, ſalutem,
Si qua fides animo, tantum ſervemus amicum.

Quos Fridegodi verſus poſt annos centum fere octoginta ita reddidit Eadmerus in Actis ipſius Vvilfridi. *Securus igitur inſidiarum Præſul, in ipſa provincia totam cum nova Dei plebe biemem feliciter exigens, deinde pergendi Romam iter repetiit : & Galliam perveniens, nota ſibi Regis Dagoberti mœnia ſubiit : quem ipſe Rex viſum mox recognovit, eumque multa cum lætitia hoſpitio ſuſcepit. Et vocatis hominibus ſuis hac eos voce alloquitur : Virum hunc quem ecce coram habetis, magnopere dilectioni veſtræ commendo, rogans ut illi in quocumque negotio veſtri opus habuerit, adſiſtatis, ſiquidem me (ſicut credere fas eſt) ſincera mente amatis. Hujus enim probitate & induſtria vobis redditus, vobiſque, ut impræſentiarum videtis, regia ſum dignitate prælatus. Nam dudum, velut ipſi recordamini, cum popularibus inſidiis fere perditus eſſem, exſul quoque liberationis meæ gratia oberraſſem, pelago quoque jactatus ad ignavos Hibernos perlatus fuiſſem ; hinc me inde adductum magna benivolentia ſecum aliquando tenuit, ab omni periculo protexit, atque nativo ſolo incolumem ac tutum reſtitui poſſe donavit. Quapropter per meam & veſtram vos obteſtor ſalutem, ut ſi qua in vobis eſt fides, tantum ſervemus amicum, & vicem exhibitæ mihi dilectionis ac benivolentiæ communiter gratioſi procuremus ei impendere.* Sic Dagoberti reditum in Galliam confirmant Eadmerus & Fridegodus.

8. Præterea iidem Auctores probant, Dagobertum ipſum cæſum ab æmulis OBSERV. VI. & interitus. fuiſſe eodem anno, quo Synodus Romana Pontifice Agathone contra Monotheletas celebrata eſt, id eſt anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono. Cum enim hæc Synodus peracta fuiſſet *menſe Octobri, Indictione ſeptima, anno vigeſimo Conſtantini Auguſti*, uti iſtius Concilii fragmentum de Britannicis rebus indicat apud Spelmannum; inde abſolutus revertens Vvilfridus, obvios habuit ſicarios, qui Dagobertum e medio paullo ante ſuſtulerant, ſibi ipſi necem minitantes. Rem ita narrat Fridegodus.

Nam properans patuli dum verreret æquora campi,
Conglomerata ſuis furunt collegia ſignis
Noxia, legali (ceu fertur) ſanguine fuſo.
Civiles etenim Dagobertus Marchio dextras
Senſerat, & rigidum capulo-tenus inguine ferrum.
Prœlia vibratis intentant comminus haſtis.
Arduus excuſſo quorum convicia telo
Unus Pontifici fœdo ſic ingerit ore:
Delator patriæ petulans, moribunde viator,
Gallica tu pridem violaſti ſceptra, relato
Qui periit cæſus, quem jure ſequere, tyranno.

Sic vero Eadmerus: *Ecce autem extra quam putabatur, latronum manus ad interficiendum parata, viro Domini haud grata proceſſione occurrit. Erant enim qui Regi* DAGOBERTO *inſidias tetenderant, eumque gladio in inguine merſo necaverant. Hi ergo viro Dei occurrentes, animique furorem vultus ſui ferocitate pandentes, prælia vibratis intentant comminus haſtis: quorum unus, qui quaſi loco Principis inter eos habebatur, excuſſo quod manu tenuerat telo, militi Chriſti fœdo ore conviciabatur. Delator, inquiens, patriæ petulans, & moribunde viator, tu quidem jam pridem Gallica ſceptra violaſti, tu Gallica rura peſſumdediſti, tu Gallicam libertatem in ſervitutem redegiſti, cum tyrannum jam olim a nobis exſiliatum tua inſtantia in Regnum conſtituiſti. At ipſius quidem crudelitas juſtiſſima morte punita, te quoque, utpote maximum ſuæ mortis auctorem; te, inquam, eadem morte puniendum eſſe declamat*, &c. Hæc teſtimonia magni momenti ſunt ad illuſtrandam rerum Francicarum hiſtoriam. Et quidem Eadmeri verba ſignificant, Vvilfridum revocandi Dagoberti auctorem, aut certe adjutorem fuiſſe. Deinde ex utriuſque Auctoris narratione intelligimus, Dagobertum, exorto civili bello, ab adverſariis necatum intra illud temporis intervallum, quod ab adventu Vvilfridi tempore verno uſque ad Synodum Romanam menſe Octobri convocatam effluxit per annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum nonum. Tum illud conficitur, Theodoricum Francorum Regem, qui cum Dagoberto fratre patrueli de finibus Regni in agro Lingonenſi dimicaſſe perhibetur in libello de vita ſanctæ Salabergæ; jam ante annos minimum quinque, quam Dagobertus exſtingueretur, regnare cœpiſſe, hoc eſt anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio. Sub ejus enim anni autumnum cæſus Childericus, Auſtriæ & Neuſtriæ Rex, locum fecit revocandis Theodorico apud Neuſtraſios, & Dagoberto apud Auſtraſios regnaturis. Porro Dagobertus annos minimum quatuor Auſtraſiis imperavit, anno ſexcenteſimo unde octogeſimo exſtinctus: & Theodoricus annum regni quartum-decimum agebat anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ſexto, ex dictis. Hæc ergo de Dagoberti nece & anno mortis ita ſe habent: quod utrumque hactenus probare potuit nemo: tametſi Hadrianus Valeſius ejus annum ſupremum (quæ viri acerrimo judicio præditi ſagacitas eſt) jam fere conjectura adſecutus erat, dum ſcribit in libro vigeſimo ſecundo, incertum eſſe quid rerum geſſerit, quove anno obierit Dagobertus. Videri tamen eum non diu rerum potitum eſſe, nec annum Domini ſexcenteſimum octogeſimum exceſſiſſe. Harum quidem rerum notitiam debemus Anglicanis Scriptoribus noſtris, Fridegodo & Eadmero, uti & Vvillelmo Malmesburienſi Monachis. Ut vero Eadmerus in manus noſtras veniret, fecit eximia humanitas ac liberalitas viri non minus de litteraria, quam de civili Republica bene meriti, prænobilis domini Joſephi Vvilliamſonis, jam in ſuperiori Præfationis hujus parte laudati. Fridegodum autem exhibuit nobis vetus codex Bibliothecæ Corbejenſis.

OBSERV. VII. Dagobertus Satanaci cultus.

9. Præter ea quæ de morte Dagoberti hucuſque ſtabilita ſunt, ſi conjecturis indulgere licet, veri ſimile crediderim, Dagobertum ſecundum eſſe eum ipſum, qui Satanaci Martyr & Sanctus colitur quarto Nonas Septembris, eodemque die jam dudum in diœceſi Verodunenſi, uti in manu-ſcripto ejus Eccleſiæ Breviario adverti. Moris quippe fuit apud priſcos illius ævi Chriſtianos, ut

ut quiſquis innocens quavis ex cauſa necaretur, is Sanctus ſeu Martyr diceretur cenſereturque. Sic Carolus cognomento Simplex, auctore Hugone Flaviniacenſi Abbate, *ſanctus recte poteſt vocari: quoniam injuſte ab infidelibus ſuis & perjuris longo carceris ſqualore afflictus, tranſmiſſus eſt vitæ perpetuæ*: & Eadvvardus, Anglorum Rex pius, propterea quod novercæ peſſimæ inſtinctu ſica transfoſſus, *Martyr* audit & *Sanctus* apud Vuillelmum Malmesburienſem Monachum, alioſque rerum Anglicarum Scriptores. Sunt in eam rem exempla pene infinita. Dagobertum fuiſſe Regem pium bonumque probant nonnullæ ejus donationes apud Henſchenium. Immeritò cæſus ab æmulis eſt: ob hoc forſan Martyr vocatus & cultus, ejuſque reliquiæ Satanaci honoratæ. Nec me movet alterius Fridegodi teſtimonium in libro de vita ſancti Audoeni adfirmantis, Childericum Dagobertumque Sigiberti filium in Rotomagenſi baſilica ſancti Petri ab Audoeno ſepultos fuiſſe. Ut enim falſus eſt in Childerico, apud Pariſios in Eccleſia noſtra Germanenſi tumulato: ſic etiam facile decipi potuit in Dagoberto Childerici filio, juxta patrem (ut diximus) ſepulto, quem pro Dagoberto Sigiberti filio uſurpaverit. Certe cum Dagobertus ſecundus regnaverit in Auſtria, ibique interierit; potius apud Auſtraſios, quibus Satanacum villa quondam regia, nunc opidum ad Moſam, ſubjectum erat, quam apud Francos ſeu Neuſtraſios ſepulturæ locum habuiſſe videretur. Hæc de Dagoberto ſecundo.

10. Fuit & tertius DAGOBERTUS, Childeberti itidem tertii filius, qui in quibuſdam Francorum Annalibus anno ſeptingenteſimo quinto-decimo, in aliis anno inſequente obiiſſe memoratur, utrubique recte, habita diverſi calculi ratione. Cum enim mors ejus inciderit in 14. *Kalendas Februarii*; qui anni initium deſumebant ab Januario, annum ſeptingenteſimum ſextum-decimum; qui vero a Martio, annum antecedentem ſignaverunt. Dagobertus iſte Childeberto patri ſucceſſerat anno ſeptingenteſimo undecimo, ut conſtat ex veterrimis Annalibus Francorum; & quidem 18. *Kalendas Maji, feria ſecunda Paſchæ*, quo die mortuus pater, ex Chronico Medardenſi. Porro Dagobertus vivere deſiit 14. *Kalendas Februarii*, ex Chronico Monaſterii ſancti Petri Vivi. Annos proinde fere quinque regnavit. Hinc conciliantur diverſi Annales; quorum alii annos regni quatuor, alii quinque huic Dagoberto tribuunt. Charta quædam ordine trigeſima quinta apud Goldaſtum, in tomo ſecundo rerum Alamannicarum, data dicitur *anno trigeſimo poſt regnum Tagoberti Regis*. OBSERV. VIII. Dagobertus II.

11. De CAROLO Principe, quem Tuditem cognominant, aliqua ſunt obſervatu haud indigna. Is quippe MARTINUM Corbejenſem Monachum (quod antea nullus animadvertit) Capellanum ſeu Confeſſarium habuit; ALFONSUM Caſtrenſis Monaſterii Abbatem, intimorum conſiliorum participem, qui ipſum ad pie moriendum coram hortatus eſt. Martinus iſte, hactenus nomine ſolo notus, in Annalibus Francicis deſignatus eſt his omnino verbis: *Anno 726. Martinus mortuus eſt*. Quo in loco Hadrianus Valeſius non immerito arguit tantam ſecuritatem negligentiamve Annaliſtarum noſtrorum, ut nudis hominum nominibus lectis, qui illi fuerint, poſteros divinare voluiſſe, aut divinaturos crediſiſſe videantur. Ego vero tandem lectione veterrimorum Annalium, qui apud Labbeum in tomo ſecundo Bibliothecæ novæ editi ſunt ex codice Maſciacenſi, didici quis fuerit ille Martinus. *Anno 726. Martinus mortuus eſt. Fuit autem Monachus in Corbeia, vir vitæ continentiſſimæ & adprime eruditus: quem Karolus Dux in ſumma veneratione habuit, & peccata ſua ei confitebatur*. Id ſane non fugiſſet Hadriani Valeſii diligentiam, ſi Annales illi tum, quum hiſtoriæ ſuæ tomum tertium condebat, in lucem editi fuiſſent. Plura de hoc Martino viro ſancto adnotavi ad annum præcitatum. OBSERV. IX. Caroli Principis Confeſſarius Martinus.

12. Præter Martinum, Carolo quoque familiaris fuit Alfonſus Caſtrenſis Abbas e noſtris, uti & Martinus. Alfonſum ita laudat Chronographus Caſtrenſis in tomo ſeptimo Spicilegii. OBSERV. X. Alfonſus eidem a conſiliis.

Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,
Injecit dominas in ſacra feuda manus;

Caſtrenſi gazæ parcens Abbatis amore,
Cuius conſilio eſt uſus & auxilio.
Proximus eſt morti Princeps : hunc excitat Abbas,
Et tinctum Chriſti Sanguine monſtrat iter.

Fabula de ejus damnatione.

Hæc ſi compares cum diplomate Pippini Regis, dato Compendii anno quarto regni ejus, quo diplomate Fulrado Abbati ac Monachis Dionyſianis concedit *locum in pago Virdunenſi, qui appellatur ad montem ſancti Michaelis*, tum pro ſua ipſius mercede, *tum pro remedio animæ genitoris ſui Karoli ;* intelliges ſane fabuloſa eſſe quæ de vulgata Caroli Principis damnatione circumferuntur. Neque enim Pippinus ignoraſſet Eucherii viſum ac factum, detectionem ſcilicet paterni ſepulcri & fuliginoſam illam ſerpentis officinam, damnationis indicem : nec ſi reſciſſet, poſtea pro animæ ejus remedio preces ſacras inſtituiſſet. Qua de re fuſius in Actis ſancti Eucherii Aurelianenſis Epiſcopi dictum eſt ad annum ſeptingenteſimum duodequadrageſimum. Eadem fabula de Carolo Calvo jactata eſt in vulgus ſæculo tertio-decimo, teſte Richerio in Chronici Senonienſis libro tertio, capite ſeptimo-decimo. Carolus Princeps Regnum Francorum ſolus tenuit per interregni annos quinque, a morte ſcilicet Theodorici Regis ad ſuum ipſius obitum. Cujus rei argumento eſt diploma, quod ipſe Monaſterio Dionyſiano conceſſit *anno quinto poſt defunctum Theodoricum Regem, die ſeptima-decima Septembris*, uno fere menſe ante, quam e vivis excederet Idibus Octobris anni ſeptingenteſimi quadrageſimi primi : tametſi non Regis, ſed Majoris-domus nomen dumtaxat uſurpavit. Inſtrumentum quoddam Ermenoaræ Deo ſacratæ in gratiam Cœnobii Benigniani datum legitur *ante Kalendas Madias, defuncto domno Theoderico, & electo Karolo Majore-domus* : & in Annalibus Francorum editis ex codice Tiliano apud Cheſnium : *Anno 741. Karolus Major-domus mortuus eſt.*

OBSERV. XI. Pippini Regis exordium.

13. PIPPINUS Caroli filius & Major-domus poſt eum ſub Childerico Rege per annos decem; poſtea Rex dictus eſt, cujus regnum, non ab anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto (ut putat Baronius) quo coronatus ab Stephano eſt ; ſed ab anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo numerari cœptum, ut ex variis monumentis conſtat. Tria nobis diplomata ex chartario Gallenſi Goldaſtus ſuppeditat, nimirum chartas ordine quadrageſimam ſecundam & ſequentem in tomo ſecundo rerum Alamannicarum, & aliam in tomo tertio, pagina quinquageſima ſeptima. Prima ex tribus ſic deſinit : *Notavi diem Martis* VIII. *Idus Auguſtas, anno tertio regnante domno noſtro Pippino Rege*, hoc eſt anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, quo litera dominicalis F obtinebat, dies Martis in octavum Idus Auguſti incidebat. In alia charta : *Notavi die dominico ſexto Idus Octupris, anno decimo regnante domno Pippino Rege Francorum*, id eſt anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui litera C dominicali præditus erat. In tertia denique: *Ego Arnulfus rogitus anno ſexto Pippini Regis, die Mercoris duodecimo Kalendas Januarii ſcripſi & ſubſcripſi*, puta anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſeptimo, quo litera dominicalis B currebat. Neque aliter Pippini Regis annos in Gallia numeratos fuiſſe teſtatur in primis Chronographus Fontanellenſis. Hinc veriſimilius videtur, Pippinum a Bonifacio Romanæ ſedis Legato Regem coronatum fuiſſe anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo, uti legitur in Annalibus Fuldenſibus : quo ex tempore Regnum iniiſſe dictus ſit : tametſi Annales Francorum & Eginhardi, quibus ſubſcribunt Regino & Chronographus Fontanellenſis in Auſtrulfo Abbate, id factum anno quinquageſimo referunt. Certe Childericus Rex, qui non ante annum ſeptingenteſimum quadrageſimum ſecundum iniit principatum, non ante annum regni decimum abjectus eſt, teſtante charta quadrageſima apud Goldaſtum, quæ data eſt *ſeptimo Idus Septembris, anno decimo regni domni noſtri Ildirici Regis*. Is in Sithivenſe Monaſterium retruſus perhibetur tum apud Johannem Iperium, tum in Chronico Fontanellenſi ; male apud alios in Gemeticenſe : Theodoricus vero ejus filius in Fontanellenſe, auctore prædicto Chronographo, in loco jam citato. Ex his corrigendus Iſonis Monachi

Digitized by Google

nachi Sancti-Gallenſis calculus, qui Childerici dejectionem & regni Pippini initium reponit anno ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, eumdemque errorem Baronio impoſuit. In quodam Chronico pervetuſto, quod in principatu Ludovici Auguſti deſinit, Pippinus, qui obiit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo, ſeptimo Idus Octobris, *annis ſeptemdecim* regnaviſſe fertur. Ceterum Pippino Regi ADAM filiam, hactenus non ſatis notam, fuiſſe patet ex codicis Trevirenſis inſcriptione inferius relata ad annum ſeptingenteſimum trigeſimum quartum, ubi de Ada Palatioli Abbatiſſa. Hæc de Regibus Francorum.

14. DESIDERIUM Langobardorum Regem a Carolo Magno in Papia urbe comprehenſum, in Galliam abductum teſtantur Annales noſtri: ſed nec locum ubi reliquum vitæ peregit, nec vitæ mortiſve genus deſignant. Id vero deprehendi lectione Hepidanni Cœnobitæ Gallenſis in hæc verba: *Anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo Paveja civitas conquiſita; & DESIDERIUS & ANSA uxor ejus pariter exſiliati ſunt ad Corbejam: & ibi Deſiderius in vigiliis & orationibus & jejuniis & multis bonis operibus permanſit uſque ad diem obitus ſui.* Ejus rei nulla penes Corbejenſes noſtros memoria ſupererat.

OBSERV. XII. Deſiderii Regis Langobardorum exitus Corbejæ.

15. Taſſilonem Bajoariorum Ducem ob violatam fidem relegatum fuiſſe in Gemeticenſe Monaſterium, certis probavi argumentis in ejus Elogio ſub finem iſtius Sæculi: eumque eſſe conjicio, qui una cum filio Theodone & alio innominato illic ſepultus, Enervatorum fabulæ originem dedit, prout eo loci opinionem declaravi.

OBSERV. XIII. Taſſilonis Gemetici.

16. Alia multa ſunt, quæ in has Obſervationes ex his Actis conjici poſſent, niſi me jam longius prolapſum brevitatis ſtudium revocaret. Sed tamen præterire hoc loco non poſſum facinus cujuſdam heterodoxi hominis, qui recens in Diſſertatione Gallice ab ſe edita de auctore opuſculi vulgati nomine Bertramni contra Paſchaſium Radbertum de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, auſus eſt adfirmare in primæ partis capite ſecundo, Paſchaſii diſcipulos, id
„ eſt Catholicos, Magiſtri ſui ſcriptis nonnullis impoſuiſſe nomina Auctore
„ ſuo illuſtriora. In his librum de perpetua virginitate Deiparæ Virginis,
„ quam Paſchaſii lucubrationem eſſe modo conſtat apud eruditos, Hildefonſo
„ Toletano auctori adfictum ſæculo decimo fuiſſe impoſtura temeraria cujuſ-
„ dam Presbyteri, nomine Gomezani, mala fide mentientis opuſculum iſtud
„ ab Goteſcalco Epiſcopo ex Hiſpania allatum: eoque impudentiæ proceſſiſſe
„ hominem, ut in catalogum Hildefonſi operum intruſerit hæc verba, quæ
„ leguntur in Miræi editione: *Scripſit* Hildefonſus *libellum de virginitate ſanctæ*
„ *Mariæ contra tres Infideles*: ob idque genuinum Paſchaſii fetum Hildefonſo
„ ſubditum ad ætatem noſtram fuiſſe. Ubi hæc legi, miratus ſum ſane & obſtupui Diſſertatoris, hominis alioquin docti ac politi, confidentiam ac ſecuritatem, qui tam audacter falſarii crimen Gomezano, nedum Catholicis omnibus imponit, & quidem tam inconſiderate, ut ipſe falſi delatoris nomen effugere non poſſit. Certum eſt omnino, Paſchaſium Radbertum edidiſſe opuſculum *de partu Virginis*, in quo agit de virginitate Deiparæ: at nihilo minus certum eſt, Hildefonſum ſcripſiſſe *libellum de perpetua virginitate ſanctæ Mariæ*. Idem utriuſque ſcopus; ſed diverſus fetus, inſcriptio diverſa, alii atque alii adverſarii. Hildefonſus ſcripſit *contra tres Infideles*, *Jovinianum* ſcilicet, *Helvidium*, & *Judæos*, qui virginitatem beatæ Mariæ erecta fronte impugnabant, ut conſtat ex epiſtolis Quiricii Barcinonenſis Epiſcopi ejus æqualis, editis in Spicilegii tomo primo. Paſchaſius ſcripſit contra *Fratres*, (ſic adverſarios vocat in Præfatione ſua) qui de virginitate quidem Dei Matris recte ſentiebant, ſed modum partus dominici non recte explicabant. Hildefonſi libellus, id eſt opuſculum dividitur in libros tres; Paſchaſii in duos. Hujus Præfatio nuncupatur *Venerabili Matronæ Chriſti una cum ſacris Virginibus Veſonæ* (legendum *Sueſſonæ*) *monaſtice degentibus*: illius Prologus incipit ab his verbis: *Deus lumen verum, qui illuminas omnem hominem*. Primus, id eſt Hildefonſus, opuſculum ſuum *teſtimoniis veteris ac novi Teſtamenti plenum edidit*, teſtante Zixi-

OBSERV. XIV. Calvinianus quidam refutatus.

 lane

lane in ipſius Vita: alter teſtimoniis Patrum ſententiam ſuam probat. Hæc fuſius demonſtrata in Obſervationibus ad Vitam S. Hildefonſi Sæculo noſtro ſecundo. Aliud ergo eſt Hildefonſi opuſculum *de perpetua virginitate beatæ*
Sæculo 2. ad ann. 647. *Mariæ* ab eo, quod Paſchaſius compoſuit *de partu Virginis*: etſi idem fere utriuſque ſit argumentum. Nec Gomezanus Paſchaſii lucubrationem Hildefonſo ſuppoſuit, ſed verum ac germanum Hildefonſi opus ab ſe deſcriptum auctori ſuo tribuit. Goteſcalcus Anicienſis Epiſcopus in Hiſpaniam profectus, iſtud Gomezani exemplum retulit in Galliam *æra* 989. Exſtat in Bibliotheca Monaſterii Carolilocenſis prope Silvanectum Hildefonſi verum opuſculum, cui præfigitur inſcriptio Gomezani, hoc in Sæculo edita ad Vitam S. Theofredi
Sæculo 3. ad ann. 728. Abbatis Calmeliacenſis, qua manifeſte retunditur falſa criminatio Diſſertatoris Calviniani. Idem opuſculum Bartholomæus Laudunenſis Epiſcopus ſæculo duodecimo ſtudioſe perquiri curavit per Hermannum Monachum, qui tandem tres illos libellos Catalauni inventos deſcripſit cum Vita Hildefonſi, uti adnotatum ad Acta Hildefonſi. Primus è Catholicis Franciſcus Feu-Ardentius, Theologus Pariſienſis, edidit Opuſculum Hildefonſi *contra tres Infideles*, eidemque Auctori ſubdidit Paſchaſii lucubrationem *de partu Virginis* ſine Præfatione, ab his verbis: *Quamvis omnium Eccleſiarum &c.* Quod non mala fide ab eo factum conſtat: ſed cum utramque hanc ſcriptionem inveniſſet, nec ullo indicio Paſchaſii lucubrationem diſcernere potuiſſet; eas ejuſdem Auctoris eſſe putavit, nempe Hildefonſi, ſive propter argumenti ſimilitudinem; ſive quod ambo opera, alterum poſt alterum in exemplari manu-ſcripto, quo uſus eſt, continenter exſiſtebant. Id vero contigit amanuenſis imprudentia, qui (ut fit ſæpiſſime) Paſchaſii Præfationem omiſerat in apographo. Falſum eſt itaque Gomezanum aut Hildefonſo Paſchaſii librum ſuppoſuiſſe, aut catalogum Hildefonſi operum interpolaſſe: quin immo multum Gomezano debemus, cujus opera Hildefonſi opuſculum de virginitate B. Mariæ in Gallia habuimus. Corrigat ergo Diſceptator impoſturam, quam ipſe commiſit, dum commentus eſt alienam. Jam ad tuendas Ordinis noſtri partes me converto.

§. II.

Defenſio Præfationis Sæculi ſecundi.

17. DEFUNCTUS mihi videbar moleſtis illis controverſiis, quas de Sanctorum noſtrorum ſeveriori delectu & moroſo calculo gratis movent quidam homines eruditi. Propoſueram in ſuperioribus Præfationibus titulos aliquot juſtæ poſſeſſionis noſtræ, quibus conſideratis ſperabam conquieturos homines æqui verique amantiores, quam odioſæ ac fere otioſæ contentionis. At vixdum edita Præfatione Sæculi noſtri ſecundi, ad novam rurſus diſputationem provocor invitus. Carolus Cointius, doctiſſimus Oratorii Presbyter, qui de rebus eccleſiaſticis Francorum jam edidit Annalium tomos quatuor, minorem operis magni partem; paſſim Benedictinis faceſſit litem, dum Monachos pene omnes, qui per ſæculum ſextum ſeptimumve floruerunt, Ordini S Benedicti detrahit. Oppoſueram in Præfatione ſuperiori pagellas duas: reponit ille octo & viginti: quibus ſi ego reſpondeam, vereor ne in immenſum tandem pretendantur diſputationes noſtræ. Verum & finita ac prope jam confecta materia eſt, & uterque (ut puto) longe abſumus ab altercandi libidine. Neque enim virum amicitia mihi conjunctum refutarem, niſi neceſſe eſſet: & id erit ſigni me invitum id facere, quod non perſequar longius, quam cauſa Ordinis noſtri & fides mea poſtulabit. Ad rem aggredior.

18. Varia ſunt capita diſputationis noſtræ cum doctiſſimo Annaliſta, ſi colligantur per partes; unum, ſi in ſumma expendantur. Quot fere Sancti ſunt, quot Monaſteria per ſæculum ſextum ſeptimumque & octavi initium, tot fere offendicula Cointio ſunt adverſus Ordinem noſtrum. Fatendum tamen eſt eum ad moderatiores paullisper ſe recipere leges. Scripſerat ſiquidem in Anna-

nalium tomo tertio hunc in modum : *Plurima Monaſteria Regulam S. Columbani, perpauca Regulam S. Benedicti ſequebantur : lapſu vero temporis cum utraque remiſſo religionis fervore torpeſcerent, & cetera Franciæ Monaſteria in meliori ſtatu non eſſent; e Cœnobio Caſinenſi, ubi Regula ſancti Benedicti vigebat, vocati ſunt Monachi, qui monaſticæ vitæ diſciplinam in Gallia collapſam reſtaurarent : eoque modo Regula ſancti Benedicti introducta eſt in varia Monaſteria, quæ inſtituto ſancti Columbani prius obnoxia erant. Et ne ſancti Columbani nomen penitus aboleretur, deinceps illorum locorum Monachi dicti ſunt juxta Regulam ſancti Benedicti & ſancti Columbani conſiſtere : recentiores ſolum nomen ſancti Benedicti, cujus Regulam obſervabant, expuncto ſancto Columbano retinuerunt.* Tria hoc loco ſupponit vir doctiſſimus: perpauca ſcilicet fuiſſe Monaſteria Ordinis ſancti Benedicti, antequam Monachi Caſino evocarentur, hoc eſt (ſi bene capio) ante inſtaurationem Cœnobii Caſinenſis: tum Caſino evocatos Monachos, qui Monaſteria Gallicana, S. Benedicti perpauca, plurima Columbani, ad meliorem frugem revocarent. Denique tum primum adunatum Regulæ S. Benedicti & S. Columbani vocabulum. De his poſtea erit dicendi locus. Interim obſervo, eruditum Annaliſtam ad primum nobis facere ſatis in Annalium ſuorum tomo quarto. *Non ſumus*, inquit, *ex eorum numero qui redarguuntur in Præfatione tomo ſecundo præfixa, quod unum S. Maurum & fortaſſe pauciſſimos diſcipulos agnoſcunt Regulæ Benedictinæ primarios cultores aduſque Ludovici Auguſti cognomento Pii imperium. Regulam S. Benedicti per Franciæ Regnum ante annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, quo ſuperiorem noſtrorum Annalium tomum clauſimus, late propagatam non inficiamur.* Qui hoc modo loquitur, non *perpauca*, ſed *plurima* Cœnobia Ordini S. Benedicti adjudicat longe ante Caſinenſem inſtaurationem, quæ vix ante annum ſeptingenteſimum vigeſimum inchoata, non ante annum ſeptingenteſimum quadrageſimum propagari potuit. Bene eſt. Jam ergo id obtinuimus, ut non *perpauca*, ſed *permulta* Monaſteria ante annum ſexcenteſimum octogeſimum addicta Ordini noſtro fuiſſe fateatur. Quamquam vereor, ut quod ille argumentorum noſtrorum robore coactus eſt concedere verbis, re nihilo minus ipſa ne cedat, plus concepto ſemel præjudicio tribuens, quam juſtæ noſtræ defenſioni. Id ſatis patet ex poſtrema diſputatione, quam redigit in capita quatuor. Hæc enim capita ejuſmodi ſunt, ut iis conceſſis in antiquum originis noſtræ chaos recidamus.

ad ann. 734. n. 69.

19. *Tota*, inquit, *controverſia ſummatim ad quatuor capita redigi poteſt : utrum Regula Benedictina in Monaſterio Bobienſi ſuſcepta ſit a S. Columbano : utrum poſt Synodum Matiſconenſem ſtatim in Galliis cum Regula S. Columbani coaluerit : utrum Cœnobio Fontanellenſi præſcripta ſit a S. Vvandregiſilo : utrum Monaſteriis Gandenſibus & Elnonenſi a S. Amando impoſita.* Brevius ad unum caput tota contrahi poterat, nimirum utrum Regula S. Benedicti recepta in Gallia ſit ante Caroli Magni principatum. Id enim occultis cuniculis hactenus molitus eſt Cointius, licet verbis tantiſper ab hac ſententia decedere coactus ſit. Verum ſequar partitionem ejus, argumentis ab eo prolatis ex ordine reſponſurus.

Controverſiæ capita quatuor.

20. Primum igitur caput ita ipſe conſtituit, *utrum Regula Benedictina in Monaſterio Bobienſi ſuſcepta ſit a S. Columbano*. Sed pace optimi viri dixerim, neutiquam hoc fuit caput primæ diſputationis noſtræ. Communem Cointio ſententiam cum ſociis Bollandianis fuiſſe adverteram de ſera Benedictinæ Regulæ propagatione in Gallia. Argumentis validiſſimis (ni fallor) ac certiſſimis demonſtravi, (& demonſtrare amplius potero ſi res exigat) S. Benedicti Regulam ante ſæculum octavum receptam ubivis in Gallia fuiſſe : tum nonnullis Cointii peculiaribus objectis reſpondi, quorum unum de Cœnobio Bobienſi
„ expoſui his verbis Præfationis meæ in Sæculum ſecundum : Venio ad Cœ- num. 22.
„ nobium Bobienſe, in quo (ſi Ferdinando Ughello ejuſque approbatori Ca-
„ rolo Cointio credimus) poſtremis temporibus Regulam S. Benedicti rece-
„ ptam fuiſſe ratum eſt. Theodorus Papa in litteris Privilegii Bobuleno Ab-
„ bati Bobienſi conceſſi meminit *Regulæ ſanctæ memoriæ* BENEDICTI : U-

CAPUT I.

ghel-

„ ghellus interpolationem in hæc verba irrepſiſſe dicit, additque nullum de „ S. Benedicti Regula teſtimonium ante Lucii ſecundi pontificatum in monumentis Bobienſibus exſtare. Ughello Cointius ſupplaudit. En ſtatus quæ„ ſtionis de Cœnobio Bobienſi a me præſtitutus, nimirum an nullum ſit teſtimonium de Regula S. Benedicti eo in Cœnobio ante Lucii ſecundi pontificatum, ad quem ſine dubio rejicere voluerat Cointius inſtitutionem Regulæ S. Benedicti eo loci factam, ut ſatis ex ejus verbis perſpectum eſt: tum an interpolatum cenſeri debeat Theodori Privilegium, ubi Regulam S. Benedicti nominat. Huc ſpectant omnia argumenta a me propoſita: huc retuli Gerberti Abbatis Bobienſis, huc Monachi anonymi teſtimonia. Denique quid ſentiam aut quid inſtituerim, manifeſte patet ex concluſione, quam exinde ſic deduco; „ Vigebat ergo Regula hæc in Bobienſi Monaſterio, Theodoro Pontifi„ ce, Conſtantini anno ſecundo, conſulatus primo, Indictione prima, (hi „ enim ſunt chronologici Bullæ characteres) id eſt anno Chriſti ſexcenteſimo „ quadrageſimo tertio, quum Bobulenus Abbas Monachis Bobienſibus præerat. Quin etiam prope poſt ea verba dico, Bobienſe Monaſterium Regulam S. Benedicti admiſiſſe exemplo Luxovienſium Monachorum ſtatim a Synodo Matiſconenſi, decem annis poſt Columbani obitum celebrata. Verſatur ergo controverſia noſtra de Cœnobio Bobienſi in duplici quæſtione: quarum altera eſt, num S. Benedicti Regula inaudita fuerit in iſto Cœnobio ante Lucii ſecundi pontificatum. Huic parti reſpondent Gerberti Abbatis & Monachi anonymi Bobienſis teſtimonia, quorum ille ſub finem, hic ſub initium ſæculi decimi florebat. Porro uterque Regulam S. Benedicti ſuo tempore ſervatam apud Bobienſes fuiſſe tam diſerte tradunt, ut ſubterfugii nulla detur vel minima rima. Sic enim Gerbertus ſcribit in epiſtola quadam ad Bobienſes: *Qui Regulam* S. BENEDICTI *profeſſi eſtis, & Paſtorem deſerendum abjeciſtis; colla tyrannis ſponte ſubdidiſtis.* Altera quæſtionis pars eſt, utrum vitiatum cenſeri debeat Theodori Privilegium, ubi mentio Regulæ S. Benedicti: quod contra ſe habere certo ex Anonymo colligitur. Anonymus quippe in libro de miraculis S. Columbani ait, *Privilegia ſanctæ Sedis apoſtolicæ Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ*, coram Hugone Rege fuiſſe recitata, eaque haud dubie autogragha nec ſuſpectæ fidei, ut ſcilicet iis inſpectis adverſarii cederent Monaſterii rebus occupatis, non ceſſuri ſi privilegiorum dumtaxat exempla prolata fuiſſent. Hæc privilegia, quorum Auctor ille ſummam refert, ſi haberemus in promtu, facile eſſet dirimere controverſiam noſtram. Sed tamen ex ipſis Anonymi verbis, qui lectioni præſens interfuit eaque vidit, ſatis intelligimus, in illis mentionem factam Regulæ S. Benedicti. Sic enim iſte loquentem inducit Epiſcopum Dertonenſem, qui contra decreta privilegiorum jus in Monaſterium Bobienſe uſurpare tentabat. *Nolo ſegregari ab illorum* Pontificum *ſocietate, nec etiam decreta illorum diſrumpere volo: ſed quia video ipſum Cœnobium pene deſtructum eſſe, & cupio ut per me ad priſtinum redeat ſtatum.* Ad hæc reponit Anonymus ille: *Dicis quod pene deſtructum eſt* Monaſterium; *verum dicis. Sed ſi verum eſt quod ais: per te ad priſtinum redeat ſtatum, ut Abbatem ſecundum Regulam habeat, qui adimpleat hoc quod te adſeris velle adimplere: & tunc apparebit, quod zelo Dei utaris, & illa vera ſunt quæ dicis: quia ſicut ſcriptum eſt, Non poteſtis duobus dominis ſervire; ita & tu non vales tuum Epiſcopatum regere, & Monachos ſecundum Regulam* S. BENEDICTI *gubernare*. Ex his apparet, Anonymi iſtius hanc ſententiam fuiſſe, non poſſe reduci Bobienſe Monaſterium ad priſtinum ſtatum, hoc eſt primarium, qualis tempore conceſſorum privilegiorum erat; niſi per Abbatem qui *ſecundum Regulam* electus eſſet, qui Monachos *ſecundum Regulam* S. BENEDICTI gubernaret. Quod ſane non conſequeretur, niſi Regulam S. Benedicti in primariis illis inſtrumentis expreſſam legiſſet Anonymus.

cap. 23.

21. Quin etiam ex illius verbis non obſcure colligitur, ſaltem ejus mentem fuiſſe, Regulam S. Benedicti ab initio impoſitam Cœnobio Bobienſi. Quapropter poſui in Præfatione mea ſuperiori, ſed tamen extra lineas diſputationis,

nis, dici haud temere poſſe, Columbanum in Italiam profectum, ut ſe Romanis moribus accommodaret, admiſiſſe Regulam S. Benedicti. Hoc, inquam, poſui extra lineas diſputationis: nec, ſi id poteſt citra temeritatem dici, hoc continuo defendendum pervicaciter ſuſcepi. Illud vero a me propoſitum eo animo eſt, quo paullo ante dixeram, immo & multis firmaveram, Scriptores noſtros non ſine cauſa exiſtimaſſe, (qua de re tamen paullo aliter ſenten- num. 9.
tiam dixi) Regulam Columbani non eſſe a Benedictina diverſam: tum ſcilicet ne partes has omnino deſererem vel excluderem a noſtris, libenter eas propugnaturus, ubi firmiora ſuppeterent argumenta: tum ne cauſam facerem deteriorem, ſi conanti non ſucceſſit. Præſtat enim aliis cauſam integram relinquere, quam male tractando in majus diſcrimen adducere. Quod igitur dici haud temere poterat relinquens, ut mihi non omnino conſtans & exploratum; quod certius viſum eſt mihi ſumſi: idque tandem perfeci, ut adverſarii fateri cogantur, non eſſe tam ſeram, ut putabant, Regulæ Benedictinæ mentionem apud Bobienſes, ut ad Lucii ſecundi tempora rejici debeat: ſed annis amplius ducentis præceſſiſſe ejus memoriam apud illius loci auctores omni exceptione majores: quorum unus id ita teſtatus eſt, ut eam Regulam legerit in Theodori Papæ litteris primariis expreſſam.

22. In tanta Scriptorum veterum qui de iſto Monaſterio egerint penuria, nemo jure a nobis alia exiget argumenta pro ſecunda quæſtionis parte: nec unus aliquis contra quidquam ſatis firmum objicere poterit. Si præter ea tamen quiddam adjicere neceſſe eſt, adjiciam id quod apud Cointium maxime valere debet: nulla ſcilicet Monaſteria in illis partibus a condito Cœnobio Bobienſi comparata fuiſſe ad aliud Inſtitutum, quam ad Benedictinum. In civitate quippe Mediolanenſi, quæ provinciæ caput eſt, Monaſterium S. Benedicti nomine & Regula inſtitutum erexit Benedictus Archiepiſcopus ſæculo ſeptimo. Propius Bobio eſt Ticinum, in quo Bertaredus ſeu Pertaritus Langobardorum Rex Virginum Benedictinarum Cœnobium, quod Novum dictum eſt, in honorem S. Agathæ conſtruxit eodem ſæculo: & inſequenti Liutprandus Rex Monaſterium beati Petri, Cælum-aureum dictum, una cum ſancti Auguſtini reliquiis commendavit ſodalibus noſtris. Nec longius hinc abeſt Nonantula Monaſterium agri Mutinenſis, quod Anſelmus Dux Forojulienſis, poſtea Monachus & Abbas condidit, & Geminianus Regienſis Epiſcopus in honorem B. Mariæ & S. Benedicti conſecravit. At ſi tum in Cœnobio Bobienſi viguiſſet Inſtitutum S. Columbani ſeparatim a noſtro, credendumne eſt, nullum eorum quæ eo tempore condita ſunt Monaſteriorum ſub Regula S. Columbani, cujus tanta ubique fama & exiſtimatio erat, inſtituendum fuiſſe? Hæc, inquam, argumentandi ratio magni momenti eſſe debet apud Cointium, qui paſſim Columbano Monaſteria vindicat eo nomine, quod in vicinis Luxovio locis conſtructa ſint.

23. Ceterum quod primi hujus capitis ſeu quæſtionis ſtatum ad lineas reduxi, id eo feci, ut intra legitimæ diſputationis cancellos conſiſteremus; non quo vim defugerem argumentorum a Cointio propoſitorum: quibus ex abundanti reſpondere non multum operoſa res fuerit.

24. In ſuperiori Præfatione contra vulgatam noſtrorum opinionem pro- num. 34.
baveram, ſancti Columbani Inſtitutum principio a Benedictino fuiſſe diſtinctum; Regulam a noſtra omnino diverſam. Alterum oſtenderam ex eo, quod Columbanus ex Hibernia ſeu ex Bancorenſi Monaſterio acceſſit in Galliam, antequam Benedictinum Inſtitutum in Britanniam inſulam, adeoque in Hiberniam penetraviſſet: alterum ex eo, quod Regulam peculiarem ſcripſit Columbanus, in qua nullum fere Benedictinæ veſtigium: & ſi Jonas aliquot in locis *Regulam ſanctam* laudat, quo nomine Concilia ſancti Benedicti Regulam commendare ſolent; eum tamen videri hoc elogio Columbani obſignaſſe Regulam, quam ipſe profeſſus erat. Hæc argumenta opponebam communi perſuaſioni quorumdam a noſtris, qui Regulam ſancti Columbani aliam eſſe negant a Regula ſancti Benedicti; ſed quaſdam dum-

Digitized by Google

dumtaxat declarationes (ut vocant) & commentationes in Benedictinam eſſe volunt. Sic autem animo reputabam. Si Columbani nulla eſt Regula proprie dicta, cur Jonas ſancti Columbani paſſim, nuſquam ſancti Benedicti Regulam nominat, quum eam vult deſignare? Certe *Regulam ſanctam* aliquoties memorat, quo nomine Patres ac Concilia Regulam ſancti Benedicti exornant: at quidni eo vocabulo intelligat Regulam Columbani, quam num. 34. ipſe profeſſus erat? Quid ad hæc Cointius? *Hæc*, inquit, *de Columbano & Jona nemo poteſt aſſerere, quin fateatur Regulam ſancti Benedicti numquam a ſancto Columbano ſuſceptam fuiſſe. Jonas enim in Bobienſi Cœnobio Monachum induit Columbano jam mortuo, Actaque ejuſdem Columbani ejuſque diſcipulorum longe ſerius in litteras retulit*. Et infra: *Porro ſancti Columbani, non autem ſancti Benedicti Regulam profeſſus eſt Jonas, ut ipſimet Auctores Benedictini fatentur*. Jonas, *inquiunt*, Columbani Regulam, quam ipſe profeſſus erat, obſignaſſe videtur. *Ergo in Monaſterio Bobienſi viguit Regula ſancti Columbani ſub ſancto Attala, ſecundo illius loci Abbate*. Cedo conſecutionem hanc, alias duas conſtanter nego. Regula ſancti Columbani in Bobienſi Monaſterio vigebat Abbate Attala, ſed ſimul cum Regula ſancti Benedicti. Utramque profeſſus erat Jonas: nec mirum ſi quum de Regula ſancti Columbani ſpeciatim loquitur, eam Regulam ſanctam appellat, idem elogium Benedictinæ tributurus, ſi de ea dicendi nata eſſet occaſio. Cum vero totus eſſet in prædicando Columbano, non agit niſi de ejus Regula, tametſi jam conjuncta cum Benedictina erat. Neque vero ita conjunctas fuiſſe dico, ut diverſæ non fuerint etiam, quando ſimul in uno eodemque Cœnobio ſervabantur. Id autem quo modo intelligendum ſit, docebit poſtea pro me Uſſerius Armachanus. Non ergo conſequitur ex argumentis meis, Regulam ſancti Benedicti a Columbano ſuſceptam non fuiſſe in Monaſterio Bobienſi: neque umquam faſſus ſum aut fateri cogar, Jonam non fuiſſe profeſſum Regulam ~~ſancti Benedicti: quin immo contrarium~~ omnino diſerte propugno. Ex his nemo non videt, doctiſſimum Annaliſtam aut ea ſumere quæ non concedantur; aut ea, quæ etiam conceſſa, ipſum nihil adjuvent.

CAP. II. 25. Alterum diſputationis noſtræ caput eſt, *utrum Regula Sancti Benedicti poſt Synodum Matiſconenſem ſtatim in Galliis cum Regula Sancti Columbani coaluerit*. Coaluiſſe aliquando certum eſt, ſi quidem diverſa eſt una Regula ab alia: nec Cointius ipſe diffitetur: ſed quæſtio eſt an ea conjunctio utriuſque Regulæ facta ſit ante Synodum, an ſtatim poſt Synodum Matiſconenſem, an ſerius. Primum etſi non mihi improbatur omnino, non tamen ſatis exploratum viſum eſt ut illud defenderem: ſed incumbere malui in ſecundum, quod confirmavi tum permultis Monaſteriorum inſtrumentis, in quibus Regula ſancti Benedicti & ſancti Columbani ſimul uno vocabulo exprimitur numero ſingulari: tum certis & evidentiſſimis teſtimoniis gravium Auctorum, præcipue Sancti Donati Veſontionenſis Epiſcopi, diſcipuli Sancti Columbani, qui Regulam utramque Juſſanenſibus aptavit Sanctimonialibus; & ſcriptoris vitæ Sanctæ Salabergæ, qui *agmina Monachorum ex Regula dumtaxat beatorum Patrum* BENEDICTI *&* COLUMBANI *pullulaſſe* dicit Valdeberto Luxovienſi Abbate, qui paullo poſt prædictam Synodum Euſtaſio ſucceſſit. In aliam ad ann. 734. n. 43 ſententiam abit Carolus Cointius, cenſetque Regulam S. Benedicti ante annum ſexcenteſimum octogeſimum, quo tertium Annalium ſuorum tomum clauſit, receptam non fuiſſe in Luxovienſe Monaſterium: ſed ſerius per tom. 3. ad ann. 667. n. 20. Monachos Caſinates *introductam in varia Monaſteria, quæ Inſtituto ſancti Columbani prius obnoxia erant*: tumque *ne ſancti Columbani nomen penitus aboleretur, deinceps illorum locorum Monachos, dictos juxta Regulam ſancti Benedicti & ſancti Columbani conſiſtere; recentiores nomen ſolum Benedicti retinuiſſe*. Sed videndum eſt, quibus argumentis noſtra elevare ac infirmare conetur vir doctus, quibuſve momentis ſuam probet ſententiam.

26. Variis diplomatum inſtrumentis ante & poſt medium ſæculum ſeptimum

Digitized by Google

mum conditis, in quibus Regula utraque in iiſdem Monaſteriis ſimul viguiſſe dicitur, unum opponit Jonæ ſilentium, qui de iiſdem Monaſteriis agens, unius Regulæ ſancti Columbani meminit. Hoc argumento fretus, abradendum cenſet Benedicti nomen, ubicumque cum Columbani nomine conjunctum in illis litteris invenitur. Expeditum ſane argumentandi genus, delere ſcilicet atque abradere id, quod ſolvere non poſſis. Si ſic agere pergit, facile in omni cauſa ſuperior evadet. Hanc viam ſi tenuiſſent Græci, quum de proceſſione Spiritus-ſancti altercabantur adverſus Latinos, facili negotio eluſiſſent adverſariorum argumenta, hoc eſt eorum Patrum teſtimonia, in quibus Spiritus-ſanctus ex Patre Filioque procedere dicebatur. Græcis quippe non deerant ſententiæ Patrum bene multæ, in quibus Filii producentis mentio nulla fit. Cur ergo ex horum ſilentio non inferebant, abradendum eſſe in aliis Filii nomen: niſi quia hanc non eſſe legitimam conſequentiam advertebant? Age vero videamus, an tanti debeat eſſe Jonæ ſilentium, ut ſexcentis ejuſcemodi inſtrumentis a nobis prolatis præponi debeat.

27. Jonas cum totus eſſet in celebrandis geſtis ſancti Columbani ejuſque diſcipulorum, Regulam Columbani laudare debuit, non Regulam Benedicti, de quo ſermo non erat. Deinde unius hominis ſilentium non præjudicat multorum aliorum teſtimoniis, in quibus nulla exceptio legitima deprehendi poteſt. Sane ſi unum dumtaxat diploma reperiretur, in quo mentio ſimul facta eſſet utriuſque Regulæ; fateor, moveret me non parum Jonæ ſilentium, ſi nulla eſſet aliunde in contrarium auctoritas. At cum legam in litteris bene multis diverſorum ac diſtantium Monaſteriorum eadem verba; videamque ita legiſſe ac intellexiſſe Patres Concilii Sueſſionenſis nono ſæculo pro Sollemniacenſi; Frodoardum ſæculo decimo pro Altivillarenſi Monaſterio; Helgaudum pro Floriacenſi; aliosque probatos ac vetuſtos Auctores pro aliis; approbare certe non poſſum cenſoriam illam abradendi licentiam, qua Carolus Cointius non tantum adverſum nos, ſed & adverſum Concilia & Patres abutitur. Quid enim? legit ſcilicet Cointius Jonam; legerat & Frodoardus, qui ejus lucubrationes verſibus reddidit; legerant etiam (ut puto) aliqui e Patribus Concilii Sueſſionenſis: nec tamen ſancti Benedicti nomen e chartis illis delendum, quin immo retinendum eſſe cenſuerunt: quia ſcilicet primariis illis inſtrumentis, quorum autographa vidiſſe eos nemo jure negaverit, plus detulerunt, quam unius hominis ſilentio, cujus ſilentii cauſa in promtu erat.

28. Præterea nulla cauſa fingi poteſt, cur priſci illi Monachi, tot numero diverſi, tam a ſe invicem diſſiti, tam ſibi invicem ignoti; uno conſilio in primaria ſuorum Monaſteriorum diplomata Benedicti nomen intruſerint. Si dicas id privato, quo in Ordinem quiſque ſuum ejuſque Auctorem affecti erant, amore factum eſſe: merum figmentum. Nondum eo tempore, ſcilicet octavo nonove ſæculo, immo neque duobus conſequentibus, invaluerat apud Monachos privata illa æmulatio extollendi citra delectum Ordinis ſui, ejuſve Inſtitutoris. Omnia unus Ordo erat, nec de ſanctis ſuperiorum temporum Monachis ſibi vindicandis rixa erat inter eos ulla. Monachi quique cum de parente ſuo Benedicto loquebantur, non ſecus fere quam de Columbano loquebantur. Exemplis res comprobanda. Monachi Benedictini in Cœnobio Dionyſiano prope Lutetiam Pariſiorum longe ante ſæculum nonum, ut conſtat ex diplomate quodam Ludovici Auguſti de reſtitutione monaſticæ diſciplinæ in eo Monaſterio; immo ab ipſa conditione Monaſterii inibi collocati fuerant: nec tamen aut in libro Monachi Dionyſiani de geſtis Dagoberti, aut in exemplis diplomatum regiorum pontificiorumve Monaſterio conceſſorum, ulla Regulæ noſtræ memoria. In Cœnobio Laubienſi multi floruere Scriptores Benedictini, qui loci cultores primos, Urſmarum, Erminonem, & alios, elogiis ſui celebrarunt: nuſpiam tamen de Regula ſancti Benedicti quidquam loquuntur. Adſo Monachus & Abbas Benedictinus Acta Sanctorum Baſoli & Bercarii Abbatis Altivillarenſis & Dervenſis in litteras retulit ſæculo decimo; Servatus Lupus Ferrarienſis Abbas Acta ſancti Vvigberti Abbatis Fritislarienſis, Paſcha-

ſchaſius Radbertus Vitam ſancti Adelardi Corbejenſis Abbatis ſæculo nono; Gotſelmus Bertinianus Monachus Acta ſancti Auguſtini Cantuarienſis Epiſcopi ſæculo undecimo; eodemque Theodericus Abbas Trudonianus ſancti Trudonis, & Rainerus Cellenſis Monachus ſancti Ghisleni Acta ſcripſerunt: nec unus ex illis in hiſce lucubrationibus ſuis de ſancti Benedicti Regula ullum verbum inſeruit. Quin immo tam ſupina erat quibuſdam in Cœnobiis negligentia in cultu ſanctiſſimi Patris, ut Monachi Uticenſes anno primum trecenteſimo quarto-decimo ſupra milleſimum ſtatuerint *in Capitulo generali de voluntate & conſenſu domini Nicolai Heberti Abbatis ac totius conventus, ut de tranſitu ſancti Patris noſtri* BENEDICTI *facerent de cetero feſtum duplex eodem modo & ordine, quo facere conſueverant de Annuntiatione dominica.* Non ergo apud illos mediæ ætatis Monachos tam cæca tamque præceps erat efferendi Ordinis ſui ejuſque Auctoris libido, ut nomen ſancti Benedicti temere intruſerint in exempla diplomatum ſuorum.

29. Denique ſi id commiſerunt, cur idem nomen in Acta ſancti Columbani aliorumque ejus diſcipulorum non inſeruerunt? nonne iidem Monachi & Acta iſta, & diplomata illa deſcripſere? cur ergo in illis falſarii, in his religioſi? Alia ratio eſt de notis chronologicis, Incarnationis & Indictionis, quas in gratiam ſodalium ſuorum, qui minus veteres illas notas intelligebant, librarii appoſuerunt, & quidem monito nonnumquam Lectore, uti Folquinus Monachus in ſua collectione diplomatum Sithivenſium.

30. Retinendum ergo nomen ſancti Benedicti in primariis illis monumentis, idque ſuo calculo approbat Uſſerius Armachanus, vir doctus, tam a partibus Benedictinis quam a Catholicis alienus. Sic enim ille in Addendis
Pag. 1050. ad Antiquitates Britannicas. *Ordericus quidem Vitalis S. Columbanum Spiritu-ſancto edoctum monachilem Regulam edidiſſe, primumque Gallis tradidiſſe ſcribit: ſed diſcipulos ipſius addit ædificationis gratia normam ſuſcepiſſe Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent ſui fluenta Magiſtri, almi videlicet Columbani.* Et relato toto Orderici contextu, ita ſubdit Uſſerius: *Unde rationem intelligimus, cur toties in antiquis monumentis* REGULAS BENEDICTI *&* COLUMBANI *ſimul conjungi videamus.* Tum citatis diplomatis Leodebodi Abbatis pro Floriacenſi Cœnobio, Bertefridi Ambianenſis Epiſcopi pro Corbejenſi, Hildulfi Epiſcopi Trevirenſis pro ſancti Deodati Cœnobio, & Theoderici ſecundi Francorum Regis pro Mauri-Monaſterio, quibus in diplomatis utraque Regula communi vocabulo exprimitur; hæc addit: *Non quod una eademque eſſet utriuſque Regula: ſed quod Columbani ſectatores majoris profectus ergo duas illas celeberrimas aſceticæ vitæ normas conjunxiſſent, quæ mediis hiſce temporibus in Italia, Gallia, & Germania ſolæ enitebant & apparebant.* Hunc Uſſerii locum, hanc heterodoxi hominis, ſed docti & eruditi, moderationem perpendat quæſo Cointius: & calamum cenſorium ad delendum abradendumve nimis facilem, tantiſper cohibeat adverſus Regulam ſancti Benedicti. Neque hoc peto in detrimentum veritatis, cui omnia cedere velim: ſed pro veritate ipſa, quæ cujuſque familiæ ac perſonæ titulos, decora & ornamenta violari ac proteri ſine legitimis ac certiſſimis inſtrumentis non patitur. Ad hæc extrema & inimiciſſima cenſuræ jura deſcendere nulla injuria provocatus, nulla neceſſitate adactus, poſtremo nulla, niſi admodum levi, ratione ductus nemo debet. Dubitare ſane Cointio licuerit de jure noſtro; etiam dubitationem ſuam proferre ſcripto: ſi nihil inde humanitati ejus debituri ſumus, certe non obſiſtemus cenſuræ. At in re, quæ apud conjuratiſſimos adverſarios dubia ſummum eſt, certam, definitam, ratamque pronuntiare ſententiam; immo ubique Benedicti nomen delere & eradere, ſi cui licet, amicum certe (qualem ſe ipſe erga nos fateri dignatur) plane
ad ann. 734. n. 107. non decet. *Audacter*, inquit, *erado nomen Benedicti*. Et ego nomen Benedicti non tam audacter, quam juſte reſtituo. Non enim audacia ſententiis addit pondus, ſed potius detrahit. Ad reliqua pergamus.

31. Ad argumentum quod protuleram ex compilatione Regularum ſancti

cti Cæſarii, ſancti Benedicti & ſancti Columbani, a Donato Veſontionenſi Epiſcopo, Columbani diſcipulo facta in gratiam Juſſanenſium Virginum, quæ Monachorum æmulatione adductæ, utramque Benedicti & Columbani Regulam ſtrictius ſequi cupiebant; ita reſpondet Cointius: *Donatus de Regulis ſanctorum Cæſarii, Benedicti & Columbani ſic loquitur, ut palam oſtendat tres eſſe valde diverſas*. Et ego, etiamſi Donatus non diceret, ultro ipſe faterer. Uſſerius paullo ſuperius rem explicavit. Manet ergo integra vis argumenti mei. num. 100.

32. Quid vero Cointius ad teſtimonium ex Vita Salabergæ? *Acta*, inquit, *ſanctæ Salabergæ ſic interpretare, ut agmina Monachorum per Gallias ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe credas: quoniam ut Glannafolienſe Monaſterium aliaque Regulam Benedicti; ſic Luxovienſe aliaque Regulam ſancti Columbani ſequebantur*. Et quænam illa præter Glannafolienſe alia Monaſteria Regulam ſancti Benedicti ſequebantur? quænam illa alia, in quibus pullulavit Regula ſancti Benedicti, ſi eam ab Regula Columbani ſeparare pergit? Enumeret quæſo longam illam ſeriem Monaſteriorum, in quæ *late propagatum* Ordinem noſtrum ante ſexcenteſimum octogeſimum Chriſti annum ipſe tandem fatetur. Nam quo magis Annales ejus verſo & revolvo, eo magis obſtupeſco ſolitudinem noſtram: nec præter unum Glannafolienſe, & forſan Caſtrenſe, (quod neſcio an nobis liberaliter concedet) invenio, quo ſe expulſi Ordinis ſeminarium recipiat. Si ergo nunc demum aliter quam antea ſentire cœpit Cointius, exigunt ſane juſtitiæ leges, ut reſtituat Ordini male detracta jura & ornamenta; & numeroſam Monaſteriorum Monachorumque ſobolem, quam ipſi præripere molitus eſt, ſcriptis tandem eidem vindicet ſuis: id quod de viri moderatiſſimi æquitate exſpectamus. Alioquin certe non ſe expediet ab illo teſtimonio, quod nobis ſuppeditat in Vita Salabergæ Auctor gravis & fere æqualis: nulla poterit adſignare Monaſteria; in quibus pullulaverit ſancti Benedicti Regula: nullam coloniam Monachorum e Glannafolienſi ſeminario eductam. Verum eſto, plura alia Monaſteria Regulam ſancti Benedicti receperint, excluſa Regula Columbani: at certe admitti etiam neceſſe eſt, Monaſteria ex Luxovienſi Aſceterio pullulaſſe, Vvaldeberto Abbate, ſub utriuſque Regulæ diſciplina. Quid enim pertinebat ad elogium Vvaldeberti Abbatis, quem Auctor ille commendat hoc loco, ut eo Abbate pullulaverint agmina Monachorum ex Regula dumtaxat ſancti Benedicti & ſancti Columbani, ſi utriuſque Regulæ propagatio per Vvaldebertum facta non eſt? Quis laudet ſanctum Maurum hoc nomine, quod eo vivente non tantum Glannafolienſe Monaſterium ſub Regula ſancti Benedicti conditum ſit: ſed etiam quod Reomaenſe ſub Regula Macarii, Mitiacenſe ſub ſanctorum Antonii & Pauli inſtitutis prodierint? Cum ergo in prædictis Actis laudetur Vvaldebertus, quod ſub ejus regimine *agmina Monachorum ex Regula dumtaxat beatorum Patrum* BENEDICTI *&* COLUMBANI *pullulare cœperint*; utramque Regulam ſimul conjunctam fuiſſe dicendum eſt. ibid.

33. *Cœperunt* ergo Vvaldeberto Abbate Luxovienſi, ut diſerte Anonymus hic atteſtatur, *pullulare* Monaſteria e Luxovienſi Aſceterio ſub utraque Regula: nec temere proinde id factum adfirmavi poſt Synodum Matiſconenſem, quæ ſolido anno ante Euſtaſii Abbatis deceſſum celebrata eſt, hoc eſt anno ſexcenteſimo vigeſimo quarto, aut inſequenti, prout Euſtaſii obitum, qui 4. *Kalendas Aprilis* accidit, vel ad finem anni ſexcenteſimi vigeſimi quarti, ſecundum veterem calculum; vel ad initium anni proximi referes, ſecundum recentiorem. Nec quidquam contra efficiunt ea quæ profert Cointius, ſive ex Vita ſancti Joannis Abbatis Reomaenſis, quam Jonas interpolavit; ſive ex Actis S. Filiberti Gemeticenſis Abbatis: ſatiſque refutata manet ex ſuperioribus conſequentia ab eo illata, ſerius anno ſexcenteſimo octogeſimo cum in Luxovienſe, tum in alia Cœnobia, quæ S. Columbani Regulam ſequebantur, mores rituſque Benedictinos introductos fuiſſe. Majoris tamen probationis gratia quædam inſuper adferre juvat. Primo Synodus, Auguſtodunenſis appellari ſolita, quæ canone quinto-decimo præcipit ad ann. 734. n. 43.

Abbatibus & Monachis, *ut quidquid canonicus ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & cuſtodire in omnibus debeant*, Nationale (ut vocant) Concilium fuiſſe videtur, illud ſcilicet, de quo ſermo eſt in vulgato Leodegarii teſtamento, *quinquaginta quatuor Coepiſcoporum Chriſtiaco* una cum Leodegario congregatorum *anno tertio Theoderici Regis*. Etſi enim teſtamentum iſtud in notis chronologicis interpolatum eſt, & in nonnullis forſan nominibus propriis errore librariorum; non tamen omnino rejici debet: maxime cum tam prædicti teſtamenti, quam donationum in eo factarum mentio ſit in litteris Joannis Papæ octavi, quas Perardus in monumentis Burgundicis poſt idem teſtamentum vulgavit. Et certe convenit huic loco epocha iſtius Synodi apud Sirmondum, qui Theodorici annum quartum adſignavit: nam facile annus tertius regni cum anno quarto componitur ſub diverſa ratione, qua nonnulli regnum cujuſque Regis ab ipſo deceſſoris obitu, alii ab anno inſequenti numerare incipiunt. Si ergo Nationale Concilium ejuſmodi ſtatutum de Regula ſancti Benedicti condidit, approbantibus quatuor & quinquaginta Epiſcopis, conſtat ſane majorem Gallicanorum Epiſcoporum partem in hoc conveniſſe, ut ſcilicet Regula ſancti Benedicti in Monaſteriis accurate *impleretur*, *cuſtodiretur* ſervareturque. Jam ergo ubique per Galliam in Monaſteriis etiam B. Columbani vigebat, maxime in Luxovienſi, aliiſque Auguſtoduno finitimis. Certe non de receptione, ſed de *conſervatione* Regulæ agit Concilium. *Si enim*, inquiunt Patres, *hæc omnia fuerint legitime apud Abbatem vel Monaſteria conſervata, numerus Monachorum Deo propitio augebitur*. Porro iſtud Concilium Cointius revocat ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium. Longe proinde ante annum ſexcenteſimum octogeſimum ritus moreſque Benedictini etiam in B. Columbani Monaſteria introducti erant.

34. De Burgundicis Monaſteriis id confirmatur ex priori, quod in lucem hic protulimus, Vvidradi Abbatis teſtamento pro Monaſterio Flaviniacenſi, condito *anno quarto Chilperici Regis*, hoc eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo vigeſimo aut inſequenti. Eo enim in teſtamento Vvidradus conſtituit, ut Abbas regat Monachos *ſecundum Regulam* S. BENEDICTI, Abbate vero mortuo eligant Monachi religioſum ſucceſſorem, aut ex ſeipſis, aut certe (ſi talis apud eos inveniri non poſſit) *ex proximis Monaſteriis*. Nulla vero tum erant prope Flaviniacum Monaſteria præter Reomaenſe, Sequanenſe, Beſuenſe, Benignianum, & Autiſiodorenſe: quæ proinde eamdem quam Flaviniacenſe Regulam obſervabant. Et de Sequanenſi quidem res certa eſt ex Actis Benedicti Anianæ Abbatis: de ceteris etiam id probant tum ipſa Acta, tum Concilia octavi ac noni ſæculi, Capitularia Caroli Magni, & Alcuini aliorumque Auctorum teſtimonia jam alibi a me commemorata, quæ Regulam noſtram ante Caroli Magni hominumque ejus ætatis memoriam ubique receptam fuiſſe adſtruunt. Ad ann. 667. n. 20. Gratis proinde ſupponit Cointius, id præſtitum per Monachos Caſinates, qui mores Benedictinos introduxerint in B. Columbani Monaſteria; tumque deinceps Monachos dictos *conſiſtere juxta Regulam S. Benedicti & S. Columbani*. Nullam quippe coloniam Caſino profectam uſpiam leget: niſi forte Theodemari Abbatis epiſtolam huc torqueat: quod certe non poteſt. Neque enim hoc pacto ignoraviſſet Carolus Magnus, an & quænam viguiſſet in Gallia Regula præter Benedictinam, nec quæſtionem Epiſcopis hac de re propoſuiſſet in Capitulari interrogationum. Cum vero id inquirendum eſſe judicaverit, conſequens eſt, longe ante id tempus factam eſſe conjunctionem utriuſque Regulæ: ſiquidem ejus rei, immo Regulæ B. Columbani memoria jam tum obſoleverat. Denique nullum locum, nullum teſtimonium vel in Conciliis, vel Auctoribus octavi ac noni ſæculi inveniet Cointius ad probandam opinionem ſuam: quin immo omnia Concilia, Auctores omnes unam ſancti Benedicti Regulam tum viguiſſe una voce conteſtantur. Eam proinde cum Regula Columbani ſæculo præcedente adunatam fuiſſe manifeſtum eſt. Hanc unionem probat inſignis locus Chronographi Fontanellenſis in capite duodecimo in editis:

ditis : ubi Ragenfredus anno ſeptingenteſimo ſeptimodecimo Vvandoni Abbati plurimos codices dono conceſſiſſe perhibetur, in his codicem unum, in quo continebatur REGULA S. BENEDICTI & S. COLUMBANI CUM MARTYROLOGIO. Sciunt quippe rerum monaſticarum periti, ſollemne fuiſſe quondam apud Monachos, ut quam quique ſervarent Regulam, eam in Cœnobiis ſuis deſcriptam atque compactam haberent cum Martyrologio : ut ſic utrumque eſſet in promtu ad legendum in Capitulo poſt Primam. Tunc enim lecto inibi Martyrologio, poſt quaſdam precationes, ſententias aliquot ſeu capitulum ex Regula Monaſterii recitari mos erat. Cum ergo initio ſæculi octavi Ragenfredus penes ſe habuerit codicem ſic ordinatum, ſcriptum haud dubie jam ante annos plures, in quo utraque Regula cum Martyrologio continenter exarata erat; utramque longe ante id tempus in Monaſteriis ſimul obſervatam fuiſſe fatendum eſt. De altera parte diſputationis hæc ſatis.

35. Tertium caput ſic ſtatuit doctiſſimus Annaliſta : *utrum Regula S. Benedicti Cœnobio Fontanellenſi præſcripta ſit a S. Wandregiſilo*. Id negat ipſe, Aigradi Fontanellenſis Monachi auctoritate fretus : & ego eodem auctore id probo. Aigradus in libello de vita ſancti Ansberti Rotomagenſis Epiſcopi deſcribens modum, quo a beato Vvandregiſilo ſuſceptus Fontanellæ eſt, ait virum ſanctum audita Ansberti poſtulatione dixiſſe, *inducias conſulendi ſuper hoc habere ſe velle : ut ſicut apoſtolica & monaſtica docet Regula, ſciret ad quid venerat*. Deinde Lantbertum Abbatem Vvandregiſili ſucceſſorem laudat, quod in adminiſtrando Fontanellenſi Monaſterio *cuncta ſtrenue atque inreprehenſibiliter geſſerit ſecundum Normam ſanctorum Patrum*. Denique Ansbertum ex-Abbate Rotomagenſem Epiſcopum ſtatuiſſe in Synodo, *ut ſicuti ſub ejus regimine, ita inantea*, id eſt in poſterum, *& ipſi & poſteri eorum*, Monachi ſcilicet Fontanellæ, *ſecundum Regulam ſancti Patris* BENEDICTI *fideliter Chriſto deſervirent*. Porro ex his deduxeram, Regulam S. Benedicti quæ tertio loco ſignanter exprimitur, eamdem etiam dici κατ' ἐξοχὴν *monaſticam Regulam*, & *Normam ſanctorum Patrum* in duobus ſuperioribus locis : eam proinde Fontanellæ a primordiis obſervatam fuiſſe. Sane *Regulæ monaſticæ* nomine Benedictinam intelligi, maxime apud Auctorem Benedictinum, qualis ſine dubio Aigradus fuit, nemo jure negaverit. Et Regula noſtra, quæ modum recipiendi Novitii præſcribit capite 58. Sacerdoti in Monaſterium admitti cupienti nihil relaxari præcipit capite 60. *ut ſit ſicut ſcriptum eſt, Amice, ad quid veniſti?* quæ verba huic loco recte quadrant. Apoſtolica regula, quam Vvandregiſilus hoc in facto ſecutus eſt, deſumitur ex epiſtola prima Joannis Apoſtoli, monentis capite 4. *probari ſpiritus, ſi ex Deo ſint* : quem locum etiam in medium adfert S. Benedictus initio capitis 58. tranſſiliit Cointius, tametſi integrum fere caput deſcripſit. Regulæ verba hæc ſunt : *Noviter quis veniens ad converſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus ; ſed ſicut ait Apoſtolus: Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*. Hæc ipſa eſt *monaſtica & apoſtolica Regula*, a Vvandregiſilo deſignata hoc loco, uno verſu a Benedicto expreſſa. CAP. III.

36. Longe aliis oculis hæc legit Carolus Cointius, qui plurimum diſcriminis inter Vvandregiſili factum in ſuſcipiendo Ansberto, & S. Benedicti ſanctionem capite 58. expreſſam intercedere arbitratur. *Apud Aigradum*, inquit, *Wandregiſilus Abbas Fontanellenſis ſpiritualium Fratrum conſulta prius ſuſcipit, quam Ansberti noviter ad converſionem venientis poſtulationibus acquieſcat : & Ansbertus, ubi votorum compos fit*, Clericatus habitu decorabilis *redditur*. *Capite autem duodeſexageſimo Regulæ Benedictinæ, nihil de ſpiritualium Fratrum conſultis, nihil de Clericatus habitu legitur*. Quam caute dixit *capite duodeſexageſimo!* Sed quid refert, capite hoc an alio, conſulta Fratrum requirat S. Benedictus? Requirit autem capite tertio, ubi in quibuſcumque etiam minoris momenti rebus Fratres in conſilium convocari ab Abbate jubet. Porro hoc præceptum intellexere Majores noſtri etiam de ſuſceptione Novitiorum. Vvolfardus Abbas Monaſterii Adeſcancaſtri in Anglia, in quo teſte S. Vvillibaldo Regula S. Benedicti ſervabatur, Bonifacium, futurum Germaniæ Apoſtolum, *inito Fra-* num. 56.

trum conſilio admiſit. Idem patet in S. Poppone, qui in Monaſterio S. Theodorici Monachus fieri cupiens, cauſas voti ſui *Abbati ceteriſque Fratribus intimavit* : cui petenti *Abbas una cum Fratribus ingreſſum annuit* : & Hugo, qui poſtea Cluniacenſis Abbas ſanctiſſimus fuit, Cluniacum veniens, primum Odiloni Abbati mentem ſuam de monaſtica profeſſione aperuit : tum *ex more Capitulum ingreſſus*, *in conventu* Fratrum petitionem ſuam expoſuit, ut ſcilicet eum in ſuam ſocietatem recipere dignarentur. Id etiam probare poſſem ex aliis Actis Sanctorum noſtrorum. At exempla hæc æquis rerum æſtimatoribus ſufficient in cauſa noſtra. Mirari vero ſubit, qua mente vir doctus nobis rurſus objiciat *Clericatus* vocabulum, quod ab antiquis Auctoribus Inſtituto monaſtico tribui ſolitum eſſe, tam aperte demonſtravi in Præfatione Sæculi ſecundi. Nollem ſane his in rebus viri optimi æquitatem deſiderari. Quod ſi rem ut eſt intelligere voluiſſet, advertiſſet utique, Harduinum Fontanellæ longe poſt admiſſam (ut Cointius fateri cogitur) eo loci Regulam S. Benedicti, non aliis verbis Monachum initiatum memorari, quam quod in eo Cœnobio *Clericatus ſuſcepit habitum*, uti legitur in Chronici Fontanellenſis capite decimo-tertio, quod quartum-decimum eſſe debet. Hæc perpendat quæſo Cointius, & manifeſtæ tandem cedat veritati.

num. 48. & ſeqq. 37. Ad id quod dixeram, Regulam S. Benedicti in Ordine Romano dici *Regulam a ſanctis Patribus traditam*, quod idem eſt ac *Regula* ſeu *Norma ſanctorum Patrum* : ad id, inquam, multa reſpondet Cointius. Vvandregiſilum ſcilicet a Cœnobio *Romanis*, ubi aliquamdiu vixit, accepiſſe Regulam, quam poſtea Fontanellenſibus impoſuit, eamdemque in ſuſceptione Anſberti deſignavit : porro Monaſterium *Romanis* idem eſſe cum Condateſcenſi ſeu S. Romani, in quo *Regula ſanctorum Patrum*, id eſt Regula ex variis Patrum Regulis concinnata ſervabatur. Hæc ille multis : cui ego paucis, at certis. Quo ex Monaſterio Vvandregiſilus acceperit Regulam Fontanellæ imponendam, nec Cointius ipſe, nec quivis alius adſequi poteſt. Monaſteria plura perluſtravit, Montis-Falconis, Bobienſe, Romanenſe : quod an idem ſit cum Condateſcenſi, Sæculo proximo examinabimus in Actis ſancti Bernardi Archiepiſcopi Viennenſis. Nec ſi conſtaret quo ex Monaſterio Vvandregiſilus Regulam ſuam acceperit, inde quidquam conficeretur adverſus Regulam ſancti Benedicti, quam etiam in Condateſcenſi Monaſterio tum receptam fuiſſe jure contenderemus. Tota hic controverſia in eo verſatur, an Regula S. Benedicti aliquando appellata ſit *Regula* ſeu *Norma ſanctorum Patrum*. Huic rei probandæ ſufficere debuerat argumentum ex Ordine Romano, in quo diſerte *Regula a ſanctis Patribus tradita* vocatur. At hæ locutiones, *Regula ſanctorum Patrum*, & *Regula a ſanctis Patribus tradita*, non cenſendæ ſunt ſynonymæ, ait Cointius. Fateor in his locutionibus duplicem latere ſenſum. Mirum vero eſt, cur Carolus Cointius eas potius contra nos, quam pro nobis explicet : maxime cum cetera cauſæ noſtræ ſuffragentur, menſque Auctoris ex aliis ejus verbis plana & aperta ſit. Quæ auctoritas, quod teſtimonium non infirmari aut convelli poteſt, ſi ad verba rem deflectere velimus : conſilium autem eorum qui ſcripſerunt, & rationem & auctoritatem relinquamus? Aigradus Regulam monaſticam nominat, Regulam S. Benedicti Anſberto Abbate Fontanellæ ſervatam laudat : cur eamdem non eſſe dicas, quæ dicitur Regula ſanctorum Patrum? *Specialis*, inquis, *Regula S. Benedicti*, *numquam appellatur Regula ſanctorum Patrum*. Bona verba, quæſo : quid ſi oſtendero non unum, ſed plures Auctores mediæ ætatis, qui hoc nomen Regulæ noſtræ tribuunt? Primus aderit Ambroſius Autpertus, vir ſanctus & doctus, octavi ſæculi auctor, ut in ejus Actis infra probabo : qui expreſſis verbis
hic ad ann. 720. Regulam S. Benedicti appellat *Regulam ſanctorum Patrum* in Vita S. Paldonis Abbatis Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum, non procul a Caſino. Paldo ſequacibus ſuis promiſerat, Monachum illum, qui in ſuo Monaſterio uſque ad finem permanſiſſet, vita æterna donandum eſſe. *Quod quidam ignorantes*, ait Autpertus, *qua intentione id proſecutus fuerit*, *falſa ſeipſos ſecuritate*

Digitized by Google

ritate decipiunt, quamvis male viventes & contra REGULAM PATRUM *facientes, hoc in Monaſterio ſi permanſerint, ſalvos eſſe in futurum poſſe.* Quam Regulam quæſo intelligit, niſi Regulam Monaſterii ſui, Regulam utique ſancti Benedicti? de qua ipſe in conſequentibus dicit: *Omni ex parte ſanctum a nobis propoſitum violatur, & pene nobis nihil supereſt, niſi quod ſanctus Pater prædixit* BENEDICTUS, *per tonſuram & habitum nos Deo mentiri.* Audin' Regulam ſancti Benedicti vocari *Regulam Patrum?* quidni & *Regulam ſanctorum Patrum?* Neque enim eum te eſſe puto, qui ſyllabas numeres, qui objicias hic non exprimi *ſanctorum* nomen. Vis adhuc & alium teſtem? tertium addam etiam ſi lubet. Vuilfridum Eboracenſem Epiſcopum ejus nominis primum, Regulæ S. Benedicti ſtudioſiſſimum fuiſſe propagatorem, patet ex Bedæ & Vuillelmi Malmesburienſis Monachi teſtimoniis in ejus Vita relatis. At vero Regula hæc tantopere ab ipſo adamata & culta, dicitur *Regula Patrum* in ejus epitaphio apud Bedam in libri quinti capite vigeſimo. ſupra ad ann. 709.

> *Inque locis iſtis Monachorum examina crebra*
> *Colligit, ac monitis cavit quæ* REGULA PATRUM,
> *Sedulus inſtituit.*

Non dubito quin his argumentis tam claris & manifeſtis ceſſurus ſit Cointius: addo tamen & alium teſtem, tametſi minus antiquum, Adamum Bremenſem Canonicum, qui in hiſtoriæ ſuæ capite vigeſimo nono Anſcharium Bremenſem Epiſcopum ex-Monacho Corbejenſi laudat, quod *ſi quando a prædicatione gentilium foris liber erat, domi congregationum ſuarum curam egit: quarum primam quæ ab Hammanaburg olim barbarica incurſione depulſa eſt, ipſe tranſtulit ad Ramſolas; ſecundam in Bremis habuit ſanctorum virorum, qui habitu quidem uſi canonico, Regula vivebant monaſtica,* haud alia ſane quam Benedictina, quæ hoc nomine ſimpliciter a Latinis appellari conſuevit, quamque Anſcharius Corbejæ imbiberat, eamdemque Bremæ Canonicis impoſuerat, uti etiam ex Lambecio in Actis ſancti Vuillehadi inferius probabitur. Quid ergo? certe idem Auctor quam *Regulam monaſticam*, hoc eſt Benedictinam prædicto in loco nuncupat, eam poſtea in capite ſexto-decimo ſupra centeſimum, ſeu in libri ſecundi capite primo & ſexageſimo, *Regulam ſanctorum Patrum* vocat his verbis: *Sane ex illo tempore Fratribus, qui ante canonice vixerant, extra clauſtrum vagantibus,* REGULA SANCTORUM PATRUM *per multa prius ſæcula ſtudioſe conſervata, primo negligentius haberi cœpit, deinde funditus abjecta conſenuit.* Denique ſi ſanctiorem inſuper auctoritatem requiras, præſto eſt Concilii Troslejani anno nongenteſimo nono habiti caput tertium, ubi Patres arguunt uſum Abbatum ſæcularium, primo auctoritate Regulæ ſancti Benedicti, quam *Regulam ſancti & ſancto Spiritu pleni beatiſſimi Patris* BENEDICTI appellant; ſecundo auctoritate Conciliorum; tertio Capitularium a Regibus conditorum. Quibus fuſe expoſitis, quaſi recapitulando ſubjungunt: *Hæc ita poſt primam ſanctorum Patrum duce ſancto Spiritu ordinationem, ac deinde poſt canonicam de his auctoritatem, a prioribus Imperatoribus & Regibus decreta & cuſtodita fuerunt.* Vides Regulam ſancti Benedicti tantopere a Patribus iſtius Concilii laudatam appellari *ordinationem ſanctorum Patrum*: quod ſenſu idem eſt, ac *Regula & norma ſanctorum Patrum*. Ergo hæ locutiones, *Regula a ſanctis Patribus tradita, Regula ſanctorum Patrum*, in Ordine Romano & apud Aigradum ſynonymæ cenſendæ ſunt. Sed relinquamus quæſo iſta, nec aucupia verborum & literarum tendiculas in invidiam ulterius voces. Si quis vero quærat, quam ob rem S. P. Benedicti Regula dicta ſit *Regula ſanctorum Patrum*, id maxime factum reor, ut jam alias dixi, ob ſanctimoniam eorum, qui eam profitebantur. Hanc quippe rationem ſuggerit Eigil Abbas Fuldenſis in Actis Sturmii Abbatis, dum ait Sturmium in Italiam miſſum a Bonifacio fuiſſe, ut perfectam Regulæ Benedictinæ obſervationem diſceret, *& omnium Fratrum mores traditioneſque Monaſteriorum* diſceret: eumdemque Fuldam reverſum opere compleviſſe ea, *quæ in Ita-*

taliæ partibus & Tuſciæ provinciæ Monaſteriis a SANCTIS PATRIBUS *dicerat*.

38. Ex ſuperioribus manifeſtum eſt, Regulam ſancti Benedicti Fontanellæ a Vvandregiſilo impoſitam fuiſſe, quam Ansbertum Abbatem loci tertium tenuiſſe nulla prioris Regulæ mutatione facta conſtat. Id vero etiam perſpicuum fit ex Actis ſancti Hermenlandi Abbatis, ab Auctore gravi ac fere ejus æquali deſcriptis, in quibus Hermenlandus a Lantberto Vvandregiſili ſucceſſore veſtes monaſticas ſuſcepiſſe, ac deinde ab eodem in Armoricam miſſus, ut *novus* BENEDICTUS *effulſiſſe* in Antrenſi Monaſterio perhibetur. Quod elogium ſane nemo recte Hermenlando tribueret, ſi ſancti Patris Benedicti mores ac Regulam ſecutus non fuiſſet. De Fontanella ſatis.

CAPUT IV.

39. Jam tandem devenimus ad caput quartum diſputationis noſtræ, nimirum *utrum Regula S. Benedicti Monaſteriis Gandenſibus & Elnonenſi impoſita ſit per beatum Amandum*. Probaveram in Præfatione Sæculi ſecundi, Amandum Turonis in Martiniano Cœnobio monaſticum ſuſcepiſſe habitum, & addixiſſe ſe Regulæ ſancti Benedicti, quæ ibidem vigebat: quam poſtea Belgicis Monaſteriis ab ſe constructis impoſuerit. Et quia Baudemundus agens de monaſtica Amandi initiatione, ait eum comam capitis ſui abſcidiſſe, adeptumque *Clericatus honorem*; ne adverſarii fucum facerent in voce *Clericatus*, manifeſtis docueram teſtimoniis, Monachos paſſim apud Auctores medii ævi, immo apud ſuperiores, *Clericos* appellari ſolitos, & monaſticæ profeſſioni non raro tribui *Clericatus* vocabulum.

ad annum 734. n. 70. & ſeqq.

40. Huc incommoda quædam, argumentorum longam pompam admovet Cointius. Incommodum invenit in ipſius Amandi propoſito, qui antequam tonſuram ſuſciperet, obnixe ad ſepulcrum beati Martini oravit, *ut numquam eum Dominus ad ſolum patrium remeare permitteret, ſed omnem vitæ ſuæ curſum in peregrinatione expenderet*. Quibus aliiſque verbis relatis infert vir doctus: *In hiſce Baudemundi ſcriptis nihil occurrit, quod Amandum Ordini Benedictino adſcribendum ſuadeat, immo ſunt multa quæ Regulæ Benedictinæ refragantur*. Quænam illa multa? Nempe *Amandus ad tumulum ſancti Martini proſtratus, poſt lacrymas uberrime profuſas nihil a Deo poſtulaſſe vel obtinuiſſe dicitur, quam ut eum numquam Dominus ad ſolum proprium remeare permitteret. Convenitne ritibus Benedictinis vehementiſſimum hoc deſiderium obeundarum tota vita peregrinationum?* Audio. At intempeſtivuum ſit illud deſiderium: cogita novitii hominis votum eſſe, & monaſticæ diſciplinæ regulis nondum informati. Deinde ſi paullo attentius expendas Amandi verba, invenies non aliam ejus fuiſſe mentem, non aliud deſiderium, quam ut ne ad paternos lares unquam reverti cogeretur: ſed in peregrinatione, hoc eſt in aliena regione degeret, non aſſidue curſitando, ſed in alieno ſolo permanendo Denique non deſunt religioſorum virorum, etiam Benedictinorum exempla, qui meliorem ætatis ſuæ partem in peregrinationes impenderunt. Exempla non pauca in medium adducere poſſem, ſi hærere liceret in re tam levi. Verum, ut dixi, alia mens Amando erat, qui id unum quærebat, ut apud exteros ignotus lateret: cui rei argumento eſt, quod is vix annum unum Turonis moratus, adit Auſtregiſilum Bituricenſem Epiſcopum: & ab eo cellulæ incluſus, ibi degit *annis quatuordecim*: non tam diu illic perſtiturus, ſi aſſidue peregrinari habuiſſet in animo.

41. Occurrit etiam Cointius hoc loco. *An illud*, inquit, *vitæ genus moribus Benedictinæ conforme dixeris?* An vero conformius moribus Clericorum, ad quorum partes adjungis Amandum? an Clericis ſollemniter, uti de Amando cogeris dicere, ſuſceptis, licebat recedere ab Eccleſia, cui nomen dederant, & cui (ut loquuntur canones) incardinati addictique erant? Sed quid tandem eo in facto contrarium moribus Benedictinis, quales ea tempora ferebant? Amandus recedit a Turonico Monaſterio anno probationis exacto, *ab Abbate*

ipſius

ipſius loci & a Fratribus benedictione percepta. Biturigas profectus, *recluditur in cellula ob amorem vitæ æternæ, cilicio tectus & cinere, jejunio attritus atque inedia, ordeaceo tantum pane contentus atque aqua perpaululum : ibique ternis ferme militavit luſtris* : denique *incidit ei cogitatio, ut ad limina Apoſtolorum properare deberet*. Clericorum hi mores ſunt, an Monachorum ? Certe ut communes utriuſque ſint peregrinationes ; at benedictio ab Abbate impertita, in cellam reclusio, aſperrimum hoc vitæ genus, Monachorum mores magis ſapiunt quam Clericorum. Non immorarer his rebus, mi Cointi, niſi haberem te ducem : reliqua argumenta tua percurro.

42. Illud deinde occurrit, quod Monachos ſimul & Clericos in Martiniana baſilica eo tempore, quo Amandus iſtuc ſeceſſit, exſtitiſſe dicis : ſed non probas. Monachos Gregorii Epiſcopi Turonenſis ætate eo loci fuiſſe demonſtrat Hadrianus Valeſius in Diſceptatione de Baſilicis, capite tertio : proindeque Clericos non alios quam Monachos inibi vixiſſe conſtat. Neque enim miſti illi Canonicorum & Monachorum cœtus per ea tempora ulli erant : immo Canonicorum collegium fere nullum ante ſæculum octavum aut noni initium, extra Eccleſias cathedrales. Erant ergo, ut dicebam, in Martiniana baſilica Monachi per id tempus. At non Benedictini, inquis. Non mirum ſi hoc dicis : nam familiaris tibi eſt oratio iſta. Sed mirum quo modo id probas.

43. Primum argumentum tuum ſic procedit. *Sanctus Maurus, qui Regulam ſancti Benedicti primus in Gallias intulit, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo quarto :* (immo anno quingenteſimo octogeſimo quarto.) *Eo in vivis ſuperſtite nullam Glannafolio legimus eductam Monachorum coloniam. Anno poſt ſeptimo beatus Amandus Turonos venit : an illic tunc Aſcetæ Benedictini?* Si ſic argutari pergis, numquam Regulam ſancti Benedicti admittes in Cœnobium Martinianum. Nuſquam enim coloniam de Glannafolio iſtuc deductam leges. Et tamen concedis, Regulam ſancti Benedicti Berto Epiſcopo iſtic poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum quintum viguiſſe. At ubi colonia Monachorum, ubi Abbas Glannofolio tranſmiſſi ? Lege, revolve Annales & chartas veteres : nullum hujuſce rei veſtigium invenies. Amplius dico : ſi hanc argumentandi rationem tenes, ex omnibus Galliæ Monaſteriis eliminanda eſt ſancti Benedicti Regula. Nuſquam enim, quod ſciam, legimus, colonias Monachorum Glannafolio eductas, a nullis petitas, receptas a nullis legimus, præter id quod de Monaſterio ſancti Savini legitur apud Rodulfum Glabrum & in Actis ſancti Hugonis Monachi Æduenſis. Cum ergo palam res ſit, omnia Galliæ Monaſteria conceſſiſſe in Regulam ſancti Benedicti ante Caroli Magni principatum, nec de coloniis Glannafolio aut Caſino tranſmiſſis ulla mentio ſit; fatearis neceſſe eſt, aut id neglectum ab Scriptoribus illius temporis ; aut Regulæ noſtræ propagationem in antiquiora Monaſteria factam aliis modis fuiſſe. Qua de re aptior erit alias dicendi locus. num. 76.

44. Alterum argumentum, quo Monachos e Martiniana baſilica vir doctus excludit ſæculi ſeptimi initio, deſumit ex eo, quod Dagobertus longe poſt illud tempus, quo Amandus in Turonicum Monaſterium exceptus eſt, *ordinem pſallentium* in Monaſterio Dionyſiano *ad inſtar Monaſterii Sanctorum Agaunenſium & ſancti Martini Turonis inſtituit. Agaunenſes autem Monachi*, inquit, *Regulæ Benedictinæ non erant addicti : Ergo nec Martiniani*. De Monachorum Agaunenſium Inſtituto, quos ſancti Benedicti Regulam, quum illac tranſivit beatus Maurus, accepiſſe non immerito ſentiunt plerique, diſputare non juvat hoc loco. Conſecutionem iſtam tantum conſideraſſe ſufficiat. Qualis fuerit ordo pſallendi penes Agaunenſes Monachos, fuſe diſputat doctiſſimus Annaliſta in tomo primo, contenditque contra omnium mentem, ritum illum non fuiſſe Laudem, ut vocant, perennem; ſed pſalmodiam alternis choris quotidie perſolutam. Hæc enim ſunt ejus verba : *Temporibus Sigiſmundi Regis in Synodo Agaunenſi non eſt ſancitum, ut Agaunenſes Monachi* ibid. tom. 1 ad annum 536 num. 225 & ſeqq. num. 251.

 chi

Digitized by Google

ebi laudem perennem celebrarent : ſed tantum ut alternis pſallerent choris, eoque ritu ſingulis diebus omnes Horas canonicas in congregatione decantarent, &c. Belle omnino. Atqui nullum validius poterat ſuppeditari argumentum, quo demonſtrarem, hujuſmodi ordinem pſallendi, quem Agaunenſes ac Turonenſes Monachi ſervabant, non fuiſſe diverſum a Benedictino. : ſiquidem ſanctus Benedictus in Regula ſua præcipit, ut alternis choris per dies ſingulos Horæ canonicæ decantentur : quod ab Ordinis noſtri exordio frequentatum eſſe, nemo neſcit. Non ergo detrahendi nobis ſunt Turonenſes Monachi hoc argumento, quod ſervarent ordinem pſallendi ad inſtar Monaſterii Agaunenſis, ſi ordo ille conſiſtat in pſalmodia alternis choris celebrata in dies : immo potius ex hac interpretatione ſequitur, prædictos Monachos a noſtris non fuiſſe diverſos. Si vero cui magis placeat, (ut merito certe omnibus hactenus viſum eſt) ritum illum pſallendi explicare de perenni laude; nec etiam hoc modo ſubducendi nobis Martiniani Cœnobitæ : cum conſtet jugem illam pſalmodiam in Monaſteriis noſtris nonnullis, puta in Centulenſi & aliis, diu viguiſſe.

45. Nihil ergo efficiunt argumentationes iſtæ, nec cauſæ noſtræ quidquam officiunt, quo minus Regula ſancti Benedicti jam recepta fuerit in Martinianum Cœnobium, quum Amandus iſtuc ſeceſſit. Et ſane cauſam noſtram illud juvat, non ſolum quod Berti Turonenſis Epiſcopi pontificatu jam ibi vigebat, ut Cointius ipſe fatetur; ſed etiam quod Amandus Cœnobiis Gandenſibus ab ſe inſtitutis a primordiis impoſuit ſancti Benedicti Regulam, eam ſcilicet quam in Turonico didicerat. Clericos primum in Gandenſibus Monaſteriis, dein paucis poſt annis Monachos fuiſſe collocatos ſcripſit Theodoricus Abbas Trudonianus in libro de vita ſancti Bavonis ab ſe expolita, male interpretatus primarium Auctorem anonymum, qui libellum de geſtis ejuſdem Sancti primitus condiderat. Is quippe Anonymus Monachos ab Amando Gandæ ſtabilitos, eo in libello *Clericos* vocat, uti & alii Auctores non pauci mediæ ætatis. Theodoricus vero cum animadverteret Monachos inibi ante omnium memoriam exſtitiſſe, illud demum ita explicavit, ut diceret, Clericos primum eo in loco, dein paullo poſt Monachos poſitos ab Amando fuiſſe, quibus Florbertus Abbas primus præfectus ſit. Exſtat Anonymus iſte a nobis in Sæculo ſecundo primum editus, ex cujus verbis tam evidenter in Præfatione ejuſdem Sæculi demonſtravi, Monachos Gandæ ab initio collocatos fuiſſe, ut nemo ſinceri amans id inficiari poſſit.

46. Ut inde ſe eximat eruditus Annaliſta, duos fingit Anonymos, qui ſancti Bavonis geſta in litteras retulerint : unum antiquiorem, a quo Theodoricus auctoritatem ſuam mutuetur : alterum recentiorem, id eſt noſtrum, quo Theodoricus uſus non ſit. Hæc mihi tam facile fuerit negando revincere, quam Cointio non probando adferre. Attamen ut Anonymo noſtro integra conſtet auctoritas, juvat paucis urgere hunc locum. Quod alius Anonymus antiquior Acta ſancti Bavonis deſcripſerit, nemo adfirmare, nemo adfirmanti credere debet, niſi aut ea Acta exhibeat, aut teſtimonia hanc in rem proferat. Unicum libellum de vita ſancti Bavonis citant Othelboldus Abbas, & anonymus Scriptor miraculorum ejuſdem Sancti, Theodorico ſuperiores ætate. Theodorico antiquiorem eſſe Anonymum noſtrum, conſtat tum ex veterrimis codicibus, in quibus ejus ſcriptio reperitur; tum ex ſtilo ejus rudi & impolito, tum ex brevitate : cum e contrario Theodorici lucubratio politior prolixiorque ſit, & quibuſdam interpolamentis auctior. Quid? quod Theodoricus diſtinguit Clericos a Monachis, ſecus quam Anonymus noſter : quod argumento eſt, Theodoricum præ oculis habuiſſe hunc Anonymum, in cujus interpretatione alucinatus eſt. Nam rogo te, an id commiſſurus erat homo recentior, ſi Ordini ſuo favere (ut vult Cointius) in animo habuiſſet? Sane hæc vocis acceptio non parum Auctoris antiquitatem probat, ævo Theodorici jam ignorata. Ut iſtius Anonymi antiquitatem aliquo

tom. 4. ad ann. 734 num. 79.

quo indicio deſignarem, adduxeram hæc illius verba in Obſervationibus prævïis: *Si omnia quæ de ejus*, nempe Bavonis, *geſtis comperimus, vellemus proſequi; dies (ut opinor) ante quam verba ceſſarent*. Quæ verba, inquiebam, quaſi teſtem oculatum præ ſe ferunt. Longe aliter ſentit Cointius. *Eadem verba*, inquit, *quamvis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſcribamus, & ab ætate ſancti Bavonis longe remotiores ſimus; pari jure abſque diſpendio hiſtoricæ veritatis uſurpare poſſemus*. Verum ea Anonymi verba nemo ſine veritatis diſpendio uſurpare poteſt, qui non longe plura de ſancti Bavonis vita comperta habeat, quam quæ Anonymus ipſe commemorat. Si ergo verba hæc ſine diſpendio hiſtoricæ veritatis uſurpare Cointius poteſt, reliqua Bavonis facta proferat quæſo in lucem, nec ea diutius ignorari a nobis patiatur. Si vero non tenet memoria tot & tantas res ab Anonymo prætermiſſas, quæ de Bavonis vita loquenti ſufficere poſſint in multam diem; concedat tandem verba illa hominis eſſe, qui Bavonis res geſtas proxime didicerat, & quaſi oculatus teſtis callebat. Anonymus ergo a nobis editus ille eſt, quem laudat tum Ado Viennenſis Epiſcopus in Martyrologio ſuo Kalendis Octobris, cujus proinde Anonymi libellus per Galliam jam tum diſperſus erat; tum ſcriptor miraculorum ſancti Bavonis, homo ſæculi decimi: ſtandumque ejus Anonymi auctoritati ſcribentis, Monachos Benedictinos in Cœnobiis Gandenſibus ab initio exſtitiſſe. Id ipſi etiam Cointio (ut ſpero) perſuadebit & ipſius Anonymi antiquitas, manu-ſcriptis codicibus aliiſque argumentis comprobata; & lectio ejuſdem paullo attentior. Abſit enim ut eum habeam in illorum numero, qui pugnare malint, quam verum confiteri. Hactenus virum, & Inſtituti ſocietate, & privata neceſſitudine nobis amicum, æquis animis ſuſtinuimus multa contra nos, tametſi levibus omnino argumentis, molientem: hactenus ut de ejus æquitate ac moderatione recte ſentiremus, animis noſtris imperavimus. Si vero ulterius pergit nobis objicere ſpecioſas, ut ſolet, argutias; vereor ne noſtris perſuadeatur tandem, id non tam inquirendæ veritatis, quam inſectandi monaſtici Ordinis ſtudio ſuſceptum fuiſſe. Quod ut credi nolim, ita nec velim diutius occupari nos in his diſputationibus: quæ cum fere otioſæ ſint, tum viris eruditis nauſeam pariunt, certe mihi ipſi. ibid.

47. Ceterum hæc de tota iſta controverſia multis amplificare & confirmare potuiſſem. Sed in animo eſt, ut initio dixi, leviter tranſire & tantummodo perſtringere unamquamque rem, ut omnes intelligant, intelligat etiam Cointius ipſe, me non ſtudio refutare, ſed officio defendere.

48. In fine totius Præfationis reliquum eſt, ut cum debita grati animi ſignificatione commemorem eos, qui ſtudia noſtra juvare & promovere ſtuduerunt, & auxiliares copias huic tertio Sæculo ſuppeditarunt, tum ex Germania, tum ex Belgio, tum ex Anglia. Quos inter mihi multis nominibus celebrandus eſt Reverendiſſimus Pater Romanus, Abbas Monaſterii ſancti Pantaleonis Coloniæ, idemque Congregationis Burſfeldenſi Præfectus, cujus beneficentia contigit, ut eruditi viri Willelmus Wlfrathus Cœnobii Prior, Bernardus Moerſius Theologiæ Lector, recens mortuus; & Antonius ErKelenſius nobis operam ſuam contulerint. Id etiam ultro præſtitere ampliſſimi Abbates D. Carolus Marchantius Monaſterienſis in valle ſancti Gregorii, & D. Maurus Iburgenſis, ac per eum Adolfus Overhamus Cœnobita & Bibliothecarius Corbejæ Saxonicæ eruditus. Ex Belgio item Ampliſſimi Abbates Letienſis, Bergenſis, & Blangiacenſis: tum etiam Sodales noſtri Bertiniani, Ghiſleniani, Vedaſtini, Afflegemiani, quos propriis nominibus, ubi locus exiget, deſignabo. Studiis etiam noſtris non parum favit Ampliſſimus D. Prælatus Blandinienſis, adnitente etiam Andrea Vanheulio Bibliothecario docto, amico meo. Ex Anglia unus inſtar multorum eſt vir ſpectatiſſimus D. Joſephus Vviliamſon, Regi ab intimis ſecretis, jam laudatus a nobis non ſemel, cujus beneficio ac liberalitate permulta accepimus, quæ non minus hiſtoriam noſtram illuſtrant, quam ejus memoriam ac nomen apud nos commendant. Hæc de exteris: nam ab Italia & Hiſpania nihil dum obtinuimus. Ad noſtrates quod attinet, non eſt ne-

Digitized by Google

neceſſe ut numerum ineam eorum, qui nobis tulere ſuppetias. Quot fere Monaſteria noſtra ſunt in Gallia, tot beneficia exinde nobis provenerunt. Quamquam non eſt, cur ejus rei mentionem faciam: cum opus hoc non tam unius aut alterius ſit, quam Congregationis noſtræ ſodalium, præter id quod erratum a me eſt, quod certe agnoſco meum. Non præteribo tamen ex Galliæ noſtræ hominibus V. C. Antonium Vionem Herovallium, numquam ſatis litteratis omnibus laudatum, qui pro ſua humanitate ac liberalitate nullum prætermiſit officium, quod e re noſtra eſſe intellexit. Addam ex florentiſſima ſancti Vitoni Congregatione Benedictina religioſos viros Conſtantinum Gravellium, recens Luxovii Priorem; & Bartholomæum Senocum Monaſterii ſancti Vitoni Cœnobitam ac Theologiæ Lectorem eruditum: e Ciſtercio amicum noſtrum Jacobum Lannojum, qui ante duos annos Belgii Monaſteria & Bibliothecas noſtri cauſa perluſtravit. Ceterum illud beneficii loco ab aliis peto, ut conatus noſtros Deo Opt. Max. commendent, quatenus ſtudia noſtra qualiacumque cedant in Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem & Ordinis noſtri profectum.

QUamobrem *ordo atque principium profeſſionis monaſticæ quemadmodum vel unde deſcenderit, primum debetis agnoſcere. Tunc enim poterit quis deſideratæ artis efficacius adſequi diſciplinam, & ad exercendam eam ardentius incitari, cum Auctorum & Fundatorum ejus agnoverit dignitatem*. Joannes Caſſianus in Collat. 18. cap. 4.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA BREVIS
AD SECUNDAM PARTEM
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

Anno 752. *Stephanus* II. ſeu III. ſedit annos 5., dies 28.
757. *Paulus* ann. 10., menſ. 1.
768. *Stephanus* III. ſeu IV. ann. 3. menſ. 5., dies 28.
772. *Hadrianus* ann. 23., menſ. 10., dies 17.
795. *Leo* II. ann. 20., menſ. 5., dies 17.

FRANCORUM REGES.

Anno 51. *Pippinus* Rex conſecratus a S. Bonifacio, & poſt annos tres iterum ab Stephano Papa, regnat annos ſeptemdecim, mortuus 8. Kal. Octobris anni 768.

768. *Carolus* Magnus Regnum partitur cum fratre *Carolomanno*, cui obtigit Auſtria & Burgundia cum Aquitaniæ portione; anno 771. mortuo germano ſummam rerum obtinet ſolus: dein anno 774. Italia potitur, ſubacto Deſiderio Langobardorum Rege; anno demum 801. Romæ coronatus Imperator a Leone Papa.

ITALIÆ REGES.

Anno 756. *Aiſtulfo* Langobardorum Regi *Deſiderius* tum Dux Tuſciæ ſuccedit: anno vero 773. a Carolo Magno Papiæ incluſus, ac ſequenti captus & in Franciam abductus, Italiæ regnum Carolo reliquit, Corbejæ mortuus.

781. *Pippinus* cum Carolo patre Italiam regit uſque ad annum 810.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

Anno 738. *Eadbertus* Nortanhumbrorum Regnum adeptus eſt, tenuitque per annos viginti & unum. poſtea Monachus factus anno 758., Regnum *Oſvulfo* filio reliquit: eoque cæſo anno ſequenti *Edilvvaldus* ſeu Ethelvvaldus, a plebe electus eſt, Vvillelmo Malmesburienſi Mollo appellatus; anno 761. ſuccedit *Alucbredus* deceſſoris interfector, cedere compulſus poſt annos decem: fecitque locum *Ethelberto* Mollonis filio, qui & anno poſt quinto pulſus eſt; tum *Celvvoldus* ſeu Alfvvoldus ſolio admovetur, & ipſe poſt annos 11. trucidatus; & *Oſredus* ejus ſucceſſor anno ſequenti pulſus dedit locum *Ethelberto*, aliis Ethelredo, qui anno 794. occiſus, ex Epitome Saxonica: quo ſublato nullus thronum conſcendere auſus eſt.

757. Merciorum Rex *Ethelbaldus* poſt regni annos 41. interiit, ſuccedente *Offa* ac regnante in annum 794. quo anno *Ecgferthus* Regnum capeſſit, obiitque eodem anno, ex Epitome Saxonica, ſucceſſorem ſortitus *Kenulfum* in annos 24.

754. Vveſt-Saxonum regnum init *Sigebertus*, anno ſequenti *Kinevvlfus* in annos 31. ex Epitome prædicta: cui ſucceſſit anno 784. *Brictricus*, qui annos 16. regnavit.

760. Cantuariorum regnum *Ethelbertus* principatus anno 22 morte reſignavit *Eadberto*, Alfrico & Cuthredo, qui obiit anno 805. ex Chronologia Saxonica. Regum Eaſtanglorum, Orientalium & Auſtralium Saxonum non eſt neceſſe Chronologiam texere.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

Anno 754. *S. Bonifacius*, primum Vvinfridus dictus, apoſtolicæ Sedis Legatus, Archiepiſcopus Maguntinus & Martyr.
Tranſlatio ſeu Elevatio *S. Germani* Epiſcopi Pariſienſis.
755. *S. Carolomannus* Dux Francorum & Monachus Caſinenſis.
756. *S. Wando* Abbas Fontanellenſis in Gallia.
V. *Auſtrulfus* Abbas ejuſdem Monaſterii ante Wandonem mortuus.
758. *Pirminius* Chorepiſcopus & Abbas in Alamannia.
759. *S. Othmarus* Abbas Sancti-Gallenſis.

760.

Digitized by Google

760. *S. Ceolvvlfus* Rex Nortanhumbrorum, dein Monachus Lindiſfarnenſis in Britannia inſula.
761. *S. Vvunebaldus* Abbas Heidenheimenſis in Germania.
764. *S. Stremonii* Translatio in Monaſteria Mauziacenſe & Iciodorenſe.
765. *S. Vvalafridus* Abbas Palatioli Monaſterii in Tuſcia ab eo conditi anno 755.
S. Gorgonii Martyris Translatio in Monaſterium Gorzienſe.
770. *Alto* Abbas Monaſterii ex ſuo nomine appellati in Bajoaria ſuperiore.
S. Opportuna Virgo & Abbatiſſa Monaſterioli in Neuſtria,
772. *S. Amalberga* virgo in Belgio,
S. Lioba virgo & Abbatiſſa Biſcofheimenſis in Germania prima.
778. *S. Ambroſius Autpertus* Abbas Monaſterii Sancti Vincentii ad Vulturnum in Benevento.
779. *S. Sturmius* Abbas primus Fuldenſis Monaſterii, conditi anno 744.
780. *S. Vvalpurgis* Abbatiſſa prima Heidenheimenſis in Germania.
S. Virgilius Epiſcopus Saltzburgenſis in Bajoaria.
781. *S. Gregorius* Abbas & Rector Eccleſiæ Trajectenſis ad Rhenum.
784. *S. Fulradus* Abbas Dionyſianus prope Lutetiam Pariſiorum, cum tribus libris miraculorum S. Dionyſii Epiſcopi & Martyris.
786. *S. Vvillibaldus* Epiſcopus Eiſtetenſis.
S. Lullus Archiepiſcopus Moguntiacenſis.
789. *S. Villehadus* Epiſcopus Bremenſis primus.
790. *SS. Haimo* & *Veremundus* Monachi Medenſes in Italia.
S. Hiltrudis virgo in Cœnobio Leſcienſi in Belgio.
S. Solus Monachus & Eremita in Norico.
793. *S. Blaitmacus* Abbas Hiienſis in Britannia inſula.
798. V. *Taſſilo* Dux Bajoariorum, dein Monachus Gemeticenſis.
800. *S. Namfaſius* Eremita Marciliaci apud Cadurcos.

APPENDIX.

Anno 665. *S. Vvaldeberti* Abbatis Luxovienſis miracula.
670. *S. Ermenfredus* Abbas Cuſantienſis in Burgundia.
688. *S. Lantbertus* Epiſcopus Lugdunenſis.
690. *S. Godo* Abbas Augienſis in Campania.
675. *S. Gundelbertus* Epiſcopus Senonenſis, & cum eo *SS. Deodatus* Nivernenſis, *Hildulfus* Trevirenſis, *Erardus* Ratiſponenſis, Epiſcopi; ac *SS. Spinulus*, *Joannes* & *Benignus* Monachi Medianenſes.
720. *S. Odilia* Virgo & Abbatiſſa Hoemburgenſis in Aleſatia.
700. *S. Diſibodus* Confeſſor in Germania.
705. *S. Adamnanus* Abbas Hiienſis in Scotia.
S. Albertus Abbas Gambronenſis in Gallia.
S. Marinus Eremita & Martyr.
Euſebiæ & *Tiliſiolæ* Abbatiſſarum epitaphia.
Segolena Abbatiſſa Troclarenſis in Aquitania.
Conſequuntur Poematia quædam, Anonymi de Epiſcopis Eboracenſibus, Frodoardi & Herigeri; cum fragmento Hiſtoriæ Trevirenſis & Monumentis hiſtoricis nonnullis.

INDEX

INDEX SANCTORUM
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

A

Adamnanus Abbas Hiienſis in Scotia, 452. *& ſeq.* ubi de alio Adamnano Monacho Coludienſi, 454. Adamnani Abbatis libri tres de locis ſanctis, 456. *& ſeqq.*

Albertus Abbas Gambronenſis in Gallia. Vita *ex codd. mſſ.* auctore Anonymo cum Obſervationibus, 475. Is Sagienſis, *ibid.* ſecedit ad fluvium Oldam, 476. Gambronenſe Monaſterium condit, *ibid.* & alia quindecim, 479. Miracula patrat, *ibid. & ſeq.*

Alto Abbas in Bajoaria ſuperiore. Vita Auctore anonymo, 196. Is Scotus venit in Bajoariam, *ibid.* Monaſterium conſtruit in loco a Pippino conceſſo, *ibid.* Bonifacius Eccleſiam conſecrat, *ibid.* Monaſterii inſtauratio, 197.

Amalberga virgo in Belgio. Vita ejus diſcuſſa, 217. *Ratbodi* Epiſcopi Trajectenſis homilia de ea, 218. Rodinus ejus frater Monachus Caſinenſis, 220. *Vide Additiones in fine hujus tomi.*

Ambroſius Autpertus Abbas Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum. Vita ex Chronico Monaſterii cum Obſervationibus præviis, 233. Scripta ejus examinata, 234. Virtutes ejus, *ibid. & ſeqq.* Autpertus Gallus, an Caroli Magni Cancellarius, 237. B. Mariæ Virgini devotus, 238. Joanni Abbati ſuffectus, *ibid.*

Appianus Monachus Ticini in Cœlo-aureo, dein Comiacli recluſus. Vita cum Obſervationibus, 497. *& ſeqq.*

Auſtrulfus Abbas Fontanellenſis. Vita ex Chronico Monaſterii, 121. Auſtrulfus Vvandoni ſuffectus, *ibid.* Privilegium obtinet a Pippino, 123. Romam petens Agauni moritur, *ibid.*

B

Baltherus Anachoreta in Scotia, 508.

Benignus Monachus Medianenſis cum Joanne ejus fratre, 440.

Blaitmacus Abbas Hiienſis. Vita metrica auctore *Vvalafrido Strabo*, 398. Blaitmacus regiæ ſtirpis, Monachus, *ibid.* Abbas, 399. Martyr per Danos, 400.

Bonifacius Archiepiſcopus Maguntinus & Martyr. Vita auctore *Vvillibaldo* ejus diſcipulo cum Obſervationibus de Vitæ ſcriptoribus, patria, memoria, &c. 1. *& ſeqq.* Prologus Auctoris, 3. Bonifacius quinquennis Monaſterio traditus, 5. 6. diſcendi ſtudio in aliud migrat, 6. 7. Virtutibus æque ſtudet, 8. Concilii legatus, 8. in Friſiam trajicit, 8. 9. 10. reverſus, dein Romam profectus, 10. in Germaniam a Papa directus, 11. Villibrordo adjungitur, *ibid.* Saxones & Heſſos convertit, 13. Romam vocatus, *ibid.* ordinatur Epiſcopus, 14. in Germaniam reverſus Heſſos rurſus aggreditur, 15. 16. Romam tertio profectus, 17. Bajoariis Epiſcopos creat, *ibid.* Concilia celebrat, 19. Martyrio afficitur in Friſia, 22. *& ſeqq.* Corpus ejus Fuldam relatum, *ibid. & ſeqq.*

Alia Vita duobus libris auctore *Othlono* Monacho ſub finem ſæculi 11. in qua Bonifacii ſummorumque Pontificum ad eum epiſtolæ & Synodorum acta referuntur, 25. *& ſeqq.* Appendix de reliquis ejus geſtis, martyrio, cultu & reliquiis, 81. *& ſeqq.*

C & D

Carlomannus Dux Francorum, dein Monachus Caſinenſis. Elogium hiſtoricum, 112. *& ſeqq.*

Ceolvulſus Rex Nortanhumbrorum, dein Monachus Lindisfarnenſis, 158. *& ſeqq.*

Deodatus Epiſcopus Nivernenſis, tum Monachus in Voſago. Vita ex Chronico Senonienſi, 424. *& ſeqq.*

Diſibodus Confeſſor in Germania. Vita auctore *S. Hildegarde* Abbatiſſa, 450. *& ſeqq.*

E & F

Erardus Epiſcopus in Bajoaria, 425. 434.

Ermenfredus Abbas Cuſantienſis in Burgundiæ Comitatu, 418.

Fulradus Abbas Dionyſianus. Elogium hiſtoricum, 302. Monaſterii conditio & dignitas, *ibid.* Fulradi parentes, legationes, 303. 304. Abbatis munus & privilegia, 305. *& ſeqq.* obitus & epitaphium, 307. Teſtamentum, 309.

Libri tres de miraculis S. Dionyſii, Fulradi & aliorum Abbatum tempore geſtis, ſcripti ab Auctore anonymo, *ex mſſ.* 311. *& ſeqq. Vide Additiones.*

G

Germani Epiſcopi Pariſienſis hiſtoria Tranſlationis Auctore anonymo ejus temporis, cum Obſervationibus de Monaſterio Pratenſi, 35. *& ſeqq.* Tranſlatio per Lantfredum Abbatem, præſente Pippino facta, 37. *& ſeqq.* Miracula inde ſecuta, 89. *& ſeqq.* in his ſanatio Vvithebaldi Chorepiſcopi Leodicenſis, 91.

De miraculis S. Germani libri duo auctore *Aimoino* Monacho Pratenſi ſæculo 9. 96. *& ſeq.* Nortmannorum adventus Pariſios, 97. S. Germani reliquiæ Cumbas delatæ, *ibid.* Obſeſſio Pariſiaca, 99. Nortmannorum pœna, 100. relatio S. Germani, 101. Nortmannorum alia impreſſio, 103. Monaſterii direptio, 105. S. Germani delatio Novigentum, 161. relatio, 107. Diplomata Ludovici Auguſti, 108. & Caroli Calvi, 161. 109. *Vide Additiones.*

Godo Abbas Augienſis in Campania. Vita metrica auctore *Claudio Eſpencæo* Doctore Sorbonico, 422. *& ſeqq.*

Gorgonii Martyris Tranſlatio Gorziam per Chrodegangum Mettenſem Epiſcopum, 184. Milonis Epiſcopi Mindenſis epiſtola de Vita S. Gor-

Digitized by Google

S. Gorgonii, *ibid. & ſeqq.* Gorzienſis Monaſterii conditio & dotes, 186. *& ſeqq.* Hiſtoria tranſlationis Auctore anonymo ſæculi 10. *ex mſ. cod. Remigiano*, 184. *& ſeqq.* varia miracula, 188. *& ſeqq.*

Gregorius Abbas & Rector Eccleſiæ Trajectenſis ad Rhenum. Vita auctore S. *Liudgero* Epiſcopo ejus diſcipulo, cum Obſervationibus, 289. Prologus auctoris, 290. Gregorius nobilis Francus, Bonifacio adjungitur puer, 291. 292. ejus adjutor, 295. 296. Romam cum eo profectus, 296. inimicis ſuis parcit, 297. Friſiis prædicat, 298. Diſcipulos Epiſcopos habet, *ibid.* Benignus etiam in obtrectatores, 300. paralyſi affectus obit, 301.

Gundelbertus Epiſcopus Senonenſis, tum Abbas & conditor Monaſterii Vallis-Galileæ. Vita ex Chronico Senonienſi auctore *Richerio* Monacho, 424. *& ſeqq.*

H

Haimo Monachus Medenſis in Italia cum Veremondo fratre, 380

Hildulfus Epiſcopus Trevirenſis, dein Abbas & auctor Monaſterii Medianenſis. Vita ex *Richerio* Chronographo Senonienſi, 432. *& ſeqq.*

Hiltrudis virgo in Monaſterio Leſcienſi. Vita *ex mſſ. codd.* auctore Monacho Valciodorenſi anonymo ſæculi 11. cum Obſervationibus de Monaſterio Leſcienſi, 381. Hiltrudis parentes nobiles condunt Leſcienſe Monaſterium virorum, 382. Hiltrudis nuptias fugit, 383. velatur & Leſciis recluditur, *ibid.*

I & L

Joannes Monachus Medianenſis cum Benigno ejus fratre, 440.

Lantbertus Epiſcopus Lugdunenſis. Vitæ fragmentum auctore Chronographo Fontanellenſi, *ex mſſ. ſchedis*, cum Obſervationibus, 419. Lantbertus Tarvennenſis, relicta aula fit Monachus Fontanellæ, 419. 420. Vvandregiſilo Abbati ſuccedit, *ibid.* Chilperico Regi acceptus, 421. cum S. Filiberto litem habet, *ibid.*

Lioba virgo & Abbatiſſa Biſchofheimenſis in Germania. Vita auctore *Rudolfo* Monacho Fuldenſi ſæculi 9. cum Obſervationibus, 221. Prologus auctoris, 222. Monaſteriorum ſtatus & diſciplina in Anglia, 222. 223. Lioba Vvinbrunni in Anglia Monacha ſub Tetta Abbatiſſa, 225. lectionem labori præfert, *ibid.* a S. Bonifacio accerſitur in Germaniam, 226. Biſchofheimenſe Monaſterium recte inſtituit, 227. Virtutes ejus & miracula, *ibid. & ſeqq.* Lullo a S. Bonifacio commendata, 231. Regibus ipſis honorata, 161. Viatico percepto moritur, ac Fuldæ ſepelitur, 232

Lullus Epiſcopus Maguntinus. Elogium hiſtoricum, 355. Anglia ejus patria, *ibid.* monaſtica profeſſio, Germanica profectio, 356. legatio & epiſcopatus, 357. variæ ad eum epiſtolæ, 358. *& ſeqq.* mors, 361. tranſlatio, 362. cur notatus a Liudgero, 161

M & N

Marinus Eremita & Martyr. Vita *ex mſ. Breviario*, cum Obſervationibus, 482. 483. Is Romæ educatus, ſecedit in partes Burgundiæ, 484. in Candorenſe Monaſterium recipitur, 161. ſeceſſum petit, *ibid.* a Vvandalis cæditur, 161. Inventio reliquiarum ejus, 485. 486.

Namſaſius Eremita Marciliaci apud Cadurcos, 405. Urbani Papæ II. diploma, *ibid.*

O

Odilia virgo & Abbatiſſa Hoemburgenſis in Aleſatia. Vita *ex mſ. cod.* Auctore anonymo ſæculi 11. cum Obſervationibus de Odiliæ parentibus & Monaſterio, 441. 442. Odilia cœca nata, 443. in Palmenſi Monaſterio nutrita, *ibid.* in baptiſmo viſum recipit, 444. in domum paternam revocata, 445. ſed male habita, ac demum patri reconciliata, 446. in paterno caſtro duo Monaſteria condit, 446. *& ſeqq.* Viatico percepto moritur, 449. *Vide Additiones.*

Opportuna virgo & Abbatiſſa Monaſterioli in Neuſtria. Vita auctore *Adhelelmo* Epiſcopo Sagienſi, cum Obſervationibus, 198. 199. Opportuna fugit nuptias, 201. velum & monaſticum habitum ſuſcipit, 202. Abbatiſſa, *ibid.* Chrodegandi fratris corpus ſepelit, 206. Viatico ſumto moritur, 208.

Liber de ejus miraculis & tranſlatione Monciacum & Eccleſia Pariſienſi, eodem auctore, 209. *& ſeqq.*

Othmarus Abbas Sancti-Gallenſis. Vita auctore *Vvalafrido Strabo* cum Obſervationibus, 139. 140. Othmarus Alamannus Presbyter, 141. cellam S. Galli auget, 141. exſilio relegatur, 143. corpus in Monaſterium S. Galli relatum, 145. miracula, 145. 146. *& ſeqq.*

Libri duo de ejus elevatione & miraculis ſcripti ab *Iſone* Monacho ſæculi 9. 147. *& ſeqq.*

P & S

Irminius Abbas & Chorepiſcopus in Alamannia. Vita auctore *Vvarmanno* Monacho tum Augienſi ſæculi 11. cum Obſervationibus de memoria, epiſcopatu & Monaſteriis S. Pirminii, 124 *& ſeqq.* Vitæ capitula præmittuntur, 127. 128.

Segolena vidua & Abbatiſſa in Aquitania. Vita Auctore anonymo ejus æquali cum Obſervationibus, 487. *& ſeqq.* Vitæ capitula præmiſſa, 489.

Solus Eremita in Norico. Vita auctore *Ermanrico* Levita & Monacho Elevvangenſi ſæculi 9. cum Obſervationibus & epiſtola Gundramni Levitæ ad Ermanricum, 389. Vitæ capitula initio, 391.

Spinulus Monachus Medianenſis in Voſago, 433

Stremonii Epiſcopi Arvernenſis hiſtoria tranſlationis in Monaſteria Mauziacenſe & Iciodorenſe, 175. *& ſeqq. Vide Additiones.*

Sturmius Abbas Fuldenſis primus. Vita auctore *Eigile* Abbate ejus diſcipulo cum Obſervationibus, 242. *& ſeqq.* Prologus auctoris, 244. Sturmius Noricus, juſſu Bonifacii a S. Vvigberto inſtitutus, tum Presbyter, 244. 245. ſecedit in ſolitudinem Herſfeldenſem, 245. Bonifacium adit Fritiſlariæ, 246. Fuldenſe Monaſterium condit, 249. Caſinum & alia Italiæ Monaſteria luſtrat, 250. Lullo agente exſulat, 253. revocatus Pippini juſſu, 254. Fuldam ornat, 255. ad Taſſilonem legatus, *ibid.* Saxonum converſionem meditans morbo detinetur, 257. moritur, *ibid.* in Sanctorum canonem refertur, 258.

T

Taſſilo Dux Bajoariorum, dein Monachus Gemeticenſis. Elogium hiſtoricum, 402. *& ſeq.*

Tetta Abbatiſſa Vvinburnenſis in Anglia, cum S. Lioba, 223. *& ſeqq.*

Vere-

Digitized by Google

V

V*Bremondus* Monachus Medenſis in Italia, cum Haimone ejus fratre, 380

Virgilius Epiſcopus Saltzburgenſis. Vita Auctore anonymo ſæculi 12. cum Obſervationibus de ejus patria, &c. 279. 280. Virgilius Hibernus, a Pippino Saltzburgo præficitur, *ibid.* Sclavos ad Chriſtum convertit, 281.

Liber de ejus miraculis, 285. *& ſeqq.*

Vvalafridus Abbas Palatioli in Italia. Vita auctore *Andrea* Abbate ejus ſubpari, cum Obſervationibus, 177. Vvalafridus Tuſcus, uxoratus, Monaſterium condit, 178. 179. aliud pro uxore, 179. obit, 181. miracula patrat, *ibid. & ſeqq.*

Vvaldebertus Abbas Luxovienſis. Liber de ejus miraculis auctore *Adſone Hermirico* Abbate Luxovienſi ſæculi 10. *ex mſ. cod. Luxovienſi*, cum Obſervationibus & compendio Vitæ, 409. *& ſeqq.*

Vvalpurgis virgo & Abbatiſſa Heidenheimenſis. Vita & miracula auctore *Vvolfhardo* Presbytero Haſenrietano libris quatuor cum Obſervationibus & indicibus capitulorum, 260. *& ſeqq.*

Vvando Abbas Fontanellenſis. Vita ex Chronico Monaſterii, 118. Podagra laborans, Auſtrulfum deſignat ſucceſſorem, 120. Miſſam quotidie celebrat, *ibid.*

Vilfridus ſecundus Epiſcopus Eboracenſis. Vita auctore Poeta incerto ejus æquali, *ex mſ. cod.* 506 Is fuerat Vice-domnus & Abbas ante epiſcopatum, *ibid.* templa exornat, *ibid.*

Vvillebadus Epiſcopus Bremenſis primus. Vita auctore *S. Anſchario* Bremenſi Archiepiſcopo cum Obſervationibus, 364. *& ſeqq.* Prologus, 366. Vvillehadus Northumbranus, *ibid.* in Friſiam trajicit, 367. a Karolo Magno in Saxoniam miſſus, 368. Roma reverſus in Monaſterio Eſternaco biennio degit, dein ordinatur Epiſcopus, 370. moritur, 371. 372. miracula facit, 372. 373.

Liber de ejus miraculis eodem auctore, 373. *& ſeqq.*

Vvillibaldus Epiſcopus Eiſtetenſis. Vita auctore Sanctimoniali ejus æquali, cum Obſervationibus, 330. 331. Prologus, 332. Vvillibaldus quinquennis Deo oblatus in Monaſterio, 334. Romam cum patre & fratre pergit, 336. *& ſeqq.* dein Hieroſolyma, *ibid. & ſeqq.* in reditu Caſini moratur decem annos, 343. a Gregorio miſſus in Germaniam, 344. Epiſcopus Eiſteto præficitur, 345

Alia Vita Auctore anonymo perantiquo, 347. Appendix de ejus ordinatione, ætate, ſcriptis & reliquiis, 354. *& ſeqq. Vide Additiones.*

Vvunebaldus Abbas Heidenheimenſis in Bajoaria. Vita auctore Sanctimoniali ejus æquali cum Obſervationibus, 160. *& ſeqq.* Vunebaldus Anglus Romam petit cum patre & fratre Vvillibaldo, 162. ubi infirmatur, 163. reverſus in patriam, iterum it Romam, *ibid.* dein accedit in Turingiam, 164. Sacerdos præficitur Eccleſiis ſeptem, *ibid.* Heidenheimenſe Monaſterium conſtruit, 166. incolas ad meliorem frugem adducit, *ibid.* Caſinum cogitat, 177. Miſſam quotidie celebrat, *ibid.* obit, 168. Corpus ejus tumulo levatum, 171. Appendix de ejus reliquiis, &c. 173

Digitized by Google

INDEX SANCTORUM PRÆTERMISSORUM,

in hoc Sæculo tertio Benedictino.

A

ÆMilianus Abbas in agro Burdigalenſi colitur die 16. Novembris. Ejus geſta leguntur in vetuſto Breviario ejus Eccleſiæ prope Burdigalam ad Dordonam: ſed non ita accurata, ut propriis verbis referri mereantur. In his Æmilianus *in Venetenſi urbe Britanniæ minori* parentibus obſcuris natus fuiſſe dicitur. In familiam Comitis Venetenſis cooptatus, *ut domeſticis rebus præeſſet*, poſtea nimiæ profuſionis in pauperes accuſatus eſt. Hinc ſeceſſum cogitans, in Hiſpaniam *ad S. Jacobi tumulum* contendiſſe falſo dicitur: cum necdum S. Jacobi vulgata detectio eſſet. *In Cœnobium Saliginenſe quod apud Santones ſitum eſt perveniens*, monaſticas veſtes ſuſcepit, non a S. Martino loci conditore & primo Abbate, qui ſæculo ſexto floruit, a Gregorio Turonico Epiſcopo laudatus; ſed ab aliquo ejus ſucceſſore. Cellarii munus ſibi impoſitum cum recte exſequeretur, ſodalium invidiam in ſe provocavit. Quam ob rem ex illo Monaſterio diſcedens, in primam quam nanctus eſt ſilvam ſe abdidit, *non longe a Dordoneo flumine*, quæ *Acumbis* tunc temporibus vocabatur: ubi mulieri cœcæ lumen reſtituiſſe, aliaque miracula patraſſe fertur. Eo in loco *exſtruxit Oratorium in rupe excavata*, ubi plurimos inſtituti ſui ſocios admiſit; & poſt annos aliquot, percepto Viatico deceſſit *anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo*. Monaſterium ipſius nomine appellatum ad ſæculares Canonicos defecit anno 1306. permittente Clemente Papa V.

Agricolus Epiſcopus Avenionenſis. Ejus Acta exſtant in Chronologia Lirinenſi & apud Surium ad diem 2. Septembris, a recentiori Auctore deſcripta, quidquid de antiquitate ejus dicat Vincentius Barralis. Agricolus natus circiter annum 630. poſt annos quatuordecim Monachus in Cœnobio Lirinenſi, dein patri ſuo Maximo in ſedem Avenionenſem ſuccedit anno 650. mortuus anno 700. Septembris die 2.

Amandus Abbas ejuſdem Monaſterii eo tempore quo Agricolus vivere deſiit, ter millium ac ſeptingentorum Monachorum Pater fuiſſe dicitur, ſucceſſorem ſortitus Silvanum, S. Porcarii Martyris deceſſorem. S. Amandus Lirini colitur 14. Kal. Decemb.

Ava Abbatiſſa Dononii in Bracbanto ad Scaldim. Molanus ad diem 29. Aprilis ſcribit, eam necdum canonizatam, a quibuſdam tamen haberi ut Sanctam. Kalendario Dononienſi inſcribitur hoc modo: *Commemoratio S. Avæ, ſicut pro defunctis.*

B

BAſiliſſa Abbatiſſa Horreenſis apud Treviros, uti & Anaſtaſia ejuſdem loci Abbatiſſa, laudatur in fragmento Hiſtoriæ Trevirenſis edito in hoc tomo.

Baſinus item Epiſcopus Trevirenſis.

Beatus Confeſſor in Hiſpania, adverſus hæreſim Elipandi & Felicis dimicaſſe, & alia nonnulla ſcripſiſſe dicitur. Lege de eo Bollandi commentarium ad diem 29. Februarii, ubi dubium movet, an Beatus fuerit Monachus.

Bodinus Epiſcopus Trecenſis, de quo mentio in Actis S. Frodoberti Abbatis Cellenſis Sæculo 2.

Bertilia virgo in Belgio an fuerit Sanctimonialis, necdum certis indiciis deprehendere potui. De ea ſic agit Baldericus in Chronici lib. 2. cap. 16. *Eſt etiam in vico Maraculo Monaſterium Canonicorum, ubi ſancta quieſcit* Bertilia, *quæ hoc ipſum ſuum prædium* S. Mariæ *tradidit.* Lege ejus Acta apud Bollandum die 3. Januarii.

C & E

CÆleſtinus Abbas Blandinienſis, de quo Molanus die 17. Maji.

Cunihildis Abbatiſſa in Germania laudatur in Actis S. Bonifacii Epiſcopi & Martyris.

Egila Abbas Agalienſis memoratur apud pſeudo-Liutprandum æra 786.

Emereus Confeſſor in Hiſpania. Acta ejus apud Bollandum die 27. Januarii nullius pene ſunt fidei. Bainolenſis Monaſterii in Catalonie conditio an ei tribui debeat, merito dubitat Antonius Yepezius in tomo 3. Chronici ad annum 778. cap. 4.

Erkembodo Epiſcopus Tarvennenſis ex-Abbate Bertiniano, ſucceſſit Ravengero in cathedram Morinorum *anno tertio Regis Theodorici* - inquit Joannes Iperius in cap. 4. parte 2. *Ipſe S. Erkembodo ſimul cum Epiſcopatu tenens Abbatiam, emit a quodam viro Rigoberto res proprietatis ſuæ in loco nuncupato Kelmas, &c. 4. Kal. Septemb. anno 3. Theodorici Regis. Decedente Rege Theodorico S. ErKembodo migravit a ſæculo, & in Monaſterio S. Audomari cum multa reverentia ſepelitur*, non anno 741. ſed 737. *Cui in Epiſcopatu ſucceſſit* Adalgerus. S. Erkembodo die 12. Aprilis colitur in Eccleſia Audomaropolitana, in qua ejus reliquiæ ſuper majus altare adſervantur.

F

FAroaldus ex-Duce Spoletano ejus nominis ſecundo Monachus Cœnobii S. Petri de Ferentillo, a Ludovico Jacobillo ſancte obiiſſe dicitur 19. Febr. anno 728. de cujus recepta ſanctitate Ferrarius, Galeſinius, & Bollandus nihil pronuntiare audent.

Florebertus Epiſcopus Leodicenſis colitur die 26. Aprilis: an Monachus?

G

GIſla & Rictrudis virgines in Anglia an publica ſanctitatis opinione donari debeant, non ſatis liquet ex iis, quæ in Martyrologio Anglo-Benedictino & alibi referuntur. Utraque diſcipula fuit Alcuini, quibus ipſe inſcribit expoſitionem in Joannem; earumdemque meminit in epiſtola 102.

Guitmarus Abbas Centulenſis, modo ne nomine quidem fere notus, ita memoratur ab Hariulfo in lib. 1. Chronici Centulenſis, cap. 26. *Tunc vere ſancti & boni Fideles non valde cura-*

Digitized by Google

babt ſcriptis quæ gerebant committere, qui ad hoc ſolum contendebant, ut in libro vitæ mererentur adſcribi. Unde & illius temporis Abbates ex toto prorſus ignoraſſemus, niſi venerabilis Abbas Angelrannus ex aliquanto id procuraſſet: qui dum priſcorum Abbatum catalogum perſtringeret; ex iis unum fuiſſe inſinuavit Guitmarum, *quem &* Sanctiſſimum Virum *titulavit. Et quia tanti viri tale meruit teſtimonium, dignum eſt ut a nobis puſillis memoretur, qui viri vere ſancti ore ſanctiſſimus eſt notatus: Hic in Neuſtria ſolo humatus quieſcit, & in ſuo nomine dicata Eccleſia exſiſtit. Qui quantæ ſanctitatis & juſtitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, ſed his qui ejus corpori ſancto deſerviunt Canonicis prædicandum committimus.* Utinam ipſe exſecutus fuiſſet! Nam Canonici Eccleſiæ collegiatæ erectæ Gornaci (vulgo *Gournay*) ad Eptam fluvium, ubi S. Guitmarus tempore Hariulfi quieſcebat, & Eccleſiam nomine ſuo illuſtrabat; uſque adeo primarii Patroni ſui memoriam obliterari ſiverunt, ut ne nomen quidem apud eos reliquum ſit. Solus nunc apud eos audit S. Hildevertus Meldicenſis Epiſcopus, Eccleſiæ ſuæ Patronus, quem cum Guitmaro noſtro confundunt, cum legant in officio eccleſiaſtico, Hildevertum ex Monacho Luxovienſi Abbatem Monaſterii S. Richarii, tum Meldicenſem Epiſcopum fuiſſe: cujus corpus, cum ſexto a Meldis miliario ſepultum fuiſſet, translatum poſtea ſit Gornacum per S. Majolum Abbatem Cluniacenſem ſæculo 10. ac deinde juſſu Vvalterii Rotomagenſis Pontificis per Hildebertum Cantuarienſem Archiepiſcopum in eam in qua nunc habetur thecam illatum anno 1201. caput vero in ſcrinio aureo expenſis Blanchæ Philippi ſexti Francorum Regis uxoris affabre elaborato circiter annum Domini 1375. In Actis mſſ. S. Hildeverti quæ legi, Sancti corpus translatum quidem fuiſſe dicitur per Majolum Abbatem, ſed cujus Monaſterii, non exprimitur. At cum id factum referatur *tranſacto non multo temporis curriculo* a morte Hildeverti; non de Majolo Cluniacenſi, ſed de alio cognomine, an Abbate ſanctæ Crucis ſeu S. Faronis apud Meldas, id intelligendum eſt? Et neſcio an Gornacum translatum ſit corpus S. Hildeverti, qui poſtea Guitmari Abbatis memoriam obſcuravit, ac penitus demum abolevit: niſi ſi Guitmarus alio nomine dictus eſt Hildevertus. Quamquam nulla ejus rei mentio, nec præfecturæ Centulenſis in Actis S. Hildeverti, quæ non magnopere probo.

Gumbertus Confeſſor memoratur in libro 3. de vita S. Burchardi Epiſcopi Vvirtziburgenſis per Egilvvardum, in Parte 1.

H & I

Helia Abbatiſſa Horreenſis apud Treviros, *ſanctitate clara* dicitur in Martyrologio Benedictino 12. Kal. Julii. Verum amplius de ea inquirendum eſt.

Hildebertus Abbas Blandinienſis Vvilrado ſucceſſit anno 728. cæſus, ajunt, a fautoribus Conſtantini Imperatoris Iconoclaſtæ, apud Molanum die 4. Aprilis.

Idaberga ſeu Itisberga virgo in pago Atrebatenſi apud eumdem die 21. Maji.

Ingelmundus Abbas apud Batavos, ex eodem Junii 21.

Joannes Damaſcenus a Monacho Italo litteris imbutus, ob idque noſtris adnumeratus eſt ad diem 6. Maji: tametſi uterque poſtea ſeceſſit ad Lauram S. Sabæ. Antonius Yepezius in tomo 3. Chronicorum Trithemium hujus rei auctorem vindicare conatur a refutatione Baronii. Ego vero quid ſentiam de Ordinis noſtri primordiis in Oriente, alias declarabo.

Irmina Abbatiſſa Horreenſis apud Treviros, filia Dagoberti tertii, ut putant, laudatur in fragmento Hiſtoriæ Trevirenſis in Appendice hujus tomi, & apud Brovverum in lib. 7. Annalium Trevirenſium, ubi ſacrum ejus corpus in Monaſterium Vveiſſenburgenſe ad Voſagi montis radices ſitum in Spirenſi diœceſi a Dagoberto conditum jacere dicitur, præter caput, quod olim Spanheimenſes noſtri adſervabant. Theofredus Abbas Eſternacenſis Irminæ diploma S. Vvillibrordo conceſſum pro ſuo Monaſterio Eſternacenſi citat in Vita S. Vvillibrordi.

Juliana Abbatiſſa Pauliacenſis in Vita S. Auſtrebertæ Parte 1.

L

Landrada virgo & Abbatiſſa Beliſiæ in Belgio. Acta ejus a Theodorico Abbate non ſatis accurate deſcripta habentur apud Surium. Non pervenit ad tempus Caroli Magni, ſiquidem obiiſſe dicitur anno 709. De ea mentio in Actis S. Amalbergæ, quæ ſub ejus diſciplina inſtituta dicitur in Monaſterio Beliſienſi, quod modo eſt Canonicarum feminarum.

Lebuinus Presbyter in Belgio multis prædicatur die 12. Novembris apud Surium, tum ab Hucbaldo Elnonenſi Monacho ipſius Vitæ ſcriptore, tum a Radbodo Trajecti ad Rhenum Epiſcopo in carmine & in ſermone de eodem, ubi *habitum religionis adſumſiſſe* Lebuinus in Anglia dicitur.

Leotadius Epiſcopus Auſcienſis ex Abbate Monaſterii, non Moiſacenſis, ut male plerique legunt, ſed Marodiacenſis, cujus ipſe una cum Ansberto primarius auctor fuit pontificatu Deſiderii Cadurcorum Epiſcopi, ut dicemus inferius in S. Namfaſio. Non ergo pervenit Leotadius, ut quidam numerant, ad annum 720. ut qui ante medium ſæculum ſeptimum jam florebat.

Liutvvinus Epiſcopus Trevirenſis laudatur in fragmento Hiſtoriæ Trevirenſis, & apud Brovverum in lib. 7. Annalium Trevirenſium, ubi rude ejus epitaphium refert, recentioris ævi figmentum.

M & N

Marcellinus Presbyter, falſo creditus auctor vitæ S. Suidberti Epiſcopi, non alius eſt a Marchelmo S. Liudgeri ſocio, ut in Elogio S. Suidberti probatum eſt. Fuit & alius Marcellinus S. Lebuini collega.

Meinulfus Diaconus Budicæ Monaſterii memoratur die 5. Octobris.

Miletus Abbas Luxovienſis a Vvandalis ſeu Saracenis cæſus.

Noitburgis virgo Coloniæ in Monaſterio a Plectrude Pippini Heriſtallenſis conjuge ædificato in honorem B. Mariæ, colitur die 31. Octobris, cujus reliquias adſervari in Cartuſia Confluentina ſcribit Brovverus in lib. 7. Annalium Trevirenſium.

O & P

Otgerus Diaconus, ſocius S. Plechelmi, notatur die 10. Septembris, cultus in Petri-monte non longe a Ruremunda in Belgio.

Plechelmus Epiſcopus cum SS. Vvirone & Otgero in Belgium ex Anglia trajeciſſe fertur, Martyrologio inſcriptus die 15. Julii.

Digitized by Google

R

RAgenfredis Abbatiſſa Dononii laudatur à Balderico in Chronici lib. 2. cap. 28. in hæc verba : *In vico Duneng beata Rainfredis ex ſui juris rebus Cellam fundavit , & Sanctimonialibus conſtitutis ipſa etiam Abbatiſſa regimonium duxit . Hanc autem poſtea incumbente inopia inclinatam pauci Canonici incolebant , donec conſilio domni* Gerardi *Epiſcopi &* Ledvvini *Abbatis moderno tempore* Balduinus *Comes ad priſtinum ſtatum reſtituit , ibique Monialibus regulariter inſtitutis Abbatiſſam nomine* Ermentrudem *præfecit*. Colvenerius in Notis obſervat in alio codice mſ. ſic legi : *ibique Moniales S. Benedicti , cum ante fuiſſent regulares , introduxit* . At Monachas fuiſſe ab initio certo perſuaſum habeo ; tametſi poſtea forſan Canonicæ factæ Canonicis paucis locum fecerint. Hodie , inquit Colvenerius, vocantur *Canoniſſæ & Donnæ :* locus vulgo *Denain* ad Scaldim , duobus a Valentianis miliaribus diſtat Duacum verſus.

Regina ejuſdem Cœnobii Sanctimonialis & Ragenfredis mater, apud Molanum die 1. Julii.

Ribarius Monachus Jurenſis una cum S. Urſicino celebratur in Supplemento Martyrologii Gallicani 14. Kal. Januarii, diciturque vixiſſe in Gallia tempore Carolomanni Caroli Magni fratris : ejuſque reliquiæ in opidum S. Vvalarici in Caletis translatæ ac depoſitæ in Eccleſia Prioratus Fiſcamnenſi Monaſterio ſubjecti.

Rumoldus Epiſcopus & Martyr. Lege ejus Acta apud Surium die 1. Julii & Notas Menardi in Martyrologium.

S & T

SEbaldus. Monachus Nurembergæ , filius Daciæ Regis, Auguſti 19.

Siacrius Epiſcopus Nicienſis 23. Maji in Chronologia Lirinenſi.

Tatvvinus Eremita in Anglia die 3. Julii.

Tecla Abbatiſſa in Germania 15. Octob. memorata in Vita S. Bonifacii.

Tilbertus Abbas Hripenſis 13. Maji cum Botvvino, laudatus in Vita S. Vvilfridi ſenioris Epiſcopi Eboracenſis.

V

VEnantius Eremita in Belgio apud Molanum 10. Octob.

Vveomadus Epiſcopus Trevirenſis laudatus in fragmento Hiſtoriæ Trevirenſis & apud Brovverum. Monachum alii Mediolacenſem , alii S. Maximini fuiſſe ajunt. Ejus mentio in libro de miraculis S. Goaris & in epiſtola Hadriani Papæ ad Tilpinum : obiit 8. Id. Novemb. anno 781. ſucceſſorem ſortitus Richbodum Abbatem Medelocenſem.

Vverenfridus Presbyter in Gelria 14. Auguſti apud Surium & Molanum.

Vviro Epiſcopus in Belgio 8. Maji apud Surium.

ALENDARIUM SANCTORUM, QUORUM ACTA

in hac Parte ſecunda Sæculi tertii exhibentur

Januarius.

8 Ratiſponæ S. Erardi Epiſcopi, 424
15 Lindisfarnæ S. Ceolvvlfi Nortanhumbrorum Regis & Monachi, 158
19 In Monaſterio Hienſi S. Blaitmaci Abbatis & Martyris cum ſociis, 398

Februarius.

1 In Monaſteriis Mauziacenſi & Iciodorenſi translatio S. Stremonii Epiſcopi, 173
9 In Bajoaria ſuperiori S. Altonis Abbatis, 195
13 In Cœnobio Medenſi SS. Haimonis & Veremondi Confeſſorum, 380
15 Palatioli in Italia S. Vvalfridi Abbatis, 177
21 In Monaſterio Senonienſi in Voſago S. Gundelberti Epiſcopi Senonienſis, 424
25 In Cœnobio Heidenheimenſi S. Vvalpurgis virginis & Abbatiſſæ, 260

Martius.

11 Gorziæ in agro Mettenſi translatio S. Gorgonii Martyris, 184

Aprilis.

14 Lugduni S. Lantberti Epiſcopi, 419
17 Fontanellæ S. Vvandonis Abbatis, 118
22 Monaſterioli in Neuſtria S. Opportunæ Virginis & Abbatiſſæ, 198

Majus.

2 Luxovii S. Vvaldeberti Abbatis, 409
9 Eboraci in Anglia S. Vvilfridi junioris, ejuſdem ſedis Epiſcopi, 506

Junius.

5 In Friſia paſſio S. Bonifacii Epiſcopi cum ſociis ſuis, 1

19. In

19 In Voſago S. Deodati Epiſcopi Nivernenſis 424

Julius.

7 Eiſteti in Bajoaria S. Vvillibaldi Epiſcopi, 330
10 Merbeccæ in Belgio S. Amalbergæ virginis, 217
11 In Monaſterio Medianenſi S. Hildulfi Epiſcopi Trevirenſis, 424
12 In Monaſterio Dionyſiano prope Luteciam Pariſiorum S. Fulradi Abbatis, 302
19 In Monaſterio S. Vincentii ad Vulturnum S. Ambroſii Autperti Abbatis, 234
25 Luteciæ Pariſiorum in Monaſterio S. Vincentii translatio S. Germani Epiſcopi ejuſdem civitatis, 85

Auguſtus.

17 In Monaſterio Caſinenſi S. Carolomanni Ducis Francorum, 112
25 Trajecti ad Rhenum S. Gregorii Abbatis & ejus Eccleſiæ Rectoris, 289

September.

8 In agro Mogontiacenſi S. Diſibodi Confeſſoris, 450
14 Fontanellæ V. Auſtrulfi Abbatis, 121
23 In Monaſterio Hiienſi S. Adamnani Abbatis, 452
25 In Monaſterio Cuſantienſi S. Ermenfredi Abbatis, 418
27 Vimburni in Anglia S. Tettæ Abbatiſſæ 224
Eodem die in Cœnobio Leſcienſi S. Hiltrudis virginis, 381
28 In Parthenone Biſcoſheimenſi S. Liobæ virginis & Abbatiſſæ, 221

October.

16 Maguntiæ S. Lulli Epiſcopi, 355

November.

13 In Monaſterio Hornebacenſi S. Pirminii Chorepiſcopi & Abbatis, 124
8 Bremæ in Saxonia S. Villehadi primi ejuſdem ſedis Epiſcopi, 364
16 Inſula Stein S. Othmari Abbatis Monaſterii S. Galli, 139
21 Marciliaci in Aquitania S. Namſaſii Eremitæ, 405
27 Saltzburgi S. Virgilii Epiſcopi, 279
Eodem die in Scotia S. Baltheri Anachoretæ, 508

December.

3 In Norico S. Soli Eremitæ, 389
13 In Parthenone Hoemburgenſi S. Odiliæ virginis & Abbatiſſæ, 441
Eodem die Gemetici in Gallia Taſſilonis Ducis Bajoariarum & Monachi, 401
17 Fuldæ in Germania S. Sturmii primi ejuſdem loci Abbatis, 242
18 In Monaſterio Heidenheimenſi S. Vvunebaldi Abbatis primi, 160

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM

Partis ſecundæ Sæculi tertii.

IN GERMANIA &c.

IN provincia Germania prima, *Moguntiæ* Bonifacius Epiſcopus, 1. Lullus item Epiſcopus, 354. *Fuldæ* Sturmius Abbas, 242. In Monaſterio *Biſcofheimenſi* Lioba Abbatiſſa, 220. In agro *Moguntiacenſi* Diſibodus Confeſſor, 450. In Monaſterio *Hornebacenſi* Pirminius Chorepiſcopus & Abbas, 124. In Parthenone *Hoemburgenſi* S. Odilia, 441

In Bajoaria, Monaſterio *Heidenheimenſi* Vvunebaldus Abbas, 160. Vvalpurgis Abbatiſſa, 160. *Eiſteti* Vvillibaldus Epiſcopus, 330. Solus Eremita, 389. Alto Abbas, 195. *Saltzburgi* Virgilius Epiſcopus, 279. Taſſilo Dux, 401

In Friſia Bonifacius Epiſcopus, 1. *Trajecti* Gregorius Abbas, 289

In Saxonia, *Bremæ* Villehadus Epiſcopus, 364

IN GALLIA.

In provincia Lugdunenſi prima, *Lugduni* Lantbertus Epiſcopus, 419

In provincia Lugdunenſi ſecunda, *Fontanellæ* Vvando Abbas, 118. Auſtrulfus itidem Abbas, 121. *Gemetici* Taſſilo, 401. In agro Sagienſi, *Monaſterioli* Opportuna Abbatiſſa, 198

In provincia Lugdunenſi quarta, *Luteciæ Pariſiorum* translatio S. Germani, 85. In Monaſterio Dionyſiano Fulradus Abbas, 302

In provincia Aquitania prima, *Mauziaci* apud Arvernos translatio S. Stremonii Epiſcopi, 173. *Marciliaci* apud Cadurcos S. Namſaſius Eremita, 405

In Voſago, *Laxovii* Vvaldebertus Abbas, 409. *Cuſantiæ* Ermenfredus Abbas, 418

In aliis Monaſteriis Gundelbertus, Deodatus, Hildulfus. Erardus Epiſcopi, &c. 424

In provincia Belgica prima, *Gorziæ* translatio S. Gorgonii martyris, 184

In Belgica ſecunda, *Merbeccæ* Amalberga virgo, 217

IN ANGLIA.

In inſula *Lindiſfarnenſi* Ceolvvlfus Rex Northumbrorum, 158. In Monaſterio *Hiienſi* S. Blaitmacus Abbas, 398. Adamnanus item Abbas, 452. *Eboraci* S. Vvilfridus junior Epiſcopus, &c. 506

Ex Anglia item proceſſerunt Bonifacius, Vvillibaldus, Vvunebaldus, Vvalpurgis, Lioba, & Vvillehadus: de quibus ſupra.

IN ITALIA.

In Benevento, *Caſini* Carolomannus Dux Francorum & Monachus, 112. In Monaſterio *S. Vincentii* ad Vulturnum, Ambroſius Autpertus Abbas, 234

In Tuſcia, *Palatioli* Vvalfridus Abbas, 177. In pago Ticinenſi, in Cœnobio *Medenſi* Haimo & Veremondus, 380

NO-

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM

qui hujus ſecundæ Partis Acta ſcripſerunt.

ADelhelmus Sagienſis Epiſcopus initio ſæculi 10. ſcripſit libros duos de vita & miraculis S. Opportunæ Virginis & Abbatiſſæ, 198.

Adſo cognomento Hermiricus, Abbas Luxovienſis poſt medium ſæculum 10. librum unum de miraculis S. Vvaldeberti Abbatis, 409

Aimoinus Monachus Germanenſis labente ſæculo 9. libros duos de miraculis S. Germani Pariſiorum Epiſcopi, 95.

Andreas Abbas tertius Palatioli in Tuſcia libellum de vita S. Vvalfridi Abbatis ejus loci primi, 177.

Anſcharius ſeu Anſgarius primus Bremenſis Archiepiſcopus de vita & miraculis S. Vvillehadi Epiſcopi libros duos, 364

Ermanricus Levita, dein Abbas Elevvangenſis medio ſæculo 9. vitam S. Soli, 389

Iſo Monachus Gallenſis poſt medium ſæculum 9. libros duos de miraculis S. Othmari Abbatis, 147

Liudgerus Epiſcopus Mimigardefordenſis primus Vitam S. Gregorii Abbatis Trajectenſis, 289.

Othlonus Monachus ſub finem ſæculi 11. libros duos de vita S. Bonifacii Epiſcopi & Martyris, 25.

Richerius Monachus Senonienſis ſub finem ſæculi 13. ſcripſit in Chronico ſuo geſta S. Hildulfi, &c. 424.

Rudolfus Monachus Fuldenſis medio ſæculo 9. Vitam S. Liobæ Abbatiſſæ, 221

Vvalafridus Strabus Abbas Augienſis procedente ſæculo 9. Vitam S. Othmari Abbatis, 139. & Blaitmaci Abbatis Hiienſis metro, 398

Vvarmannus Epiſcopus Conſtantienſis ſæculo 11. Vitam S. Pirminii, 124

Vvillibaldus Epiſcopus Eiſtetenſis Vitam præceptoris ſui Bonifacii, 1

Vvolfardus Presbyter Haſenrietanus ſæculo 9. de vita & miraculis S. Vvalpurgis libros quatuor, 260.

VITA

Digitized by Google

V I T A

SANCTI BONIFACII EPISCOPI MAGUNTINI, ET MARTYRIS,

AN CHR. 754. 5 Junii.

Auctore WILLIBALDO ipſius diſcipulo.

Ex tomo 4. Henrici Caniſii, & Nicolao Serario.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. QUEM *Anglo-Saxones patria lingua* WINFRIDUM *ſeu* Winfrethum *Latini dein molliori vocis ſono* BONEFACIUM Bonifaciumve *appellavere; eum varii commendaverunt Scriptores. Primus occurrit* WILLIBALDUS *ejus diſcipulus, idem ipſe (ut videtur) Eiſtetenſis Epiſcopus primus, qui libro ſingulari præceptoris ſui geſta complexus eſt.* RUTHARDUS *deinde Monachus, Fulda Hirſaugiam miſſus*, duobus libris heroico carmine ſancti Martyris paſſionem ſcripſit, *ut prodit Tritbemius in Chronico Hirſaugienſi. Rutbardus floruit principatu Ludovici Auguſti, qui cum Rutbardum* poſt mortem Haimonis Epiſcopi vellet in locum ejus Halverſtadenſis Eccleſiæ ordinare Pontificem, conſentire noluit, dicens notabile verbum: Da Epiſcopatum alteri qui ſit idoneus: ego quietem vitæ regularis & ſtudium Scripturarum omnibus divitiis & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum. *Tertius vitæ Bonifacianæ ſcriptor eſt* OTHLONUS *Monachus. Quartus anonymus quidam, Cœnobii Fuldenſis (ut videtur) Monachus. Hic duplicem damus de S. Bonifacio ſcriptionem. Vuillibaldi ſcilicet atque Othloni: quod utraque ad perfectam geſtorum ejus notitiam neceſſaria videatur. Agunt præterea de S. Bonifacio Lupus in Actis S. Vuigberti Abbatis; Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis & Rectoris Eccleſiæ Trajectenſis; Ratbodus ejuſdem Eccleſiæ Antiſtes teſtante Tritbemio in libro de Scriptoribus eccleſiaſticis; Joannes Gerbrandus, Johannes de Beka & Vuillelmus Heda in hiſtoriis ſuis: quibus præferendus HRabanus Maurus, qui carmen quoddam de S. Bonifacio compoſuit. Quin etiam e Lutheranis Johannes Leznerus ejuſdem ſancti Martyris Acta Germanico idiomate vulgavit illuſtravitque. De Vuillibaldo, Othlono, & Anonymo hic pauca præmittenda.* Vitæ Scriptores.

2. WILLIBALDUS, *vitæ Bonifacianæ ſcriptor primarius, ætatem ſuam indicat in Præfatione, quam Megingozo Vuirtziburgenſi, & Lullo Mogontiacenſi Epiſcopis, Bonifacii diſcipulis nuncupat, ubi ſe ipſe* Presbyterum *vocat. Hinc dubium oritur, an Vuillibaldus iſte ſit Vuillibaldus Eiſtetenſis Epiſcopus primus, Bonifacii itidem diſcipulus: maxime cum hujus vitæ conditor Vuillibaldus, agens de epiſcopali ordinatione Vuillibaldi & Burchardi,* eos bonæ induſtriæ viros *appellet. modeſtius forſan de ſe dicturus, ſi is ipſe fuiſſet Vuillibaldus. Chriſtoforus Brouverus in obſervationibus ad Acta S. Gregorii Rectoris Trajectenſis, alia in hoc dubium conjicit argumenta minoris momenti. Exiſtimo tamen Vuillibaldum Eiſtetenſem Epiſcopum iſtius ſcriptionis auctorem eſſe, ut qui paucis cum Bonifacio annis commoratus, potius ab aliis accepta, quam viſa ab ſe relata dicit in Præfatione. Nec obſtat quod* Presbyteri *dumtaxat uſurpat nomen: quod & ipſum ſolum ei tribuit Notkerus in Martyrologio Nonis Junii. Nec modeſtiæ leges excedit, dum ſe ſimul & Burchardum,* bonæ induſtriæ viros *appellat: quod elogium potius ad Bonifacii ordinan-* Vuillibaldus.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii. *nantis & Burchardi, quam ſui ipſius commendationem adhibuit. Denique in calce vitæ ab ſe ſcriptæ hanc clauſulam ipſe appoſuit:* Ego Vuillibaldus Epiſcopus, *&c.*

Othlonus. 3. *Inferior ætate fuit Othlonus, qui illuſtrandis S. Bonifacii geſtis bonam navavit operam, conquiſitis ac relatis ipſius Bonifacii aliorumque epiſtolis, quæ ad rem pertinere videbantur. Othloni nomen, quod diu latuerat, Henricus Caniſius in Rebdorfenſis Monaſterii codice mſ. deprehendit in hæc verba:* Incipit Prologus venerabilis Presbyteri OTHLONI & M. S. Cœnobii Bonifacii in Vitam ipſius, *id eſt prout Caniſius divinavit*, Monachi Cœnobii S. Bonifacii. *Monachum fuiſſe Othlonum ſatis patet ex Præfatione, dum non ſolum* Fratres Fuldenſes *vocat, ſed & ipſe illoſque &* infimos & ſpectaculum factos mundo *ait. Germanus natione fuit, ut conſtat ex libri primi cap.* 38. Noſtra autem dico, *inquit*, quæ pro patribus noſtris, Germanis ſcilicet, ſalvandis ſcripſit Bonifacius. *Non tamen Fuldenſis Cœnobita fuiſſe videtur, quod Fuldenſes Monachos in Præfatione alloquens*, Cœnobium veſtrum *nominat. Sed tamen ex aliquo Monaſterio S. Bonifacii, quem* Patronum noſtrum *appellat. Othlonus vixit circiter initium ſæculi* XII. *ex Prologo Vitæ, quam in duos libros diſtinxit.*

Anonymus. 4. *Ruthardo prætermiſſo, cujus libri duo necdum prodierunt in lucem; pauca dicenda de Anonymo, cujus lucubratio in mſ. codice Compendienſi incipit ab his verbis:* Poſtquam gens Anglorum inclyta per S. Gregorii Pontificis Romanæ urbis dogmata, *&c. Eam lucubrationem ex integro reddere non viſum eſt operæ pretium: tum quia deficit in multis, tum quia nonnullis mendis reſperſa eſt. Bonifacii ſiquidem ex Britannia in Friſiam profectionem unicam deſcribit, omiſſa reverſione in patriam: tum primam Bonifacii peregrinationem Romanam poſt navatam cum S. Vuillibrordo operam remittit. Quædam tamen in Notis & in Appendice primæ Vitæ ex eo Auctore adducimus.*

Bonifacii memoria. 5. *Bonifacii ſanctimoniam prædicant veterum faſtorum ſcriptores, Vvandalbertus, Uſuardus, HRabanus, Ado, & Notkerus. Vvandalberti hæc verba ſunt Nonis Junii:*

Nonis Antiſtes fulget Bonifacius, Anglis
Editus, ad Chriſtum Oceani qui traxit alumnos,
Freſonum puro ſubmittens colla lavacro.

Patria. 6. *Anglo-Saxonem fuiſſe Bonifacium, non Scottum ex Hibernia ortum, ut volunt Marianus & Trithemius, conſtat tum ex recitatis Vvandalberti verbis, tum ex ipſius Bonifacii Actis propriiſque epiſtolis. Legenda ejus epiſtola apud Othlonum in lib. 2. cap. 1. in qua Bonifacius hæc ſcribit:* Synodus & Eccleſia in qua natus & nutritus fui, id eſt in tranſmarina Saxonia, *ſeu Vveſt-Saxonia, cujus Epiſcopus erat Daniel, a quo litteras commendatitias ad Romanum Pontificem accepit. Ergo Bonifacius natus eſt in Saxonia occidentali, & quidem in hodierno Comitatu Devoniæ, urbe Cridianto*, Crediton *ſeu* Kirton, *quæ quondam ſedes epiſcopalis, ab Exona ſex circiter miliaribus diſtat. Id quod ex popularium traditione & virente memoria Guillelmus Camdenus & Johannes Spedus adfirmant in deſcriptione Devoniæ.*

Parentes. 7. *Bonifacii parentes, quos nobis ignotos eſſe voluit antiquorum ſilentium, vanis conjecturis inquirere non vacat, certe nec decet. Qui regium ei genus tribuunt, SS. Vuillibaldi & Vunebaldi conſanguineum dicunt, nullo argumento nituntur legitimo. Illud exploratum quod anonymus Vitæ conditor tradit*, nobili proſapia oriundum *fuiſſe Bonifacium, qui* Leobgithæ Sanctimoniali *adfinitate conjunctus erat. Sic enim Leobgitha in epiſtola quadam ad Bonifacium, ordine 36. inter Bonifacianas:* Rogo tuam clementiam, ut memorare digneris prioris amicitiæ, quam jamdudum cum patre meo copulaſti, cujus vocabulum eſt TINNE in occiduis regionibus, qui nunc ante octo annorum curriculum ab hac luce ſubtractus eſt, ut pro anima illius preces offerre Deo non renuas: necnon & matris meæ memoriam commendo tibi, quæ eſt cognominata EBBE, QUAE TIBI, ut melius noſti, CONSANGUINITATIS NEXIBUS copulatur, & adhuc laborioſe vivit, & diu valide ab infirmitate oppreſſa eſt. Ego unica filia ſum ambobus parentibus meis. *Hæc eſt* LEOBGITHA, *aliis Lioba dicta, quæ a S. Bonifacio in Germaniam advocata, Biſchofheimenſi Parthenoni præfecta, morum ſanctitate floruit, in ipſius Actis videbimus ad annum* 767

Dignitas in patria. 8. *Abbatem fuiſſe Bonifacium in patria, negant Vuillibaldus & Othlonus. Et tamen Egburga Sanctimonialis* Abbati Sancto veroque amico Winfredo *epiſtolam* 101 *inſcribit. Id ſi verum eſt, eum brevi tempore Abbatis geſſiſſe dignitatem conſtat, antequam in Friſiam ſecundo trajiceret. Eidem jam in ciſmarinis partibus conſtituto, & Archiepiſcopo incertæ ſedis ordinato Sigebaldus Rex occidentalium Saxonum ſcripſit epiſtolam* 49. *in hæc verba.* Primitus ſubnixis precibus acſi progeniculans flexis poplitibus ut indulgeas obſecro petitionem meam, quam rogavi te per tuum Presbyterum nomine Eobo, id eſt ut tu meus eſſes Epiſcopus cum meo Epiſcopo Daniele. *Quam tamen dignitatem recuſavit, ne gentilium converſioni deeſſet.*

An Epiſcopus Trajectenſis. 9. *Bonifacius a Gregorio II. Romano Pontifice Epiſcopus abſque certa ſede ordinatus videtur. Et tamen Vuillibaldus non ſemel meminit* diœceſis & Eccleſiarum *Bonifacio commiſſarum, antequam vir ſanctus ſedi Magontiacenſi addictus eſſet. Poſt acceptam enim ordinationem archiepiſcopalem, poſtque pios profectus apud Haſſos & Bajoarios, Bonifacius* ad Fratres ſuæ diœceſis migraviſſe *cap. 8. & cap. 9.* ad proprias rediiſſe Eccleſias, populique ſibi commiſſi curam geſſiſſe *dicitur. Quod certe dici non poteſt de ſede Trajectenſi, quam eo tempore S. Vuillibrordus ſuperſtes occupabat. Rectius id interpretandum videtur de Haſſis, Turingis, viciniſque regionibus, ad quas Bonifacius præcipue miſſus fuerat. Et quidem ex Zachariæ epiſtola ab Othlo-*

Digitized by Google

Othlono in lib. 2. cap. 14. relata diſcimus, hucuſque, *id eſt paullo ante annum* DCCLI. AN.CHR. 754
Bonifacium ſibi cathedralem ſedem minime vindicaſſe: *quod etiam Hincmarus in epiſtola ſeu* 5. Junii.
opuſculo 44. cap. 20. confirmat. Gregorius, *inquit*, a primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius, Winfrid cognomento Bonifacium, Legatum apoſtolicæ ſedis, ad reformandam Chriſtianam Religionem primo Presbyterum, poſtea vero Epiſcopum ordinatum direxerunt, cui per annos XXV. in eadem prædicatione SINE CARDINALI SEDE laboranti præfatorum ſucceſſor Zacharias Papa inter cetera in Privilegio ſibi directo ſcripſit atque firmavit ad locum, *Maguntiam ſcilicet, cujus ſedem abjecto Gevviliebe obtinuit. Verumtamen illud movet, quod Bonifacius Maguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus factus*, GREGORIUM ad Trech ordinaſſe *dicitur tum apud Othlonum in lib. 1. cap. 38. tum apud S. Liudgerum in Vita ipſius Gregorii. Siquidem Bonifacius Vvillibrordo, Bonifacio Gregorius in Trajectenſis Eccleſiæ regimen ſucceſſiſſe feruntur his Liudgeri verbis:* Migrante ad Dominum de hac luce S. Willibrordo ſucceſſit S. Bonifacius, cui & ſucceſſit pius heres ejuſdem Gregorius. *At fides potius habenda videtur æquali Vvillibaldo, qui cap. 10. nullam Gregorii promotionis mentionem facit, & cap. 11. agit de S.* EOBANO *martyrii ſocio*, quem ad ſubveniendum ſuæ ſenilis ætatis debilitati Freſonibus injunctum Epiſcopum, in urbe quæ vocatur *Trech* ſubrogavit. *Vere proinde Eobanus, etſi brevi tempore, Trajectenſem Eccleſiam, Bonifacii curæ poſt S. Vvillibrordi mortem obnoxiam rexit, ſucceſſoremque habuit S. Gregorium, non Epiſcopum, ſed Abbatem & Rectorem Eccleſiæ Trajectenſis, ut dicemus in hujus Actis ad annum 772. Bonifacius Eobano inſcribit epiſtolam 27, eumdemque Presbyterum vocat Sigebaldus Rex Vveſt-Saxonum epiſtola 49.*

an potius S.Eobanus.

10. *Bonifacium Apoſtolum ſuum agnoſcunt Germani: qua de re legendus Adamus Bremenſis Canonicus in hiſtoriæ capite 8. legenda etiam Præfatio huic Sæculo præfixa. Non tantum enim Friſiis, ſed etiam Francis orientalibus, Turingis, Haſſis & Saxonibus, immo & Bajoariis, tam per ſe quam per ſuos verbum Dei prædicavit. Gregorius Papa II. in quadam epiſtola nominat præterea* Borthanos, Niſtreſos, Wedrevos, & Loganos, Sudvodos, Ingevones & Graveldos: *qui populi ad prædictos provinciales pertinent. Borthari ſcilicet videntur eſſe Bructeri ſeu Buſactores inter Lipiam & Amiſiam fluvios conſiſtentes Niſtreſi. Friſii occidentales Vveſtrachiam incolentes. Vvedrevi ſeu Vvederavi, quorum tractus Vvederavia ad Vvederam fluvium prope Maguntiam. Logani Vvederaviæ incolæ ad Loganam fluvium. Sudvodi, populi Auſtraſii. Ingevones creduntur eſſe mediterranei ac interiores Germani. Graveldi ſeu Grapfeldi exſtirpatores Buchoniæ ſaltus, in quo ædificatum Monaſterium Fuldenſe*, ſitum in medio quatuor populorum, *quos Bonifacius ad Fidem adduxit.* Bonifacius Germanorum Apoſtolus.

11. *Paullo minus res monaſticas curavit Bonifacius quam Chriſtianas, quibus illas adjumento ſimul & ornamento eſſe noverat.* Unde in provinciam patriamque ſuam mittens, exinde tam feminas quam viros religioſos ſcientiaque varia imbutos plures venire fecit, ſuique laboris onus inter eos diviſit, *inquit Othlonus in libro 1. cap. 25. Et viris quidem Monachorum, Virginum autem Cœnobia feminis commiſit, ut ſubditos ſibi regerent ex Regulæ Benedictinæ præſcripto, cui Bonifacium ab ineunte ætate morem geſſiſſe, ex Vvillibaldi cap. 2. conſtat. Hinc Marianus Scotus, poſt Annalium Fuldenſium conditorem ait*, Monaſteria ſexus utriuſque in Germania primo inſtituta *fuiſſe a Bonifacio: tametſi jam Vvillibrordus nonnulla conſtruxerat.* Benedictinæ Regulæ propagator.

12. *Plures ſcripſit epiſtolas Bonifacius, a Nicolao Serario editas & illuſtratas, graves quidem & pias. Librum ejus* de unitate fidei catholicæ *laudat Zacharias Papa apud Othlonum lib. 2. cap. 9. quem librum haud alium eſſe quam ſynodalia quædam ſtatuta, qualia nuper Acherius in tomo 9 Spicilegii vulgavit, veri ſimile eſt. Vitam S. Livini Epiſcopi & Martyris litteris mandaviſſe dicitur: quod ſuſpectum omnino eſſe, Sæculo ſuperiori ad annum 656. probavimus. Vitam S. Libuini ab Hucbaldo ſcriptam perperam tribuit Bonifacio Arnoldus Vvion. Ipſius dictum refert Vvalafridus Strabus in lib. de reb. eccl. cap. 24. his verbis.* Bonifacius „ Martyr & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in vaſis ligneis ſacramenta conficere, „ reſpondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc econtra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. Scripta ejus.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DOMINIS *ſanctis & vere in Chriſto cariſſimis* LULLO *& Megingozo* [a] *Coepiſcopis*, WILLIBALDUS *licet indignus in Domino Presbyter*. Percepto piæ Paternitatis veſtræ affectu pariter & voto, non propriæ laudis litterali ſcientia confidens, ſed debitum obedientiæ obſequium veſtræ impendens ſanctitati, libenter parui, arduumque quod ſuggeſſiſtis opus, exiguis viribus inchoavi, ad perfectionis terminum finetenus deducens. Sed obſecro,

[a] De S. Lullo Mogontiacenſi Antiſtite Bonifacii ſucceſſore agemus ad ann. 786. de Megingozo vero ſeu Mengoſo Vvirtziburgenſi Epiſcopo plura diximus in Vita S. Burchardi ejuſdem ſedis Epiſcopi, ſupra ad ann. 751.

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 5. Junii.

cro, ut ſi quidpiam aliter quam veſtra voluntas expetierit provenerit, infirmitatis meæ imbecillitatem operiſque impoſiti ſublimitatem æquo animo ſuſtineatis: quoniam maximum mecum reverentiæ eſt indicium, cum veſtræ ſublimitatis imperio obdientiæ operam non denego. Quod ſi dignum aliquid & noſtris temporibus profuturum confecerim, divino utique muneri ac præcepti veſtri deſiderio conferendum eſt: quoniam pia quandoque deſiderantis voluntas & manum imitatur emunctoris, & impreſſionis ſuæ violentia vel minimam quamdam deſideratæ ſcientiæ dulcedinem parat, famelicumque impertiendo reficit. Decrevit enim Sanctitas veſtra inſipientem ſapientibus, & minus idoneum prudentibus coæquare ac præferre; & quod ſine noſtro videlicet conatu, prudenti ſermone revelare potuiſtis, hoc mihi velut ignaro imponere. Sed deprecor, ut quem præcepti veſtri torculat deprimit, precatus aſſiduæ orationis infundat, & mentem ignaviæ caligine obtuſam, voluntas ſpontaneæ dilectionis veſtræ, e ſomno reſuſcitet, ut ad ea ad quæ cogentibus vobis invitata eſt, tenacior vivaci ſermonum narratione reddatur.

2. Compuliſtis enim me, ut ad normam eorum, quorum aut vitæ caſtimoniam, aut morum ſanctimoniam, ſancti proculdubio Patres eleganti verborum ambage chartis inſerendo tradiderunt, petentibus religioſis ac catholicis viris, quibus vel in Tuſciæ partibus, vel in Galliæ terminis, vel in Germaniæ aditibus, aut etiam in Britanniæ limitibus S. Bonifacii Martyris fama miraculorumque coruſcatio perſtrepit, ſicut diſcipulis ejus ſecum diu commorantibus, vel nobis ipſis referentibus comperi; prooemium mediumque ac finem vitæ ejus quanta valeam indagatione litteris inſeram. Et quemadmodum primæ prævaricationis reſoluto chirographo & veræ lucis radio illuceſcente Egesippus, qui ſub Anacleto Romam veniſſe fertur, quinque eccleſiaſticorum actuum libros ob utilitatem legentium edidiſſe perhibetur; Eusebius Cæſarienſis, nominatiſſimus hiſtoriographorum Scriptor, cum Pamphilo Martyre & adjutore ſuo, ſuorumque ſibi antecedentium temporum hiſtorias mira eloquii diſſertitudine texentes, infinita ſcriptis volumina ediderunt; nec non & Gregorius, qui erat vir beatæ memoriæ litterarûm ſtudiis eruditiſſimus, glorioſo apoſtolicæ ſedis culmine ſedens, beatorum ſcribens Confeſſorum vitam, dialecticum miro oſtendens moderamine morem, quatuor Logica expreſſit ratiocinatione libros, qui hucuſque Eccleſiarum inſerti bibliothecis elucubratam poſteris ſcientiæ afferunt dignitatem: Ita beati viri vitam præcelſaſque ejus virtutes & cultum pietatis atque abſtinentiæ robur præſentibus ac poſt ſecuturis ſæculis jubetis demonſtrare. Sed quamvis ad demonſtrandam tantarum rerum rationem exiguum me parvumque fieri auctorem agnoſcam; tamen exigente benevolentiæ veſtræ voluntate, hoc quod demandaſtis, vobis jubentibus non propriæ præſumtionis inſolentia fretus, ſed adſertione Catholicorum confiſus adgrediar opus: neque ex parvitatis meæ ſtilo propriæ laudis præconium requirens, ſed ex tantæ rei relatione profuturum legentibus præbens exemplum, dum his quiſque inſtruitur formulis, & ad meliora profectus ſui perfectione perducitur.

INCIPIT VITA.

Caput I. *Qualiter in infantia Dei ſervitium inchoavit.*

3. Illustrem igitur ac vere beatam S. Bonifacii ſummi Pontificis vitam moreſque ejus, Sanctorum magnopere imitatione ſacratos, licet opacitate præpediti ſcientiæ, exili tamen opuſculi hujus ſtamine innectere, ac ſimplici hiſtoriæ tegmine, quemadmodum religioſis viris referentibus comperimus, qui quotidiana ejus colloquia & religionis converſatione ſedulo præſentati, ea quæ audierunt vel viderunt, in exemplum poſteris tradiderunt; congregata verborum varietate, texendo nitimur enodare, & ab exordio uſque ad finem quanta poſſumus indagatione, divinæ contemplationis ejus ſanctimoniam revelare.

Digitized by Google

lare. Cum enim primævo puerilis ætatis decore multa, ut ſolet, maternæ ſollicitudinis cura ablactatus atque enutritus eſſet; magna nimirum delectatione, ceterorum poſtpoſito amore filiorum affectatus eſt a patre. Sed qui jam labentia cuncta animo ſubjecerat, & æterna magis quam præſentia cogitare diſpoſuerat; cum eſſet annorum circiter quatuor ſeu quinque, Dei ſervitio ſe ſubjugare ſtuduit, multoque mentis conamine de monaſteriali jugiter vita inſudare, & ad eam mentis quotidie niſibus anhelare. Cum vero aliqui, ſicut ilis regionibus moris eſt, Presbyteri ſive Clerici, populares vel laicos prædicandi cauſa adiſſent & ad villam domumque præfati patris familias veniſſent; mox quantum poſſibilitatis ejus puſillanimitas in infantia ſua prævaluit, cœpit cum eis de cœleſtibus loquendo tractare, & quid ſibi ſuæque infirmitati in futurum proficeret, interrogare.

4. Cumque ita diu de cœleſtibus diuturna mentis meditatione cogitaret, ac totum ſe in futurum extenderet, & ad ſuperna erigeret; patri etiam demum hæc quæ animo gerebat revelavit, & ut ſuæ conſuleret voluntati rogavit. Quo comperto obſtupefactus pater, magna eum increpationis inſtantia, partim minis ne ſe deſereret prohibuit, partim etiam blandimentis ad ſæcularis curam inſtigabat negotii, ut temporaneo eum tranſitoriæ hereditatis ſubjungeret lucro, & ſeſe quandoque defuncto ſuæ terrenæ facultatis cuſtodem, immo etiam heredem relinqueret. Verbis quidem quamplurimis fraudulenta humanæ calliditatis uſus verſutia, tenerum a cœpti perfectione propoſiti animum declinare tentavit, magiſque hanc ſuæ tolerabiliorem eſſe infantiæ activam, quam vitam monaſterialis militiæ contemplativam, multiplici ſermonum adulatione promittit: ut vel ſic a propoſiti hujus conamine eum cohiberet, & ad mundani luxus mollitiem incitaret. Sed vir jam Deo in pueritia plenus, quanto eſt a patre plus prohibitus, tanto mentis arrepta fortitudine cœleſtem ſibi adquirere theſaurum, & ſacris ſe conjungere litterarum ſtudiis anxius anhelabat. Fitque mirum in modum, ſicuti ſemper divina agere ſolet miſericordia, ut ſuo imbecillioris ætatis militi Deus & cœptæ rei ſolatium, & anxiæ voluntatis augmentum, obſiſtentiſque repentinam patris mutationem mentis providens condonaret: ita ut uno eodemque temporis ſucceſſu, & feſtina patrem ægritudo ſubitaneo jam imminente mortis articulo ſubrepſerit, & pia quantocius pueri magno temporis intervallo præpedita voluntas ſuccreverit, Dominoque Deo adjuvante ſuccreſcendo impleta eſt ac perfecta.

5. Poſtquam enim miro diſpenſationis Dei judicio carnalem ingens ſancti viri patrem arripuerat languor, depoſita mox priſtina mentis pertinacia puerum propinquorum facta conventione, ad Monaſterium quod priſcorum nuncupatur vocabulo Adeſtancaſtre *a* ſpontaneus a Domino quidem correptus direxit, & fideli viro WOLFARDO, qui & Abbas exſtitit illius Monaſterii, per fideles ſuæ legationis nuntios redditum commendavit. Quem puerilibus adhuc in annis conſtitutus, ſapienter ſuis ſecum adſtantibus amicis allocutus eſt, & quod multo videlicet tempore, monaſteriali ſe Regulæ ſubjicere deſideraſſet, rationabili prolata petitione, ſicut a parentibus pridem edoctus erat, indicavit. Cui protinus Pater Monaſterii inito Fratrum conſilio, & eorum accepta (ſicut regularis vitæ popoſcit ordo) benedictione conſenſum præbuit & effectum. Sicque vir Dei carnali orbatus patre, ad optimum noſtræ redemptionis ſecutus eſt Patrem; terreniſque ſæculi renuncians lucris, mercimonium deinceps æternæ hereditatis adquirere ſatagebat, ut juxta veridicam Veritatis vocem pa-

a Aliis *Adeſcancaſtre* & ad *Eſcam caſtrum*, quod Edvvardus *Maihevv* in Martyrologio Anglo-Benedictino non malè interpretatur Exoniam, vulgo *Exceſter*, primariam Devoniæ civitatem ad Iſcam flumen, quæ Adeſcancaſtrum dicta ſit, quaſi Caſtrum ad Iſcam: tametſi Monaſterium apud Exoniam tum fuiſſe nullum prodit monumentum. Beda in lib. 3. cap. 22. meminit *Ytanceſtir* urbis orientalium Saxonum, quam *in ripa Pante amnis* locat, ubi & S. Ceddus Epiſcopus ſedem figere ſolitus erat. *Itanceſter* Eſſexiæ, oppidum, hodie S. Petri ad aggerem appellatur, vulgò *S. Peters*. At locus hic de Monaſterio occidentalium Saxonum interpretandus eſt, ut ſupra probavimus.

AN.CHR. 754 trem relinquendo ac matrem, aut alia quæ hujus mundi, centuplum accipe-
ret, & vitam æternam poſſideret.

5 Junii. Matth. 19.

II. *Qualiter adoleſcentiæ incentiva primitus frangeret, & omnibus bonis inhæreret.*

6. Expleto igitur, licet ſummatim, primordiali expoſitionis noſtræ ordine, qui quali ſe in initio ſtudioſæ converſationis ſanctimoniæ ſubdiderit, breviter protulimus, ut fabricæ a nobis fundamento confecto, ſtructuræ paullatim ſublimitas ad ſumma altius erigeretur. Poſtquam igitur infantiæ ſeptem evolvuntur anni puerilis adveniente decore ætatis, etiam mira in eo ſcientiæ prævaluit fortitudo. Magna ſiquidem mentis & ineffabili gravitate, cœleſti inſpirante gratia, ſicut ſubſequentia hujus operis documenta declarant, ditatus eſt, & multarum caſtimonia virtutum, juxta oſtenſum Sanctorum exemplar, præcedentium & venerabilium inſtitutis Patrum ſubditus, declaratus ac decoratus. Adeo enim divino exarſit ingenio, ac lectionis adprime ſe ſubdidit exercitio, ut ſingulis quibuſque additis temporibus momentis atque horis annorumque curriculis augerentur etiam in eo ſuperna adjumenta, divinaque donorum incrementa protectoris: & quanto paſtoralis pædagogio magiſterii eſt provectus, tanto ad profectum æternæ beatitudinis (ſicut fideles confamiliaritatis illius viri pro certo teſtati ſunt) eum quotidiana ejus ſtudia jugi laudis litterali meditatione die noctuque incitavere; contra infeſtas diabolicæ ſuggeſtionis perſecutiones, quæ tenerum ſæpe apud mortales juventutis florem ceu nebuloſa quadam cæcitatis caligine obtegere ſolent, mirabiliter protexere: ita ut etiam propter indeſinentem diuturnæ ſollicitudinis ejus curam & ſempiternam ſacrarum legum examinationem, illecebroſa in eo adoleſcentiæ incentiva & carnalium deſideriorum impetus primitus impingentes, Domino Deo auxiliante, maxima ex parte ſedavere, magiſque ac magis ad communem provehunt populorum doctrinam: quam non multo tranſacto temporis intervallo, ſecundum pontificale eccleſiaſticæ definitionis decretum inchoavit, dilatavit ac perfecit. Quoniam caduca hujus mundi contemnens ornamenta, monaſterialis vitæ normam in infantia ſua rite ſub moderata Patris præfati gubernatione annos quamplurimos cuſtodivit, donec pueritiæ fateſcente * laſcivia & pubertatis inchoante adoleſcentia, ardentior illum ingenioli ſui voluntas accendit, ut ad finitima quoque Monaſteria, magiſteriali lectionis provocatus penuria, cum conſenſu atque conſilio conſervorum fidelium Patriſque Monaſterii perveniret.

* al. faceſſante.

7. Cumque voto ſimul & intentione Omnipotentis ſibi adeſſe inceſſanter magna precum inſtantia ſuffragium poſtularet, tandem divina cœlitus inſpirante gratia, ad Monaſterium quod uſque hodie Nutescelle * dicitur, pervenit, & beatæ memoriæ Winberchti * Abbatis, qui venerabiliter prædictum ſub regulari diſciplina regebat Monaſterium, ſpiritali litterarum [a] diligentia provocatus elegit magiſterium, Fratrumque ſecum in domino viventium contubernia: ac ſic ſervorum Dei junctus conſortio, devotum Domino Deo ſervitium & laborioſam vigiliarum inſtantiam lectioniſque divinæ operam ingenti meditationis ſtudio exhibuit: ita ut maxima demum ſcripturarum eruditione, tam Grammaticæ artis eloquentia & metrorum medullatæ facundiæ modulatione, quam etiam hiſtoriæ ſimplici expoſitione, & ſpiritalis tripertita intelligentiæ interpretatione imbutus, dictandique peritia laudabiliter fulſit, ut etiam aliis demum paternarum exſtiterit pædagogus traditionum, & auctor magiſterii, qui & diſcipulus antea ſubjectorum eſſe non recuſavit.

* al. Nuiſcelle

* al. Vviberti

8. Quoniam ſacræ mos eſt converſationis, ut præferre ſe cæteris pertimeſcat, qui ſubjici aliis renuerit: quia & rectæ obedientiæ operam ſubjectis impendere non valebit, quam ſuperna Prælatis diſpenſatione juſte non exhibebit.

[a] Gregorius Papa II. in epiſtola quæ eſt inter Bonifacianas ordine 118. adfirmat, Bonifacium *ab infantia ſacras litteras didiciſſe.*

Digitized by Google

bit. Hanc enim ita omnibus in commune viventibus & maxime ſuo ſub regulari videlicet diſciplina Abbati monachica ſubditus obedientia præbebat, ut labore manuum quotidiano & diſciplinali officiorum adminiſtratione inceſſanter ſecundum præfinitam beati Patris BENEDICTI rectæ conſtitutionis formam inſiſteret, omnibuſque exemplum bene vivendi, in verbo & converſatione, in fide & caſtitate ſe præbens, ut omnes de fructu ejus perciperent; & ipſe omnium mercedis æternæ perciperet portionem. Sed & humilitatis quoque ejus & caritatis excellentiam ſolus qui occultorum eſt cognitor Deus, intimæ inſpectionis ſuæ conſideratione novit, qua omnes ſibi commilitones ſollerti cura ſubjunxerat, ut ab eis timori pariter haberetur & amori: & quem divina lectione haberent ſocium, mutuo apoſtolicæ admonitionis honore prævenirent ut patrem. Tantaque in eo affabilitatis erga Fratres & cœleſtis doctrinæ ſuccrevit magnitudo, ut rumore ſanctæ exhortationis ejus crebreſcente, fama multis per Monaſteria tam virorum, quam etiam Virginum Chriſti apertiſſime claruit. Quorum quidem quamplurimi virili ſexus robore confortati, & lectionis inſtantia incitati ad eum confluxere; & ſaluberrimæ ſcientiæ fontem potantes, numeroſa ſcripturarum volumina legendo recenſuere. Quibus ergo ſexus infirmioris imbecillitas inerat, & aſſidua pergendi abnegabatur facultas, tantæ ſibi ſapientiæ virum divini inſlante Spiritu amoris præſentari fecerunt: paginarumque tranſcurrentes ſeriem, cœleſti inſtanter ſcrutinio inhæſere, & ſacramentorum arcana myſteriorumque abdita jugiter meditabantur Quem ita ſuperna ſublevavit gratia, ut juxta egregii Prædicatoris exemplar & gentium Doctoris vocem, formam habens ſanorum verborum, in fide & dilectione JESU-CHRISTI ſollicite curans ſeipſum probabilem exhiberet Deo operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis.

AN.CHR. 754 5. Junii.

1. Tim. 2.

III. *Quod doctrinæ verbum omnibus præberet, & quod hanc non ſuo ante tempus arbitrio arripuerat.*

9. AD generalem ergo quotidianæ contemplationis ejus formam & diuturnam parſimoniæ continentiam ſermo a nobis aliquantiſper directus derivatur, ut per ſingulos quoſque adſcenſus ſublimia hujus ſancti viri opera propenſius compendioſa verborum raritate ſequamur, ſtudiumque vitæ per omnia venerabilis Bonifacii ſubtilius indagando proſequamur: ut & æqua libraminis moderatione exemplar nobis æternitatis, & potens fiat apoſtolicæ eruditionis norma, qui per Sanctorum exempla arduam cœleſtis intelligentiæ ſemitam feliciter ſcandens, ac prævium populis ducatum præbens, portam Domini Dei noſtri, quam Juſti intrabunt, ipſe ingreſſus aperuit, & ab infantia ſua uſque ad decrepitam ætatis ſenectutem præteritorum non mediocriter Patrum ſapientiam imitatus eſt, dum Prophetarum jugiter & Apoſtolorum verba ſtilo ſanctitatis conſcripta, & glorioſam Martyrum paſſionem nimirum apicibus litterarum inſertam, ſed & evangelicam Domini Dei noſtri traditionem quotidie commendabat memoriæ: & ſecundum Apoſtolum, ſive manducaſſet, ſive bibiſſet, ſive aliud aliquid egiſſet, laudis ſemper præconium & devotæ faſtigium jubilationis tam mente quam & ore perſolvebat Deo, juxta illud Pſalmographi: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.* In tantum enim ſcripturarum exarſit deſiderio, ut omni ſe intentione earum imitationi & auditioni ſæpius conjungeret: & quæ ob doctrinam populorum conſcripta ſunt, ipſe quippe mira eloquii diſertitudine & ſollertiſſima parabolarum adſertione efficaciter prædicando retexuit. Cui tale diſcretionis temperamentum inerat, ut & vigori oorreptionis manſuetudo, & vigor prædicationis manſuetudini non deerat. Sed quem zelus accenderat vigoris, manſuetudo mitigabat amoris. Divitibus ergo ac potentibus liberiſque ac ſervis æqualem ſanctæ exhortationis exhibuit diſciplinam, ut nec divites adulando demulceret, nec ſervos, nec liberos diſtrictione

1. Cor. 10.

Pſal. 33.

AN CHR. 754 5. Junii. 1. Cor. 9.

ne prægravaret: ſed juxta Apoſtolum, omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucrifaceret. Qui & doctrinæ cœleſtis documentum, non ſuo ante tempus arripuit arbitrio; nec obſtinationis ſuæ rapina uſurpatum adquiſivit: ſed ſanctæ humilitatis profectu, triginta aut amplius annorum habens ætatem, magiſteriali & familiari ſublevatus electione, juxta conſtitutionis regulam ſuſcepit, & ad ſacerdotalis officii gradum *a* diverſis donorum ditatus muneribus acceſſit, ita ut eleemoſynis quidem miſericordiæque operibus, quantum ſub regulari monaſterialique prævaluit diſtrictione, opere penitus ac voluntate deſerviret. Sed & nocturna vigiliarum ſpatia omnibus horis præveniens, orationis ſe ſollicitus laborioſa operatione exercuit: cujus nec patientiam ira ſubripuit, nec longanimitatem furor commovit, nec libido continentiam expugnavit, nec abſtinentiam gaſtrimargia violavit: ſed ita omni ſe jejunii frugalitate ſubjugavit, ut vinum & ſiceram bibens, utriuſque Teſtamenti
1. Cor. 9. imitaretur Patres, & cum egregio gentium diceret Doctore: *Caſtigo corpus meum & ſervituti ſubjicio, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.*

IV. *De eo quod ab omnibus Primatibus directus ſit ad Cent, & quod ad Freſiam pervenit.*

10. COLLECTA ergo ſparſim ſuperius ſublimitate ſancti hujus viri virtutum, ſilentio quæ ſubſequuntur minime prætermittenda æſtimamus, quæ & fidelium didicimus relatione virorum, & manifeſta equidem ſcripturæ patefactione exſerere curamus, quanta ſuarum perſeverantia virium & cœptis bonis inhæreret, & ad alia quæque feſtine properando animum incitaret. Cumque diutius mentem ſupra enumeratis virtutibus edomaret, & de die in diem ad altiora bonorum documenta ſub prædicto ſe presbyteratus gradu proveheret; jam regnante IN *b* Weſt-Saxonum Rege, ſubitanea quædam incubuerat nova quadam ſeditione exorta neceſſitas: & ſtatim ſynodale a Primatibus Eccleſiarum cum conſilio prædicti Regis ſervorum Dei factum eſt Concilium. Moxque omnibus in unum convenientibus, ſaluberrima de hac recenti diſſenſione conſilii quæſtio inter ſacerdotales eccleſiaſtici Ordinis gradus ſapienter exoritur, & prudentiori inito conſultu fideles in Domino legatos ad Archiepiſcopum Cantuariæ civitatis nomine BERCTWALDUM *c* deſtinandos deputarunt, ne eorum præſumtioni aut temeritati adſcriberetur, ſi quid ſine tanti Pontificis agerent conſilio. Cumque omnis Senatus & univerſus Clericorum ordo tam providenti peracta collatione conſentirent, confeſtim Rex cunctos Chriſti famulos allocutus eſt, & cui hujus præfatæ legationis nuntium imponerent, ſciſcitatus eſt. Tunc repente ſummus in Chriſto Archimandrita qui prædicto præerat Monaſterio, nomine WINBERCH, & WINTRA qui Monaſterio quod dicitur *Diſſelburg* præſidebat; & BEERWALD, qui divina Cœnobium gubernatione, quod antiquorum nuncupatur vocabulo *Gleſtingaburg d*, regebat; necnon & alii multi hujus ſancti propoſiti Patres, ſanctum hunc virum accitum adduxerunt ad Regem: cui & nuntium Rex & legationis notitiam impoſuit, & adhibitis ſecum ſociis direxit cum pace. Qui etiam nuntio ſibi impoſito juxta mandatum ſeniorum, proſpero itinere pervenit ad *Cent*, & Archiepiſcopo ſummi pontificatus infula prædito ſapienter cuncta, quemadmodum edoctus erat a Rege, per ordinem revelavit: & ſic ſpon-

a Bonifacius Presbyter ordinatus quotidie ſemel duntaxat ſacris operabatur, teſtante Vvalafrido Strabo in lib. de reb. eccleſ. cap. 22. nam alii nonnumquam ter id actitabant, eodem auctore.

b IN ſeu INÆ Occidentalium Saxonum Regis piiſſimi Elogium retulimus ſupra ad annum 730.

c Berthvvaldus Cantuarienſis Epiſcopus ex Abbate Benedictino, ſedit ab anno 693 ad 731. ex Bedæ lib. 5 cap. 9 & 24. de eo ad ann. 731.

d Id eſt Glaſtonienſe: ſic enim in tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 13. legitur: *Hemgislus Abbas* (Glaſtonienſis) *fato perfunctus, in vetuſta Eccleſia pauſam corporis ſuſcepit: cui ſucceſſit* BERWALDUS *anno gratiæ ſeptingenteſimo quinto. Rex Ina dedit ei viginti bidas*, &c. In charta donationis ab Ina factæ dicitur Kentvvinus Rex Glaſtingiæ *matrem Sanctorum* vocari ſolitus fuiſſe; & eam ab omni ſæculari & eccleſiaſtico obſequio immunem ſtatuiſſe, ac conceſſiſſe privilegium Fratribus eligendi Abbatem *ſecundum Regulam* S. BENEDICTI. Lege Vviethberti Presbyteri epiſtolam 53. inter Bonifacianas *ad Fratres Monaſterii Gleſtingaburg.*

Digitized by Google

ſpontaneo accepto reſponſo, poſt non multos dies reverſus eſt ad patriam, præfatoque Regi prædictis ſervis Dei ſecum adſiſtentibus, a venerabili Archiepiſcopo ſpontaneum ſcienter detulit reſponſum, & magnum univerſis contulit gaudium: ac ſic deinceps mira diſpenſationis Dei benevolentia nomen ejus diffamatum eſt, & celebre apud omnes tam ſæculares dignitates quam etiam eccleſiaſtici officii ordines habebatur, ita ut amodo jam proficiens in futurum, ſynodali ſæpiſſime eorum intererat inſtituto. AN.CHR. 754 5. Junii.

11. Sed quia mens Deo dicata favoribus non attollitur humanis, nec laudibus ſublevatur; cœperat ad alia multa ſollicitudinis cura attentius properare, & parentum affiniumque ſuorum conſortia devitare, & peregrina magis quam paternæ hereditatis terrarum loca deſiderare. Sed cum ſic longo temporis intervallo ſecum ſollertiſſime deliberaret, ut patriam parenteſque desereret; tandem accepto beatæ memoriæ prædicti Patris conſultu, cuncta animi ſui ſecreta intra conſcientiam antea abſcondita patenter aperuit, & magna precum inſtantia ad conſenſum ſuæ voluntatis ſancti viri animum provocavit. Qui etiam magna primitus admiratione obſtupefactus, poſcenti ſane ſupplicantique deſideratum ad tempus contradixit iter, ut cœpti propoſiti ſedaret induſtriam. Sed ad extremum invaleſcente omnipotentis Dei providentia, convaluit etiam ſermo potentis, & tanta Abbatis Fratrumque ſuorum ſecum ſub regulari diſciplina viventium devotione adoptatum inchoaverat iter, Dominoque Deo diſpenſante compleverat, ut ei etiam humani ſumptus ſolatia libenter impenderent, & magna cordis commotione lacrymarum diutius infuſiones, orationum ſupplicationes pro eo ad Dominum funderent. Hic etiam dum ſpirituali confortatus armatura, & ſæculari ſublimatus ſumtura, utriuſque vitæ ſtipendiis minime careret; adhibitis ſecum duobus aut tribus Fratribus, quorum corporali ſpiritualique indigebat ſuſtentaculo, profectus eſt: ac ſic immenſis peragratis terræ partibus, proſpero ovans Fratrum comitatu, pervenit ad locum ubi erat forum rerum venalium *a*, & uſque hodie antiquo Anglorum Saxonumque vocabulo appellatur *Lundenvic*: ac non multo tranſacto poſtliminio, nautarum navitor novus quidem epibata, conſentiente nauclero aggreſſus eſt navem, nauloque impenſo, proſpero ventorum flatu pervenit ad *Dorſtat b*; ibique aliquamdiu commoratus, debitum Domino Deo exſolvit die noctuque præconium. Sed quoniam gravi ingruente paganorum impetu hoſtilis exorta diſſenſio inter KAROLUM *c* Principem glorioſumque Ducem Francorum, & RATBODUM Regem Freſorum, populos ex utraque parte perturbabat, maximaque pars Eccleſiarum Chriſti quæ Francorum prius in Freſia ſubjectæ erant imperio, Ratbodi incumbente perſecutione ac ſervorum Dei facta expulſione, vaſtata erat ac deſtructa, idolorum quoque cultura exſtructis delubrorum fanis lugubriter renovata: tunc vir Dei perſpecta perverſitatis nequitia pervenit ad *Trecb*, ibique aliquantis exſpectatis diebus, advenientem Regem Ratbodum allocutus eſt, ut multis illarum circumvallatis ac conſpectis terrarum partibus, utrum ſibi in futurum prædicationis uſpiam pateſceret locus, perquireret: proponenſque animo, ut ſi qua in parte hujus populi Evangelium pateſceret aditus quo clareſceret, verbi quidem Dei ſemina miniſtraret. Quod etiam multis tranſactis annorum curriculis glorioſa martyrii teſtificatio comprobavit.

12. Sed quia Sanctorum ſingulorum ſingulare munus eſt ſanctitatis, dum ad tempus ſuum ſine ſpiritualis virore germinis laborem minimè pollentem perſpiciunt, ad alia prorſus loca fecunda laboris cum fructu migrant: quoniam incaſſum inhabitatur locus, ſi & fructus deeſt ſanctitatis. Sanctus enim

a Beda in lib. 2. Hiſt. cap. 3. Londoniam vocat *multorum emporium populorum terra marique venientium*. quæ urbs hoc loco ſignificatur. Idem auctor Londoniam dicit Metropolim orientalium Saxonum, *qui Thameſi fluvio*, inquit, *dirimuntur a Cantia, & ipſi orientali mari contigui*.

b Doreſtatum ſeu Doreſtadum opidum, vulgo *Vvic-Duerſtede* in Friſia, non ſemel a Normannis inſeſſum, ſitum eſt ad fluvium Lacam, *Lecbe*, paullo ſupra Trajectum inferius, hic a Vvillibaldo *Trecb* ſed *Trecbt*, modo *Vtrecbt*, appellatum.

c Hinc refutantur ii, qui primam Bonifacii in Friſiam profectionem anno 704. conſignant, tum quia Bervvaldus ſupra memoratus nondum eo anno erat Abbas Glaſtonienſis; tum quia Karolus Martellus vixdum infantiam exceſſerat, qui anno dumtaxat 716. cum Radbodo bellum gerere cœpit.

AN.CRR. 754 5. Junii. vir dum ſterilem aliquamdiu Freſorum terram inhabitaret; & æſtatis autumnique aliquantulum tempus præteriret; jam arida cœleſtis rore fecunditatis reliquerat arva, & ad natale ſuis ſecum ſupradictis conviatoribus ſolum migravit: ac Monaſterii ſui ſecreta petens, etiam ibidem, ſecundi ſiquidem anni hiemem, tripudiantium Fratrum amore ſuſceptus, hiemando tranſegerat *a*, ut Doctoris apoſtolicam gentium vocem imitaretur dicentis: *Ibi enim conſtitui biemare*. Tit. 3.

V. *Qualiter defuncto Abbate ſuo cum Fratribus aliquantum tempus commoratus eſt, & poſtea ad Romam cum commendatitiis Epiſcopi ſui litteris pervenit.*

13. TRANSCURSIS jam ex parte ſancti viri virtutibus, ſubſequentia ejus, quemadmodum rem rumigerulis referentibus geſtam comperimus, patenter proferimus: ut apertior in perpetuum vitæ morumque ejus ad normam ſanctæ converſationis illius tendentibus pateat callis. Cumque ingens peregrinationis exegiſſet diſcrimen, gurgitumque maris evaſiſſet diſpendium, & Fratrum ſuorum iterum reverſus ſe ſocietati dediſſet, eorumque contubernio dies deinde plurimos injunxiſſet; gravi demum mentis arreptus eſt mœrore & recenti oppreſſus animi triſtitia, dum ſenilia jam Magiſtri membra infirmari conſpiceret, extremumque adſtante Monachorum congregatione obitus ſui diem, languoris convaleſcente immenſitate, vibrando palpitandoque imminere, & tandem depoſito corporis ergaſtulo, ſub triſti mœrentium adſpectu Fratrum, ultimum efflare ſpiritum videret *b*. Quia in Sanctorum frequenter cordibus compaſſionis ſpecialiter condolens refulget pietas, qua ad tempus ſedulo ſolent contriſtari: ſed apoſtolico inhærentes præcepto in Domino jugiter conſolantur. Jam blande adorſus eſt Fratres, & ſpititualibus eos colloquiis memor paternæ traditionis hortatur, ut regularis jugiter conſtitutionis formam & eccleſiaſticæ definitionis normam in omnibus conſervarent, & ut Patris cujuslibet ſpiritualis ſe ſubjungerent imperio, inſtruxit. Tunc omnes unanimiter conſonis inſtabant vocibus, & ſanctum hunc virum, qui illo dicebatur in tempore WINFRID, cuncti precabantur, ut paſtorale ſuper eos Abbatis ſuſciperet Magiſterium. Sed refutatis mox patriæ facultatibus & primatu regiminis abjecto, ad prædeſtinata jam promtus ac paratus, ſollerti ſe cura excuſavit, omnemque heredum * ſubſtantiam abnegando renuit.

* al. proheredum

14. Cùm vero hibernale jam tempus præteriret, & calor æſtatis candeſceret, priſtinaque labentis anni renovaretur intentio; omni ſollicitudine iter omiſſum iterando renovare ſtuduit. Tunc litteris etiam commendatitiis a beatæ memoriæ DANIELE *c* ſpeculatore plebis Dei acceptis, ad limina Apoſtolorum Romam venire tentavit. Quem tamen reſiſtentium aliquamdiu Fratrum orbata Patris impedivit neceſſitas, caritaſque ejulantium ac compaſſio utrobique dolentium ad tempus obſiſtebat; ita ut magno quidem mentis angore premeretur, & in quam ſe verteret partem ignoraret. Metuebat enim ne grex magiſtro commiſſus, jam ſine vigilantis paſtoris cuſtodia eo decedente luporum morſibus pateret, & ut peregre proficiſcendi, autumnale ſibi deficeret tempus, formidabat. Cumque Omniporens ſolita non imemor pietatis ſuæ clementia, ſervum ſuum tanta animi preſſura perturbatum ex anxio vellet dolore eripere, & jucundum gregi providere magiſtrum; jam præfati Antiſtitis erga Fratres inteſtina facta eſt meditatio, & bonæ indolis virum nomine STEPHANUM huic præſidere fecit Eccleſiæ, & ſanctum hunc virum per longas

gas

a *Reliquit*, & infra *tranſegit*. Jam ſimiles loquendi modos obſervavimus in Vita S. Vvillibrordi apud Alcuinum, qui præterita pluſquam perfecti pro abſolutis non ſemel uſurpavit.

b Ad hanc Vvinberchti Abbatis Nuiſcellenſis ſeu Nutſcellenſis mortem non ſpectat epiſtola 17. S Bonifacii de obitu Vvigberti Abbatis, hauddubium Fritiſtarienſis, qui Bonifacio abſente (ut quidem in epiſtola exprimitur) deceſſerat: cum alter de quo hic ſermo, eo præſente ſpiritum emiſerit.

c Hic eſt Daniel occidentalium Saxonum Epiſcopus, qui teſte Beda in lib. 5. cap. 19. una cum Aldhelmo ſucceſſit Pecthelmo Epiſcopo, anno 705. eratque ſuperſtes anno 731. quo Beda hiſtoriam ſuam abſolvit.

gas peregrinationis vias ire volentem ad loca incolumem deſtinata direxit. Qui AN.CHR. 754
protinus quidem valedicens Fratribus profectus eſt, locumque per longa terrarum ſpatia, qui jam prædictus dicitur *Lundenvvic* *, voti compos adiit, & 5. Junii.
loci celeriter marginem ſcandens, cœpit ignotas maris tentare vias; tripudiantibuſque nautis, immenſa Coro flante carbaſa conſurgebant, & pleno vento
proſperoque curſu oſtia fluminis citius quod dicitur *Cuent a*, omni jam experte periculi naufragio adſpiciunt, & aridam ſoſpites terram perveniunt. Sed num. 11.
& caſtra metati ſunt in *Cuentavic*, donec ſuperveniens ſe collegarum multitudo congregaſſet; omnibuſque collectis, per ſingulos quoſque dies imminente hiemis frigore profecti ſunt, multaſque Sanctorum Eccleſias orando adierunt, ut tutius opitulante Altithrono Alpina montium juga tranſſcenderent, Longobardorumque erga illos humanitatem mitius ſentirent, militumque malitioſam ſuperbiæ ferocitatem facilius evaderent. Cumque Sanctorum ſuffragante patrocinio & Domino Deo diſpenſante, omnis quippe cohors contubernalium comitatui hujus ſancti viri inhærens, limina B. Petri Apoſtoli proſpere aggreſſus eſt, immenſas ſtatim Chriſto pro ſoſpitate eorum grates perſolvunt, atque Eccleſiam S. Petri Principis Apoſtolorum magno cum gaudio ingreſſi, abolitionem peccaminum poſtulantes, diverſa quidem munera eorum quamplurimi detulerunt. Tranſactis autem diebus non multis ſanctus iſte vir venerabilem Sedis apoſtolicæ Papam beatæ memoriæ GREGORIUM a primo ſecundum, & noviſſimo priorem affatus, (qui & vulgarica Romanorum lingua dicitur Junior) omnem ſibi per ordinem itineris ſui atque adventus occaſionem manifeſtavit; & quali anxius deſiderio diutius deſudaſſet aperuit. Sanctus itaque Papa repente hilari vultu, arridentibuſque oculis intuitus in eum, inquiſivit an litteras ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet. At ille etiam exemto pallio chartam ex more involutam *b*, litteraſque protulit, deditque mirabili ſanctæ recordationis viro: qui ſtatim acceptis litteris annuit ei ut abiret. Apoſtolicus vero Papa perlectis litteris & recenſita commendatitiæ conſcriptionis charta, ſedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ diſputationis colloquium, donec proficiſcendi redeundique æſtivum inſtaret tempus.

VI. *De ejus reditu ex Roma, mandato Papæ; & quid in Turingia, Francia & Freſia prædicando effecerit: & de geſtis cum* WILLIBRORDO *Epiſcopo.*

15. CUM vero Niſan menſis, qui eſt Aprilis, præteriret; & Jair, qui eſt Majus, jam portæ pateſcerent; tunc etiam poſtulata atque accepta benedictione & litteris *c* a beatiſſimo Papa, ad inſpiciendos immaniſſimos Germaniæ populos directus eſt, ut an inculta cordium arva evangelico arata vomere, prædicationis ſemen recipere voluiſſent * conſideraret. Ac ſic extemplo * vellent
collecta numeroſa Reliquiarum multitudine, reciproco ſuorum reditu conſervorum Italiæ fines adiit, optimumque Longobardorum Regem LIODOBRANDUM * pacificis ſalutatum muneribus compellavit, & honorifice ab eo ſuſceptus, laſſata ex itinere membra repauſabat: ac ſic remuneratus, ardua ac *Liutprandum
plana agrorum peragrans ſpatia, prærupta Alpium juga tranſſcendit: incognitoſque Bajoariorum & confines Germaniæ terminos aggrediens, in Turingiam juxta mandatum apoſtolicæ Sedis conſiderando progreſſus eſt, ad inſtar videlicet prudentiſſimæ apis, quæ ſuctim camporum circumvolat arva, & numeroſam redolentium herbarum copiam pennigeris molliter perſtrepens alis circumvolat, carpentique roſtro pertentat melliflua, ubi nectaris latet dulcedo,

&

a Quantiam ſcilicet fluvium in Morinis Galliæ populis ad Britannicum fretum, vulgo *la Canche* appellatum, a quo Quentavvicus portus denominatus, modo Stapulæ, *Eſtaples*, dictus.

b Binas ergo litteras a Daniele acceperat Bonifacius, unas quidem *involutas*, id eſt ſigillatas, ad Gregorium Papam; alias encyclicas, & apertas ad omnes Chriſtianos. quarum illæ exciderunt, hæ inter Bonifacianas ordine 33 reperiuntur. Scripſit & ipſe Bonifacius epiſtolas tres ad Danielem, cujus itidem epiſtolam refert Serarius in Notis ad epiſtolam 3.

c Exſtant hæ litteræ datæ *Idibus Maji, anno tertio imperii Leonis Auguſti, Indict. II.* quæ notæ chronologicæ anno 719. reſpondent.

AN.CHR. 754 5. Junii. & ſuis eam omni penitus mortiferi ſucci amaritudine contemta, alveariis invehit, & ſecundum quamdam apoſtolicæ ratiocinationis eloquii ſimilitudinem, omnia probat, & quod bonum eſt tenet.

16. Sanctus itaque vir Dei in Turingia juxta inſitum ſibi mandatum apoſtolici Pontificis, Senatores, denique plebis totius populi Principes verbis ſpiritualibus affatus eſt, eoſque ad veram agnitionis viam & intelligentiæ lucem provocavit, quam olim ante maxima ſiquidem ex parte pravis ſeducti Doctoribus perdiderunt. Sed & Sacerdotes & Presbyteros, quorum alii religioſo Dei omnipotentis cultu incaluerunt; alii quidem fornicaria contaminati pollutione, caſtimoniæ continentiam, quam ſacris ſervientes altaribus ſervare debuerunt, amiſerant; ſermonibus evangelicis, quantum potuit, a malitiæ pravitate ad canonicæ conſtitutionis rectitudinem correxit, admonuitque atque inſtruxit. Et Franciam deinde Fratribus ſecum commeantibus ingreſſus eſt: ſtatimque audita RATBODI *a* Freſorum Regis morte, alveum quidem fluminis magno gaviſus gaudio navigio adſcendit, optans quod etiam Freſia recepiſſet verbum Dei, & ad incultas cœleſti prædicatione terras pervenit. Jamque atrocis ceſſante Regis Ratbodi perſecutione, doctrinæ cœleſtis ſemina miniſtravit, & verbi Dei fame expulſa famelicam paganicæ ſuperſtitionis multitudinem æternæ prædicationis refecit pabulo. Cumque deſiderantis repente mentem ſpontaneus operis ſequeretur effectus, & votiva prædeſtinatæ doctrinæ lux Domino Deo diſpenſante clareſceret, KAROLIque Ducis glorioſi ſuper Freſones roboratum eſſet imperium; jam buccina cœleſtis verbi increpuit, & prædicatorum adveniente ſuperni roris fertilitate vox intonuit Dei: etiam per WILLIBRORDUM virum venerabilem ac cooperatores ejus propagatus eſt ſermo. Sed quia meſſem quidem multam, operarios autem paucos ineſſe cernebat, ſanctus hic Dei famulus cooperator factus etiam eſt per tres *b* inſtanter annos Willibrordi Archiepiſcopi: multumque in Chriſto laborans, non parvum Domino populum deſtructis delubrorum fanis & exſtructis Eccleſiarum Oratoriis præfato Pontifice opitulante adquiſivit.

17. Cum vero ſummus hic ſenuiſſet Pontifex, & ætatis plurimis gravaretur annis; decrevit etiam ſuggerente diſcipulorum cœtu, ut ſolatium tanti miniſterii ſuæ decrepitæ ſenectuti provideret, & fidem de parva congregatione virum eligeret, qui tanto præeſſe potuiſſet populo. Accitoque hoc famulo, ſalutari eum inſtructione admonuit, ut epiſcopalis regiminis ſuſciperet gradum, & ad regendum Dei populum ſibi ſubveniret. Qui etiam humiliter repente reſpuens, minime ſe dignum eſſe Epiſcopatus gradu referebat, & ne ſibi tantæ dignitatis faſtigium adoleſcentiæ *c* adhuc in annis conſtituto imponeret deprecatus eſt; & quoniam quinquageſimi anni *d*, juxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plene reciperet ætatem, teſtatus eſt, ut omni ſe penitus excuſationis tergiverſatione ab hujus gradus celſitudine declinaret. Prædictus itaque tam ſancti præconii Pontifex, placidis illum verbis increpavit, & diligenti eum cura ad hujus propoſiti gradum inſtigavit, populique ſubjecti maximam

---

a Radbodi Friſonum Ducis mors contigit eodem quo Bonifacii reditus ex Urbe anno, Chriſti ſcilicet 719. ex modo notatis. De hac Radbodi morte *Bonifacio Presbytero* gratulatur Bugga ſeu Eadburga Abbatiſſa epiſtola 35. inter Bonifacianas. in qua mentionem facit revelationis Bonifacio factæ de futura meſſe ipſius apud Germanos; & libri de paſſionibus Martyrum, quem Bonifacius Martyr ipſe futurus ſibi tranſmitti petierat.

b Tredecim annos ſcribunt S. Liudgerus in Vita S. Gregorii Trajectenſis Abbatis, Hucbaldus in Vita S. Lebuini, Johannes de Beka in Chronico, & ſi qui alii. At *tres annos* dumtaxat legendum eſſe perſuadent tum Othlonus lib. 1. Vitæ S. Bonifacii cap. 11. tum pontificatus Gregorii Papæ ſecundi, a quo S. Bonifacium anno 723. hoc eſt poſt quatuor annos quam in Germaniam ab eodem directus fuerat, ordinatum fuiſſe, ex ſequentibus manifeſtum eſt.

c Hinc apparet falli eos, qui Bonifacium anno Chriſti 670. natum exiſtimant: alias anno 720. quo evangelicæ prædicationi cum S. Vvillibrordo operam dare cœpit, in adoleſcentiæ annis conſtitutus dici non poſſet. Quamquam ſane jam virilem ætatem attigerat, qui ante Sacerdos fuerat ordinatus anno ætatis trigeſimo.

d Nullæ eccleſiaſticæ leges vetant, Epiſcopum ante annum ætatis quinquageſimum ordinari, bene ante trigeſimum. Bonifacius ſpectare videtur ad illud. Num. cap. 8. verſ. 24. *Hæc eſt lex Levitarum. A viginti quinque annis & ſupra. ingredientur ut miniſtrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquageſimum annum ætatis impleverint, ſervire ceſſabunt, eruntque miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis, ut cuſtodiant quæ ſibi fuerint commendata.* Certe Gregorius Magnus lib. 2. iſtuc reſpexit, dum per Moyſen ait eſſe præceptum in Exodo, (lege in Numeris) *ut Levitæ a viginti quinque annis & ſupra miniſtrare debeant, ab anno vero quinquageſimo cuſtodes vaſorum fiant*: idque Paſtoribus applicat. In Vita Silveſtri Papæ locus exſtat, qui huic verſui explicando aptari poteſt.

Digitized by Google

mam magnopere paupertatem prædicebat. Sed cum neque ſic correptus ad ſuſcipiendum hujus celſitudinis gradum conſentiret, jamque per longas tricationum moras ſpiritualis inter eos exorta contentio, & conſona pulcræ diſcretionis facta eſt diſſenſio. Hic vero grandi præventus humilitate, tanti gradum contradixit honoris; ille autem piiſſimi appetitu lucri irretitus, ſalutem concupivit animarum. Cumque ſic diverſa jam ſermocinationum verba invicem protuliſſent; ſanctus hic Dei ſervus, velut in ſpirituali quodam ſtadio poſitus, „ placide prorſus excuſationis exſerens ſermonem ait: O ſummæ ſanctitatis „ Pontifex, o ſpiritualis Proreta agonis, ego enim a beato ſanctæ recorda„ tionis GREGORIO Papa Germanicis mandatum gentibus detuli: ego a„ poſtolicæ Sedis legatione fungens, ad occidentales Barbarorum regiones ſpon„ te tuæ me dominio gubernationis injunxi; & propriæ voluntatis arbitrio, „ ignorante Dominorum ſublimatu copulavi, quorum uſque in hodiernum „ diem ſponſionis voto conſtrictus ſum, ſervituti atque ſubjectus. Quapro„ pter ſine apoſtolicæ Sedis conſultu & authenticæ juſſionis mandato tam „ præclaræ ſublimitatis ordinem ſuſcipere non audeo. Sed & alia quæque „ rationabili petitionis ſupplicatione verba proferebat, dicens: Obſecro igi„ tur, ut me propriæ ſponſionis vinctum catenis ad has ad quas primitus a Sede apoſtolica miſſus ſum terras, deſtinando dirigas. Cui protinus vir Dei audita tantæ profeſſionis cauſa, data ei benedictione licentiam dedit abeundi. Qui etiam ſtatim proficiſcens, pervenit ad locum cui nomen inſcribitur *Amanaburcb*, juxta Apoſtolum enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam adſecutus eſt. AN.CHR. 754 5. Junii.

VII. *Quomodo Saxonum & Heſſorum populos convertit, & de geſtis ſuis nuntium Romam miſit; eodemque mox evocatus, cum Papa collocutus eſt.*

18. PER ſingulos enim a procemio gradus, virtutis documenta & laboris in Domino conſtantiam hujus ſancti viri perſtrinximus, ut ſequentia ſubtilius bonorum ejus exempla conglobatim ad memoriam revocemus. Cumque ingentem Domino populum in Freſonibus adquireret, multique ab eo ſpirituali doctrina edocti ad agnitionem veritatis irradiantibus veræ lucis radiis pervenerunt. Tunc quippe Domino patrocinante alias Germaniæ prædicandi cauſa partes adiit, & ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, DETDIC videlicet & DIEROLF, Domino auxiliante obtinuit; eoſque a ſacrilega idolorum cenſura, qua ſub quodam Chriſtianitatis nomine male abuſi ſunt, revocavit, ac plurimam populi turbam recte patefacta intelligentiæ via, errorum depoſito horrore, a malevola gentilitatis ſuperſtitione retraxit, & Monaſterii collecta ſervorum Dei congregatione Cellam conſtruxit. Similiter & juxta fines Saxonum, Heſſorum populum paganicis adhuc ritibus oberrantem, a dæmoniorum, evangelica prædicando mandata, captivitate liberavit, multiſque millibus hominum expurgata paganica vetuſtate baptizatis.

19. Idoneum quippe nuntium ad fidelem ſuarum litterarum portitorem nomine BINNAN Romam direxit, Patrique venerabili apoſtolicæ Sedis Pontifici, univerſa quæ circa illum Domino dante facta ſunt, muta quidem littera miniſtrante per ordinem revelavit, quod magna multitudo hominum divino illuſtrante Spiritu regenerationis perciperet Sacramentum, manifeſtavit. Sed & de rebus, quæ ad quotidianam Eccleſiæ Dei neceſſitatis populique proventum pertinebant, plura ob conſilium Sedis apoſtolicæ interrogando conſcripſit. Cum enim aliquantos dies præfatus hic nuntius prædicto maneret loco & jam reditus ſui tempus inſtaret, tunc etiam a præfato Sedis apoſtolicæ Pontifice, mutuum legationis ſuæ reſponſum accepit; & ſtatim reverſus chartam Sedis apoſtolicæ conſcriptionis jam non multo tranſacto tempore magiſtro attulit.

20. Cum.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5.Junii.

20. Cumque ſanctus vir allatas legiſſet litteras, carptim ſe invitatum ad Romam intellexit, feſtinuſque ſummum obedientiæ gradum implere tentavit, clientumque confeſtim ſtipatus caterva & Fratrum circumſeptus agmine, Francorum ac Burgundionum Italiæque jam collibus Alpium tranſſcenſis, limitum fines militumque terminos tranſmigravit: & Romanæ urbis mœnibus conſpectis, Altithrono repente condignas gratiarum laudes rependit, & ad B. Petri mox Eccleſiam perveniens, diligenti ſe oratione munivit. Cumque laſſata membra paulliſper quieviſſent, jam B GREGORIO apoſtolicæ Sedis Pontifici nuntiatum eſt, quod hic Dei famulus adveniret. Qui etiam bene ſuſceptus in xenodochium adductus eſt. Adveniente itaque opportuno collocutionis eorum die, & ad baſilicam B. Petri Apoſtoli adventante glorioſo Sedis apoſtolicæ Pontifice, confeſtim hic Dei famulus invitatus eſt: & cum paucis adinvicem ac pacificis ſe ſalutaſſent verbis, jam de Symbolo & Fidei eccleſiaſticæ traditione apoſtolicus illum Pontifex inquiſivit. Cui mox hic vir Dei humiliter reſpondit dicens: Domine Apoſtolice, novi me imperitum jam peregrinus veſtræ familiaritatis ſermone: ſed quæſo ut otium mihi & tempus conſcribendæ Fidei mihi concedas, & muta tantum littera meam rationabiliter Fidem adaperiat. Qui etiam protinus conceſſit, & ut feſtine hanc ſcripturam deferret imperavit. Cum aliquanto temporis evoluto ſpatio ſanctæ Trinitatis Fidem urbana eloquentiæ ſcientia conſcriptam detuliſſet, reddidit Præfato Pontifici. Exſpectavit quippe nihilominus dies aliquos, ſic ſaltem reinvitatus eſt: & Lateranum inductus, humiliter prono vultu poſtulata benedictione, pedibus apoſtolici Pontificis advolutus eſt. Quique repente eum relevavit a terra, & chartam in qua integra & incorrupta Fidei patuit veritas, huic famulo Dei reddidit, eumque conſedere fecit, & ſalutari eum admonitione doctrinæ inſtruxit, ut hanc ſine intermiſſione intemeratam Fidei munitionem obſervaret, & aliis inſtanter ſuarum pro poſſibilitate virium prædicaret. Multa quoque alia de religione ſanctitatis & Fidei veritate ſciſcitando profert; ita ut omnem pene diem pariter colloquendo alternatim ducerent, & ad extremum qualiter populi per devia prius facinorum oberrantes, Fidei documenta ſua prædicatione perciperent ſciſcitatus eſt.

21. Et cum pro certo comperiſſet, quod maximam quidem multitudinem plebis a ſacrilega dæmonum cultura ad conſortium ſanctæ Eccleſiæ adſciſceret, intimavit ei, quia Epiſcopatus ſibi imponere gradum voluiſſet *, populis paſtorali prius ſollicitudine privatis, & juxta ſententiam Domini Dei noſtri jacentibus, ſicut oves non habentes paſtorem, præferre. Sed quia contradicere huic tanto Pontifici apoſtolicæ Sedis prælato non auderet, conſenſit etiam & obedivit. Sicque ſummus ſanctæ auctoritatis Pontifex diem conſtituit ordinationis, id eſt pridie Kalendarum Decembrium *a*. Cumque ſacroſanctus ſollemnitatis dies & natalitius Andreæ & præfinitæ ordinationis illuxiſſet, jam ſacer Sedis apoſtolicæ Pontifex Epiſcopatus ſibi & nominis *b*, quod eſt BONIFACIUS, impoſuit dignitatem, eique libellum in quo ſacratiſſima eccleſiaſticæ conſtitutionis jura pontificalibus geſta ſunt conventibus, accommodavit: & ut ex hoc inconvulſa apud ſe pontificalis hæc diſciplina & inſtitutionis ordo permaneret, populique ſubjecti his imbuantur exemplis imperavit; ſed & familiaritatem ſanctæ Sedis apoſtolicæ tam ſibi quam omnibus ſibi ſubjectis ex hoc in futurum condonavit; & KAROLI Ducis

* vellet

a Nimirum Leonis Imperatoris anno VII & Conſtantini ejus filii anno IV. Indict. VI. ut fidem faciunt tum profeſſio fidei S Bonifacii, tum litteræ Gregorii Papæ inferius ab Othlono referendæ: proindeque anno Chriſti 723. Hinc conſpicuum eſt Bonifacium, non annos tredecim, ſed tres dumtaxat cum S. Vvilibrordo collaboraſſe in evangelico negotio; & a Gregorio II. non III. fuiſſe ordinatum: id quod etiam ex ſequenti num. 25. conſtat.

b Jam ante ordinationem ſuam Vvinfridus nomen habebat BONIFACIUS, ut conſtat ex epiſtola Gregorii Papæ II ab Othlono relata lib. I. cap. 9. *data Iidbus Maji*, *anno tertio imperii Leonis*, *Indict ſecunda*, id eſt anno 719. quæ tamen epiſtola *Bonifacio religioſo Presbytero* inſcripta eſt. Exſtat & alia Buggæ Abbatiſſæ eodem anno directa BONIFACIO *ſive* WINFREDO *digniſſimo Dei Presbytero*: quæ epiſtola inter Bonifacianas eſt 35.

Digitized by Google

Ducis glorioſi ſuis ſacratiſſimis litteris regni munimine ac devotione ſanctum hunc virum Epiſcopatus gradu pollentem ſubjugavit. AN.CHR. 754 5. Junii.

VIII. *Quomodo Roma diſcedens* KAROLUM *Francorum Ducem adiit, & quid in Heſſis & poſtea in Turingia prædicando effecit. De Tyrannis & depravata Religione in eadem provincia. De nuntiis iterum Romam miſſis & duobus ædificatis Monaſteriolis.*

22. IS autem dum per longos viarum anfractus ingentium populorum adiſſet confinia, jam quidem ad præfatum Francorum Principem venit, & venerabiliter ab eo ſuſceptus, litteras prædicti Romani Pontificis Sediſque apoſtolicæ Karolo Duci detulit, ejuſque dominio ac patrocinio *a* ſubditus, ad obſeſſas antea Heſſorum metas cum conſenſu Karoli Ducis rediit. Tum vero Heſſorum jam multi catholicæ Fidei ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritus gratia confirmati, manus impoſitionem acceperunt. Et alii quidem necdum animo confortati, intemeratæ Fidei documenta integre recipere renuerunt; alii etiam lignis & *b* fontibus clanculo, alii autem aperte ſacrificabant. Alii vero aruſpicia & divinationes, præſtigia atque incantationes occulte, alii quidem manifeſte exercebant. Alii quidem auguria & auſpicia intendebant, diverſoſque ſacrificandi ritus incoluerunt; alli etiam quibus mens ſanior inerat, omni abjecta gentilitatis profanatione nihil horum commiſerunt. Quorum conſultu atque conſilio arborem quamdam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellatur ROBUR-JOVIS, in loco qui dicitur Gicesmere *c*, ſervis Dei ſecum adſtantibus ſuccidere tentavit. Cumque mentis conſtantia confortatus arborem ſuccidiſſet, magna aderat copia paganorum, qui & inimicum deorum ſuorum intra ſe diligentiſſime devotabant *. Sed ad modicum quidem arbore præciſa, confeſtim immenſa roboris moles divino deſuper flatu exagitatur, & palmitum confracta culmine corruit, & quaſi ſuperni nutus ſolatio in quatuor etiam partes dirupta eſt, & quatuor ingentis magnitudinis æquali longitudine trunci, abſque Fratrum labore adſtantium apparuerunt. Quo viſo prius devotantes pagani, & jam verſa vice benedictionem Domino priſtina abjecta maledictione credentes reddiderunt.

* id eſt diris devovebant

23. Tunc autem ſummæ ſanctitatis Antiſtes conſilio inito cum Fratribus, ligneum ex ſupradictæ arboris metallo Oratorium *d* conſtruxit, illudque in honorem S. Petri Apoſtoli dedicavit, atque univerſis quæ prædiximus completis & ſuperno ſuffragante nutu peractis, ad Turingiam *e*, profectus eſt, & ſeniores plebis populique Principes affatus eſt, eoſque relicta ignorantiæ cæcitate ad acceptam dudum Chriſtianitatis *f* Religionem iterando provocavit, quia fatiſcente * ſuorum Regum dominio, magna quidem eorum comitum multitudo ſub THEOBALDI & HEDENIS * periculoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici ducatus & infeſtum vaſtationis potius quam devotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præventa morte, vel hoſti-

* l. faceſſante
* al. Bedenis

a Othlonus Gregorii Papæ ad Karolum Ducem litteras refert lib. 1. cap. 16. Karoli vero litteras quibus Bonifacium in ſuum mundeburdium & defenſionem admittit, legeſis inter Bonifacianas epiſtolas ordine 32.

b Huc ſpectat Tacitus in lib. de Germanis: *Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant. Auſpicia ſorteſque ut qui maxime obſervant.* Et Agathias in lib. 1. de bello Gothico: *Arbores quaſdam adorant, nec ſecus & fluminum aquas*, &c.

c Eſt Geiſmaria in Haſſia inferiore vicus quondam, urbs modo novitiis impurata opinionibus, quæ ab Servato Lupo Vvigbertinæ Vitæ cap. 20. vocatur illa *Geiſmari*, & ad Schonenbergenſem hodie toparchiam ſpectat. Sic fere Nicolaus Serarius in rerum Moguntinarum lib. 3.

d Excrevit procedente tempore ſacra hæc ædicula in peramplam ac perinſignem ædem, prout etiam hodie cernere eſt, inquit Serarius; ſed quæ ab heterodoxis occupatur.

e Antequam Turingiam penetraret Bonifacius, alia idola proſtraviſſe dicitur: nimirum in Eiſchffeldia (quæ ditio eſt inter Haſſiam & Turingiam) STUFONEM in monte Stuffonio, ubi ædes S. Martino ſacta, etiamnunc a Fidelibus voti cauſa frequentata; RETTONEM in Hildeſheimenſi ditione; in Bielis Montanis Turingiæ proximis BIELEM; aliaque, de quibus Letznerus Lutheranus in ſuo Karolo Magno cap. 19. copioſe agit.

f Nempe Turingia a Theodorico Chlodovei Magni filio ſubacta, etiam Chriſtianas leges ſuſceperat, teſte Gregorio Turonico Epiſc. in lib. 3. cap. 4. 7. & 9.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

hoſtili ſiquidem eductione captivata eſt; in tantumque diverſis conſtricta malis, ut cetera quæ manebat reſidua populi turba, Saxonum ſe ſubjiceret principatui. Quo ceſſante religioſorum Ducum dominatu, ceſſavit etiam in eis Chriſtianitatis & Religionis intentio, & falſi ſeducentes populum introducti ſunt fratres, qui ſub nomine Religionis maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt ſectam: ex quibus eſt TORCHTWINE & BERCHTHERE, EANBERCHT & HUNRED, fornicatores & adulteri, quos juxta Apoſtolum Dominus judicavit. Hi validiſſimum adverſus hominem Dei excitaverunt conflictum: ſed veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam reprehenſionis ſortiti ſunt ſententiam. Cumque renovatus per populum Fidei illuxiſſet candor, & plebs ab ingenti erroris erepta eſſet laqueo; jam expulſis profani hoſtis amicis, & infeſtis populi ſupradictis ſeductoribus, meſſem quidem multam cum paucis admodum meſſoribus incoluit, & magnam primitus mundi hujus penuriam ac frugalitatem ſuſtinuit, magniſque tribulationum anguſtiis coarctatus, verbi Dei ſemina propagavit. Sed cum credentium paullatim polleſceret multitudo, prædicatorum quoque multiplicatus eſt & catalogus.

24. Tunc etiam Eccleſiæ repente inſtaurantur, & prædicationis ejus doctrina multiformiter emanavit; Monaſteriumque congregata ſervorum Dei unitate & Monachorum ſanctitate conſtructum eſt in loco qui dicitur *Ordorp* a, qui propriis ſibi more apoſtolico manibus victum veſtitumque inſtanter laborando adquiſierunt. Sicque ſanctæ rumor prædicationis ejus diffamatus eſt, in tantumque inolevit, ut per maximam jam Europæ partem fama ejus perſtreperet; & ex Britanniæ partibus ſervorum Dei plurima ad eum tam Lectorum quam etiam Scriptorum, aliarumque artium eruditorum virorum congregationis conveniret multitudo. Quorum quippe quamplurimi regulari ſe ejus inſtitutioni ſubdiderunt, populumque ab erraticæ gentilitatis profanatione plurimis in locis evocavere: & alii quidem in provinciam Heſſorum, alii etiam in Turingiam diſperſi, late per populorum pagos ac vicos verbum Dei prædicabant.

25. Cumque ingens utriuſque populi multitudo Fidei ſacramenta multis millibus hominum baptizatis perciperet, jam defuncto beatæ memoriæ GREGORIO ſecundo Sedis apoſtolicæ Papa, & glorioſo præfatæ Sedis GREGORIO Juniore apoſtolici culminis cathedram præſidente, denuo Romam nuntii ejus venerunt, ſanctumque Sedis apoſtolicæ Pontificem allocuti ſunt, eique prioris amicitiæ fœdera, quæ miſericorditer ab anteceſſore ſuo S. Bonifacio ejuſque familiæ collata ſunt, manifeſtaverunt. Sed & devotam ejus in futurum humilitatis apoſtolicæ Sedi ſubjectionem narraverunt; & ut familiaritati ac communioni ſancti Pontificis atque totius Sedis apoſtolicæ ex hoc devote ſubjectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur. Statim ergo ſanctus Sedis apoſtolicæ Papa pacificum profert reſponſum, & ſuam Sediſque apoſtolicæ familiaritatem & amicitiæ communionem tam S. Bonifacio, quam etiam ſibi ſubjectis condonavit, ſumtoque Archiepiſcopatus *b* Pallio, cum muneribus diverſiſque Sanctorum Reliquiis legatos honorifice remiſit ad patriam.

26. Advenientibus ergo nuntiis, ac ſpontanea viri apoſtolici referentibus reſponſa, jam gratulabundus apoſtolicæ Sedis nimium confortatus devotionis ſuffragio, opeque divinæ miſericordie inſpiratus, duas videlicet Eccleſias Domino fabricavit, unam quippe in *Fridiſſar* c, quam in honorem Sanctorum Petri & Pauli Principis Apoſtolorum conſecravit; & alteram in *Hamanaburcb:* hanc

a Ordorpenſe, ſeu Ordorffenſe, Monaſterium Ordinis S. Benedicti in Turingia ad Oraham ſeu Oram fluvium, haud longe ab Erfurt opido, qua occaſione in S. Michaelis honorem a S. Bonifacio dedicatum fuerit, diſcimus ex Othloni lib 1. cap. 23. Iſti Monaſterio aliquamdiu jubente Bonifacio præfuit S. Vvigbertus Abbas Fritislarienſis ex Vitæ cap. 6.

b De archiepiſcopali dignitate Bonifacio collata legeſis adnotata in Othloni lib. 1. cap. 36. & 37.

c De Fritislarienſi Monaſterio ſuperius ad Acta S. Vvigberti Abbatis Anno 747. actum eſt. De Hamanaburgenſi, ſive id ſitum fuerit eo in loco ubi nunc Homburguma Fritislaria non multum diſtans; ſive Amelburgum Marburgo vicinum; nihil dicendum occurrit.

hanc etiam in honorem S. Michaelis Archangeli dedicavit. Duo quoque Monaſteriola duabus injunxit Eccleſiis, hiſque non minimam ſervientium Deo multitudinem ſubrogavit: ita ut uſque hodie gloria & benedictio & gratiarum actio Domino Deo devote conferatur. Hiſque omnibus rite confectis, Bajoariorum, temporibus HUCPERTI * Ducis, adiit terras, prædicationiſque ſtudium apud eos diligentiſſime exercuit, & multas conſiderando circuit Eccleſias: tantoque divinæ fortitudinis zelo armatus eſt, quod quemdam ſchiſmaticum hæretica pravitate deceptum, nomine EREMWLFUM *, juxta Canonum decreta damnavit atque abjecit, & populum a perverſæ ſectæ ejus idololatria correxit, & ad Fratres ſuæ diœceſis conſtituta gubernationis cauſa rurſus migravit juxta illud Apoſtoli, cupiditatem habens veniendi ad Fratres.

AN.CHR. 754 5. Junii.

* lege Acta S.Rudberti ad ann.717.

* al. Heremvvlfum

Rom. 15.

IX. *De tertia ejus Romam itione, & quomodo in reditu ad* ODILONEM *Bajoariorum Ducem invitatus divertit, & quatuor in Bajoariis Epiſcopatus erexit: ac in Francia ſub Karlomanno & Pippino Ducibus celebratis Synodis orthodoxam Religionem reſtauravit.*

27. IGitur hujus viri aliquantiſper meritorum documentis excerptis, quanto ſe religionis regimine per cunctos ætatis ſuæ gradus indeſinenter rexerit, brevi videlicet proferamus ſermone. Quoniam quidem diutinus Sanctorum uſus eſt, ut quotidie aliorum per exempla ad meliora ſe provehant, & decreſcente dierum calculo, creſcat in eis etiam intimi virtus amoris. Cumque Eccleſiarum eſſet minima in Heſſis & Turingia multitudo exſtructa, & ſingulis ſinguli providerentur cuſtodes; tum etiam tertio propter familiarem ſancti apoſtolici Pontificis totiuſque Clericatus communionem, diſcipulorum comitante cœtu Romam venit, ut apoſtolici videlicet Patris ſalubri frueretur colloquio, & Sanctorum ſe jam ætate provectus orationibus commendaret. At ubi poſt immenſam itineris vaſtitatem domno Apoſtolico GREGORIO Juniori ſecundo *a* præſentaretur, benigne ſuſceptus eſt ab eo, tantaque a cunctis tam Romanis quam etiam advenis veneratione habebatur, ut multi ad ſalutarem ejus doctrinam confluerent. Francorum enim & Bajoariorum, necnon ex Britannia advenientium Saxonum, aliarumque provinciarum, ingens ſedulo ejus admonitioni adhærebat multitudo.

28. Cumque non minimum anni ſpatium in his moraretur regionibus, & Sanctorum peragrando atque orando circuiſſet Reliquias; tunc quippe reſalutato venerando viro ac Sedis apoſtolicæ Pontifice, cum muneribus & Reliquiis Sanctorum honorifice ditatus remeavit: Italiamque perveniens, Ticenæ * urbis ingreſſus mœnia, apud honorandum Longobardorum LIODBRANDUM Regem jam ſenio feſſis membris requieſcebat: & recedens non ſolum invitatus Bajoariorum ab ODILONE Duce, ſed & ſpontaneus viſitavit incolas, manſitque apud eos diebus multis, prædicans & evangelizans verbum Dei, veræque Fidei ac Religionis ſacramenta revocavit, & deſtructores Eccleſiarum populique perverſores abigebat. Quorum alii pridem falſo ſe Epiſcopatus gradu prætulerunt, alii etiam presbyteratus ſe officio deputabant; alii hæc atque alia innumerabilia fingentes, magna ex parte populum ſeduxerunt. Sed ſanctus vir jam Deo ab infantia deditus, injuriam Domini ſui non ferens, ſupradictum Ducem cunctumque vulgus ab injuſta hæreticæ falſitatis ſecta & fornicaria Sacerdotum deceptione coercuit, & provinciam Bajoariorum Odilone Duce conſentiente in quatuor diviſit parochias, quatuorque his partibus præſidere fecit Epiſcopos, quos ordinatione ſcilicet facta in Epiſcopatus gradum ſublevavit: quorum primus nomine JOANNES, Eccleſiæ in opido quod dici-

* Pavie

a Is eſt Gregorius tertius, *Junior ſecundus* appellatus hoc loco & cap. 10. Hæc Romana Bonifacii profectio tertia contigit anno 738. ex notandis ad Othloni lib. 1. cap. 28.

AN.CHR. 754 5. Junii. dicitur *Saltzburg* Epiſcopatus cathedram ſuſcepit; ſecundus EREMBERCHT, qui Friſingenſis Eccleſiæ Superſpeculatoris *a* tenuit principatum; tertius GOIBALDUS *b*, qui Eccleſiæ civitatis Reginæ paſtorale excubitoris ſubiit magiſterium; quartus VIVILO, qui ſuper Patavienſem *, Eccleſiam ſacræ indagationis obtinuit dignitatem. Cumque omnia confirmato Chriſtianitatis ordine rite agerentur, & Canonum eſſent jura in Bajoariis recuperata, jam ad proprias remeando rediit Eccleſias: populique ſibi commiſſi curam gerens, cauſaſque gregum circumſpiciens & excubias plebis providens, oves a nefandis luporum morſibus eripuit.

* de Paſſaw

29. Cumque KAROLI Ducis glorioſi temporale finitum eſſet regnum, & filiorum ejus KAROLOMANNI & PIPPINI roboratum eſſet imperium; tunc quippe Domino Deo opitulante ac ſuggerente S. Bonifacio Archiepiſcopo Religionis Chriſtianæ confirmatum eſt teſtamentum, & orthodoxorum Patrum ſynodalia ſunt in Francis correcta inſtituta, cunctaque Canonum auctoritate emendata & expiata; & tam laicorum injuſta concubinarum copula partim exhortante ſancto viro ſeparata eſt, quam etiam Clericorum nefanda cum uxoribus conjunctio ſejuncta ac ſegregata: tantuſque in ſupradictis Ducibus divinæ caritatis per doctrinam S. Bonifacii fervor exarſit, ut plebem quidem a perverſa inolitæ conſuetudinis cenſura multum liberarent, quæ proprio implicata arbitrio, & hæreticorum decepta ſuggeſtione, jura æternæ hereditatis amiſerat. Adeo enim ſpiritualis in populo doctrinæ lucem hæreticorum ſuffocaverat ſecta, ut tenebroſa hæreticæ deceptionis caligo magnam plebis obtexerit partem; ex quibus quidem ELBERCHTUS * & CLEMENS a via veritatis populum, profana pecuniarum cupiditate ſeducti, jugi averterunt ſtudio. Sed a S. Bonifacio Archiepiſcopo, conſentientibus Karolomanno & Pippino glorioſis Ducibus, ab Eccleſiæ unitate expulſi, juxta Apoſtolum traditi ſunt ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini.

* al. Aldebertus: confer Othlonum.

1. Cor. 3.

X. *Qualiter ſynodalia jura in Francia ſæpius celebrans, in Freſiam prædicaturus perrexit.*

30. CONvenientibus in unum Epiſcopis & Presbyteris, Diaconibus atque Clericis, omnique gradu eccleſiaſtico, quos inclytæ recordationis Karolomannus Dux ſub Regni ſui imperio accerſere fecit, quintum ſynodale factum eſt Concilium *c*: in quo Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinæ civitatis, ipſo Karolomanno conſentiente ac donante, pontificatu præſidens, Romanæ Eccleſiæ Sediſque apoſtolicæ Legatus, quatuor primitus principalium Synodorum numeroſa Canonum conſtituta, primum miſſus a ſancto & a venerabili Sedis apoſtolicæ Pontifice GREGORIO Juniore *d*, a primo ſecundo; & Gregorio a ſecun-

a Id ſonat Græcum ἐπισκοποῦ vocabulum, ut notum eſt.

b Alii ſcribunt Gaibaldum; cujus ſedes olim Reginum dicta, nunc Radasbona ſeu Ratiſpona appellatur. Joannes Epiſc. Saltzburgenſis inter Sanctos Benedictinos colitur, de quo vide elogium S. Rudberti Epiſc. ad an. 717.

c Concilium Sueſſionenſe intelligit, Childerici Regis anno 11. Chriſti 744. celebratum, in quo *Fides Nicæna & judicia canonica aliarum Synodorum* confirmata can. 1. Adalbertus cum hæreſi ſua damnatus can. 2. Clementis cruciculæ igni addictæ can. 7. Abel Eccleſiæ Remenſi, Ardobertus Senonicæ præfecti can. 3. Zachariæ Pontificis obtentæ litteræ in totius negotii confirmationem, apud Othlonum lib. 2. cap. 10 huic loco recte quadrant. Innuit præterea Vvillibaldus, Bonifacium tum Maguntinæ civitatis Archiepiſcopum fuiſſe: quod tamen ex alia Zachariæ epiſtola apud Othlonum lib. 2. cap. 7. relata aliter ſe habere manifeſte colligitur. Verum ſi Vvillibaldus hoc loco ſignat Concilium Sueſſionenſe, ſcrupulus occurrit, cur Carolomanni juſſu convocatum dicitur, ſiquidem in vulgatis iſtius Concilii actis, ſolius Pippini fit mentio? Ceterum ut quintum dicatur, quatuor alia ſub Carolomanno habita præceſſiſſe debuerunt, tametſi nulla ſuperſit memoria niſi duorum, Germanici puta & Liptinenſis. Quamquam Vvillibaldus, qui & ipſe Synodo Germanicæ & Liptinenſi interfuit, fidem ſi quis alius meretur. Et quidem duplex Synodus Germanica diſtinguenda videtur. Una Gregorio III. Pontifice, in qua Bajoariorum Epiſcopos quatuor ordinavit Bonifacius: de cujus Synodi indictione ad Danubium exſtant Gregorii litteræ ad Bonifacium apud Othlonum lib. 1. cap. 30. Altera Zachariæ pontificatu anno 742. in qua capitula ſeptem condita ſunt, anno inſequenti confirmata in Liptinenſi, Othloni lib. 1. cap. 34.

d Sic legendum, non ut apud Serarium, ubi unius Gregorii mentio hoc modo: *Gregorio juniore cum primo tertio viro bonorabili*. Nam Bonifacius primo quidem a Gregorio II. Juniore dicto, deinde ab ejus ſucceſſore Gregorio III dignitatem Legati in Germania obtinuerat. Porro Junioris cognomentum Gregorio II, non III. ab antiquis attributum probavimus ad ann. 731. Lege Vvalafridum in libro de rebus eccleſ. cap. 8.

Digitized by Google

cundo Juniore cum primo tertio, viro honorabili; ob ſalutare doctrinæ cœleſtis augmentum admonuit conſervari: & quemadmodum in Nicæa Conſtantino Auguſto orbis monarchiam gubernante Arianæ everſa eſt perfidia blaſphemiæ; & centum quinquaginta Patrum, Theodoſio ſeniore Conſtantinopoli imperante, congregatio, quemdam Macedonium Spiritum-ſanctum Deum eſſe refutantem condemnavit; atque ducentorum Epiſcoporum unitas ſub juniore Theodoſio apud Epheſinam urbem adventata, Neſtorium geminas in Chriſto perſonas profitentem, a catholica juſto anathemate ſegregavit Eccleſia; necnon & Chalcedonenſis Synodi ſexcentorum triginta Sacerdotum conventio Eutychen Conſtantinopolitanæ urbis Abbatem & Dioſcorum defenſorem ejus, catholicæ Fidei rebellantes, juxta præfinitam Patrum ſententiam anathematizavit *a*: ita equidem apud Franciam omni funditus eradicata hæreticorum perfidia & exſtirpata iniquorum conjuratione, legis divinæ augebantur incrementa, & ſynodales generalium Conciliorum Canones recipiebantur; ſynodaliſque ſpiritualis Concilii Epiſcoporum congregatio juxta præfinitam authenticæ conſtitutionis definitionem pariter conveniebat: quæ ob quotidianas bellorum ſuſpiciones, & infeſtam circumvallantium barbararum gentium ſeditionem, qua extraneos alieni Franciam populorum prædones atrociter demoliri conabantur, vel minime facta eſt, vel etiam tantæ erat oblivioni tradita, ut omni penitus obliterata præſentium ſæculorum memoria jam nulla eſſet ratione cognita: quia mundus in ſe quotidie naturaliter ſeu detrimentum diminutionis ſaltim etiam recuperatus patitur; nec renovatus quidem per omnia ſuo evaneſcit diſpendio, & ad prædeſtinatum anhelando finem feſtinat. Quapropter ſi qua in hac mortali hujus peregrinationis vita ad communem in hoc mundo infirmantium profectum ab ſpiritualibus medicinaliter ſunt comperta auctoribus, etiamſi quandoque humanis inſerta fuerint mentibus, magnæ ſunt munitionis fortitudine a Catholicis conſervanda & præfixa mentis immobilitate tenenda, ne vel oblivio humana obrepat, vel etiam mundanæ oblectationis illecebroſa delectatio inſtigante diabolo præpediat. Quam ob cauſam hic ſanctus Domini Antiſtes hac ſollertiſſimæ ſollicitudinis cura inſpiratus, plebem a peſtifera tortuoſi ſerpentis perſuaſione eripere curavit, & Karolomannum Ducem ad congregandum ſupradictum Synodorum conventum ſæpiſſime incitavit, ut tam præſentibus, quam poſteris ſpiritualis ſcientiæ ſapientia pateſceret, & averſa animarum circumventione cognitio Chriſtianitatis innoteſceret.

AN. CHR. 754 5. Junii.

31. Cumque quoddam canonicæ rectitudinis ſpeculum omnibus ad exemplum gradibus bene vivendi opponeret, & evidens cunctis veritatis veſtigium oriretur; jam ſibi ſuæque infirmitati longævo ætatis ſenio decrepitus, ſalubre exhibuit conſilium, & juxta eccleſiaſticæ diſpoſitionis normulam, paſtorale populis prævidit magiſterium: ut ſive vivente illo, ſive etiam moriente, medicinali plebs Paſtorum officio minime careret, & duos bonæ induſtriæ viros ad ordinem Epiſcopatus promovit, WILLIBALDUM & BURCHARDUM, eiſque in intimis orientalium Francorum partibus & Bajoariorum terminis Eccleſias ſibi commiſſas impertiendo, diſtribuit: & Willibaldo ſuæ gubernationis parochiam commendavit in loco cui vocabulum eſt *Eichſtat* *b*: Burghardo vero in loco qui vocatur *Wirtzaburg*, dignitatis officium delegavit, & Eccleſias in confiniis Francorum atque Saxonum atque Sclavorum ſuo officio deputavit; & uſque ad glorioſum exitus ſui diem inceſſanter artam regni cœleſtis viam plebibus patefecit.

32. Cum vero Pippinus Domino donante regale Francorum, felix ſupradicti germani ſucceſſor, Regnum ſuſciperet, & jam aliquantulum ſedata popu-

a Mirum eſt nullam factam eſſe mentionem ſexti Concilii adverſus Monotheletas.

b Bonifacius & Zacharias Papa in litteris ſuis ab Othlono lib. 2. capp. 1. & 2. adductis, non meminerunt urbis *Eioſtat*, cujus loco ſcribunt *Erpesfurt*. Lege adnotata in lib. 2. cap. 1. & Vitam S. Vvillibaldi inferius.

AN.CHR. 754 5. Junii. populorum perturbatione in Regem ſublevatus eſſet; cœpit anxius vota Domino devota perſolvere, & ſynodalia confeſtim recuperare inſtituta, ac canonica a germano ſuo juxta exhortationem S. Bonifacii Archiepiſcopi fideliter inchoata, inſtaurare miniſteria *; cumque habitu ſimul & honore præferre, & ſuis in Domino parere præceptis. Sed quod ſanctus vir infirmitate corporis prægravatus, ſynodalia Conciliorum conventicula per omnia adire non poterat; jam conſultu atque conſilio glorioſi Regis idoneum præponere miniſtrum ſupradicto gregi definivit, & LULLUM * ſuum ingenioſæ indolis diſcipulum, ad erudiendam tantæ plebis numeroſitatem conſtituit, & in Epiſcopatus gradum provexit atque ordinavit; eumque hereditati quam in Chriſto inſtanti adquiſierat labore, implicavit, qui & fidelis in Domino comes peregrinationis ejus erat, & teſtis utrobique paſſionis & conſolationis.

* al. myſteria

* Acta infra

XI. *De paſſione S. Bonifacii.*

33. CUM autem ſervum ſuum S. Bonifacium Dominus de hujus mundi vellet tentatione eripere, & temporalis vitæ tribulationibus ſublevare; tunc etiam Domino diſpenſante definitum eſt, ut ad Freſiam olim corpore, non quidem mente omiſſam; ſervis Dei ſecum migrantibus perveniret; ut ubi primitus prædicationis ſtudium ingrediens præmiorum inchoaverat incrementa, etiam a ſæculo rediens ſumtus reciperet remunerationis. Sed miro quodammodo vaticinii præſagio, ſequentem obitus ſui diem prædicto Epiſcopo Lullo prænuntiavit, & quali mundum fine demum relinqueret inſinuavit, eique per ordinem de Eccleſiarum ſtructura „ & populi doctrina propoſuit dicens: Ego enim propoſitum pergendi iter „ complere cupio; ego me a deſiderato proficiſcendi itinere revocare non „ potero. Jam enim inſtat reſolutionis meæ dies, & tempus obitus mei „ appropinquat: jam enim depoſito corporis ergaſtulo æternæ retributio„ nis revertar ad bravium. Sed tu, fili mi cariſſime, ſtructuram in Tu„ ringia a me cœptam Eccleſiarum ad perfectionis terminum deduc; tu „ populum ab erroris invio inſtantiſſime revoca, tuque ædificationem Ba„ ſilicæ jam inchoatæ ad Fuldam comple: ibidemque meum multis an„ norum curriculis corpus inveteratum perduc. Hiſque completis ſermoni„ bus, adhuc ampliora hujuſcemodi addidit verba, & ita inquiens ait: „ Fili, tuo cuncta prudentiſſime provide conſilio, quæ in hoc noſtro ſint „ uſui itinere copulanda: ſed & linteum, quo meum decrepitum corpus „ involvatur, in theca librorum meorum repone.

34. Cum autem præfatus tantæ quoque religioſitatis Antiſtes ſuſpiria non ferens ſtatim ſe in lacrymas dediſſet; jam S. Bonifacius finito colloquio ad alia rediit, & diebus non multis interpoſitis ab accepto ſe minime retraxit itinere; ſed ſumptis ſecum conviatoribus navem adſcendit, ac per Rheni fluminis alveum penetrans, nocturna portuum navigio exquiſivit loca; donec aquoſa Freſonum arva ingrediens, trans ſtagnum quod lingua eorum dicitur *Elmere* *, ſoſpes pervenit, infecundaque divino germine litora inſpiciendo circuit. Cumque periculoſum fluminum mariſque, & ingentium aquarum evaſiſſet diſcrimen, in periculum jam ſine periculo incidit, gentemque paganam Freſorum viſitavit *a*, quæ interjacentibus aquis in multorum agrorum dividitur pagos: ita ut diverſis appellati nominibus, unius tamen gentis proprietatem prætendant. Sed quia longum eſt ut per ordinem replicentur, eos tantum de nomine denudare ſtudemus, qui ad narrationis noſtræ ſeriem veraciter proferuntur: ut & locus & lingua relatam a nobis beati viri ſanctimoniam æqualiter prodat, & quali hunc mundum fine deſereret, aperiat.

* V. infra num. 38.

35. Per

a Id ſemel & iterum a Bonifacio factum duobus ſupremis vitæ ſuæ annis, tradit Eigil Abbas in Actis S. Sturmii num. 15. ad ann. 779.

35. Per omnem igitur Freſiam pergens, verbum Domini paganico ritu repulſo & erroneo gentilitatis more deſtructo inſtanter prædicabat, Eccleſiaſque nomine confracto delubrorum ingenti ſtudio fabricavit; & multa jam millia hominum virorum ac mulierum, ſed & parvulorum cum commilitone ſuo Coepiſcopo COEBANEO *a* baptizavit, quem ad ſubveniendum ſuæ ſenilis ætatis debilitati, Freſonibus injuncto Epiſcopo, in urbe quæ vocatur *Trecbt* * ſubrogavit, cum Presbyteris ac Diaconibus, quorum hæc nomina ſunt, WINTRUNG & WALTERI ſimul & ETHELHERI ſacerdotali officio prædítis; HAMUNT, SCIRBALD, & BOSA Levitarum obſequio deputatis; WACCAR & GUNDWACCAR *, ILLESEHERE & BATHOWLF monaſteriali Monachorum ordine ſublevatis. Qui etiam in tantum vitæ æternæ ſemen cum S. Bonifacio late per populum divulgantes, Domino Deo patrocinante diffamaverunt: ut quibus juxta apoſtolicæ inſtitutionis normam cor erat unum & anima una, eademque eſſet & palma martyrii & remuneratio triumphi.

AN.CHR. 754 5. Junii.

* al. Trehet, Trehit, modo Utrecht

* al. Gundecar

36. Poſtquam igitur Fidei, ut prædiximus, per Freſiam illuxerat ſplendor, & felix ſanctæ hujus vitæ appropinquaret finis; jam quidem ſecus ripam fluminis quod dicitur *Bordne b*, quod eſt in confinibus eorum qui ruſtica dicuntur lingua Oſtar * & Weſther, ſuorum tantum ſtipatus clientum numero erexit tentoria. Sed quia feſtum Confirmationis neophytorum diem & nuper baptizatorum ab Epiſcopo manus impoſitionis & Confirmationis populo prædixerat, jam longe lateque diſperſo ad propriam unuſquiſque reverſus eſt domum: ut ſecundum definitam ſententiam ſancti Epiſcopi univerſi prædeſtinato Confirmationis eorum die præſentarentur. Cum autem prædictus dies illuxiſſet, & aurora lucis orto jam ſole prorumperet; tunc etiam verſa vice pro amicis inimici, & novi denique lictores pro novitiis Fidei cultoribus advenerant, hoſtiumque ingens in caſtra vibrantibus armis haſtata atque ſcutata irruerat multitudo. Tunc repente ex adverſo pueri e caſtris proſilientes utrobique ſe armis impetunt, & ſanctos contra inſenſatum, poſtmodum Martyres, furentis populi exercitum defendere geſtiunt. Sed vir Dei ſtatim audito tumultuantis turbæ impetu, accerſito ad ſe Clericorum choro, ſumtis Sanctorum Reliquiis quas ſecum indeſinenter habere conſueverat, ex tentorio procedit; & confeſtim increpando, pueris pugnæ interdixit certamen,
„ dicens: Ceſſate, pueri, a conflictu, pugnæque deponite bellum: quoniam
„ Scripturæ teſtimonio veraciter erudimur, ne malum pro malo, ſed etiam
„ bona pro malis reddamus. Jam enim diu optatus eſt dies, & ſpontaneum
„ reſolutionis noſtræ tempus imminet. Confortamini igitur in Domino, &
„ permiſſionis ſuæ gratiam gratanter ſufferte: ſperate in eum, & liberabit
„ animas veſtras. Sed & adſtantes tam Presbyteros quam etiam Diaconos inferioriſque ordinis viros, Dei ſubditos ſervitio, patris admonens voce, ait:
„ Viri fratres, forti eſtote animo, & ne terreamini ab his, qui occidunt cor-
„ pus, quorum animam manentem ſine fine necare non poſſunt: ſed gaudete
„ in Domino & ſpei veſtræ anchoram in eum defigite, qui extemplo perpe-
„ tuo reddet vobis remunerationis mercedem, & cœleſtis aulæ ſedem cum
„ ſupernis Angelorum civibus condonabit. Nolite vos vanæ hujus mundi de-
„ lectationi ſubjicere, nolite caducis gentilium adulationibus delectari: ſed
„ ſubitaneum hic conſtanter ſubite mortis articulum, ut regnare cum Chri-
„ ſto poſſitis in ævum.

* anonymo Aſtroche & Vveſtroche

a Aliis Eobano, de quo in Obſervat. præviis diximus num. 9. de aliis in Appendice poſt Othlonum infra. Caniſius legit, *Chorepiſcopo Doban.*

b Burdo ſeu Bordne, *Burde*, amnis olim Vveſtrachios ab Ooſtrachiis, id eſt Occidentales Friſios ab Orientalibus dirimens, quos nunc Amaſius fluvius diſterminat, uti in Obſervatione 7. prævia ad Vitam S. Vvillibrordi adnotavimus. Vvillibaldo hac in parte conſentit Fredegarii continuator cap. 19. ubi *Vveſtrachiam & Ooſtrachiam* (ſic enim legendum) *inſulas Friſionum penetraſſe* dicitur Karolus Dux Francorum, *& ſuper fluvio Burdone caſtra poſuiſſe*: Locus in quo S. Bonifacius martyrium paſſus eſt, vocatur in epiſtola pſeudo-Liudgeri ad Rixfridum *vicus Dokem* ſeu *Dorkum*, ab anonymo Dockinga, hodie urbs diœceſis Leovvardenſis, olim *pago Oſtrache*, id eſt Friſiis Orientalibus attributus. De Eccleſia eo in loco in S. Pauli & S. Bonifacii honorem exſtructa, lege Appendicem noſtram poſt Othloni librum 2.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

37. Cumque tali doctrinæ hortamento diſcipulos ad coronam martyrii affabiliter incitaret, confeſtim ſuper eos furens paganorum tumultus cum gladiis cunctaque militiæ armatura irruit, & felici Sanctorum cæde corpora cruentavit: ſtatimque mortali Juſtorum multata carne, tripudians gentilium turba victricem ſuæ damnationis prædam arripuit, caſtraque depopulans manubias diripiendo impertivit. Sed & thecas, quibus multa inerant librorum volumina, & Reliquiarum capſas abſtulit, magnam ſe ibi tam auri argentique copiam credens ad naves, quibus quotidianus inerat Clericorum ac puerorum victus, & aliquantulum adhuc reſiduum ejuſdem ſtipendii vinum obſeratis, ut erant, vaſculorum clauſtris aſportavit: ac repente adamati comperto liquoris hauſtu, cœpit guloſam ventris ſatiare ingluviem & vino madidum inebriare ſtomachum, tandemque de acceptis prædæ ſpoliis inito conſilio, mirabili omnipotentis Dei diſpoſitione tractare, & qualiter non viſum quidem aurum vel argentum inter ſe invicem diſpertiretur conſulere. Cumque prolixius de tanta pecuniarum æſtimatione ſermocinarentur, jam jamque jurgiorum diſceptatio exorta eſt, & tanta diſcordia demum inimicitiæ inchoata, ut furore etiam veſaniæ inſaniens turba in duas diviſa eſt factiones; & ad extremum arma quibus ſanctos antea Martyres jugularunt, in ſeipſos crudeliter pugnando verterunt. Tunc itaque maxima inſanientis turbæ parte proſtrata, jam qui ſupervixerant ad lucrum animarum, vitæque damno adquiſitum, jacentibus adverſariis qui ſuper ſibi deſiderato cupiditatis theſauro obſiſtebant, gaudentes cucurrerunt: & confractis librorum repoſitoriis, pro auro volumina, pro argento divinæ ſcientiæ chartas repererunt. Sicque pretioſo auri argentique pretio privati, codices quos invenerunt, alios per campi planitiem diſperſerunt, alios paludum arundineto inferentes, alios etiam in diverſis quibuſcumque locis abſcondentes projecerunt. Sed tam Omnipotentis gratia quam etiam precibus S. Bonifacii ſummi Pontificis atque Martyris illæſi & intemerati, magno poſtea dilapſo temporis ſpatio inventi ſunt; & ad domum *a* in qua uſque hodie animarum proſunt ſaluti, a ſingulis quibuſque inventoribus remiſſi. Carnifices autem ſuper æſtimatæ amiſſione pecuniæ contriſtati, domum reverſi, majus domeſticarum rerum poſt trium inducias dierum damnum; ſed & vitæ diſpendium mortis recepto talione perceperunt: quia omnipotens mundi Conditor ac Reformator ulciſci ſe voluit de inimicis, & fuſum per ſe Sanctorum ſanguinem conſuetæ miſericordiæ zelo puniri, ac diu protelatam idolorum cultoribus iram novo recentis malitiæ furore permotus publice oſtendere.

XII. *De ſacri corporis in Fuldenſe Monaſterium translatione.*

38. CUmque improviſa ſanctorum Martyrum temporalis interemtio exin per pagos ac vicos omnemque provinciam volitaret, repente Chriſtiani corporali comperta Martyrum morte, maximam oongregantes expeditionem exercitus confinium terminos promti poſtmodum futuræ ultionis bellatores expetunt; & revoluta ſupradicta dierum ſupputatione, infidelium ſoſpites, ſed indevoti hoſpites aggrediuntur terram, ac paganos eis e diverſo obviantes ingenti ſtrage proſtraverunt *b*. Sed quia pagani primo

a Nempe ad Monaſterium Fuldenſe, in quo inter ſacra κειμήλια etiamnunc adſervantur S. Bonifacii libri tres: primus Canones novi Teſtamenti; ſecundus Martyris cruore rubricatus epiſtolam S. Leonis ad Theodorum Epiſc. ſermonem B. Ambroſii de Spiritu-ſancto ejuſdemque libellum de bono mortis, libellum S. Fauſti Confeſſoris, epiſtolam Agnelli ad Arminium de ratione Fidei, notitiam regionum & civitatum in quibus Apoſtolorum corpora requieſcunt, aliaque id genus; tertius Evangelium ipſius S. Bonifacii manu (ut ajunt) exaratum complectuntur.

b Joannes de Beka rem factam tribuit Vvidekindo ulterioris Friſiæ Principi; qui Lavicam pertranſiens, Comitatus de Oeſtergou & Vveſtergou in vaſtam ſolitudinem redegerit, indigenis internecione deletis. Verum ut notat Arnoldus Buchelius, nullus eo tempore apud Friſones Vvidekindus Princeps celebratur, niſi ad Vvidekindum Saxonum Principem reſpicias, qui poſt diutinum cum Karolo Magno bellum ſerius in Chriſtum credidit. Pippini Regis Præfecto melius id tribuit Emmius de rer. Friſic. lib. 4. An ABBO Pippini Præfectus, de quo infra num. 40. hujus rei auctor?

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

mo populi Chriſtiani impetui obſiſtere non valebant, in fugam verſi magna etiam clade corruerunt: & terga vertentes, vitam ſimul cum inteſtina eorum ſupellectili & heredibus perdiderunt. Sicque Chriſtiani, ſuperſtitioſorum tam uxoribus quam etiam filiis necnon ſervis & ancillis deprædatis, ad propria redierunt. Fitque modo mirabili, ut ſuperſtites gentilium accolæ præſentibus confracti malis, æterna potius tormenta fidei fulgore illuminati devitarent; & præfati Antiſtitis doctrinæ documentum, quod eo vivente renuerunt, & eo jam moriente * divinæ increpationis moderamine perterriti ſuſceperunt. Corpus vero beati Pontificis proſperis velis, ventorumque flatibus trans fretum, quod dicitur *Elmere a*, & aliorum Martyrum, poſt dies non multos perductum eſt ad ſupradictam urbem quæ dicitur *Trecht*; ibique conditum ac ſepultum: donec a Maguntia religioſi & fideles in Domino Fratres a LULLO Epiſcopo, ſucceſſore quidem hujus ſancti Pontificis & Martyris Chriſti, directi navigio ad perducendum beati viri cadaver ad Monaſterium, quod eo vivente conſtruxerat, & ſecus ripam fluminis quod dicitur Fulda ſitum eſt, advenerunt. Quorum unus qui & auctor itineris comitatuſque aliorum exſtiterat, ſingularem ſanctimoniæ ac privatam caſtimoniæ continentiæque gerebat vitam, nomine HADDA, cui privatim præfatus Præſul legationis hujus nuntium ſanctique corporis advectionem cum Fratribus ſecum proficiſcentibus impoſuit, ut major ſanctæ reverentiæ viro devotionis impenderetur honor, & plurimorum amplius teſtificatio in his quæ auditu vel viſu perciperent prævaleret. Cumque honorabiles tam ſanctæ conſocietatis Fratres ad prædictam urbem pervenirent, tunc quippe aliquantula obviam eis populi erat congregata collectio. Ejus denique urbis Præfecti eis audientibus, quemadmodum a glorioſo Rege PIPPINO exivit edictum, intonuit interdictum; & ne inde prædicti Pontificis corpus amoveretur indictum eſt. Sed quia Omnipotentis magis quam hominum convaleſcit fortitudo, mirabile ſtatim ac memorabile cunctis adſtantibus angelica magis quam humana peractum cognitione auditum eſt miraculum, Eccleſiæque cloccum *b* in ſignum admonitionis ſancti corporis humana non contingente manu commotum eſt: ita ut omnes repentino timoris pavore percuſſi, maximo timore obſtupuiſſent, & Juſti hujus reddendum eſſe corpus proclamarent. Sicque ſtatim redditum eſt, & a prædictis ſanctæ recordationis Fratribus cum pſalmis hymniſque honorifice ablatum, ac ſine remigantium labore triceſima obitus ſui die perductum eſt ad civitatem ſupradictam Maguntiam: miraque Dei omnipotentis providentia factum eſt, ut uno eodemque die ſine ſtatuto prædefinitionis die, quaſi ad ſtatutum prædeſtinationis diem, tam legati ſanctum deferentes corpus, quam etiam de longinquis longe lateque regionibus multi virorum ac mulierum fidelium ad ſancti viri mortis obſequia convenerint. Sed & ſupradictus dominus Antiſtes tam venerandæ dignitatis ſucceſſor, qui regali, illo tempore, præſens erat palatio, hujus omnino ignarus cauſæ, adventus ſancti corporis inſcius, ad civitatem quam prædiximus, veluti ſub uno eodemque horæ momento pervenit: tantaque omnibus aliunde advenientibus, vel etiam ejuſdem urbis civibus & doloris incubuerat mœſtitia, & gaudii exſuperabat lætitia, ut etiam tanti perfecta Pontificis temporanea morte corporis, & amiſſum carnaliter dolerent, & futurum ſibi ſuiſque in poſterum perpetualiter patronum crederent.

Bonifacius poſt mortem gentiles ad Fidem reducit.

* mortuo

Campana divinitus dat ſonitum.

39. Quapropter geminis his cauſis exſiſtentibus compuncti cordibus, cum Presbyteris & Diaconibus, omnique gradu eccleſiaſtico, ad eum quem vivens

a *Flevi alveum* vocat Joannes de Beka, hoc eſt ſinum maris Germanici inter Batavos & Friſios hodiernos, in quem Rheni alveus orientalis cum Iſala apud Campenam urbem influit, quem lacum accolæ Mare auſtrale appellant.

b Hæc hiſtoria aliter omnino refertur ab Eigile in Actis S. Sturmii num. 15. ubi nulla clocci ſeu campanæ mentio. Quippe S. Bonifacii corpus dum illud ad majorem baſilicam deferre vellent Trajectenſes, immotum loco hæſiſſe dicitur: ipſoque miraculo deterritis Trajectenſibus, Fuldam translatum fuiſſe.

AN. CHR. 754 5. Junii.

venit prædeſtinaverat locum *a* perduxerunt, & novo in Eccleſia confecto ſarcophago, ex more ſepelientes poſuerunt: omnibuſque rite peractis redierunt, & fidei robore confortati ad propria pervenerunt. Sed in loco ubi ſanctum depoſuerunt corpus, divina deinceps beneficia redundabant, & ſancti viri precibus hi qui ad eumdem diverſis infirmitatibus oppreſſi perveniunt locum, ſalubre tam corporum, quam etiam mentium remedium conſequuntur: ita ut alii jam toto corpore præmortui, peneque per omnia exanimes, ultimum tamen interim exhalantes ſpiritum, priſtinæ redditi ſunt ſanitati; alii vero luminibus cæcitate preſſis ſuum recipiunt viſum: alii quidem diaboli laqueis adſtricti, etiam mente ſunt capti & inſanientes, animi poſtmodum detinent integritatem: & priſtina dediti ſalute, laudantes glorificabant Deum, qui ſuum dignatus eſt ſervum tanto munere decoratum ditare, honorare, & præſentibus ac futuris ſæculorum temporibus, patefactione coruſca miraculorum oſtenſa, quadrageſimo peregrinationis ejus anno revoluto glorificare; qui & Incarnationis Domini ſeptingenteſimus & quinquageſimus quintus * annus, cum Indictione octava, computatur. Sedit autem in Epiſcopatu annos 36. menſes ſex, & dies ſex, & ſic ordine ſupradicto, die Nonarum Junii, martyrii triumpho remuneratus migravit ad Dominum, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

* de anno infra

Ex cod. Ingolſtadienſi deſumta ſunt a Caniſio quæ ſequuntur.

Fons cælitus ſcaturit in loco martyrii.

40. Enumeratis igitur beati viri geſtis, quibus in infantia & pueritia vel adoleſcentia & juventute aut etiam in ſenectute floruerat, ad ea quæ poſt emenſam hujus mundi metam & felicem vitæ iſtius decurſum mirabiliter ad annuendam mortalibus beati viri vitæ ſanctitatem Domino cooperante peracta ſunt redeamus, & memorabile quoddam miraculum populiſque imitabile ad memoriam reducamus, quod & a glorioſo Rege PIPPINO, ſicut ipſis ſibi referentibus, qui huic præſentes erant miraculo, compertum eſt, & ad nos uſque per venerabilem virum LULL Epiſcopum delatum eſt, atque ita ipſo nuntiante intimatum, quod in loco ubi quondam pretioſus ſancti Martyris effuſus eſt ſanguis, cum conſilio plebis atque ingentis partis populi Freſonum ſtructuram cujuſdam tumuli propter immenſas ledonis *b* ac malinæ irruptiones, quæ diverſo inter ſe ordine maris æſtu Oceanique recurſu; ſed & aquarum diminutione infuſioneque commoventur, ab imo in excelſum uſque conſtruerent: ſuper quem denique Eccleſiam, ſicut poſtea geſtum eſt, exſtruere cogitabant, ac ſervorum Dei habitationem in loco eodem collocare. Sed cum præfatum colliculi opus jam ex integro ædificarent, & omne quippe ædificium ipſius ſtructuræ complerent; etiam ad ſe reverti *, quod incolæ habitatores loci ipſius de inſulſæ * penuria lymphæ, quæ per omnem Freſiam, maximam tam hominibus quam etiam animantibus difficultatem gignit, inter ſe invicem diſputarent; tum demum unus, Domino miſerante, qui officium Præfecturæ ſecundum indictum glorioſi Regis Pippini ſuper pagum locumque illum gerebat, & princeps operis ipſius erat, nomine ABBA *, ſumtis ſecum collegis equum adſcendit, ac circumagrato calce tumuloque inſpecto repente cujuſdam caballus pueri eximproviſo tantum pedibus terræ impreſſis ruinæ penitus caſura tentabatur, anterioribuſque humo infixis cruribus volutabatur: donec ii qui agiliores ſollertioreſque exſtiterant deſcenſis ſuis præpropere caballis, equum terræ inhærentem extraherent. Sed ſtupendum ſta-

* f. reverſi

* inſulſæ.

* f. Abbo

a Antequam ſacrum corpus Fuldam deferretur, Maguntiacenſes opidani illud ſibi vindicare tentaverant, teſtante Othlono ex Vita S. Sturmii. De S. Bonifacii tumulo agemus in Appendice.

b *Ledon major aſtus; malina, minor aſtus maris*, inquit Simeon Dunelmenſis ſeu potius Turgotus in libro de geſt. Regum Angl. ad ann. 793. in tom. 1. Hiſt. Britann. In Vita S. Condedi, cap. 6. Sæculo 2. legitur *marina malina & lidonis*. Machliniam Belgii urbem ſic dictam *ob malinam & ledonem* ſcribit Theodoricus in Vita S. Rumoldi apud Surium. Lege Glabrum in lib. 3. cap. 3.

Digitized by Google

ſtatim ac ſpectaculo dignum iis qui aderant oſtenſum eſt miraculum : & limpidiſſimus extra conſuetudinem illius terræ fons *a* miræ ſuavitatis guſtu indulcatus prorumpebat, & per incognitos penetrans meatus profluebat, ut rivus jam maximus eſſe videretur. Quo obſtupefacti miraculo, exſultantes atque alacres domum reverſi, ea quæ viderunt plebibus divulgaverunt. AN. CHR. 754 5. Junii.

CONCLUSIO AUCTORIS,

Quam Georgius Vvicelius in Hagialogio edidit ex mſ. cod. Fuldenſi.

EGO WILIBALDUS Epiſcopus, &c. Vitam & paſſionem BONIFACII conſcripſi primum in ceratis tabulis ad probationem LULLI & MEGENGAUDI, poſt eorum examen in pergamenis reſcripſi, atque hoc in loco qui dicitur S. Victoris extra muros Moguntiæ, ubi LULLUS & RABANUS *b* vacabant orationibus, *&c.*

ALIA VITA.

Auctore OTHLONO Monacho Benedictino, qui poſt medium ſæculum XI. vixit.

Ex Surio & Henrici Caniſii tomo 4.

PRÆFATIO AD MONACHOS FULDENSES.

1. PEtitionibus veſtris, Fratres Fuldenſes, prout ſcientiæ meæ permiſit parvitas, parere ſtudui. Petiſtis enim ut S. Patris noſtri BONIFACII Vitam præcipuo quidem elegantique, utpote S. WILLIBALDI ſtilo antiquitus editam, ſed in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, ut difficile pateat quo ratio tendat; hanc ego ſententia apertiori reſerarem. Quam nimirum petitionem inprimis miratus, cur tot Patribus peritis tam inter vos quam circumquaque commorantibus hucuſque relictis, mihi imperito & liberalis ſcientiæ admodum ignaro tam arduum opus injungere vel excogitaveritis, pro nihilo duxi. Deinde cum quidam ex vobis mihi referret, jam antea pro eodem opere laboratum fuiſſe S. LEONEM *c* Papam, ita ut nonnullos libros unde plenius ad hoc inſtrueretur Abbas EGBERTUS, ſcriptoremque ei ſimul Romam tranſmiſiſſet, ipſoſque libros eo defuncto & opere petito minime expleto ibi remanſiſſe : tunc miſertus talium appoſui aliquando animam, volens ſcilicet implere petita, ſi ulla adſtipularetur ſcientia. Cumque diu velle mihi adjaceret, perficere autem in me non invenirem : dicebant vobis, quod vellem, quodque nequirem. Sed vos, ut ſcitis, eadem crebro repetiſtis, dicentes, ſi mihi tantummodo ſolida ineſſet voluntas, a Domino cætera præſtari. Exhortatione ejuſmodi ſæpe incitatus, tandem tentavi veſtros implere precatus, confidens in eo quam maxime qui dixit : *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud* : quique ſicut in paucis ſæpe victoriam præſtans, ſic etiam in imperitis peritiam tribuens, gratiæ ſuæ potentiam o- Auctor diu reluctans, in antiquam S. Bonifacii Vitam exornat. Pſal. 80.

a Iſtius fontis meminit Joannes Gerbrandus in Chronici Belgici lib. 3. cap. 16.

b Non Hrabanus Maurus Monachus & Abbas Fuldenſis, poſtea Archiepiſcopus Maguntinus, qui Lullo deſinente necdum natus erat; ſed alius quidam cognominis, & fortean iſipſe quem Lullus Moguntiacenſis Antiſtes commendat epiſtola 62. inter Bonifacianas his verbis. *Similiter pro duobus laicis Megenfrith* & HRABANX. *Miſſas unuſquiſque veſtrum cantet*. Porro ædis S. Victoris muri ſemiruti hactenus ſuperſunt, utra quos Vveoſenavvenſis parochia, teſte Serario in Hiſt. Mogunt. lib. 1. cap. 31.

c Intellige Leonem Papam IX. a quo Egbertus, qui & Eppo, ab anno 1048. ad 58. Abbas Fuldenſis, vetera monumenta quibus Patroni ſui acta illuſtraret, poſtulavit. Hinc Othloni ætatem colligere licet.

Digitized by Google

AN. CRR. 754 5. Junii.

ſtendit. Hæc autem ideo præmiſi, ne quis me forſitan tantum opus ultro arripuiſſe per arrogantiam arbitratus diceret, magnæ præſumtionis eſſe cauſam, illa quæ a quolibet ſancto viro utcumque fuerunt prolata, ab ullo deinceps quaſi emendatore in aliud transferri. Quaſi non ipſa ſanctorum Prophetarum ſanctiſſimaque Evangelii dicta multis obſcuritatibus involuta, a nonnullis ſcriptoribus in aliam linguam, vel in apertiorem ſententiam fuerint translata.

Auctoris integritas.

2. His itaque prælibatis contra detractores univerſos, quibus nihil eſt dulcius quam alios lacerare, aliis laqueos ponere in via qua ipſi nolunt incedere; jam deinde Lectori pandere cupio, quia id mihi maxime fuit ſtudii in opere iſto, ut ſententiam eamdem verbis apertioribus proferrem, exceptis his quæ ob ſui difficultatem & obſcuritatem inveſtigare penitus nequivi. In tantum autem faciliora ſequebar, ut ſicuti probari poteſt, alicubi eadem verba ponerem. Quid enim nobis infimis, qui ſpectaculum facti ſumus mundo, nodoſa & perplexa oratio? Habeant amatores ſapientiæ ſæcularis Tullium: nos imperiti & ignobiles, deſpecti & contemtibiles, ſequamur Chriſtum, qui non Philoſophos, ſed piſcatores elegit diſcipulos.

Epiſtolis S. Bonifacii acta illuſtrat.

3. Inter hæc illud notum facio dilectioni veſtræ, quia cum in ipſo libro, quem me explanare petiſtis, inſpicerem plurima tam miraculorum, quam Epiſtolarum inſignia non haberi, quæ in aliis libris inveni; molitus ſum ex ipſis colligere, & in locis quæ opportuna videbantur inſerere. Fortaſſis enim ille venerandus vir qui vitam S. Bonifacii inprimis ſcripſit, virtutes ejus multas epiſtolaſque neſciens prætermiſit. Sed mihi conſideranti litteras omnes quas de eo habetis, in nullis major tanti Præſulis auctoritas, quam in epiſtolis ab ipſo vel ad ipſum directis videtur eſſe. Ibi namque apertiſſime inſpicitur, quanta veneratione primitus fuerit ſuſceptus a Pontifice Romano, qualiterque eum ordinatum miſerit ad prædicandum cunctis Germaniæ populis; quanto etiam labore eamdem Germaniam ad Chriſti Fidem convertit; & quod non ſolum a paganis & hæreticis, ſed etiam a pſeudo-Chriſtianis & pravis Sacerdotibus eam velut a luporum morſibus eripuerit; quantam gratiam a Francorum Principibus KARLOMANNO ſcilicet & PIPPINO obtinuerit, qui poſtquam eum Eccleſiæ Moguntiacenſi Præſulem decreverat, eamdem quæ prius Eccleſiæ alteri ſubdita erat, pro illius amore ſimul & honore Metropolim totius Germaniæ apoſtolico Pontifice conſentiente effecerit: quot ſedes epiſcopales ſtatuerit, quæ privilegia quibuſdam Eccleſiis obtinuerit. Poſtremo & illud ibi ſpeculatur, quod etiam vobis modo peropus eſt, quomodo corporis ſui locum, Cœnobium videlicet veſtrum, poſſeſſionibus & decimis ſpecialibus ſublimaverit.

Foldenſibus decimas vindicat.

4. Tanta igitur auctoritas licet a modernis quibuſdam Sacerdotibus adnulletur *a*, continget tamen eis in teſtimonium damnationis, quod ſcientes terminos antiquos & ſanctorum Patrum decreta non debere tranſgredi ſummopere tranſgrediuntur, obliti verborum illorum quæ Dominus ad electos Paſtores vel Doctores in Evangelio dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* (Luc. 10.) Neque enim hæc verba de præcedentium temporum Rectoribus ſolummodo dicta ſunt, ſed etiam de illis qui uſque ad conſummationem ſæculi Eccleſiam ſuam ſunt recturi, non deſtructuri. Nam de deſtructoribus & perverſis paſtoribus Dominus alibi dicit: *Væ vobis legis peritis, qui tuliſtis clavem ſcientiæ, & ipſi non intraſtis, nec alios intrare permiſiſtis.* (Luc. 11.) Et rurſum: *Væ vobis hypocritæ, qui decimatis mentam & anetum & cyminum, & graviora legis præcepta reliquiſtis, hoc eſt, judicium, miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* (Matth. 23.) Mul-

a Nicolaus Serarius hæc refert ad tempora Vvideradi Abbatis Fuldenſis, quando Hecelonis Hildeneshei-menſis Epiſcopi factione Monaſterium Fuldenſe rebus fere omnibus ſpoliatum eſt, teſte Lamberto Scafnaburgenſi ad ann 1063. at querela hæc de ſolis decimis rectius quadrat pſeudoſynodo Erpesfordenſi anno 1073 habitæ, ob exigendas decimas Turingorum, quæ res Turingos cum Saxonibus contra Regem exacuit, ut legitur in mſ. Chronico Magadaburgenſi.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

Multa quoque in Ezechiele Propheta hujuſmodi Paſtoribus dicuntur. Sed ſi placet, interrogemus eoſdem Paſtores, quomodo velint ſua roborare, ſi præcedentium Patrum ſtatuta judicaverint eſſe deſtruenda : vel quomodo ædificium ſuperpoſitum ſtare poſſit, ſi fundamenta eis ſunt ejicienda. Fundamenta namque Eccleſiæ ſuæ primi Patres fuere, ſicut ſcriptum eſt : *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*. (Pſal. 86. 1.) Quicumque igitur lapidum ſuperpoſitorum fundamenta talia ſequi dedignatur, de ædificio cœleſti eliminatur; Ad hæc etiam dicamus quoddam argumentum, quod omnibus conſtat notum. Si quis itaque ditionis ſuæ ſilvam exſtirpandam pro agri cultura aggreditur, quantæcumque longitudinis & latitudinis voluerit agros exinde ſibimet metitur; aliis vero non ea, ſed qua vult menſura partitur, habens poteſtatem unicuique prout vult dividere. Cum ergo hoc ita eſſe ſciatur ab omnibus, cur, rogo, ignoratur, quod primi Principes Eccleſiarum, Apoſtoli ſcilicet, omneſque qui eorum veſtigia ſequentes, unicuique genti ſacram Fidem primitus tradiderunt, extirpatis errorum variorum ſilvis; in quibuſdam populis ac provinciis poteſtatem habuerunt poſſeſſiones vel decimas quæ ſibi contingebant, illi & illi Eccleſiæ donare: quandoquidem juxta ſanctorum Canonum decreta decimas in quatuor portiones *a* dividentes, unam ſibi, alteram Clericis, tertiam pauperibus, quartam reſtaurandis Eccleſiis tradiderunt? Numquid avaritiæ ſuæ tantummodo conſulentes in diſtributione decimarum obliti ſunt pauperum reſtaurationiſque Eccleſiarum, ſicut modo pro dolor! cernimus agi? Canones enim ſancti ex quorum auctoritate exiguntur decimæ, non ſolum decimas dari, ſed etiam inter varios jubent diſtribui: ut in urbibus quibuslibet & vicis xenodochia habeantur, ut pauperes & peregrini alantur. Sed tam ſanctum, tam neceſſarium præceptum in plurimis locis non ſolum minime curatur, ſed etiam pene ignoratur. Nam ſolummodo illud legitur, quod Epiſcopis decimæ ſint tribuendæ: quid vero exinde agendum ſit, vel ſi quidquam aliud curandum ſit circa Monaſteria, tam a Clericis (miſerabile dictu!) quam a laicis deſtructa, citraque judicia Chriſtianæ religionis ſubverſa, oblivioni ſeu ignorantiæ commendatur. Unde vereor, ne de præſentis temporis Rectoribus avaritia inexplebili corruptis Pſalmiſta prophetizans dixerit: *Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*. (Pſalm. 13.) Cum enim nihil dicendum ſit corruptum niſi quod prius fuit integrum, Rectores vel Paſtores quique in hoc quidem dici poſſunt fuiſſe integri, quia a Deo ſapientia omnimoda ad judicium verum faciendum erant inſtructi: ideo autem corrupti; quia non ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſed juxta lucri obtinendi quantitatem judicant. Atque utinam ipſi Paſtores tantummodo dedignarentur pauperibus decimas dividere, & non alios quoſdam, (Monachos dico, apud quos aliqua adhuc hujuſmodi cura exercetur) prohiberent; moliti antiquæ traditionis decimas ab eorum jure auferre. Cur igitur S. Bonifacius, cui Deus tantam in omni Germania poteſtatem contulit, ut quovis vellet, Eccleſias Cœnobiaque fundaret, ſedes Epiſcopales ſtatueret, parochiaſque earum divideret; non cuilibet loco, quem ſibi ſpecialiter elegit, poſſeſſiones & decimas aliquas donare potuit? Nonne per eamdem auctoritatem, qua moderni Pontifices militibus aliiſque ſæcularibus hominibus decimas dare ſolent, S. Bonifacius Monachis vel pauperibus erogare eaſdem potuit? Si reliqua ejus ſtatuta videntur ſancta, ſi omnia quæ Canonicis diſtribuit ſunt laudanda; cur, quæſo, hoc ſolum quod Monachis & pauperibus dedit, decernitur injuſtum? Heu, heu! quod is cui plurima divitibus dare licuit, licentiam dicitur non habere pauperibus vel pauca erogare. Super hoc obſtupeſcite, cœli, orbis quoque terrarum & univerſi qui habitant in eo doleant, quia mundus jam in maligno poſitus eſt, adeo ut vivere invideat, illos exſtinguere audeat, qui ad hoc ſpecialiter electi & ſegregati ſunt de mundo, ut majori ſtudio intercederent pro ipſo.

5. Sed

a Id etiam præcipit Gregorius Papa II. infra in lib. 1 cap. 18. quod adhuc vigebat tempore Hincmari, ut patet ex ejus Capitulari cap. 16. Lege Conc. 1. Aurelianenſe can. 5.

AN.CHR. 754 5. Junii.

5. Sed hujus querimoniæ interjectio jam finiatur, ut ad id unde receſſimus, ſtilus revertatur. Dixi namque prius, quod iterum dico; quia inter omnes litteras quas de S. Bonifacio habetis, epiſtolæ illius mihi præcipuæ viderentur. Unde quaſcumque huic operi neceſſarias invenire potui, in unum colligere ſtudui, ſperans aliquem æmulum, & tantæ auctoritatis ignarum lectorem exinde poſſe ædificari. Proinde & vos, Fratres Fuldenſes, unice peto atque admoneo, ut eaſdem epiſtolas intentione ſumma legatis, Deo ſupplicantes, ut per ejus preces, a quo vel per quem ſcriptæ ſunt, quique (ut in eis legitur) ſanctam Eccleſiam in Germania poſitam maximo labore a pravis Sacerdotibus quondam eripuit; nunc etiam a ſimilium poteſtate vos locumque veſtrum defendere dignetur. Duos autem libellos, adjuvante Domino, tam de vita ſancti viri quam de epiſtolis ſupradictis ſcribere geſtio; in priori quidem referens quis fuerit, quidque ante acceptam Mogontiacenſis Eccleſiæ ſedem in ſancta Eccleſia laboravit; in altero vero quid poſtea uſque ad finem vitæ ſuæ glorioſum egerit.

Opus ſuum in duos libros dividit.

Quis ſim qui vobis fero munus tale laboris,
Vos quoniam ſcitis, nolite, precor, dare multis:
Ne perſona mei villis faciat mea ſperni.
Sit magis hoc ſtudium vobis depoſcere Chriſtum,
Ut ſibimet placita maneant præſentia ſcripta.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT I. Bonifacius puer ad vitam monaſticam anhelans,

CUM gens Anglorum ſacræ fidei jugo per S. GREGORII Papæ apoſtolatum ſubdita, ejus ſuffragantibus meritis, in Sanctorum virorum procreatione præ multis nationibus ſplendere cœpiſſet, multaque lumina ſanctæ Eccleſiæ, quibus variæ cordium obcæcationes illuſtrarentur, protuliſſet; inter hujus mundi lumina ſanctum quoque BONIFACIUM, velut luciferum quemdam, cæteris ſideribus clariorem huic mundo edere meruit. Qui nimirum magna parentum ſollicitudine nutritus, magnarum etiam virtutum per incrementa temporum amator eſt factus. Nam cum adhuc parvulus eſſet, ſi quem forte clericum vel laicum verbi divini notitiam deferentem audire contigiſſet; mox quantum ætatis ſuæ teneritudo prævaluit, quid ſibi ſuæque qualitati exinde profectuoſum foret, tractare cœpit. Cumque ita meditatione diuturna ſeſe ad ſuperna erigeret, patri etiam ea quæ animo gerebat revelavit, & ut ſuæ conſuleret voluntati rogavit. Audiens hæc autem pater ejus primum obſtupuit, deinde eum increpans, nunc minis, nunc vero blandimentis ad ſæcularis vitæ curam impellere ſtuduit. Ad hæc etiam ut ejus animum adhuc tenerum a concepti perfectione propoſiti facilius declinaret, promiſit ſe poſt vitæ ſuæ tempora eum & prædiorum & omnium rerum ſuarum heredem facturum. Præterea proteſtatus eſt, lubricæ ætati humanæque fragilitati tolerabiliorem eſſe activam vitam quam contemplativam, meliuſque eſſe inter mediocres vel extremos regni cœleſtis cives quemlibet ſtudiis facilioribus contubernium quærere, quam per maxima & pene impoſſibilia perfectionis certamina incipere; deinde vero dum ea nequit percurrere, in via deficere.

II. patre tandem annuente eam profitetur.

Sed puer ſanctus virtute divina jam plenus, quanto magis eum pater revocare ad ſæcularia ſtudebat, tanto conſtantius in inceptis perdurare, & ad ſacrarum litterarum notitiam pertingere anhelabat. Unde miro diſpenſationis judicio factum eſt, ut pater qui ſolus erat impedimento, repentina infirmitate correptus, priſtinam mentis pertinaciam deponeret, puerumque per legatos idoneos ad Monaſterium, quod priſco nuncupatur vocabulo *Adeſcancaſtre* dirigeret, commendans eum WOLFHARDO venerabili ejuſdem Monaſterii Abbati, a quo protinus (ſicut monaſticus Ordo poſcebat) benigne ſuſceptus, Fratribus commendatus, univerſa Religionis munia quæ hujuſmodi ætas permiſit, bene cœpit, meliuſque de die in diem complevit.

Poſt-

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 5. Junii.

III. Pie inſtitutos ad aliud Monaſterium migrat ſtudiorum ergo. Pſal. 83.

Poſtquam vero pueritiæ annos tranſſcendit, in tantum ſe venerabilium inſtitutis Fratrum, & ſacræ lectionis ſubdidit exercitio, ut quibuslibet momentis augerentur in eo multarum inſignia virtutum, implereturque in illo quod Pſalmiſta de quorumdam profectu teſtatur dicens: *Ibunt de virtute in virtutem*. Denique cum inceſſabili ſacrarum ſcripturarum meditationi deditus, omnem regularis vitæ diſciplinam ſub præfati Abbatis gubernatione per annos plures cuſtodiret, ibique tam pro deſiderii ſui quantitate quam Doctorum penuria in lectione divina ſatiari nequiret; cum conſenſu Abbatis Fratrumque ſuorum, ad Monaſterium, quod uſque hodie dicitur Nuiſcelle, pervenit, & beatæ memoriæ WINBERTI Abbatis, qui venerabiliter eidem Monaſterio tunc præfuit, magiſterium elegit. Ubi tandem tam Grammaticæ artis metricæque ſubtilitatis, quam ſpiritualis intelligentiæ deſiderata eruditione potitus, adeo in hac pollere cœpit, ut ejus ſcientiæ fama undique divulgata, ad ipſum etiam alii cauſa diſcendi confluerent. Verumtamen ex tantæ ſcientiæ dono ſeſe nullatenus extollebat, nullum minoris ingenii ſpernebat: ſed quanto majori vel litteratoriæ intelligentiæ vel aliarum virtutum excellentia a Deo præ ceteris promovebatur, tanto humilior, tanto devotior ad ejus compaſſionis & ſubjectionis ſtudium ſentiebatur, recolens jugiter illud Sapientis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*.

Alios erudit.

Eccl. 3.

IV. Sacerdos ordinatus anno ætatis 30.

Cum ergo eo quo diximus niſu, & ipſe alios humilitate ac ſubjectione præveniret, & illum alii ſapientiæ ejus rumore incitati vel ipſius ſaluberrima doctrina inſtructi, mutuo honore prævenirent ut patrem; univerſis in ejus laudem conclamantibus, atque ad ſingulos eccleſiaſtici Ordinis gradus eum promoventibus, tandem ad ſacerdotalis officii dignitatem triginta aut eo amplius annos habens eligitur. Suſcepta vero Sacerdotii dignitate qualem ſe exhibuerit in utriuſque hominis contritione, ut Sacramenti cœleſtis dignus fieret participatione, melius colligitur ex operum ſuorum teſtimonio, quam ullo verborum indicio.

V. Synodi ſtatuta ad Archiepiſcopum defert.

Eodem vero tempore regnante In Weſt-Saxonum Rege, nova quædam ſeditio in partibus illis exorta eſt, pro qua compeſcenda ſtatim prædicti Regis præcepto Primatumque ſuorum conſilio ſynodale ſervorum Dei ſtatuitur Concilium: quo dum omnes convenirent, & diſſenſionis exortæ cauſam definirent, ſapientibus quibuſdam placuit, ut univerſa ibi definita ad Archiepiſcopi venerabilis Cantuariæ civitatis, qui dictus eſt BERTHWALDUS, notitiam deferrent. Cui Rex una cum omnium Clericorum atque laicorum multitudine conſentiens, ſciſcitatus eſt, quis potiſſimum hujus legationis delator eſſe potuiſſet. Tunc præcipuus inter eos Archimandrita WINBERTH, cujus ſuperius mentionem fecimus; & WINTRA qui Monaſterio *Vveſſesburch* dicto præſidebat; & BEORWART, qui Cœnobium quod *Gleſtingaburch* nuncupatur regebat; necnon & alii multi venerabiles viri S. Bonifacium accitum adduxerunt ad Regem, dicentes, eum legationi tantæ idoneum. Moxque commiſſa a Rege legationis ejuſdem cauſa adhibitiſque ſecum ſociis profectus eſt ad *Cent* *, & Archiepiſcopo prænominato ſapienter, quemadmodum edoctus erat, omnia per ordinem intimavit: & poſt non multos dies reverſus, præfato Regi ac prædictis ſervis Dei ex legationis commiſſæ reſponſo ſtrenue peracto magnum univerſis contulit gaudium. Qua de re nomen ejus tam apud ſæculares quam apud eccleſiaſtici Ordinis viros celebre habebatur, adeo ut poſtmodum in eorum ſynodali ſæpiſſime peteretur intereſſe conventu.

* ideſt Cantuariam

VI. Abbate ægre conſentiente in Friſiam trajicit.

Sed quia mens ejus Deo jam dedita, ab omni humano favore fuerat ſequeſtrata, cœpit omnimode tractare, qualiter parentum affiniumque ſuorum conſortia relinquere, & ad aliqua procul poſita loca pro Chriſti nomine poſſet tranſmigrare. Cumque hæc ſecum diutiſſime tractaret, ſollertiſſimeque deliberaret; tandem ad prædicti Abbatis notitiam detulit, &

eum

AN.CHR. 754 5. Junii.

eum ad voluntatis ſuæ conſenſum magna precum inſtantia declinare ſtuduit. Qui licet talia admirans diu poſcenti obſtiterit, licentiamque hujuſmodi negaverit; poſtremo tamen providentia divina prædeſtinante convaluit ſermo petentis, & tantam Abbatis Fratrumque ſuorum devotionem ſimul & curam adoptato itineri habere meruit, ut ei neceſſaria quæque pro viatico impenderent, variaſque ſupplicationes cum lacrymis prolatas pro eo agerent, poſtulantes ut Angelus Domini bonus comes ejus ubique eſſet, eumque ad proſpera cuncta dirigeret. Ad hæc etiam duos Fratres, quorum corporali ſpiritualique juvamine ſuſtentaretur, ſecum abire permiſerunt. Sicque utriuſque hominis ſupplemento ſuffultus, proſpero curſu profectus eſt, pervenitque ad locum qui antiquo Anglorum & Saxonum vocabulo appellatur *Lundenvvic*: ac non multo tranſacto poſtliminio, tranſivit ad *Dorſtet*, ibique aliquamdiu commoratus, debitas Deo perſolvit die noctuque laudes. Sed quoniam per idem tempus hoſtilis diſſenſio exorta inter KAROLUM Principem glorioſumque Ducem Francorum & RATBODUM Regem Freſonum, populos ex utraque parte perturbabat, maximaque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum prius in Freſia ſubjectæ erant Imperio, Ratbodi perſecutione incumbente idolorum culturæ lugubriter reddebatur; ideoque vir Dei, perſpecta tantæ perverſitatis mole, ex illis partibus diſceſſit, & pervenit ad *Trecht*; ibique etiam commoratus aliquantis diebus, advenientem Regem Ratbodum allocutus eſt, obſecrans, ut a tanta pravitate quieſceret.

VII. Reverſus in patriam, Abbatis mortui locum recuſat.

Poſt hæc vero peragratis illius terræ partibus, ſollicite exploravit, ſi alicubi in ea provincia prædicationis pateret locus. Cumque diuturna inquiſitione intelligeret, ſe fruſtra ibidem prædicando laboraturum: arida ſpirituali fertilitate arva reliquit, & ad natale ſolum tranſmigravit. Interea accidit, ut Monaſterii ſui Pater depoſito carnis ergaſtulo vitam præſentem finiret: cujus obitu Fratres nimium contriſtati, ſed a beato viro ſpiritualibus colloquiis lætificati, & ut regularis vitæ normam conſervantes, Patrem quemlibet ſpiritualem eligerent, omnimodo inſtructi, omnes ipſum Sanctum, qui eo tempore WINFRID dicebatur, unice precabantur, ut paſtoralem ſuper eos ſuſcipere curam dignaretur. At ille altiora quæque in animo gerens, non eorum preces ullo ſuperbiæ faſtu deſpexit: ſed quæ intentio ſua eſſet humiliter pandens, quod ſcilicet deſpectis cunctis patriæ facultatibus atque honoribus, pro Chriſti amore proque aliorum ſalute peregrinari vellet, cum omnium caritate & licentia Fratrum vota ſua obtinuit. Et ut eiſdem votis major auctoritas eveniret, adiit etiam ipſius loci Epiſcopum venerandum, nomine DANIELEM, petens quatenus ejus benedictione & litteris commendatitiis ad Romam profecturus uti mereretur. Quam petitionem Epiſcopus idem nutu divino inſtinctus benigne ſuſcepit, efficaciter complevit. Nam Paſtoris providi intentionem gerens, & bonæ indolis virum, nomine Stephanum, orbatæ congregationi præeſſe fecit; & hunc Dei famulum per longas peregrinationis vias ire cupientem ad loca deſiderata cum litteris dimiſit.

Romam petit.

VIII.

Tali igitur benedictione ſuſcepta, protinus valedicens Fratribus, proficiſcitur per longa terrarum ſpatia, perque ignotas maris vias, donec collecta undique non modica multitudo ſervorum Dei eodem ſpiritu ferventium ad eum conveniret. Hi ergo omnes unanimiter per ſingulos dies multas Sanctorum Eccleſias adierunt, obſecrantes, ut opitulante Deo tutius Alpium juga tranſſcenderent, Longobardorumque ferocitatem erga ſe leniorem ſentire mererentur. Cumque univerſa ferociſſimæ gentis diſcrimina illæſi pertranſirent, atque limina B. Petri Apoſtoli proſpere adirent; ſtatim debitas Chriſto grates perſolvunt, ibique abolitionem peccaminum atque itineris ſui felicem exitum deprecantes, ſperata ſuffragia invenerunt. Nam poſtquam ſanctus vir venerabilem Sedis apoſtolicæ Præſulem nomine GREGORIUM, qui ejuſdem nominis ſecundus tunc habebatur, allocutus, ei adventus ſui cau-

A Gregorio Papa in Germaniam dirigitur.

cauſam manifeſtavit, & quali deſiderio diutius deſudaſſet aperuit; mox idem Præſul hilari vultu intuitus in eum, inquiſivit, an litteras ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet. At ille concitus chartam ex more involutam proferens, dedit Apoſtolico. Apoſtolicus vero acceptis lectiſque litteris, & comperto ſancti viri deſiderio, ſedulum deinceps cum eo colloquium habuit, reverenterque eum ibi commorantem retinens, pro qualibuſque Sanctorum Reliquiis poſtulabat, illi tradidit. Ad hæc etiam illi committens in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi, tradidit epiſtolam, cujus exemplar tale invenitur. AN.CHR. 754 5. Junii.

„ GRegorius *ſervus ſervorum Dei*, BONIFACIO *religioſo Presbytero*. E- IX. Gregorii epiſtola.
„ xigit manifeſtata nobis religioſi propoſiti tui pie in Chriſto flagrantis
„ intentio, & approbata ſinceriſſimæ Fidei tuæ prolata relatio, ut ad diſpen-
„ ſationem verbi divini, cujus per gratiam Dei curam gerimus, te commi-
„ niſtro utamur. Experientes proinde, te ab infantia ſacras litteras didiciſſe,
„ profectuſque indolem ad augmentum crediti cœlitus talenti proſpectu divi-
„ ni timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cœleſtis oraculi in labo-
„ rem ſalutiferæ prædicationis, ad innoteſcendum gentibus incredulis my-
„ ſterium Fidei inſtanti conatu expendere; collætamur fidei tuæ, & ad-
„ jutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmiſſi conatus pium
„ affectum uſque ad apoſtolicæ Sedis modeſta proviſione perduxiſti conſul-
„ tum, ut membrum ex membro proprii corporis caput requirens, motum
„ mentis probares, capitiſque arbitrio humiliter te ſubmittens & ejus dire-
„ ctioni, juſto tramite properans, ſolidati * compaginis plenitudo exſiſtas; * al. ſoliditati
„ ideo in nomine indiviſibilis Trinitatis per inconcuſſam auctoritatem B. Petri
„ Apoſtolorum Principis, cujus doctrinæ magiſterio fungimur & locum ſa-
„ cræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præ-
„ cipimus, ut in verbo Dei (quo igne ſalutifero, quem Dominus mittere
„ venit in terram, enitere videris) ad quaſcumque gentes infidelitatis errore
„ detentas properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſi-
„ nuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes;
„ & per ſpiritum veritatis & dilectionis ac ſobrietatis, prædicationem utriuſ-
„ que Teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſcipli-
„ nam denique Sacramenti, quam ad initiandos Deo prævio credituros te-
„ nere ſtudeas, ex formula officiorum ſanctæ noſtræ Sedis apoſtolicæ, inſti-
„ tutionis tuæ gratia prælibata volumus ut intendas. Quod actioni ſuſceptæ
„ tibi deeſſe perſpexeris, nobis, ut volueris, intimare curabis. Bene vale.
„ Data Idus Maji, imperante domino piiſſimo Auguſto Leone ſecundo, a
„ Deo coronato, anno tertio Imperii ejus, Indict. II. * *anno 719.

His litteris acceptis a venerabili Papa, profectus eſt inde ad Longobardorum Regem LIUTPRANDUM, a quo honorifice ſuſceptus aliquamdiu cum eo eſt hoſpitatus. Profectus vero exinde, ardua & prærupta Alpium juga tranſſcendit, incognitoſque Bagoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans, in Turingiam devenit, conſiderans & explorans in omnibus inſtar prudentiſſimæ apis, ubi poſtmodum nectaream ſanctæ Fidei dulcedinem colligere poſſet. Cumque per aliquot dies in Turingia commoraretur, interim omnes illius provinciæ Principes verbis ſpiritualibus alloquens, ad ſacræ Fidei agnitionem totiuſque Religionis tramitem revocavit. Sed & Sacerdotes, quos ſceleribus variis deditos comperit, ſermonibus evangelicis admonens, ad inſtitutionis canonicæ normam correxit. Interea vero audita RATBODI Freſonum Regis morte, qui perſecutionem magnam per idem tempus in Chriſtianos exercuit, magno repletus gaudio in Freſiam navigando devenit: ibique verbi divini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. X. Friſia adita verbum Dei adnuntiat.

Sub eodem quoque tempore per venerabilem WILLIBRORDUM Trajectenſis Eccleſiæ Præſulem buccina cœleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit; cujus XI. S. Vvillibrordo collaborans, Epiſcopus fieri recuſat.

AN.CHR. 754 5. Junii. cujus ſtudio ſanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laboravit cum illo, tam in deſtruendis fanis quam in conſtruendis Eccleſiis, omnibuſque negotiis divinis. Unde factum eſt, ut quia prædictus Pontifex ætate jam decrepita gravatus, ſuggerentibus diſcipulis, ſolatium ſuæ ſenectuti providere cupiebat; hunc Dei famulum ad epiſcopalis regiminis ſuſcipiendum gradum regendumque ſibi commiſſum populum unice obſecraret. Sed ille talia humiliter reſpuens, minime ſe dignum eſſe epiſcopali gradu referebat; & ne ſibi in annis adoleſcentiæ adhuc conſtituto tantæ dignitatis faſtigium imponeret, precibus omnibus inſtabat; atteſtans etiam, quia, juxta canonicæ inſtitutionis præcepta, necdum quinquageſimi anni ætatem, qui hujus gradus culmini conveniret, pleniter reciperet. Prædicto vero Pontifice blandis illum verbis increpante & ad ſuſcipiendum Epiſcopatus ordinem inſtigante, diverſiſque pro hac ſpirituali contentione verbis invicem prolatis, hic ſanctus vir in tanto agone poſitus, placitum tandem excuſationis ſermonem protulit, dicens: „ Onus regiminis, „ quod mihi indigno imponere cupis, ſancte Præſul, ſuſcipere non audeo, „ quia a B. Gregorio Papa in Germaniam ob evangelizandi cauſam directus „ ſum, ipſiuſque legationis gratia in has barbaras nationes adveniens, ſponte „ me gubernationis imperio ſubjeci. Tantum ergo mandatum præterire & „ aliud quodlibet negotium ſubire nullatenus præſumo. Unde, Pater vene„ rande, obſecro ut in illas regiones ad quas a Præſule apoſtolico miſſus ſum, „ cum tua gratia ſimul & licentia tranſire merear. Hæc audiens S. Willibrordus, data benedictione permiſit eum abire.

XII. Heſſones aliosque convertit ad Chriſtum. Ille vero exinde proficiſcens, pervenit ad locum, cui nomen eſt *Amanaburg*, Deum ubique habens conviatorem, cujus etiam virtute atque protectione ſuffultus, quocumque perrexit, ubique ſacræ doctrinæ notitiam dilatavit. Cumque ingentem populum Domino in Freſia prædicando adquireret, multique ab ejus ſpirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis pervenirent, adeo ut ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, DIETIH videlicet & DIERoROLF, Domino Deo auxiliante obtinens, collecta non pauca Fratrum congregatione, Monaſterium conſtrueret. Tunc etiam alias Germaniæ partes prædicandi cauſa adiit, Heſſones videlicet in Saxonum confinio poſitos. Quos cum ſimiliter a paganicæ ſuperſtitionis cultu magna ex parte converteret, multaque millia hominum Baptiſmatis Sacramento abluiſſet, miſit quemdam ex ſuis fidelem nomine BINNAM ad Romam cum litteris, denuntians venerando Præſuli apoſtolico univerſa, quæ circa illum divina pietas egerit, quantaque multitudo hominum ſancti Spiritus gratia illuſtrata, regenerationis lavacrum ab eo ſuſceperit. Sed & de rebus variis quæ ad quotidianam regulæ eccleſiaſticæ neceſſitatem populique noviter converſi curam pertinebant, prudenti interrogatione conſcripſit. Prædictus vero legatus cuncta ſibi commiſſa fideliter complens, apoſtolico Præſuli miſſas detulit litteras, aliaſque ab illo ſuper univerſis quæſtionibus propoſitis continenter reſponſa Magiſtro ſuo deferens quantocius rediit.

Binnam mittit Romam.

XIII. Romam ipſe a Gregorio vocatus, Cum autem ſanctus vir delatas legiſſet litteras, ſeque inter cetera invitatum ad Romam intellexiſſet; mox ſummum obedientiæ gradum contendens, clientum Fratrumque circumſeptus agmine Italiæ fines adiit, ac Romanæ urbis mœnibus inſpectis, omnipotenti Deo condignas gratiarum laudes retulit, ſeſeque beatorum Apoſtolorum patrocinio commendavit. Deinde comperto ſancti viri adventu ſtatim venerabilis Papa GREGORIUS illum ad ſe invitavit, & verbis familiaribus ſalutatum honorifico xenodochio deputavit. Adveniente vero opportuno collocutionis eorum die, ad Eccleſiam B. Petri Apoſtoli hic Dei famulus invitabatur. Ubi cum ſe mutuis ac pacificis ſatiaſſent colloquiis, Præſul apoſtolicus illum de Symbolo Fideique catholicæ traditione inquiſivit. Ad hæc vir Dei reſpondit dicens: „ Quia, domne Apoſtolice, inquiſitioni tantæ in communi ſermone idoneus

Fidei ſuæ reddit rationem.

„ non

„ non ſum reſpondere, quæſo ut Fidei quam a me exigis conſcribendæ tem- AN.CHR.
„ pus mihi concedas; ſicque mutis tantum litteris denudatam agnoſcere va- 754
„ leas. Quam petitionem cum Papa benigne ſuſciperet atque concederet, 5. Junii.
parvo dehinc tempore tranſacto vir Domini ſanctæ atque catholicæ Fidei ſententiam omni convenientia & eloquentia prolatam litteris præfato Principi obtulit. At ille lectis eiſdem litteris, eum juxta ſe ſedere fecit, & ut hujuſmodi Fidem conſtanter retineret, diligenter edoceret admonuit: multa quoque de religione ſpiritalis vitæ cum illo conferens, ita ut interdum integrum pene diem colloquendo ducerent. Ad extremum quot populi per devia idololatriæ vel facinorum prius oberrantes, Fidei documenta prædicatione perciperent ſciſcitatus eſt.

XIV. Epiſcopus ab eodem ordinatur.

Cumque Apoſtolico de his omnibus ſatisfeciſſet reſpondendo, tunc ille intimavit ſancto viro, quia Epiſcopatus gradum ſibi imponere voluiſſet, ut eo conſtantius errantes quoslibet corrigere, & ad viam veritatis convertere poſſet, quo majori auctoritate apoſtolicæ dignitatis fulciretur: eſſetque cunctis tanto acceptior in prædicandi officio, quanto plus clareſceret, quia ad hoc a Præſule ordinatus eſſet apoſtolico. Quæ omnia vir Dei ſagaciter perpendens, ſimulque cavens quod ſcriptum eſt: *Qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo;* (Pſalm. 108) benedictionis tantæ gratiam non recuſavit. Adveniente ergo ordinationis ejus die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc eſt in natali S. Andreæ Apoſtoli, impoſuit ei venerabilis Papa & Epiſcopatus ordinem, & alterius nominis (quod eſt BONIFACIUS) dignitatem: nam antea WINFRID dicebatur. Deinde ut eum ad obedientiam ſibi ſucceſſoribuſque ſuis exhibendam, necnon ad omnem ſacræ Fidei traditionem obſervandam artius conſtringeret, exegit & accepit ab eo juramentum, quod ſcilicet in antiquis exemplaribus invenitur ita ſcriptum.

Profeſſionem ſubjectionis exhibet Papæ.

„ IN nomine Domini Dei Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI, imperante domino LEONE magno Imperatore anno ſeptimo [a] poſt conſulatum ejus; ſed & CONSTANTINI magni Imperatoris ejus filii anno quarto, Indictione ſexta: Promitto ego BONIFACIUS, Dei gratia Epiſcopus, tibi, beate Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ & ſucceſſoribus ejus, per Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem Fidem & puritatem ſanctæ Fidei catholicæ exhibere, & in unitate ejuſdem Fidei Deo operante perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur: nullo modo me contra unitatem communis & univerſalis Eccleſiæ ſuadente quopiam conſentire; ſed, ut dixi, Fidem & puritatem meam atque concurſum tibi & utilitatibus tuæ Eccleſiæ, cui a Domino Deo poteſtas ligandi ſolvendique data eſt, & prædicto Vicario tuo atque ſucceſſoribus ejus per omnia exhibere. Sed & ſi cognovero Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum Patrum converſari, cum eis nullam habere communionem aut conjunctionem; ſed magis, ſi valuero prohibere; prohibeam: ſin minus, hoc fideliter ſtatim domno meo Apoſtolico renuntiabo. Quod ſi (quod abſit) contra hujus promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo ſeu ingenio vel occaſione tentavero, reus inveniar in æterno judicio, ultionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumſerunt. Hunc autem indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque

[a] Sirmondus ex codicibus Remenſi & Pithœano reponit *anno* 6. probatque eoquod Leo Iſaurus imperium inierit 8. Kalend. Aprilis, & mox, ut conjectura eſt, conſulatum proximis Kalendis anno Chriſti 717. obtinuerit Indict. 15 Bonifacius autem conſecratus ſit prid. Kalend. Decemb. Indict 6 proindeque anno imperii & conſulatus Leonis VI. Chriſti 722. Sirmondo favet Marianus Scotus in Chronico. Verum retinendus videtur annus Leonis ſeptimus; & Indictio ſexta non a die 25. Septembris, ſed a Kalendis Januariis hoc loco numeranda. Quippe Bonifacius ex primo itinere Romano ſe recepit in Germaniam ſub finem anni 719. tum Vvillibrordo adhæſit per annos tres: deinde Saxones & Heſſones convertit ad Fidem: quo negotio minimum intra unum annum expleto Romam evocatus, a Gregorio II. epiſcopalem conſecrationem accepit anno 723. Certe Gregorius Papa in epiſtola cap. 17. referenda, data *Kalend. Decembris*, Leonis Imp. *annum* 7. & *Indict.* 6. apponit.

AN.CHR. „ ponens ſupra ſacratiſſimum corpus *a* S. Petri, ita, ut præſumtum eſt,
754 „ Deo teſte & judice feci ſacramentum, quod & conſervare promitto.
5. Junii. XV. Poſtquam ergo hujuſmodi promiſſionem jurando coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipſe eum in omnibus adjuvare, præferre, & venerari ſtuduit. Nam libellum in quo ſacratiſſima eccleſiaſticæ inſtitutionis jura pontificalibus digeſta conventibus habebantur, ei donavit, præcipiens ut tam Clerus quam ceteri populi ſuo regimini ſubjiciendi inſtitutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem Sedis apoſtolicæ ſibi omnibuſque ſibi ſubjectis perenniter reſervandam privilegio confirmavit: ſicque eum litteris tranſmiſſis non ſolum KAROLO Duci glorioſo, qui per idem tempus Francorum Regnum gubernabat; ſed etiam univerſis eccleſiaſticis viris Principibuſque in Germania conſtitutis muniendum commendavit. Litterarum autem tunc miſſarum exemplaria, quia locus præſens exigit ut inſerantur; hic jam inſerere cupimus, primum quidem quæ ad Karolum Ducem, deinde vero quæ ad ceteros Principes directæ ſunt proponentes.

Litteris Papæ commendatur,

XVI. *Primum Karolo Duci Francorum,*

„ DOmno *glorioſo filio* KAROLO *Duci*, GREGORIUS *Papa*. Compe„ rientes te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere, „ in multis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo „ dilectæ tuæ dignitati, præſentem Fratrem Bonifacium, fide & moribus „ approbatum, a nobis Epiſcopum conſecratum, atque inſtitutionibus ſanctæ „ Sedis apoſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ generali ſollicitu„ dine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis ac diverſis in „ orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus, gentilitatis errore detentis, „ vel adhuc ignorantiæ obſcuritatibus præpeditis, neceſſario deſtinare. Pro „ quibus eum glorioſæ benevolentiæ tuæ omnimodo commendamus, ut eum „ in omnibus neceſſitatibus adjuvetis, & contra quoslibet adverſarios, quibus „ in Domino prævaletis, inſtantiſſime defendatis, certiſſime retinentes, Deo „ vos exhibere, quæcumque huic promtiſſimo impenderitis favore: qui ſan„ ctis Apoſtolis ſuis, ad lucem gentium deſtinatis, ſuſcipientibus eos ſe ſu„ ſcipiendum prædixit: quorum inſtitutionibus per nos informatus præmiſſus „ Antiſtes, in ſorte prædicationis procedit.

XVII. *deinde Epiſcopis, &c.*

„ GRegorius *Epiſcopus*, *ſervus ſervorum Dei*, *univerſis reverentiſſimis &* „ *ſanctiſſimis Fratribus Coepiſcopis*, *religioſis Presbyteris ſeu Diaconibus*, „ *glorioſis Ducibus*, *magnificis Caſtaldis* b, *Comitibus etiam vel cunctis Chriſtia*„ *nis Deum timentibus*. Sollicitudinem nimiam gerentes pro ſpeculatione cre„ dita, quia in umbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus vel plaga „ orientali Rheni fluminis, antiquo hoſte ſuadente, errare & quaſi ſub Re„ ligione Chriſtiana idolorum culturæ eos ſervire cognovimus; aliquos vero „ qui necdum Dei cognitionem habentes, nec Baptiſmatis ſacri unda ſunt lo„ ti, ſed comparatione brutorum animalium pagani, Factorem non recogno„ ſcunt; neceſſario pro utrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ Fi„ dei verbum harum litterarum portitorem Bonifacium reverentiſſimum Fra„ trem noſtrum Epiſcopum ad eaſdem partes dirigere ſtuduimus, ut & il„ lis prædicando verbum ſalutis, vitam provideat ſempiternam, & ſi quos „ forte vel ubicumque a rectæ Fidei tramite deviaſſe cognoverit, aut aſtu„ tia ſuaſos diabolica erroneos repererit, corrigat, atque ſua educatione ad „ portum reſtituat ſalutis, eoſque ex apoſtolicæ Sedis hujus doctrina infor„ met, & in eadem catholica Fide permanere inſtituat. Cui hortamur ob „ amorem Domini noſtri JESU-CHRISTI & Apoſtolorum ejus reverentiam, „ ut in omnibus ſolatia exhibeatis, eumque in nomine JESU CHRISTI re-
Joan. 13. „ cipiatis, ut ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis: *Qui vos recipit*, *me recipit*.
„ Pro-

---

a Hinc recte colligit Serarius in lib. 3. hiſtoriæ Moguntinæ Notatione 15. Bonifacium fuiſſe ordinatum in Vaticano, ubi S. Petri corpus quieſcit.

b Aliis *Guaſtaldis*, qui villas ſeu cortes regias procurabant, Gallis *Domeſtici* dicti.

„ Providentes inſuper neceſſaria itineris ejus, comiteſque tribuentes, ci- AN.CHR. 754 5. Junii.
„ bum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit largientes: ut uno labore
„ & ſocia voluntate opus ſibi creditum pietatis & negotium ſalutis an-
„ nuente Deo perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini,
„ deque converſione errantium merces vobis adſcribatur in cœlis. Si quis
„ itaque huic Dei famulo ad illuminationem gentium ab hac apoſtolica
„ atque catholica Dei Eccleſia deſtinato, adſenſum vel concurſum præ-
„ buerit, exorantibus Apoſtolorum Principibus conſortium mereatur ſan-
„ ctorum Martyrum Chriſti JESU. Si quis vero (quod non optamus)
„ adverſari ejus labori conatus fuerit, aut contrarius exſtiterit miniſte-
„ rio ſibi credito, ſucceſſorumque ejus in eumdem laborem intrantium;
„ ex ſententia divina anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi
„ ſubjaceat. Data Kalend. Decembr. imperante domno piiſſimo Auguſto
„ LEONE, imperii ejus anno 7. ſed & CONSTANTINI Imperatoris ejus
„ filii anno 4. Indict. 6.

„ GRegorius *Epiſcopus*, *ſervus ſervorum Dei*, *Clero & plebi dilectiſſimis* XVIII. Clero & plebi,
„ *filiis in Domino ſalutem*. Probabilibus deſideriis nihil tarditatis præ-
„ ſtantes, Fratrem jam Coepiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordina-
„ vimus Sacerdotem: cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinatio-
„ nes præſumat illicitas, ne bigamum aut qui virginem non eſt ſortitus
„ uxorem, neque illitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, NOTA.
„ aut ex pœnitente, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium notatum-
„ que, ad ſacros Ordines permittat accedere: ſed ſi quos hujuſmodi re-
„ pererit, non audeat promovere. Afros paſſim ad eccleſiaſticos Ordines
„ prætendentes nulla ratione ſuſcipiat: quia aliqui eorum Manichæi, ali-
„ qui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Miniſteria atque ordinatum * Ec- * al. ornatum
„ cleſiæ, vel quidquid illud eſt in patrimonio ejuſdem, non minuere ſtu-
„ deat, ſed augere. De redditu vero Eccleſiæ vel oblatione Fidelium qua-
„ tuor faciat portiones, quarum unam ſibi ipſe retineat, alteram Cleri-
„ cis pro officiorum ſedulitate diſtribuat; tertiam pauperibus & peregri-
„ nis, quartam eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam, de quibus di-
„ vino erit redditurus judicio rationem. Ordinationes vero Presbyterorum
„ ſeu Diaconorum, nonniſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis jejuniis,
„ ſed & in ingreſſu Quadrageſimali atque medio veſpere Sabbato ſacro no-
„ verit celebrandas. Sancti autem Baptiſmi Sacramentum non niſi in Pa-
„ ſchali feſtivitate & Pentecoſtes noverit eſſe præbendum, exceptis his
„ quibus mortis urgente periculo, ne in æternum pereant, talibus opor-
„ tet remediis ſubvenire. Huic ergo Sedis noſtræ præcepta ſervanti de-
„ votis animis obſequi vos oportet, ut irreprehenſibile placidumque fiat
„ corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum. Deus incolumes
„ vos cuſtodiat, dilectiſſimi Filii.

Has quidem duas ſupra ſcriptas epiſtolas communiter omnibus Principibus in Germania conſtitutis; duas vero ſequentes ſpecialiter Turingis Principibus miſit prædictus Papa.

„ VIris *magnificis* ASOLFO, GODOLAO, VILARIO, GUNTHA- XIX. Principibus Turingis.
„ RIO, ALBORDO, *& omnibus Deo dilectis Turingis fidelibus Chriſtia-*
„ *nis*, GREGORIUS *Papa*. Inſinuatam nobis magnificæ fidei veſtræ conſtan-
„ tiam agnoſcentes, quod paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide
„ plena reſponderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem ſemel in Chri-
„ ſto acceptam aliquatenus violare: repleti nimia exſultatione, gratias debi-
„ tas perſolvimus Deo noſtro & Redemtori bonorum omnium largitori: cu-
„ jus gratia comitante vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad
„ confirmandum fidei veſtræ propoſitum, ſanctæ Sedi apoſtolicæ religioſis
„ mentibus adhærere; & prout opus popoſcerit ſacræ Religionis, a memo-

AN.CHR. 754 5. Junii, „ rata ſancta Sede apoſtolica, ſpirituali omnium Fidelium matre, ſolatium „ quærere, ſicut decet filios coheredes regni. Miniſterio quoque præſentis „ Fratris cariſſimi Bonifacii, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte „ prædicationis deſtinavimus, apoſtolicis inſtitutionibus informatum ad in„ ſtruendam fidem veſtram, in omnibus volumus & hortamur obedientes „ ei conſentire, ad complementum in Domino veſtræ ſalvationis.

XX. & populo Turingorum. „ GRegorius *ſervus ſervorum Dei*, *univerſo populo Turingorum*. Dominus „ JESUS-CHRISTUS Filius Dei, Deus verus qui de cœlo deſcen„ dit, homo factus eſt, pro nobis pati & crucifigi dignatus eſt, & ſe„ pultus tertia die reſurrexit a mortuis, & adſcendit in cœlum, diſcipu„ lis etiam ſuis ſanctis ait; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in* Matth. 28. „ *nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*; ipſe in ſe credentibus vitam „ æternam promiſit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiſcum gaude„ re, ubi finis nullus eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed glo„ ria ſempiterna; ideo Fratrem noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſco„ pum ad vos direximus, ut vos debeat baptizare & Fidem Chriſti do„ cere, & ab errore ad viam ſalutis adducere, ut ſalutem habeatis & „ vitam ſempiternam. Sed & vos ei iu omnibus obedite, & ſicut pa„ trem veſtrum, illum honorate, & ad ejus doctrinam corda veſtra in„ clinate: quia illum non pro lucro aliquo temporali adquirendo direxi„ mus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligi„ te ergo Deum, & in nomine ejus Baptiſmum ſuſcipite: quia Dominus „ Deus noſter, quod oculus hominis numquam vidit, nec in cor homi„ nis adſcendit, præparavit diligentibus ſe. Jam recedite a malis operi„ bus, & bene agite. Non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia „ Deus non recipit iſta: ſed in omnibus ſecundum quod vos Frater no„ ſter Bonifacius docuerit, obſervate & agite, & ſalvi eritis vos & filii „ veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, ubi debeat ipſe Pater „ veſter habitare, & Eccleſias ubi debeatis orare, ut Deus vobis indul„ geat peccata veſtra, & donet vobis vitam perpetuam.

XXI. Altſaxonibus. „ GRegorius *Papa univerſo populo provinciæ Altſaxonum*. Sapientibus & „ inſipientibus debitor ſum, Fratres cariſſimi. Ideoque volens vos „ ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro his qui ver„ bum exhortationis Fidei JESU-CHRISTI Domini noſtri ſuſceperunt, „ & qui adhuc ſuſcepturi ſunt, ut conſolentur corda veſtra instructa in „ caritate & in omni plenitudine ſapientiæ; adnuntio vobis, quoniam „ prope eſt regnum Dei, ut nemo vos amplius decipiat in ſublimitate „ verborum, aut in quocumque metallo ſalutem veſtram quæratis, ado„ rantes idola manu facta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de qua„ cumque materia facta: quæ falſidica nomina a paganis antiquitus qua„ ſi dii facti ſunt, in quibus dæmones habitare noſcuntur: quoniam om- Pſalm. 95 „ nes dii gentium, ut ait Scriptura, dæmonia ſunt: Deus autem noſter „ cœlos fecit. Quicumque autem in vobis ſuſceperunt Chriſtum JESUM „ Dominum noſtrum, in ipſo ambulent radicati & ſuperædificati & con„ firmati in fide, abundantes in gratiarum actione. Videte ne quis vos „ amplius decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam: aſtutiores enim „ ſunt filii tenebrarum quam filii lucis. Diſcedite ab idolorum cultura, „ & accedite, & adorate Dominum Deum veſtrum, qui fecit cœlum & „ terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: & vultus veſtri non erube„ ſcent. Unus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum & pi„ ſcium, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Exſpoliate vos ergo ve„ terem hominem, & induite Chriſtum novum, deponentes iram, indigna„ tionem, malitiam, blaſphemiam: turpem quoque ſermonem nolite de ore „ veſtro proferre. Jam enim adveſperaſcit dies ſæculi, & tempus tenebra-

„ rum

„ rum appropinquat. Ideoque nolite eſſe otioſi, ſed potius operamini opus bonum, ut Chriſtus habitet in vobis: & quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, gratias agentes Deo Patri per ipſum, reſpuentes gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi inſtantes, ad ipſum Dominum cor erigite: quoniam magnus eſt Dominus Deus noſter & laudabilis nimis, & terribilis ſuper omnes deos, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Hoc etiam commoneo, Fratres, ut quicumque ex vobis voluerit ad Chriſtum converti, nullo modo eum prohibeatis, nec vim ei faciatis ſculptilia adorare. Miniſtrum quoque & conſervum in Domino, quem miſi ad vos, Bonifacium ac Coepiſcopum meum, ad hoc ipſum ut cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo, in Chriſto JESU, Domino noſtro ſuſcipite, ut a diabolica fraude liberati, mereamini adoptionis filiis aggregari.

AN. CHR. 754 5. Junii.

XXII. *Karolo Duce probante, Heſſos aggreditur.*

Tantarum itaque litterarum auctoritate ſuffultus ſanctus Præſul Bonifacius, proficiſcitur in Germaniam: venienſque ad præfatum Principem KAROLUM, litteras ei Romani Pontificis detulit, ſeſeque illius dominio atque patrocinio ſubjiciens, cum conſenſu ejus in Heſſorum metas, quibus & antea prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergo adveniens, reperit plures ex eis relicta Chriſtianæ Religionis cultura variis erroribus implicatos. Alii namque lignis & fontibus clam vel aperte ſacrificabant, alii vero aruſpicia & divinationes, præſtigia & incantationes exercebant: quidam autem alia nefanda quædam ſacrilegia intendebant, pauci in via veritatis quam ſemel acceperant perſtiterunt. Quorum etiam conſilio arborem quamdam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellabatur Arbor-Jovis, in loco qui dicitur Geſmere, ſervis Dei ſecum adſtantibus ſuccidere tentavit. Ad ejuſmodi autem arboris inciſionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in ſanctum virum, velut inimicum deorum ſuorum, inter ipſa inciſionis opera irruere & interficere. Sed dum eadem paullulum incideretur, mox quaſi nutu divino agitata, in quatuor partes diſrupta eſt. Quo viſo pagani qui illuc mente perverſa convenerant, abjicientes omnem malitiam benedicenteſque Deo crediderunt. Tunc ſanctus Præſul conſilio inito cum Fratribus, ex illa ingentis arboris mole Oratorium conſtruxit, hocque in honorem S. Petri Apoſtoli dedicavit.

XXIII. *In Turingia falſos Chriſtianos revincit.*

His itaque peractis, ad Turingiam quoque profectus eſt, illiuſque populi Principes magna ex parte a Chriſtiana Religione deficientes corrigere ſtuduit. Poſtquam enim religioſorum Ducum dominatio in eis ceſſavit, ceſſare etiam Chriſtianæ Religionis intentio cœpit; falſique quidam Chriſtiani, quorum nomina ſunt DROTHWIN & BERTHERI, CANBERETH & HUNRED, inter eos hoſpitantes, maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt ſectam. Qui ſcilicet fornicatores & adulteri cum validiſſimum adverſus hominen Dei excitarent conflictum, veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam recompenſationis ſortiti ſunt ſententiam. Nam excommunicati & expulſi ſunt de Eccleſia. Cum autem prædicationis ejus fama undique emanaret, credentiumque multitudo excreviſſet; Eccleſiæ inſtaurantur, Monaſteria ædificantur. Tunc etiam congregata ſervorum Dei multitudine, conſtructum eſt Monaſterium in loco, qui dicitur *Ordorf*, ſub honore S. Michaelis Archangeli. Qui ſcilicet omnes apoſtolico more viventes, labore proprio victum veſtitumque adquiſierunt. Cur autem in honore S. Michaelis conſtructum fuerit idem Monaſterium, breviter dicendum. Nam cum S. Bonifacius prædicando & baptizando in Turingiam tranſiret, & prope flumen cui nomen eſt Oraha, tentoriis fixis pernoctaret; tunc per totam noctem lux magna de cœlo ſeſe protendens, locum ubi manebat Epiſcopus circumfulſit: in qua etiam luce S. Michael Ar-

Ordorfenſe Monaſterium condit Michaeli, qua occaſione.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

Archangelus adveniens, Epiſcopo apparuit, eumque alloquens, in Domino confortavit. Mane itaque facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Miſſarum ſollemnia celebravit. Deinde in eodem loco prandium ſibi parari præcipiens, ſed a miniſtro ſuo audiens, cibum quo veſci poſſet ſe non habere, reſpondit: Nonne qui multitudinem populi in deſerto quadraginta annis manna de cœlo miſſo potuit paſcere, mihi indigno ſervo ſuo non prævalet ad unius diei refectionem eſcam impendere? Hæc cum dixiſſet, ut menſa ſibi apponeretur præcepit. Interea quædam avis advolans, piſcem talem qui ad unius diei refectionem ſufficeret attulit, & ante menſam projecit. Quo viſo ſanctus Præſul Deo gratias retulit, piſcemque allatum cito præparari juſſit. Illo vero præparato & comeſo, reliquias in flumen projici præcepit.

XXIV. Exinde cœptum carpens iter & Turingiam peragrans, diligenter inveſtigavit, cujus ille locus eſſet, ubi viſio tanta ſibi apparuit. Compertoque quod HUGO, qui dicebatur Senior, illius loci poſſeſſor eſſet, petiit ab eo, ut ſibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Turingorum hereditatem ſuam tradidit venerando Præſuli; deinde vero ALBOT aliique plures contigua prædicto loco prædia tradiderunr. His igitur adeptis S. Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta exſtirpare, terramque incolere juſſit, & jacto fundamento Eccleſiam conſtrui fecit. Hæc autem in libro quodam antiquo ſcripta reperiens, ideo inſerere decrevi, ut agnita cauſa unde Monaſterium prædictum exſtructum fuerit, & ipſe locus, & fundator ejus angelica viſitatione digni, ſub veneratione majori habeantur.

Unde hæc acceperit

XXV. Cooperatores ex Britannia adſcribit.

Prædicans ergo & baptizans ſanctus Præſul Bonifacius in Turingorum & Heſſorum regionibus, perſpexit meſſem quidem eſſe multam ibi, ſed operarios paucos ad copioſam multitudinem credentium inſtruendam. Unde in provinciam patriamque ſuam mittens, exinde tam feminas quam viros religioſos, ſcientiaque varia imbutos plures venire fecit, ſuique laboris onus inter eos diviſit. Inter quos erant præcipui viri BURCHARDUS & LULLUS, WILLIBALT & WUNNIBALT frater ejus, WITTA & GREGORIUS *a*: feminæ vero Religioſæ, matertera ſcilicet S. Lulli, nomine CHUNIHILT, & filia ejus BERATHGIT, CHUNIDRUT, & TECLA, LIOBA & WALTPURGIS ſoror Willibaldi & Wunnibaldi. Sed Chunihilt & filia ejus Berathgit valde eruditæ in liberali ſcientia, in Turingorum regione conſtituebantur Magiſtræ; Chunitrud in Bagoariam deſtinata eſt, ut verbi divini ſemina ibidem ſpargeret; Tecla vero juxta fluvium *Moin*, in locis *Kibbingen b* & *Ochſnofrutt* nuncupatis collocavit; Liobam quoque ad *Biſcofeſcbein*, ut illic multitudini Virginum congregatæ præeſſet conſtituit.

XXVI. Gregorio III. nuntios miſit.

* f. producta

Cumque millia hominum tam per ſe quam per ſuos provinciales ad Fidem ſacram perducta * Baptiſmatis unda diluiſſet, jam defuncto beatæ memoriæ GREGORIO ſecundo Sedis apoſtolicæ Præſule, & tertio GREGORIO eamdem ſedem obtinente, iterum B. Bonifacius Romam legatos miſit, qui apud Præſulem prædictum prioris amicitiæ fœdera renovantes, omnem familiaritatis gratiam quam ab anteceſſore ſuo habuiſſet expeterent, omnemque ſubjectionem apoſtolicæ Sedi debitam a ſe promitterent, converſionem quoque plurimorum in Germania habitantium intimarent. Poſtquam vero legati ſupradicti Romam venientes, venerabili Papæ

---

a Paullo aliter Anonimus. *Alios ex gente ſua, alios ex parte Franciæ, nonnullos etiam de finibus Hiberniæ elegit, quatinus adeſſent ſibi cooperatores in vinea Domini. Ex quibus fuerunt hi:* VVIGBERTUS *ex parte Anglorum, beatus vero* GREGORIUS *ex nobili proſapia Francorum;* STURMI *vero venerabilis &* LUL, MEGINGOT, VVILLIBALDUS, *ſuuſque germanus* VVNIBALDUS, *& alii quamplurimi*. Lege acta SS. Liobæ & Vvalpurgis infra.

b Chitzzinga appellatur in Vita S. Sturmii num. 14. nunc opidum ſitum ad Mœnum fluvium in Franconia, ſub ditione Marchionis Ambacenſis Lutherani.

Digitized by Google

AN.CHR. 754

5. Junii. Pallium ab eo accipit cum epiſtola.

Papæ talia denuntiabant, ſtatim Deo gratias retulit : deinde non ſolum omnia familiaritatis & amicitiæ jura a S. Bonifacio poſtulata promiſit, ſed etiam ea quæ minime petiit, idem Archiepiſcopatus Pallium direxit; Epiſtolam quoque continentem diverſa, pro quibus interrogatus fuerat, Præſuli ſancto remiſit, cujus exemplar ſubſequenter inſeretur.

„ REverentiſſimo *& ſanctiſſimo fratri* BONIFACIO *Coepiſcopo*, *ad illu-*
„ *minationem gentis Germaniæ*, *vel circumquaque in umbra mortis mo-*
„ *rantibus gentibus*, *in errore conſtitutis*, *ab hac apoſtolica Sede directo*, GRE-
„ GORIUS *ſervus ſervorum Dei*. Magna nos habuit gratulatio lectis ſanctiſ-
„ ſimæ fraternitatis tuæ litteris, cum in eis relecta ſerie fuiſſet repertum,
„ Domini noſtri JESU-CHRISTI gratia plurimos te a gentilitate & erro-
„ re ad veræ Fidei agnitionem convertiſſe. Quod quia divina inſtitutione
„ docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque
„ fuiſſe lucratum, in talis commercii lucro cum tota plaudimus Eccleſia.
„ Hinc jure tibi ſacri Pallii direximus munus, quod B. Petri Apoſtoli au-
„ ctoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos *a* unus, Deo
„ auctore præcipimus ut cenſearis. Qualiter autem eo utaris, ex manda-
„ to apoſtolico informatus agnoſce. Itaque dum Miſſarum ſollemnia ge-
„ ris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore
„ eo utaris. Quia vero turbas Domini gratia in eiſdem partibus ad re-
„ ctam Fidem adſeruiſti converſas, ideoque nequire te occurrere omnibus
„ quæ ſalutis ſunt impendere aut intimare, cum jam longe lateque gratia
„ Chriſti, ejus Fides in illis propagetur; præcipimus, ut juxta ſacrorum
„ Canonum ſtatuta, ubi multitudo excrevit Fidelium, ex vigore apoſtoli-
„ cæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, ut non
„ vileſcat dignitas Epiſcopatus. Presbyterum namque quem præterito ad-
„ ſeruiſti anno ad nos veniſſe, noſtroque judicio fuiſſe a ſuis nefariis ab-
„ ſolutum actionibus; credas neque nobis confeſſionem aliquam fecit, nec
„ a nobis ut ſuos expleat libitus, abſolutus eſt. Sed ſi eum errori deditum
„ repereris, hunc apoſtolicæ Sedis vigore ut juxta Sanctorum Canonum cen-
„ ſuram corrigas & emendes præcipimus, vel ſi quos forſan tales inveneris.
„ Ille enim veniens, Presbyter ſum, ait: & commendatitias ad filium no-
„ ſtrum Karolum litteras expetiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam:
„ quem vitari, ſi prave converſatur, cum reliquis volumus, eoſdemque quos
„ a paganis baptizatos eſſe adſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in
„ nomine ſanctæ Trinitatis mandamus. Inter cetera agreſtem caballum ali-
„ quantos comedere adjunxiſti, pleroſque & domeſticum. Hoc nequaquam
„ fieri deinceps, ſanctiſſime Frater, ſinas, ſed quibus potueris Chriſto ju-
„ vante modis per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam.
„ Immundum enim eſt atque exſecrabile. Pro obeuntibus quoque conſu-
„ luiſti, ſi liceat oblationes offerri. Sancta ſic tenet Eccleſia, ut quiſque
„ pro ſuis mortuis vere Chriſtianis offerat oblationes, atque Presbyter eo-
„ rum faciat memoriam: & quamvis omnes peccatis ſubjaceamus, congruit
„ tamen, ut Sacerdos non niſi pro mortuis Catholicis memoriam faciat &
„ intercedat. Non enim pro impiis, quamvis Chriſtiani fuerint, tale quid
„ agere licebit. Eos etiam qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui a
„ Presbytero Jovi mactante & immolatitias carnes veſcente baptizati ſunt,
„ ut baptizentur præcipimus. Progeniem ſuam unumquemque uſque ad ſepti-

NOTA Pallii uſum.

De caballorum eſu & oblationibus pro mortuis, &c.

a Nempe Archiepiſcopus vagæ & incertæ ſedis, quod anno 732. contigit, Gregorio III. ſuffecto in demortui locum anno ſuperiori, quo Bonifacius nuncios ſuos Romam miſerat. De ſede Magontiacenſi Bonifacio attributa lege caput 37. infra. Ad Pallium ſpectat id quod ſcribit Bonifacius in epiſt. 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem. *Major nobis ſollicitudo Eccleſiarum & cura populorum propter Pallia credita & recepta, quam ceteris Epiſcopis qui proprias tantum procurant parochias, incumbit*. Lege epiſtolam 6. ad populares ſuos, ubi ſe duorum Pontificum Romanæ Eccleſiæ benedictionem accepiſſe ſcribit.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii. De pœnitentia homicidarum.

„ mam generationem obſervare decernimus : & ſi valueris, devitandum
„ doce, ne cui uxor obierit, amplius quam duabus debeat copulari. De his
„ vero qui patrem vel matrem vel fratrem aut ſororem occiderint, dici-
„ mus, ut toto vitæ ſuæ tempore corpus dominicum non ſuſcipiant, niſi in
„ ſuo exitu pro Viatico ; abſtineant etiam ſe a carnis comeſſatione & potu
„ vini, donec advixerint. Jejunent ſecunda, quarta, & ſexta feria, ut ſic
„ deflentes poſſint diluere commiſſum ſcelus. Hoc quoque inter alia crimina agi
„ in partibus illis dixiſti, quod quidam ex Fidelibus ad immolandum paganis
„ ſua venumdent mancipia. Quod ut magnopere corrigere debeas, Frater,
„ commonemus, ne ſinas fieri ultra : ſcelus enim eſt & impietas. Eis ergo
„ qui hoc perpetraverunt, ſimilem homicidæ indices pœnitentiam. At quo-
„ ties Epiſcopum conſecraveris, duo vel tres conveniant tecum Epiſcopi,
„ ut Deo ſit gratum quod geritur, & eis convenientibus ipſiſque præſenti-
„ bus conſecres. Hæc te, Frater cariſſime, diligenter obſervare volumus,
„ & ſtudio pietatis cœptum negotium ſalutis exſequi, ut de lucro apporta-
„ to valeas a Domino Deo noſtro mercedem percipere in æterna beatitudi-
„ ne. Privilegium vero juxta quod petiſti facientes, his junctum direxi-
„ mus, optantes te Domini Dei noſtri præſidio de converſione errantium
„ pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſ-
„ ſime Frater.

XXVII. Monaſteria duo extruit.

Redeuntes ergo nuntii, & gratioſa Præſulis apoſtolici dona ſcriptaque reportantes, lætiſſimum efficiunt S. Bonifacium. Unde & debitas Deo laudes gratiaſque agens, duas mox Eccleſias Domino conſtruxit, unam quidem in *Frideslar*, quam in honore Principis Apoſtolorum S. Petri conſecravit; alteram vero in *Hamanaburch*, quam in honore S. Michaelis Archangeli dedicavit. Duo quoque Monaſteriola duabus ſubjunxit Eccleſiis, hiſque non minimam Deo ſervientium concionem ſubrogavit, ubi hucuſque laudis & ſervitutis divinæ officia peraguntur. Quæ poſtquam geſta ſunt, S. Bonifacius Bagoariorum terras, quibus per idem tempus HUGBERTUS Dux præerat, adiit, prædicationiſque ſtudium apud eos diligentiſſime exercens, tanto divinæ æmulationis zelo armatus eſt, ut quemdam ſchiſmaticum hæretica pravitate plenum, nomine ERMWOLFUM, juxta canonum decreta damnaſſet *, atque ab Eccleſia expuliſſet. His peractis, rurſum ad eos qui ſub ſuæ gubernationis diœceſi commorabantur remeavit, circuiens ubique & inſtaurans quæ cura popoſcit Eccleſiarum.

* damnaverit

XXVIII. Romam tertio profectus, donaria refert & litteras,

Eo etiam tempore Romam ire decrevit, tam pro hoc ut apoſtolici Patris, cujus faciem necdum agnoverat, ſalubri frueretur agnitione ſimul & colloquio, quam ut ſe SS. Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum in urbe Romana quieſcentium orationibus commendaret. Profectus [a] ergo illuc, multa comitante turba Francorum & Bagoariorum, necnon ex Britannia convenientium, præſentatuſque Apoſtolico, benigne ſuſceptus eſt ab eo: tantaque a cunctis Romanis veneratione habebatur, ut multi ad ſalutarem ejus doctrinam confluerent, illumque diu ſecum retinerent. Poſthæc vero cum remeare decerneret, muneribus & reliquiis Sanctorum pro quibuſcumque petiit datis, honorifice ditatus eſt a Præſule apoſtolico. Adhuc etiam ei epiſtolas quaſdam Epiſcopis, Abbatibus atque Principibus cunctis in Germania conſtitutis tranſmittendas dedit; quarum exemplaria ſubſequenter his inſerentur.

„ Gre-

[a] Tertia hæc Bonifacii profectio Romana contigit haud dubie anno Chriſti 738. circiter autumnum; reditus vero anno inſequenti, quo cum Epiſcopos in provincia Bajoariorum inſtituiſſet, facti ſui approbationem a Gregorio Papa accepit 4. *Kalend. Novemb. imperii Leonis* 33. *Indict.* 8. id eſt anno 740. infra cap. 32.

AN. CHR. 754

5. Junii ad Epiſcopos,

„ GRegorius *Epiſcopus*, *ſervus ſervorum Dei*, *dilectiſſimis nobis omnibus*
„ *Epiſcopis*, *venerabilibus Preſbyteris*, *religioſis Abbatibus omnium provin-*
„ *ciarum*. Domino cooperante & ſermonem confirmante, præſens ſanctiſſi-
„ mus vir Bonifacius Frater ac Coepiſcopus noſter, a deceſſore noſtro ſan-
„ ctæ recordationis Gregorio Præſule in Germaniæ partes miſſus prædica-
„ re verbum Dei, poſt multum temporis orationis cauſa liminibus ſacris
„ beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præſentandus advenit. Qui per-
„ fecta oratione ad acceptum laborem, Angelo Domini præveniente, a
„ nobis eſt abſolutus: cui veſtra omnium dilectio ſeu reverentia & reli-
„ gioſitas propter Chriſti amorem juvamina impendere diligenter, dum &
„ agnoſcitis, quæ Dominus noſter JESUS-CHRISTUS promiſit, dicens:
„ *Qui ſuſcipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; &* Matth. 10.
„ *qui ſuſcipit Juſtum in nomine Juſti, mercedem Juſti accipiet*. Et ſi forſan quis
„ ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro in miniſterio exhortationis ſan-
„ ctæ catholicæque Fidei adjungere voluerit, nullo modo prohibeatis, cariſ-
„ ſimi; ſed magis concurſum præbete, & ex veſtro ovili adjutores ei tribui-
„ te, qui poſſint per Dei gratiam ſufficienter gentibus miniſtrare verbum
„ prædicationis, ut omnipotenti Deo animas lucrifaciant, ut & veſtra com-
„ munitas boni operis portionem ſortiatur, atque illi mereantur dominicam
„ vocem audire: *Vos qui reliquiſtis omnia; & ſecuti eſtis me, centuplum ac-* Matth. 19.
„ *cipietis, & vitam æternam poſſidebitis*.

XXIX. ad Optimates & populum Germaniæ,

„ GRegorius *Papa univerſis Optimatibus & populo provinciarum Germaniæ*,
„ *Turingis & Heſſis*, *Borthariis & Niſtreſis*, *Vuedrevis & Lognais*, *Sud-*
„ *vodis & Graveldis*, *vel omnibus in orientali plaga conſtitutis*. Quoniam de-
„ ceſſor noſter ſanctæ recordationis Gregorius Præſul nutu divino motus,
„ ad faciendam Deo plebem perfectam, præſentium portitorem littera-
„ rum Bonifacium reverentiſſimum Fratrem noſtrum ac Coepiſcopum or-
„ dinans, ad vos uſque deſtinavit, eumque regulam & normam apoſtolicæ
„ & catholicæ Fidei edocens direxit, & poſt temporum ſpatia orationis cau-
„ ſa ad limina beatorum Apoſtolorum ſeſe præſentavit, & quæ ad ſalu-
„ tem animarum pertinent, a nobis expoſcit imbui; nos Deo favente, ut
„ ſacra docet Scriptura, eum educantes *, ad vos, cariſſimi, remeandum
„ abſolvimus; hortantes vos in Domino, ut digne ſuſcipiatis ab eo verbum
„ exhortationis, & Epiſcopos vel Preſbyteros, quos ipſe ordinavit per apo-
„ ſtolicam ſibi datam auctoritatem, in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. Et ſi
„ quos forſan deviantes invenerit a rectæ Fidei tramite ſeu canonica doctrina,
„ eoſque prohibuerit, a vobis nullo modo impediatur; & quod eis impoſi-
„ tum fuerit, obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator ex-
„ ſtiterit ad obediendum, ſibimetipſi damnationem adquirit. Vos autem,
„ cariſſimi, qui in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; ab-
„ ſtinete ab omni cultu paganorum, non tantum voſmetipſos corrigentes, ſed
„ & ſubditos veſtros: divinos autem & ſortilegos, vel ſacrificia mortuorum
„ ſeu lucorum vel fontium auguria, vel phylacteria & incantatores & ma-
„ leficos, & obſervationes varias quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omnino
„ reſpuentes atque abjicientes, tota mentis intentione ad Deum convertimi-
„ ni, ipſum timete, adorate & honorificate, Sanctorum memoriis commu- Gal. 6.
„ nicantes, ut ait Apoſtolus. Si enim fides veſtra, juxta Domini noſtri di-
„ cta, fuerit ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer, & trans- Luc. 17.
„ feretur. Item ipſe Dominus & Salvator noſter in ſuo ſacro eloquio docet
„ dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima* Matht. 22.
„ *tua, & ex tota virtute tua*. Et iterum: *Qui me confeſſus fuerit coram*
„ *hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis eſt*. Item
„ alibi promittit, dicens: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, fiet* Jo. 14.
„ *vobis*. Et, *Petite & accipietis; quærite & invenietis; pulſate & aperietur*
„ *vobis*. *Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur*. Matth. 7.

* id eſt erudientes: confer epiſt. ſeq.

AN.CHR. 754 5.Junii.

„ Et vos, cariſſimi, facite fructus dignos, ut in die adventus Domini noſtri
„ JESU-CHRISTI ſidereas mereamini adipiſci manſiones.

XXX. & ad Epiſcopos Bajoariorum,

„ DIlectiſſimis *nobis Epiſcopis in provincia Bagoariæ & Alamanniæ conſti-*
„ *tutis*, WIGONI, LUIDONI, RUDOLTO, & WIVILO *ſeu*
„ ADDÆ, GREGORIUS *Papa*. Catholica ſanctorum Patrum auctoritas
„ jubet, ut bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani ſeu exhortatione adoptio-
„ nis filiorum Synodalia debeant celebrari, ut cauſarum canonicarum exami-
„ natio provenire poſſit, atque, ut neceſſitas uniuſcujuſque popoſcerit, pia
„ educatio agatur. Unde ſecundum Apoſtoli doctrinam admoneo & hortor
„ vos, cariſſimi, per miſericordiam Dei, ut digne ambuletis vocatione qua
„ vocati eſtis, ut miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Oppor-
„ tunum namque eſt vos noſſe, Fratrem ac Coepiſcopum noſtrum præſentem
„ Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno ac debito honore pro Chri-
„ ſti nomine ſuſcipere, & miniſterium eccleſiaſticum cum Fide catholica ſe-
„ cundum morem & normam ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Dei Eccleſiæ,
„ cui miſericordia Dei præveniente præeſſe videmur, ſicut apoſtolica auctori-
„ tate a nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes, dignanter teneatis, & genti-
„ litatis ritum & doctrinam vel venientium Brittonum vel falſorum Sacerdo-
„ tum & hæreticorum aut undecumque ſint, renuentes ac prohibentes abji-
„ ciatis, & ut populum vobis a Deo commiſſum piis admonitionibus edocea-
„ tis, & a ſacrificiis mortuorum omnino abſtineatis : & juxta quod fueritis
„ a prædicto noſtro Conſacerdote edocti, ita catholicam & apoſtolicam do-
„ ctrinam tenentes, Domino Deo Salvatori noſtro placeatis : & in quo vo-
„ bis loco ad celebranda Concilia convenire mandaverit, ſive juxta Danubium,
„ ſive in civitate Auguſta, vel ubicumque indicaverit, pro nomine Chriſti
„ parati eſſe inveniamini : quatenus cognoſcamus per ejus mandatum de ve-
„ ſtro conventu, ut in die adventus Chriſti JESU, cum fructu boni operis
„ ante ejus tribunal adſiſtere mereamini dicentes : Ecce nos & pueri, quos
„ dediſti nobis, Domine, non perdidimus ex eis quemquam : ut & vos do-
„ minicam vocem audire mereamini dicentem : *Venite, benedicti Patris* (Matth. 25.)
„ *mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

XXXI. In Bajoaria tres Epiſcopos inſtituit.

Acceptis ergo talibus epiſtolis S. Bonifacius a Roma diſceſſit, Italiamque perveniens, Ticinæ urbis ingreſſus eſt mœnia, & apud LIUTPRANDUM Longobardorum Regem aliquamdiu commorabatur. Inde vero digrediens, terras Bagoariorum ab OTILONE Duce invitatus viſitavit, manſitque apud eos diebus multis verbum Dei prædicans, veræque Fidei ſacramenta illic renovans. Inter quæ etiam deſtructores quoſdam Eccleſiarum populique ſeductores abigebat, quorum alii falſo ſe Epiſcopatus gradu prætulerunt, alii vero Presbyteratus officio ſe deputarunt; alii etiam innumera perverſitatis figmenta ſequentes, magna ex parte populum ſeduxerunt. Sed ſanctus Præſul cum tantam Sacerdotum fallaciam atque malitiam aliter non poſſe prohiberi conſpiceret, provinciam Bagoariæ, Otilone Duce conſentiente, in quatuor diviſit parochias, treſque magnarum virtutum viros eis præfecit, quos ordinatione facta in epiſcopalem gradum ſublimavit : quorum primus nomine JOANNES, in opido quod dicitur *Saltzburg*, cathedram epiſcopalem ſuſcepit; ſecundus ERIMBERTUS *a* in Friſingenſi Eccleſia regimen pontificale ſubiit; tertius GOWIBOLT *b* in Ratiſponenſi civitate, quæ metropolis Bagoariæ eſt, Pontifex conſtituitur. VIVILUS quoque a Præſule apoſtolico jam ordinatus, Patavienſi * Eccleſiæ prælatus eſt :

* de Paſſavv

a Is nepos ac ſucceſſor fuit S. Corbiniani, de quo ſupra ad ann. 730. De Joanne in Vita S. Rudberti anno 717.

b Gaubaldum vocat Arnolfus ex-Comite Monachus in lib. 1. de Vita S. Emmerami cap 1. apud Caniſ. to. 2. antiq. lect. qui Gaubaldus *ſepulcrum aperuit B. Emmeramo*. Addit Arnolfus lib. 2. *Ex eo tempore quo primum a B. Bonifacio in Bajoaria ordinabantur Epiſcopi, viciſſim ſibi ſuccedebant in hujus Epiſcopatu Monachi atque Canonici, ita ut ſi anteceſſor eſſet Canonicus, fieret ſucceſſor Monachus* : quæ conſuetudo ad ſua ipſius tempora duraverit. Ex quo factum ſit, ut eatenus Monachi S. Emmerami non alium Abbatem habuerint quam Epiſcopum.

eſt : ſed ejus parochia quæ quarta erat, a S. Bonifacio, ſicut ceteræ, dividebatur. His ergo Pontificibus conſtitutis & quæcumque tunc corrigenda erant in Bagoaria correctis, ad proprias rediit Eccleſias. Poſt non multum vero temporis omnia quæ tunc in Bagoaria corrigendo geſſit, litteris tranſmiſſis, Præſuli apoſtolico denuntiavit. At ille geſta ejus laudans, remiſit hujuſmodi ſcripta. AN.CHR. 754 5. Junii.

XXXIII. A Gregorio facti approbationem accipit.

„ REverentiſſimo & ſanctiſſimo Fratri BONIFACIO Coepiſcopo, GREGORIUS ſervus ſervorum Dei. Doctoris gentium egregii B. Pauli Apoſtoli vox eſt dicentis : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Agnoſcentes itaque in ſyllabis fraternitatis tuæ, quia de Germaniæ gentibus quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberavit, & ad centum millia animas in ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ tuo conamine & KAROLI Principis Francorum aggregare dignatus eſt; ſed & in Bagoariorum provincia quæ a te acta ſunt, agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cœlum manibus gratias retulimus, quia januam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis ad cognoſcendam viam ſalutis aperuit, & miſit Angelum ſuum qui præparavit viam tuam ante te. Igitur quia indicaſti perrexiſſe te ad gentem Bagoariorum, & inveniſſe eos extra ordinem eccleſiaſticum viventes, dum Epiſcopos non habebant in provincia, niſi unum nomine WIVILUM, quem nos paullo ante ordinavimus; & quia cum adſenſu Otilonis Ducis eorumdem Bagoariorum ſeu Optimatum provinciæ illius tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes illam diviſiſti, ideſt in quatuor parochias, ut unuſquiſque Epiſcopus ſuam habeat parochiam; bene & ſatis prudenter peregiſti, Frater: quoniam apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcipimus, ita egiſti. Itaque non deſinas, Frater reverentiſſime, docere eos ſanctam, catholicam & apoſtolicam Romanæ Sedis traditionem, ut illuminentur rudes & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad æterna præmia pervenire. Presbyteros autem quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi a quibus ſint ordinati, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe qui eos ordinaverunt; ſi bonæ actionis & catholici viri ſunt ipſi Presbyteri, & in miniſterio Chriſti omnique lege ſancta educati; ab Epiſcopo ſuo benedictionem Presbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi vero qui baptizati ſunt per diverſitatem & declinationem linguarum gentilitatis, ſi tamen in nomine ſanctæ Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem & ſacri chriſmatis confirmari. Nam Wivilus Epiſcopus a nobis eſt ordinatus. Hic ſi aliquid excedit extra canonicam regulam, doce & corrige eum juxta Romanæ Eccleſiæ traditionem quam a nobis accepiſti. De Concilio vero ut juxta ripam Danubii debeas celebrare noſtra vice, præcipimus fraternitati tuæ apoſtolica auctoritate te ibidem præſentari; & in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis non ceſſes, ut Religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, Frater, pro incœpti laboris utilitate, in uno morari loco : ſed confirmatis cordibus fratrum & omnium Fidelium, qui rareſcunt in illis Heſperiis partibus, ubi tibi Dominus aperuerit viam ſalutis, prædicare non deſiſtas, & ubi locum inveneris, ſecundum canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & apoſtolicam atque canonicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnum mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotenti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime Frater, itinera carpere aſpera & diverſa, ut Chriſtiana Fides longe lateque tuo conamine extendatur. Scriptum namque eſt : *Arta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam*. Operare itaque, Frater, opus bonum quod cœpiſti, ut in die Chriſti JESU merearis dicere : Ecce ego & pueri quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam; & iterum: Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, „ ecce

Rom. 8.

De Presbyteris ordinatis, & baptizatis non recte, quid agat.

Concilium celebrat.

Matth. 7.

Jo. 18. Matth. 25.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

„ ecce alia quinque ſuperlucratus ſum : ut ſubſequenter merearis audire vo-
„ cem Domini, dicentis : Euge, ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca
„ fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.
„ Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime Frater. Data 4. Kalend. No-
„ vemb. imperante domino piiſſimo Auguſto LEONE, imperii ejus anno (anno 740.)
„ 23. ſed & Conſtantini Imperatoris ejus filii anno 20. Indict. 8. *

XXXIII. Karolomanno annuente Synodum Liptinenſem celebrat.

Per idem tempus KAROLO Duce glorioſo temporalis vitæ curſum conſummante, filii ejus KAROLOMANNUS, & PIPPINUS in patris ſucceſſerunt Imperium. Sed quia ad nutum Karolomanni *a*, qui majoris ætatis erat, omnia paterni Regni jura diſponebantur; hunc S. Bonifacius adiens, Præſuliſque apoſtolici ſcripta deferens, omnino popoſcit, ut Chriſtianæ Religionis culturam, quam pater ejus inpromtiſſimo animo cœpit & excoluit, ipſe quoque pro Dei amore ſuique Regni ſtabilitate, necnon pro communi omnium ſibi ſubjectorum ſalute eodem animo excoleret. His ille precibus quaſi divino affatu compunctus, omnes ſub imperio ſuo degentes, laicos ſimul & Clericos, a Religione Chriſtiana deviantes, tam regali quam canonica auctoritate ad viam juſtitiæ revocare ſtuduit. Præcipiebat enim, ut conventu ſynodali habito ibi omnia juxta canonum decreta corrigerentur, cujus nimirum conventus ſynodalis ſtatuta, quia non ſolum ſæcularibus, ſed eccleſiaſticis etiam Rectoribus ædificationem magnam conferre poſſe videntur, prout in antiquis exemplaribus ſcripta invenimus, hic ponere volumus : ſic enim ſcripta inveniuntur.

XXXIV. Synodus Germanica in Liptinenſi confirmata.

„ IN nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, ego KAROLOMANNUS Dux
„ & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſi-
„ mo quadrageſimo ſecundo, 11. Kalend. Maji, cum conſilio ſervorum
„ Dei & Optimatum meorum, Epiſcopos qui in Regno meo ſunt, cum
„ Presbyteris ad Concilium & Synodum *b* pro timore Chriſti congrega-
„ vi, id eſt BONIFACIUM Archiepiſcopum, BURCHARDUM, *c* & REGINFRI-
„ DUM, WITTANUM & VVILLIBALDUM, DADANUM & ADDANUM cum
„ Presbyteris eorum, ut mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei &
„ Chriſtiana Religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum
„ diſſipata corruit; & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ per-
*CANON I.
„ venire poſſit, qui per falſos Sacerdotes hucuſque deceptus eſt. * Itaque
„ per conſilium Sacerdotum religioſorum & Optimatum meorum ordina-
„ vimus per civitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſco-
„ pum Bonifacium, qui eſt Miſſus S. Petri. Statuimus quoque per annos
„ ſingulos Synodum congregari, ut nobis præſentibus canonum decreta &
„ Eccleſiæ jura reſtaurentur, & Religio Chriſtiana emendetur. Fraudatas
„ pecunias Eccleſiarum Eccleſiis reſtituimus & reddimus; falſos Presbyteros
„ & adulteros vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecuniis Eccleſiarum
*CANON II.
„ abſtulimus & degradavimus, & ad pœnitentiam coegimus. * Servos Dei
„ per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum
„ & in hoſtem pergere omnino prohibuimus, niſi illos tantummodo qui pro-
„ pter divinum myſterium, Miſſarum ſcilicet ſollemnia adimplenda & San-
„ ctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt, id eſt unum vel duos E-
„ piſcopos cum Capellanis * Presbyteris Princeps ſecum habeat, & unuſquiſ-
„ que Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus
„ indicere * pœnitentiam poſſit. Necnon & illas venationes & ſilvaticas va-
„ ga-

* al. & Presbyteris
* al. judicare & indicare

a Duo ſub Karolomanno Concilia celebrata ſunt, unum in Germania loco incerto, 11. Kalend. Maji, anno Chriſti 742. alterum Kalendis Martiis anno ſequenti apud Liptinas agri Camaracenſis, in quo ſuperioris Synodi canones relecti & approbati ſunt, additis canonibus quatuor, quorum unum dumtaxat refert Othlonus ultimo loco. Lege acta Synodi utriuſque integra apud Sirmondum.

b Hinc revincuntur ii, qui Burchardum Vvirtzburgenſi, Vvittanum Buriburgenſi, Vvillibaldum Eiſtetenſi ſedibus præpoſitos a S. Bonifacio fuiſſe in Synodo Liptinenſi ajunt : cum Germanicæ Synodo (cujus hæc eſt præfatio) uno ante Liptinenſem anno jam Epiſcopi interfuerint.

c Iſtius Synodi acta perſtringit Bonifacius in epiſtola 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem.

Digitized by Google

,, gationes cum canibus, omnibus ſervis Dei interdiximus, & ut accipitres AN.CHR.
,, & falcones non habeant. * Decrevimus quoque ut juxta Sanctorum ca- 754
,, nones unuſquiſque Presbyter in parochia habitans, ſubjectus ſit illi Epiſco- 5 Junii.
,, po, in cujus parochia habitat: & ſemper in Quadrageſima rationem & *CANON III.
,, ordinem miniſterii ſui, ſive de Baptiſmo, ſive de Fide catholica, ſive de
,, precibus & ordine Miſſarum, Epiſcopo reddat & oſtendat: & quandocum-
,, que jure canonico Epiſcopus circumeat ad confirmandos populos, Presby-
,, ter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum cum collectione & ad-
,, jutorio populi qui ibi confirmari debet; & in Cœna Domini ſemper novum
,, chriſma accipiat ab Epiſcopo: & ut Epiſcopus ſit teſtis caſtitatis, & vi-
,, tæ, & fidei & doctrinæ illius. * Statuimus quoque ut ſecundum canoni- *CANON IV.
,, cam cautelam omnes undecumque venientes ignoti Epiſcopi vel Presbyte-
,, ri, ante probationem ſynodalem in eccleſiaſticum miniſterium non admit-
,, tantur. * Decrevimus, ut ſecundum canones unuſquiſque Epiſcopus in ſua *CANON V
,, parochia ſollicitudinem gerat, adjuvante Gravione * qui defenſor Eccle-
,, ſiæ ejus eſt, ut populus Dei paganias non faciat, ſed ut omnes ſpurcitias * id eſt Comite
,, gentilitatis abjiciat, ſive ſacrificia mortuorum, ſeu ſortilegos vel divinos,
,, ſive phylacteria & auguria, ſive incantationes vel hoſtias immolatitias,
,, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine SS. Mar-
,, tyrum vel Confeſſorum, Deum & Sanctos ſuos ad iracundiam provocan-
,, tes *a*. * Statuimus ſimiliter, ut poſt hanc Synodum, quæ fuit 11. Kalend. *CANON VI.
,, Maji, quiſquis ſervorum Dei vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis
,, lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordina-
,, tus Presbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus *b*:
,, ſi autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam
,, verberationem in carcerem miſſus, unum annum * pœnitentiam ibi agat. * Sirmondo vertente anno
,, Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur om-
,, nes capilli capitis ejus. * Decrevimus quoque ut Presbyteri vel Diaconi *CANON VII.
,, non ſagis laicorum more, ſed caſulis * utantur ritu ſervorum Dei: &
,, nullus in domo ſua mulierem habitare permittat. Et ut Monachi & ancil- * id eſt tunicis talaribus
,, læ Dei monaſteriales juxta REGULAM S. BENEDICTI vivere ſtudeant. **
,, Statuimus quoque cum conſilio ſervorum Dei & populi Chriſtiani, propter ** CANON I. Conc. Liptin.
,, imminentia bella & perſecutiones multarum gentium quæ in circuitu no-
,, ſtro ſunt, ut ſub precario aliquam partem eccleſialis pecuniæ in adjutorium
,, exercitus noſtri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea con-
,, ditione, ut annis ſingulis de unaquaque caſata ſolidus, id eſt duodecim
,, denarii, ad Eccleſiam vel Monaſterium reddatur, eo modo, ut ſi moria-
,, tur ille cui pecunia commendata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reve-
,, ſtita ſit. Et iterum ſi neceſſitas cogat, ut Princeps jubeat, precarium re-
,, novetur, & reſcribatur novum, & omnino reſervetur, ut Eccleſiæ vel
,, Monaſteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in
,, precario præſtita eſt: ſed ſi paupertas cogat Eccleſiæ, domui Dei integra
,, reddatur poſſeſſio. Similiter præcipimus, ut juxta decreta canonum, adul-
,, teria & inceſta matrimonia prohibeantur, & emendentur Epiſcoporum ju-
,, dicio, & ut mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.

Tantæ ergo religionis ſtatuta a Principibus neophytis tunc facta, ſi com- XXXV.
parentur legibus his, quæ modo a quibuſdam Rectoribus noſtris a pueritia Auctor in
uſque in ſenectam omni diſciplina Chriſtiana inſtructis proferuntur, facile Monachorum oſores
poteſt agnoſci, quantum perfectiores fuerint illi neophyti iſtis Patribus invehitur.
doctiſſimis, qui non ſolum apud Reges & Principes pro locorum ſanctorum
utilitate intercedere negligunt, ſed etiam ipſi loca ſancta ſibi commiſſa
omnino deſtruunt. O mores pravi cunctis omnino dolendi! o miſeran-
da nimis morum mutatio talis! cum pueri ſenibus, cæci videntibus,
im-

a Sirmondus addit: *ſive illos ſacrilegos ignes quos Nedfratres vocant; ſive omnes quæcumque ſunt paganorum obſervationes diligenter prohibeant.*

b Sirmondo, *flagellatus & ſcorticatus videatur: & poſt Epiſcopus adaugeat.* Addit ſimiliter nonnulla in fine Canonis 7.

AN.CHR. 754 5. Junii. imperiti peritis, laici Clericis religioſiores inveniantur. Quondam namque in provinciis multis, ubi ſanctæ Eccleſiæ vinea noviter plantata necdum vel notitia fructuum ſpiritualium ad omnes pervenit, a plurimis ſæcularibus viris dicebatur: Qui pro fragilitate noſtra a conſuetis mundi deliciis penitus nos continere nequimus, ſaltem vel alios continentes ad ſervitium Dei congregantes, illos noſtris corporalibus ſubſidiis paſcamus, ut & orationibus ſuis, aliiſque ſpiritualibus ſubſidiis nos paſcant ne pereamus. Nunc autem cum omnium virtutum ſcientia & experientia aliqua & in libris prolata pene ad omnium notitiam pervenit, nulluſque Chriſtianorum dicere poteſt, Quia nemo nos conduxit; (Matth. 20.) tam Clerici quam laici plurimi dicere ſolent: Quid proſunt tot Cœnobia vel tanta Monachorum agmina? Multo enim melius eſſet, ut prædia, quibus iidem Monachi inutiliter saginantur, ſervitio noſtro præſtarentur. Hæc quidem multi verbis, ſed multo plures operum ſuorum atteſtatione ita eſſe fatentur: quaſi malitia & irreligioſitas eorum minus a Domino puniatur, ſi nullus Monachus vel Religioſus in hoc ſæculo inveniatur.

XXXVI. Karolomannum & Karolum M. laudat ab amore Monachorum.

At Karlomanno præfato longe alia mens erat, qui licet ante S. Bonifacii prædicationem de Religione Chriſtiana parum quid noverit, eo tamen admonente & exhortante citius in timore & amore Dei ita perfectus eſſe cœpit, ut humana ſimul & divina prudenter diſponeret, nihilque ſæcularia jura ſine divini adminiſtratione ſervitii, ad quod cœnobialis monaſticaque deputatur congregatio, proficere ſciret. Similiter & KAROLUS MAGNUS filius ſcilicet fratris ſui Pippini ſupradicti, qui a Roma uſque in Freſiam, ab Ungaria uſque in Britanniam, omnia Regna ſuo ſubegit imperio; cum contra eadem decertaret, non aliter victoriam ſe adipiſci credidit, niſi interim omnia Cœnobia in eiſdem Regnis jam conſtructa ſupplemento aliquo adjuvaret. Si quis in his dubitet, legat in primis ſua geſta, deinde circumeat Monaſteria, quæ ſub tempore ſuo fundata habuit Italia, vel Gallia, ſive Germania: & inveniet ea aliqua Karoli largitate ſublimata, quædam quidem privilegio libertatis, quædam vero prædiorum donis, niſi forte ex ſubſequentibus Regibus ſeu Epiſcopis ſint ablata. Multi namque Reges ejuſdem Karoli ſucceſſores, licet in præclaris moribus ac ſtudiis pluribus effulſerint, in hoc tamen nimis deliquerunt, quod Monaſteria nonnulla, vel ipſi tam immenſa obſequii ſui exactione quam prædiorum ablatione deſtruxerunt, vel Epiſcopis ſeu etiam laicis quibuſdam, nihil minus quam monaſticam Religionem curantibus, deſtruenda tradiderunt. At Karolus noſter non ſolum hæc minime feciſſe fertur; ſed esiam e contra quondam ad Epiſcopatum pertinentia prædiis duplicibus redditis cum conſilio communi ab epiſcopali ditione abſolvit, libertateque regali ſublimavit, prænoſcens, ut reor, prophetiæ ſpiritu, (quod & nos cernimus, & anteriores noſtri jamdiu impletum viderunt) loca ſancta, quæ neceſſariis omnibus ſufficienter erant redimita a ſuis inſtitutoribus, tradita vero Epiſcopis; & in penuriam maximam & in deſtructionem totius diſciplinæ regularis ventura fore. Sed hoc nequaquam idcirco dico, quod omnia Cœnobia Epiſcopis ſubjecta deſtructa ſciam, ſed partem maximam. Quod tamen eo magis dolendum & miſerandum videtur, quo minus ab ignorantibus legis divinæ præcepta, ſed a doctiſſimis agitur, qui commiſſa ſibi deſtruentes Cœnobia, non ſolum ipſi peccant, ſed etiam laicos peccare faciunt in eadem deſtructione. Quis enim laicorum non putat ſibi jam licere, quidquid Clericos cernit facere? Unde in his omnibus Karolum proponere poſſumus ad exemplum. Sicut enim inter Reges ſucceſſores videlicet ſuos non eſt inventus ſimilis illi qui conſervaret legem Excelſi; ita nullus eorum poſt eum tanta gloria tantaque potentia potitus eſt in hoc ſæculo, meritoque de illo dicitur: Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem. Quia ergo occaſio talis ſe præbuit, ut commemorantes quanta religio ſub antiquis

AN.CHR. 754 5. Junii.

quis Principibus, quantave fuerit deſtructio religionis ejuſdem ſub modernis; per hujuſmodi oppoſita, quibus quid ſit melius declaratur, aliquos etiam incitaremus ad meliora; nemo, precor, hæc indigna lectu & auditu decernat : ſed potius attendens, ſi in tanta deſtructione reus exſiſtat, pœnitere & emendare ſtudeat, dum veniæ tempus Domino præſtante tenemus, ne forte occupati die mortis quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. Sed de his ſatis dictum, revertamur jam ad incœpti ſermonis exordium.

XXXVII. Gevviliebe ob homicidium depoſito ſufficitur in ſedem Maguntinam.

Cum ergo Karlomanni præcepto ſanctique Bonifacii conſilio ſynodalis conventus haberetur, multi ibi non ſolum Clerici quilibet hæretica pravitate decepti ab Eccleſiæ communione expellebantur; ſed etiam Epiſcopi, qui pro aliqua capitalis criminis macula diffamati erant, deponebantur. Erroris autem totius qui tunc in Germania excreverat, maximi fuerant auctores duo hæretici, quorum unus CLEMENS, alter vero ALDEBERTUS * dicebatur. De quibus poſtmodum cum epiſtolas ad Zachariam Papam miſſas proferre cœperimus, dicetur congruentius : in his enim omnis mortifera eorum hæreſis replicatur. Quidam enim Epiſcopus *a* nomine GEWILIEB *, Mogontiæ civitati prælatus, tunc deponebatur. Cur autem depoſitus fuerit, hic ſubſequenter enarrabo. In illis namque temporibus Saxones devaſtabant Turingiam regionem. Quamobrem populi ejuſdem regionis confugientes ad ſupradictum Principem Karlomannum, quærebant ab eo auxilium. Qui mox pro eorum ereptione exercitum miſit, in quo ſimul GEROLDUS Mogontiacenſis tunc Epiſcopus, pater ſcilicet præfati GEWILIEBIS, juſſus tranſivit. Cumque congreſſio facta fuiſſet bellantium & invicem ſemet ferientium, Geroldus Epiſcopus interfectus ibi inter alios occubuit. Deinde filius ejus Gevvilieb, adhuc laicus in palatio conſtitutus, pro ſedando patris dolore, Clericatus officio promovebatur, & ad regendam Eccleſiam Moguntiacenſem poſt obitum patris ſubrogabatur. Poſt non multum vero temporis iterum Karolomannus exercitu congregato contra Saxones perrexit, ſecumque eumdem Gevvilieben duxit. Conſiſtentibus autem utriuſque populi exercitibus cis citraque ripam fluminis Wiſaraha, præcepit Gevvilieb puerum ſuum inter hoſtes pergere, illicque nomen ejus qui patrem ſuum occiderat diligenter inquirere. Cumque puero juſſa complenti reſponderetur a quodam, proxime illum adeſſe quem quæreret : Venire rogate, inquit, eum huc quantocius, quia ſecum ſermocinari Senior * appetit meus. Quo veniente & utrimque alterius adventu denuntiato, mox præparatis equis ab utroque itur, & in medio amne occurrentibus atque colloquentibus ait Gevvilieb Epiſcopus : Accipe jam ferrum, quo patrem vindico carum. Hæc igitur dicens, gladio mox perfodit illum : qui ſtatim corruens ex equo, in flumine exhalavit ſpiritum. Cumque ſui talia agnoſcerent, ab omnibus clamabatur, utrimque conſertis cuneis ſummopere dimicabatur : ſuperatiſque Saxonibus Karlomannus cum ſuis ad propria remeavit, nemine id quod factum eſt a Gevviliebe in homicidii crimen imputante. Unde & reverſus ſolitos epiſcopales ſibi vindicavit uſus. At ſanctus Præſul Bonifacius inter cetera correctionis colloquia, hæc pariter in conventu ſynodali protulit, atteſtans nullum homicidii reatu pollutum debere epiſcopali ſacerdotio fungi. Ad hæc etiam ei objecit, propriis oculis ſe perſpexiſſe, illum cum avibus canibuſque jocantem, quod Epiſcopo nullatenus liceret. Audiens autem hæc Gevvilieb, ſentienſque ſe nullo modo contra ſtimulum vel ſæcularis potentiæ ſeu auctoritatis canonicæ, quæ mediante S. Bonifacio in omnes coram poſitos deferebatur, calcitrare poſſe; judicio conſentit communi, depoſituſque eſt ab ordine epiſcopali. Quo depoſito ſtatim S. Bo-

* al. Eldebertus.

*al. Gevviliob, Sur. Gervilius

* Gallice Seigneur

NOTA.

a Vvillibaldus omiſit hanc hiſtoriam, Gevviliebis ſcilicet depoſitionem & Bonifacii ſucceſſionem : quod utrumque anno 745. contigiſſe colligitur ex lib. 2. capp. 7. & 9. Confer Notas ad cap. 10. Vvillibaldi.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii.

S. Bonifacius a ſupradictis Principibus, Karlomanno videlicet & Pippino fratre ejus, Eccleſiæ Moguntiacenſi præficitur. Et ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes Eccleſiam Moguntiacenſem, quæ prius alteri ſubjecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere: moxque legatione facta, illud a Præſule apoſtolico impetravere *a*.

XXXVIII. Epiſcopos tres inſtituit.

Tali ergo auctoritate ſuffultus S. Bonifacius, cœpit undique quaſi novus Archimandrita quæ divina ſunt plantare, diabolica vero exſtirpare, Cœnobia Eccleſiaſque ædificare, Paſtores cautiſſimos Eccleſiis eiſdem præponere. Nam præter multos quos antea conſtituit Epiſcopos, in quibus erant venerabiles viri WILLIBALDUS & BURCHARDUS, quorum priorem in loco *Eichſtat* nuncupato Epiſcopum; alium vero in urbe, quæ Wirzburg dicitur, Epiſcopum conſtituit; tunc GREGORIUM ad *Triecb* b epiſcopali ordine conſecratum direxit, LULLUM etiam in Magontia ipſe adhuc vivens ſibi ſubrogavit Epiſcopum. Multa quidem & alia tunc ab eo geſta ſunt in Germania, quæ in epiſtolis tantummodo inveniuntur ſcripta. Unde libet inſerere epiſtolas eaſdem, vel ab eo ad Zachariam Papam, qui per idem tempus Sedem apoſtolicam gubernabat; vel ab eodem Zacharia ad illum, ſeu pro illo ad quoslibet Germaniæ Principes tranſmiſſas, quas undecumque colligere poſſumus. Nam illas quas ad gentis ſuæ populos, id eſt Anglos tranſmiſit, prætermittere volumus, ne legentibus aliquod tædium conferre videamur, maxime cum nobis noſtra ſufficiant. Noſtra autem dico, quæ pro patribus noſtris, Germanis ſcilicet, ſalvandis ſcripſit, vel ab ullo ſcripta recepit: in quibus nimirum epiſtolis maxime poteſt agnoſci, quantam curam & diſciplinam, quantam paternitatem & pietatem habuerit circa omnes Eccleſiæ ſuæ filios, quos ipſe per Evangelium genuit: quodque juxta Apoſtolum, omnibus omnia factus ſit, ut omnes lucrifaceret. Unde confidenter dico, quia quicumque filiorum ejus, Germanorum videlicet, agnito tanti Patris labore, vel ex ſcriptis, vel vulgaribus dictis, non eum quantacumque prævalet veneratione amplectitur, in honore quem parentibus exhibere jubemur negligens invenitur. Quod ſi negligentia peccatum eſt, & peccatum omne punitur; negligentia ergo ſimul punienda creditur. Ad hæc etiam ſi juxta Apoſtolum patres quos carnis noſtræ habuimus eruditores reverebamur, nonne multo magis obtemperabimus patri ſpirituum? Pater namque ſpiritalis non ſolum Deus omnipotens dicitur, ſed etiam omnes, quorum doctrina & exemplis ad agnitionem veritatis inſtruimur, ad ſtabilitatem religionis incitamur. Sicut & Abraham ob fidei obedientiæque ſuæ meritum, cunctis imitandum, Pater omnium dictus eſt Chriſto credentium: haud aliter ſanctus Præſul Bonifacius omnium Germaniæ incolarum dici poteſt, pro eo quod illos verbo ſanctæ prædicationis primitus Chriſto genuit, exemplis confirmavit, poſtremo animam quoque ſuam pro ipſis poſuit, qua caritate nemo majorem valet exhibere. Quæ cum ſit bonorum omnium origo & finis, nos quoque in hoc terminum ponamus libelli præſentis: quatenus ad tempus ceſſante labore, legendi lector & auditor vires poſſit reparare.

1. Cor. 9. Bonifacius Germanis colendus ut Pater.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Prologus.

IN priori quidem libello, prout ingenioli noſtri parvitas permiſit, utque ſcriptorum antiquorum teſtificatio edocuit, de converſatione, & peregrinatione, necnon prædicatione S. P. N. Bonifacii diximus. Jam libet,

a Zachariæ litteras hac de re Othlonus refert infra lib. 2. cap. 9.

b Sic corrige, cum in editis legatur *Attriecb*. Nec tamen ante Bonifacii paſſionem Gregorius præfectus eſt Trajecto inferiori, quod lingua Gallica tum dicebatur *Trecb* ſeu *Trecht*, ut ex Othlono ipſo ſupra lib. 1. cap. 6. diſcimus. Confer Vvillibaldum cap. 10. num. 31. ubi nullam de Gregorio mentionem facit. Lege Vitam S. Gregorii infra.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

bet, ut donante Deo poſſum, in hoc libello ſequenti pandere, quantum poſt acceptum Moguntiacenſis Eccleſiæ Præſulatum pro ſancta Eccleſia laboraverit contra hæreticos vel falſos Chriſtianos certando, qualique exitu felicem paſſionis ſuæ palmam compleverit. Sed illud ſuperius cum epiſtolis tantummodo explanandum eſt, quia in his ſufficienter & evidenter ſcriptum invenitur: nec decet, ut prætermittentes ea quæ ſatis prudenti aperta ratione prolata ſunt, alia quaſi meliora componamus: cum hujus vitium nec in ipſis ſæcularibus litteris, nedum in ſacris agi conveniat. His ergo prælibatis, nunc ad ipſas quas promiſimus epiſtolas ſcribendas tranſeamus, ponentes inprimis illam, quam & primo ad Zachariam Papam direxit epiſtolam. Quæ licet ante Synodum ſubſcriptam * directa fuerit, tamen quia ad ſequentium epiſtolarum relationem ex parte reſpicit, & ſub unius Præſulis tempore hæc omneſque quæ ſubſequentur ſcriptæ ſunt, nos quoque ſimul ſcribere decrevimus.

* I. ſupraſcriptam cap. 39.

CAPUT I. Bonifacius ſcribit Zachariæ,

„ DOmino cariſſimo, ſummi Pontificatus infula prædito, viro Apoſtolico ZACHARIÆ, BONIFACIUS ſervus ſervorum Dei. Confitemur, domi-
„ mine Pater, quia poſtquam cognovimus per nuntios referentes, quod
„ venerandæ memoriæ Apoſtolatus veſtri præceſſor GREGORIUS ergaſtu-
„ lo corporeo abſolutus ad Dominum migravit, quod majorem lætitiam
„ & majus gaudium nobis non audivimus, & expanſis ad æthera palmis
„ Deo gratias egimus, quod clementem Paternitatem veſtram altiſſimus
„ Arbiter canonica jura regere, & apoſtolicæ Sedis gubernacula tenere con-
„ ceſſit. Ergo non aliter quam ut ante veſtigia veſtra geniculantes, inti-
„ mis flagitamus precibus, ut ſicut præceſſorum veſtrorum pro auctorita-
„ te S. Petri, ſervi devoti & ſubditi diſcipuli fuimus: ſic & veſtræ pie-
„ tatis ſervi obedientes, ſubditi ſub jure canonico fieri mereamur, optan-
„ tes catholicam Fidem & unitatem Romanæ Eccleſiæ ſervare; & quan-
„ toſcumque audientes vel diſcipulos in iſta legatione mihi donaverit Deus,
„ ad obedientiam apoſtolicæ Sedis invitare & inclinare non ceſſo. Neceſſe
„ quoque habemus indicare Paternitati veſtræ, quia per Dei gratiam Ger-
„ maniæ populis aliquantulum perculſis vel correctis, tres ordinavimus Epi-
„ ſcopos, & provinciam in tres parochias diſcrevimus, & illa tria opida
„ ſive urbes in quibus & ordinati ſunt, ſcriptis auctoritatis veſtræ confir-
„ mari & ſtabiliri precantes deſideramus. Unam eſſe ſedem Epiſcopatus
„ decrevimus in caſtello quod dicitur *Vvirtzburg*; & alteram in opido quod
„ nominatur *Buraburg* a; tertiam in loco qui dicitur *Erpesfurt* b, qui fuit
„ olim urbs paganorum ruſticorum. Hæc tria loca propria auctoritate Apo-
„ ſtolatus veſtri roborari & confirmari diligenter poſtulamus, ut, ſi Do-
„ minus voluerit, per auctoritatem & præceptum S. Petri juſſionibus apo-
„ ſtolicis fundatæ & ſtabilitæ ſint tres in Germania epiſcopales ſedes, &
„ ut præſentes vel futuræ generationes non præſumant vel parochias cor-
„ rumpere, vel violare præceptum apoſtolicæ Sedis. Notum ſimiliter ſit
„ Paternitati veſtræ, quod Karolomannus Dux Francorum me accerſitum
„ ad ſe rogavit, ut in parte Regni Francorum quæ in ſua eſt poteſtate,
„ faciam Synodum congregari: & promiſit ſe de eccleſiaſtica Religione,
„ quæ jam longo tempore, id eſt non minus quam per ſexaginta vel ſe-
„ ptuaginta annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emenda-
„ re velle. Quapropter ſi hoc Deo inſpirante veraciter implere voluerit,
„ conſilium & præceptum veſtræ auctoritatis habere debeo. Franci enim,

pro Epiſcoporum a ſe ordinatorum confirmatione,

a De opido *Buraburg* ſeu *Buriburg* & primo ejus Epiſcopo Vvitta ſeu Albuino, dictum eſt in Vita S. Vvigberti Abbatis ſupra ad ann. 747.

b Vvillibaldus cap. 10. ſcribit *Eicſtat*, cui ſe fuiſſe præpoſitum dicit. Sic vero anonymus: VVILLIBALDO *paſtoralis officii regimen in loco qui appellatur Eſtede commendavit*. Sigfridus Presbyter Miſnenſis in epitomes lib. 1. teſtatur Erfordiæ ſedem epiſcopalem non fuiſſe conſtitutam. *Quippe Bonifacius Eccleſiam B. Virginis in Erfordia cathedralem eſſe conſtituerat, ſed ſuaſu litterarum papalium quod decreverat revocavit*: tamen ex Zachariæ litteris infra cap. 2. relatis rem aliter ſe habuiſſe intelligitur.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii?

„ ut ſeniores dicunt, pluſquam per tempus octoginta *a* annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum *b* habuerunt, nec Eccleſiæ canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte civitates & epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel Clericis ſcortatoribus & publicanis ſæculariter ad perfruendum. Nam ſi per verbum veſtrum hoc negotium Duce rogante ſupradicto amovere & corrigere debeo, præceptum & judicium apoſtolicæ Sedis cum canonicis *c* Eccleſiaſticis præſto habere cupio. Si invenero inter illos Diacones quos nominant, qui a pueritia ſua ſemper in ſtupris, ſemper in adulteriis & in omnibus ſemper ſpurcitiis vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad Diaconatum; & modo in Diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures noctu in lecto habentes, Evangelium tamen legere *d*, & Diaconos ſe nominare nec erubeſcunt, nec metuunt; & ſic in talibus inceſtis ad ordinem Presbyteratus venientes, & in iiſdem peccatis perdurant; & peccata peccatis adjicientes, dicunt ſe pro populo poſſe intercedere, & ſacras oblationes offerre: noviſſime (quod pejus eſt) ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos adſcendentes ordinantur & nominantur Epiſcopi: ſi, inquam, tales invenero inter illos, rogo ut habeam præceptum & conſcriptum auctoritatis veſtræ, quid de talibus definiatis, & per reſponſum apoſtolicum convincantur & arguantur peccatores. Inveniuntur etiam quidam inter eos Epiſcopi, qui licet ſe fornicarios & adulteros dicant non eſſe, ſunt tamen ebrioſi vel venatores *e*, & pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu ſanguinem hominum, ſive paganorum ſive Chriſtianorum. Et quia ſervus & legatus apoſtolicæ Sedis eſſe dignoſcor, unum ſit verbum & meum hic & veſtrum ibi, ſi contingat ut ad judicium auctoritatis veſtræ pariter miſſos dirigamus.

de corrigendis Clericis,

& Epiſcopis militantibus & venationi deditis:

de eligendo ſibi ſucceſſore:

„ Præterea de una re & conſilium quærere, & licentiam petere neceſſe habeo, pro eo quod venerandæ memoriæ præceſſor veſter, ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit, ut Presbyterum ante obitum meum, Deo volente, in eccleſiaſtico miniſterio heredem & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet. Sed modo dubito, & neſcio ſi fieri poſſit: quia poſtea frater illius avunculum *f* Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus, qualiter iſta diſcordia pacificari & finiri valeat. Sed obſecro, ut auctoritatis veſtræ licentia ſit, cum conſilio ſervorum Dei de iſta electione facere quod nobis in commune pro Eccleſiæ utilitate vel fructu ſpirituali & defenſione Religionis optimum eſſe videatur: ut conſenſum veſtrum habeam de hoc facere quod optimum mihi inſpirare dignetur Deus; quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius Princeps fuerit.

de matrimonio inter affines:

„ Præterea quærere & interrogare Paternitatis veſtræ conſilium debeo de

„ qua-

---

a Ante Synodum Liptinenſem anno 743. a Bonifacio convocatam, celebratum eſt Concilium Cabilonenſe regnante Chlodoveo Dagoberti I. filio: cui Concilio, quod nationale cenſeri poteſt, interfuerunt Francorum ſeu Neuſtraſiorum Epiſcopi complures. Habita eſt ſub S. Leodegario Synodus Auguſtodunenſis, quæ provincialis minimum fuiſſe videtur. Habita etiam Rotomagenſis ſub Ansberto Metropolita, cujus Synodi nulli exſtant canones.

b Succeſſio Archiepiſcoporum apud Francos per totum illud tempus pene continua fuit, non tam diu interrupta, ut ex Pontificum Rotomagenſium, Senonenſium, & Remenſium Indicibus conſpicuum eſt. Explicanda ergo ſententia Bonifacii de tempore præſenti, quaſi dicat, *nec Archiepiſcopos habent*, ut proinde neceſſe fuerit ab ipſo inſtitui & ordinari in dictis ſedibus Metropolitanos, de quibus poſtea cap. 11.

c *Canonica* pro *Canones* uſurpaſſe videtur Bonifacius hoc loco, ubi mſſ. codices conveniunt omnes.

d Omittere non poſſum hoc loco id quod refert Vuillelmus Malmesburiæ Monachus in lib. 2. de geſt. Reg. Angl. cap. 12. de quodam Diacono, qui cum de nocte in peccatum carnis lapſus fuiſſet, die ſequenti rogatus ab Henrico Magno Imperatore, nequidem exſilii interminatione ad cantandum in Miſſa Evangelium adduci potuit.

e Venationem Clericis interdicunt canones: & in Synodo Romana adverſus Joannem Papam XII juſſu Othonis Imperatoris coactam, hoc crimini datum eſt Joanni, quod venationem publice exercuiſſet, teſte Liutprando Diacono Ticinenſi in Hiſt. lib. 6. cap. 7.

f Theudoaldum ſcilicet, Grimoaldi filium, cæſum anno 741.

Digitized by Google

„ quadam confuſione, quæ nuper ad nos veniens, mentem noſtram con- AN.CHR. 754 5. Junii.
„ turbavit, & Sacerdotibus Eccleſiarum verecundiam incutiebat. Nam
„ laicus quidam magnæ perſonæ ad nos veniens, dicebat ſibi ab apoſtoli-
„ cæ Sedis Pontifice ſanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, ut
„ in matrimonium acciperet viduam avunculi ſui, quæ & ipſa fuit uxor
„ conſobrini ſui, & ipſa illo vivente diſceſſit ab eo: & iſta viro, qui
„ nunc eam accipere deſiderans affirmat ſibi licentiam datam, in tertia
„ generatione propinqua eſſe dignoſcitur. Hæc etiam votum caſtitatis Deo
„ vovens, velata fuit, & iterum abjecto velamine maritata. Tale enim
„ matrimonium ſupradictus homo ſibi ab apoſtolica Sede affirmat eſſe
„ conceſſum, quod non æſtimamus verum; quia Synodus & Eccleſia, in
„ qua natus & nutritus fui, id eſt in tranſmarina Saxonia, Lundonenſis
„ Synodus, quæ in primis a diſcipulis S. Gregorii, id eſt Auguſtino, Lau-
„ rentio, Juſto, Mellito Archiepiſcopo conſtituta & ordinata fuit, talem
„ copulam & matrimonium, maximum ſcelus & horribile flagitium ex
„ auctoritate ſanctæ Scripturæ judicabant. Quapropter Paternitas veſtra
„ hujus rei veritatem nobis indicare non dedignetur, ut Eccleſiæ Sacerdo-
„ tibus vel populo Chriſtiano inde ſcandala & ſchiſmata non oriantur:
„ quia carnales homines & idiotæ Alamanni vel Bajoarii vel Franci, ſi de corrigendis Romanorum vitiis:
„ juxta Romanam urbem aliquid fieri viderint ex his peccatis quæ nos
„ prohibemus, licitum & conceſſum a Sacerdotibus eſſe putant, & nobis
„ improperium deputant, ſibi vero ſcandalum vitæ accipiunt: ſicut affir-
„ mant ſe vidiſſe annis præteritis in Romana urbe & juxta Eccleſiam S.
„ Petri in die vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, paganorum
„ conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes & incantatio-
„ nes * ſacrilegas facere, & nullum de domo ſua vel ignem vel ferra- * Sur. cantationes
„ mentum vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque
„ ſe vidiſſe ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis
„ & cruribus ligatas habere, & publice ad vendendum venales aliis of-
„ ferre. Quæ omnia eoquod ibi a carnalibus & inſipientibus videntur,
„ hic improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ efficiunt.
„ De talibus ait Apoſtolus increpans: *Dies obſervatis & tempora: timeo ne* Gal. 4.
„ *ſine cauſa laboraverim in vobis*. Et ſanctus Auguſtinus dixit: Qui divi- Aug ſerm. 241. de temp.
„ nationibus & aruſpiciis & phylacteriis vel quibuslibet auguriis credide-
„ rit, etſi jejunet & oret, etſi jugiter ad Eccleſiam currat, etſi largas
„ eleemoſynas faciat, etſi corpuſculum ſuum in omni afflictione cruciave-
„ rit, nihil ei proderit, quamdiu ſacrilegia illa non reliquerit. Nam ſi
„ iſtas paganias ibi Paternitas veſtra in Romana urbe prohibuerit, & ſibi
„ mercedem, & nobis maximum profectum in doctrina eccleſiaſtica ad-
„ quiret. Epiſcopi quoque & Presbyteri generis Francorum, qui fuerunt
„ adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Epiſcopatus vel Pres-
„ byterii fornicationum nati filii arguunt, redeuntes ab apoſtolica Sede, de Sacerdotibus lapſis non reſtituendis.
„ dicunt ſibi Romanum Pontificem licentiam dediſſe, miniſterium epiſco-
„ pale in Eccleſia uſurpare. Contra quos contendimus, quia apoſtolicam
„ Sedem contra decreta canonum nequaquam audivimus judicaſſe [a]. Hæc
„ omnia, domine cariſſime, propterea vobis nota fecimus, ut veſtræ au-
„ ctoritatis reſponſum talibus dare poſſimus, ut per cautelam veſtræ do-
„ ctrinæ oves Eccleſiæ non ſeducantur, ſed lupi rapaces convicti & ſupe-
„ rati pereant. Interea munuſcula parva vobis direximus, non quia digna
„ ſint Paternitate veſtra, ſed pro indicio charitatis, obedientiæ, & devo-
„ tionis, id eſt villoſam unam, & argenti & auri tantillum. Dextera
„ Domini protegente incolumem valere & in Chriſto proficere Beatitudi-
„ nem veſtram in longitudine dierum optamus.

[a] Ex hac epiſtola & Zachariæ Papæ reſponſione non immerito ſcrupulus animo occurrit, an pars vulgata epiſtolæ Gregorii Magni ad Secundinum quæ Sacerdotes ob lapſum depoſitos reſtituit, a Gregorii ſententia ſit profecta. Lege quæ ea de re in Præfatione ſæculi ſuperioris num. 49. obſervavimus.

AN. CHR. 754 5. Junii.

Te Deus altitbronus ſancta conſervet in æde
Sedis apoſtolicæ Rectorem tempore longo,
Melliflua gratum populis doctrina per orbem,
Perficiatque Deo dignum pia gratia Chriſti.
Splendida percipiat florens ſua gaudia mater,
Atque domus Domini lætetur prole fecunda.

II. Zachariæ reſponſio.

,, REverentiſſimo *& ſanctiſſimo Fratri* BONIFACIO *Epiſcopo* ZACHA-
,, RIAS *ſervus ſervorum Dei*. Suſceptis ſanctiſſimæ Fraternitatis tuæ
,, litteris per DENEHARDUM Presbyterum tuum, quia te ſoſpitem (ut
,, ſemper cupimus) eſſe cognovimus, omnipotenti ac miſericordiſſimo Deo
,, noſtro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis proſperari di-
,, gnatur. Magnam enim cordibus noſtris infundis lætitiam, quoties nobis
,, Sanctitatis tuæ ſcripta mittuntur, quando reperimus quæ ad ſalutem re-
,, ſpiciant animarum: cum quotidie in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ per
,, tuam prædicationem novi populi adduntur. Ubi & tres Epiſcopos per
,, loca ſingula ſecundum ſeriem ſyllabarum tuarum te ordinaſſe cognovi-
,, mus, qui eidem populo, quem ſibi Dominus Deus noſter per tuam
,, ſanctitatem aggregare dignatus eſt, præeſſe debeant; & petiſti ut per
,, auctoritatem noſtræ Sedis epiſcopales ibidem ſedes firmentur. Sed tua
,, ſancta Fraternitas pertractet mature, & ſubtili conſideratione diſcernat
,, ſi expedit, aut ſi loca aut populorum turbæ talia eſſe probantur, ut
,, Epiſcopos habere mereantur. Meminiſſe enim debes, cariſſime, quod
,, ſacris canonibus præcipimur obſervare, ut minime in villulas *a*, vel in
,, modicas civitates Epiſcopos ordinemus, ne vileſcat nomen Epiſcopi. Sed
,, nos tuis ſinceriſſimis atque dilectis ſyllabis provocati, quæ popoſciſti,
,, abſque mora concedimus, & ſtatuimus per apoſtolicam auctoritatem
,, epiſcopales eſſe illic ſedes, & per ſucceſſionem Epiſcopos teneri qui po-
,, pulis præſint, atque verbum prædicationis ſubjectis inſinuent: unam qui-
,, dem in caſtello *Vvirtzburg*, & alteram in opido quod nominatur *Bura-*
,, *burg*, tertiam vero in loco qui dicitur *Erpesfurt*: ita ut nulli poſt hæc
,, liceat ea quæ a nobis ſancita ſunt violare, & auctoritate B. Petri Apo-
,, ſtoli firma eſſe decrevimus.

de Epiſcopis a Bonifacio inſtitutis.

de Synodo convocanda.

,, De eo autem quod nobis intimaſti, quia te Carolomannus filius noſter ro-
,, gavit, ut in parte Francorum, in ſua ditione conſtituta, Synodum cele-
,, brares, eoquod omnis eccleſiaſtica regula ſeu diſciplina ab eadem provin-
,, cia funditus abolita eſt, nimis mœrendum eſt, quod per ſpatia tanta tem-
,, porum ibidem Synodus Sacerdotum minime celebraretur. Unde neque quid
,, ſit Sacerdotium ab eis qui ſe Sacerdotes eſſe exiſtimant cognoſcitur. Sed
,, dum juvante Deo quæ a præfato filio noſtro promiſſa ſunt, ad effectum
,, perducta fuerint, tuaque Fraternitas memorato Concilio conſederit cum eo-
,, dem excellentiſſimo viro; ſi quos repererit Epiſcopos, Presbyteros aut
,, Diaconos contra canones vel ſtatuta Patrum exceſſiſſe, id eſt in adulte-
,, rio, vel ſi plures uxores habuerunt, aut ſi ſanguinem Chriſtianorum ſi-
,, ve paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitalibus vitiis, quibus ca-
,, nones obviaſſe reperit tua Sanctitas, nulla ratione apoſtolica auctoritate
,, permittat Sacerdotio fungi: quia tales a ſuo tantum ore falſo nominan-
,, tur Sacerdotes, & deteriores ſæcularibus eſſe noſcuntur, qui ſe neque
,, a fornicationibus, neque a nefariis matrimoniis abſtinent, neque ab hu-
,, mani ſanguinis effuſione manus ſervant innoxias. Aut quid inde ſentiunt,
,, dicente Domino: *Sacerdotes mei ſemel nubant*; & Apoſtolus: *Unius uxo-*
,, *ris virum*, &c. Et hoc ante ſuſceptum Sacerdotium uti licitum eſt.
,, Nam

de corripiendis Clericis:

Levit. 21. 13.

1. Tim. 3.

a In Anglia ſub Vvillelmo dumtaxat Rege factum eſt, *ut ex canonum decreto ſedes Epiſcoporum ex villis ad urbes migrarent*, teſtante Vvillelmo Malmesburiæ Monacho in lib. 2. ubi de Epiſcopis Schireburnenſibus in Hermanno.

„ Nam a die ſuſcepti Sacerdotii etiam ab ipſo proprio conjugio prohibendi AN.CHR.
„ ſunt. Quomodo ſe Sacerdotio fungi conſiderant, qui talibus ſceleribus in- 754
„ voluti monſtrantur, ut neque ſæculares fideles his facinoribus obvolutos 5. Junii.
„ optemus? Quomodo non pertimeſcunt divina myſteria contingere, aut
„ quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præſumunt, dum ſacri
„ canones neque purum Clericum, cui Sacerdotium non eſt, ſecundis copu-
„ lari nuptiis permittunt? Iſti vero econtrario non ſolum poſt ſuſceptum Sa-
„ cerdotium ſe abſtinere nolunt ab una uxore; immo luxuriæ dediti, pejora
„ ſæcularibus ſcelera committunt, ut plures uxores habere præſumant, qui-
„ bus neque unam conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare. Sed
„ & iſta parvipendentes, atque Dominum ad iracundiam provocantes, majo-
„ ra committunt facinora, dum propriis manibus Chriſtianos atque paganos
„ necant: & fit ut qui in remiſſionem peccatorum debuerunt lavacrum rege-
„ nerationis impendere, & Chriſti ſacramenta donare aliis ne in æternum pe-
„ rirent; eorumdem ſacrilegis manibus exſtinguantur. Quis enim ſapiens eos
„ æſtimet Sacerdotes, qui neque a fornicationibus abſtinent, neque ab effu-
„ ſione humani ſanguinis manus ſervant innoxias? Quiſve eorum ſacrificiis
„ Dominum eſſe credit placatum? dicente Propheta: *Virum ſanguinum & do-* Pſalm. 5.
„ *loſum abominabitur Dominus*. Iſtos ergo, ut præmiſi, nec Sacerdotio fungi
„ patiaris, neque divina contingere myſteria. Quidquid vero aliud eos contra
„ eccleſiaſticam regulam exceſſiſſe repereris, canones ſive inſtituta Patrum
„ præ manibus habeto, & ſicut in eis edoctus fueris, diſcerne.
„ Quod autem tibi ſucceſſorem conſtituere petiſti, ut te vivente in tuo de ſucceſſo-
„ loco eligatur Epiſcopus; hoc nulla ratione concedi *a* patimur; quia con- re eligendo:
„ tra omnem eccleſiaſticam regulam eſſe monſtratur: ſed volumus, ut ti-
„ bi miniſtret & ſit in Evangelio Chriſti adjutor, dicente Apoſtolo: *Si* 1. Tim. 3.
„ *quis bene miniſtraverit, gradum ſibi bonum acquiret*. Nimis enim reprehen-
„ ſibile ac deteſtabile eſſe manifeſtum eſt, ut te vivente tibi alium ſub-
„ ſtituamus. Sed hoc admonemus, ut quamdiu te divina juſſerit clemen-
„ tia ſupereſſe, ſine intermiſſione orare ſtudeas, ut tibi Deus illum ſuc-
„ ceſſorem concedat, qui ei poſſit eſſe placabilis; & populum quem ad
„ ſuam gratiam per tuæ Sanctitatis induſtriam vocare voluit, irreprehen-
„ ſibiliter regere, atque ad viam vitæ perducere valeat. Nam quomodo
„ hæc quæ popoſciſti, ſi etiam voluerimus, concedere poſſumus, dum nos
„ fragiles homines ſub conditione mortis conſtituti, ignoremus quid ſuper-
„ ventura pariat dies, & quis e nobis prior de præſenti ſæculo migret?
„ Si autem eumdem divina voluerit clementia poſt tui tranſitus diem ſu-
„ pereſſe, ſi eum aptum agnoveris, & in tua voluntate fuerit definitum;
„ ea hora qua te de præſenti ſæculo migraturum cognoveris, præſentibus
„ cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, ut huc veniat ordinandus: quod nulli
„ alii concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri cenſuimus.
„ De illo vero, qui viduam avunculi ſui, quæ & ipſa fuit uxor conſo- de inceſto
„ brini ſui, & ſacrum velamen habere monſtrata eſt, & a beatæ memo- matrimo-
„ riæ præceſſore noſtro ſibi licentiam eſſe conceſſam divulgavit ut in per- nio.
„ nicioſum matrimonium adſumere debuiſſet: abſit hoc, ut deceſſor no-
„ ſter iſta præciperet. Nec enim ab hac apoſtolica Sede illa permittuntur, NOTA.
„ quæ contraria eſſe Patrum ſive canonum inſtitutis probantur. Admone-
„ re & increpare eos, Frater cariſſime, ne ceſſes, quatenus a tam ſcele-
„ ſto recedant matrimonio, ne in æternum pereant. Reminiſcantur ergo
„ ſe Chriſti ſanguine eſſe redemtos, & non ſponte ſe contradant diaboli-
„ cæ poteſtati; ſed magis omnipotenti Deo & Chriſto filio ejus Spiritui-
„ que ſancto, in cujus nomine ab illius antiqui hoſtis erepti ſunt poteſta-
„ te. Labora igitur, ſanctiſſime Frater, in eis, qui ſcriptum cognoſcis:

a Quid rei hoc loco poſtulet a Zacharia Bonifacius, non ſatis conſtat. Forſitan poſtulabat alium ſuo loco deſignari Legatum, ut colligimus ex Zachariæ litteris infra cap. 9. Nam anno datæ hujus epiſtolæ, id eſt anno 743. nulli adhuc Sedi addictus erat, ex Notatione ad cap. 7. infra.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii. Jac. ult.

„ *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & ſuorum operit multitudinem peccatorum.* Nos quoque ei pro hoc commonitoria ſcripta direximus.

de Kalendis Januariis Romanorum, &c.

„ De Kalendis vero Januarii vel ceteris auguriis, phylacteriis & incantationibus, vel aliis diverſis obſervationibus quæ gentili more obſervari dixiſti apud B. Petrum Apoſtolum, vel in urbe Roma; hæc & nobis & omnibus Chriſtianis deteſtabilia & pernicioſa eſſe judicamus, dicente Domino: *Non augurabimini.* Et iterum Scriptura dicit: *Non ſint auguria in Iſrael, nec obſervatio in domo Jacob.* Igitur & a nobis cavendum eſſe cenſemus, ut nullis auguriis vel obſervationibus attendamus: quia omnia hæc abſciſſa eſſe a Patribus edocti ſumus. Sed quia per inſtigationem diaboli iterum pullulabant; a die qua nos juſſit divina clementia (quamquam immeriti exſiſtamus) Apoſtoli vicem gerere, illico omnia hæc amputavimus. Pari etenim modo volumus tuam Sanctitatem populis ſibi ſubjectis prædicare. Nam & ſanctæ recordationis prædeceſſoris atque nutritoris noſtri domini Gregorii Papæ conſtitutione, omnia hæc pie atque fideliter amputata ſunt, & alia quamplura, quæ diabolo ſuggerente pullulabant in Chriſti ovili: cujus inſtar pro illius populi ſalute dirigere maturavimus.

Levit. 19 num. 23.

de Sacerdotibus lapſis non reſtituendis:

„ De Sacerdotibus vero falſis qui falſa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores eſſe probantur, & ſibi ab apoſtolica Sede indultum eſſe teſtantur, & econtrario ſibi licentiam prædicationis largitam eſſe: hoc nulla ratione credat ſancta Fraternitas tua; ſed ſimiliter in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his quibus ſuperius a nobis edoctus monſtraris. Non enim aliud te agere volumus, præter quod ſacri præcipiunt canones, vel etiam ab hac apoſtolica Sede inſtructus eſſe dignoſceris.

NOTA.

de Epiſcoporum confirmatione.

„ Tuæ quoque Sanctitatis petitionem implevimus, mittentes tribus Epiſcopis tuis ſingulas confirmationis epiſtolas, quas per Sanctitatis tuæ manus eis largiri volumus: & KARLOMANNO filio noſtro alia ſcripta direximus, ut adminicula quibus indiges, adimplere feſtinet.

NOTA.

„ Jam, Frater cariſſime, de omnibus ſuperius comprehenſis capitulis ut Dominus donavit reſpondimus ad amputanda omnia diabolicæ fraudis ſcandala: tua vero ſancta Fraternitas ſi quid de cetero evenerit, ut ſacri docent canones, ſtudeat emendare in plebibus ſibi a Deo commiſſis. Non enim aliud nobis convenit prædicare, præter quod a ſanctis Patribus ſumus edocti. Si vero novi aliquid inimici aſtutia agente acciderit, quod tua ſancta Fraternitas minime per canonum inſtituta diſcernere poſſit; hoc nobis non pigeat inſinuare, quatenus Deo juvante quæque ad emendationem novæ plebis eſſe poſſunt, tibi abſque tarditate reſpondere curemus. Cognoſcat ergo tua ſancta Fraternitas ita dilectionem tuam haberi in noſtris præcordiis, ut te præſentialiter quotidie videre deſideremus, & ita te in noſtro conſortio habere, ut miniſtrum Dei & diſpenſatorem Eccleſiarum Chriſti. Confortare itaque in Domino, Frater cariſſime, & eſto robuſtus, & labora in opere, ad quod te divina voluit clementia vocare. Magna etenim ſpes remunerationis exſpectat, quam promiſit Deus diligentibus ſe. Et nos licet peccatores exſiſtamus, tamen Dei noſtri immenſam clementiam non ceſſamus exorare, ut qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum uſque in finem, & B. Petrus Apoſtolorum Princeps cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parere deſideras. Deus te incolumem cuſtodiat, ſanctiſſime Frater. Data Kalend. Aprilis, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, anno 24. imperii ejus, Indict. 11. [a]

„ Re-

[a] Addit Baronius ex Romana editione, *imperii ejus anno ſecundo*, ſcilicet anno 24. quo cum patre imperare cœpit; ſecundo vero quo ſolus. Baronius etiam monet legendum, *Indict.* 10. Quamquam & mſſ. codices ſcribunt, *Indict.* 11. idemque legitur apud Sirmondum, cujus hæc lectio: *imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo coronato anno 24. imperii ejus anno ſecundo*, *Indict.* 11. Certe Synodus Liptinenſis, quam Zachariæ Pontificis epiſtola hæc præceſſit, habita eſt *Kalendis Martiis anno* 743. Indictione 11. currente.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii. III.

Baptiſmus an, & qua forma vitiata iterandus. * de his infra cap. 9.

„ REverentiſſimo *& ſanctiſſimo Fratri* BONIFACIO *Coepiſcopo*, ZACHA-
„ RIAS *ſervus ſervorum Dei*. VIRGILIUS & SIDONIUS *, religioſi
„ viri apud Bajoariorum provinciam degentes, ſuis nos litteris viſitantes, in-
„ timarunt, quod tua reverenda Fraternitas eis injungeret Chriſtianos denuo
„ baptizare. Quod audientes nimis conturbati ſumus, & in admirationem
„ magnam incidimus, ſi habetur ut dictum eſt. Retulerunt quippe quod
„ fuerit in eadem provincia Sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignora-
„ bat: & dum baptizaret, neſciens Latini eloquii linguam, diceret: *Bapti-*
„ *zo te in nomine Patria & Filia & Spiritus-ſancta*: ac per hoc tua reve-
„ renda Fraternitas juſſerit rebaptizare. Sed, ſanctiſſime Frater, ſi ille,
„ qui baptizavit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola igno-
„ rantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut præfati ſumus, bapti-
„ zans dixerat; non poſſumus conſentire, ut ab eo baptizati denuo baptizen-
„ tur: quia, ſicut tua bene novit ſancta Fraternitas, quicumque baptizatus
„ fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, nullo modo
„ rebaptizari debet, ſed per ſolam manus impoſitionem purgandus eſt. Si
„ ergo ita eſt, ut nobis relatum eſt, nolo amplius a te illis prædicetur hu-
„ juſmodi doctrina: ſed ut ſancti Patres docent & prædicant, tua Sanctitas
„ ſtudeat conſervare. Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime Frater.
„ Data Kalendis Julii, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, a
„ Deo coronato, magno Imperatore, anno viceſimo ſexto, imperii ejus an-
„ no quarto, Indictione duodecima *.

* Brovvero male quarta-decima.

IV. Romana Synodus ſub Zacharia contra Aldebertum & Clementem. ACTIO I.

„ IN nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, imperante domino piiſſimo
„ Auguſto Conſtantino Imperatore, anno 6. *a* imperii ejus, poſt conſu-
„ latum ejus anno quinto, menſe Octob. die viceſima-quinta, Indictione
„ quarta & decima, præſidente ſanctiſſimo domino ZACHARIA Papa in
„ patriarchio Lateranenſe, in Baſilica quæ appellatur Theodori; conſidenti-
„ bus etiam cum eo ſanctis Epiſcopis EPIPHANIO de Silva-candida, BE-
„ NEDICTO Nomento, VENANTIO Præneſte, GREGORIO Portuenſe,
„ NICETA Gabiis, THEODORO Oſtienſe, GRATIOSO Velitris; ſeu ve-
„ nerabilibus Presbyteris, id eſt Joanne Archipresbytero, Gregorio, Stepha-
„ no, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio,
„ Jordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Proco-
„ pio atque Theophanio; propoſitis in medio ſacroſanctis Evangeliis, adſtan-
„ tibus quoque Diaconibus cunctoque Clero, GREGORIUS Regionarius &
„ Nomenculator dixit: DENEARDUS religioſus Presbyter, legatus Boni-
„ facii ſanctiſſimi Archiepiſcopi provinciæ Germaniæ directus ad veſtrum
„ ſanctum Apoſtolatum, præ velo eſt, & petit ingredi: quid præcipitis?
„ Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias ſanctus Pa-
„ pa dixit: Ante hos dies litteras reverentiſſimi Fratris noſtri Bonifacii Ar-
„ chiepiſcopi nobis detuliſti, per quas nobis quæ opportuna ei viſa fuerant
„ indicavit. Quid ergo denuo noſtris ſecretariis te ingredi poſtulaſti? Denear-
„ dus religioſus Presbyter dixit: Domine mi, dum juxta veſtri Apoſtolatus
„ præceptum dominus meus Bonifacius Epiſcopus, famulus pietatis veſtræ,
„ in provincia Francorum Synodum aggregaret, & reperiſſet illic falſos Sa-
„ cerdotes, hæreticos & ſchiſmaticos, id eſt Aldebertum & Clementem,
„ Sacerdotio privans, una cum Principibus Francorum, retrudi fecit in cu-
„ ſtodiam. Illi autem non in pœnitentia degunt, ut judicatum eſt; ſed econ-
„ trario adhuc populum ſeducunt. Pro quo & hanc epiſtolam præfati domi-
„ ni mei quam manibus gero, veſtro ſancto Apoſtolatui miſſus offero, ut
„ eam coram ſancto Concilio legi faciatis. Dictum eſt: Suſcipiatur epiſtola,
„ & coram noſtra præſentia relegatur. Et accipieus Theophanius Notarius
„ regionarius & ſacellarius, relegit in his ſermonibus.

a Ita Sirmondi & Caniſii editio corrigunt Surianam, in qua legitur *anno* 26.

AN. CHR. 754. 5 Junii. V.

Bonifacii epiſtola recitata.

„ *Excellentiſſimo Patri atque apoſtolico Pontifici* ZACHARIÆ *Papæ*, BONIFACIUS *ſervus ſervorum Dei, optabilem in Chriſto caritatis ſalutem*. Poſtquam me ante annos prope triginta ſub familiaritate & ſervitio apoſtolicæ Sedis, annuente & jubente venerandæ memoriæ Antiſtite apoſtolico Gregorio, anteriore voto conſtrinxi; quidquid mihi lætitiæ vel triſtitiæ acciderat, apoſtolico Pontifici ſolebam indicare, ut in lætis ſimul laudaremus Dominum, & in triſtibus ejus conſilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat vobis indicare, precor, ſicut ſcriptum eſt : *Interroga patrem tuum, & adnunciabit tibi; ſeniores tuos, & dicent tibi*. (Deut. 32.) Notum enim ſit Paternitati veſtræ, quia poſtquam indigno mihi mandaſtis in provincia Francorum, ſicut & ipſi rogarunt, ſacerdotali Concilio & ſynodali conventui præeſſe, multas injurias & perſecutiones paſſus ſum a falſis Sacerdotibus, & adulteris Presbyteris ſeu Diaconibus, & fornicariis Clericis. Maximus tamen mihi labor eſt contra duos hæreticos peſſimos, & blaſphemos contra Deum & conrra catholicam Fidem. Unus qui dicitur ALDEBERTUS, natione Gallus eſt; alter qui dicitur CLEMENS, genere Scotus *a* eſt; ſpecie quidem erroris diverſi, ſed pondere peccatorum compares. Contra iſtos, obſecro, auctoritatem veſtram, ut me defendere & adjuvare, & populum Francorum & Gallorum per ſcripta veſtra corrigere ſtudeatis, ne hæreticorum fabulas & vana prodigia ac ſigna præcurſoris Antichriſti ſectentur, ſed ad canonica jura & ad viam veræ doctrinæ convertantur, & ut per verbum veſtrum iſti duo hæretici mittantur in carcerem, nulluſque cum eis communionem habeat : ne forte fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat, ſed ſegregati vivant, & juxta dictum Apoſtoli, traditi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini. (1. Cor. 5. 5.) Et ſi Eccleſiam non audierint, ſint nobis juxta evangelicum præceptum ſicut ethnici & publicani. (Matth. 18. 17.) Propter iſtos enim perſecutiones & inimicitias & maledictiones multorum patior, & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ rectæ ſuſtinet. Dicunt enim de Aldeberto, quod eis ſanctiſſimum Apoſtolum abſtulerim, patronum & oratorem virtutumque factorem & ſignorum oſtenſorem abſtraxerim. Sed Pietas veſtra audiens vitam ejus, judicet ex fructu, utrum veſtimentis ovium indutus, intus lupus rapax fuerit, an non? (Aldeberti deliria.) In primæva enim * ætate hypocrita fuit, dicens quod ſibi Angelus Domini in ſpecie hominis de extremis finibus mundi miræ, & tamen incertæ ſanctitatis Reliquias attulerit, & exinde potuerit omnia quæcumque popoſcerit, a Deo impetrare. Hac ergo ſimulatione, ſicut Apoſtolus Paulus prædixit, (2. Tim. 3.) penetravit multorum domos, & captivas duxit poſt ſe mulierculas oneratas peccatis, quæ ducebantur variis deſideriis, & multitudinem ruſticorum, dicentium, quod ipſe eſſet vir apoſtolicæ ſanctitatis. Præterea conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe contra præcepta canonum abſolute ordinaverunt. Unde in tantam ſuperbiam elatus eſt, ut ſe æquiparet Apoſtolis Chriſti, & dedignatus in alicujus Apoſtolorum vel Martyrum honore Eccleſiam conſecrare, (in proprio honore dedicaret Oratoria, vel, ut verius dicam, ſordidaret. Ad hæc etiam *b*) improperans cur voluiſſent homines viſitare limina SS. Apoſtolorum, fecit eis cruciculas & oratoriola in campis & ad fontes vel ubicumque ſibi videbatur, & juſſit ibi publicas orationes celebrari, in tantum ut multitudines populorum ſpretis ceteris Epiſcopis & dimiſſis antiquis Eccleſiis, in talibus locis conventus agerent, dicentes : Merita S. Adalberti adjuvabunt nos. Ungulas quoque ſuas & capillos dedit ad honorificandum & portandum cum Reliquiis S. Petri Apoſtolorum Principis. Tantis itaque flagitiis involutus, præſumſit quoddam, quod maximum ſcelus & blaſphemia contra Dominum eſſe videtur. Ve-

„ nien-

* al. igitur

a Is eſſe videtur, de quo ſcribit Bonifacius in epiſtola 13. ad Eadburgam Abbatiſſam. *Super omnia*, inquit, *graviſſimum, quod vincunt inſidiæ fratrum malitiam infidelium paganorum. Rogate ergo pium defenſorem vitæ noſtræ, ut ubi debuerunt eſſe ſpecioſi pedes portantium lucernam pacis evangelicæ, non inveniantur tenebroſa errantium apoſtatarum veſtigia*.

b Incluſa parentheſi deſunt apud Sirmondum & in nonnullis mſſ.

Digitized by Google

„ nienti enim populo & proſtrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri pec- AN.CHR. 754 5. Junii.
„ cata *a* ſua, dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt occul-
„ ta veſtra: ideoque non eſt opus confiteri ea. Securi ergo & abſoluti de
„ peccatis veſtris præteritis, revertimini ad domos veſtras cum pace. Hæc
„ igitur atque his ſimilia, quæ ſanctum Evangelium hypocritas facturos eſſe
„ teſtatur, idem Aldebertus ſuo habitu & inceſſu moribuſque ſolet operari.

„ Alter autem hæreticus qui dicitur CLEMENS, contra catholicam con- Clementis errores.
„ tendit Eccleſiam, abnegans ſcilicet & refutans canones ſacros, tractatus
„ & expoſitiones SS. Patrum, Hieronymi, Auguſtini, & Gregorii. Syno-
„ dalia etiam jura ſpernens, affirmat ſe poſt duos filios ſibi in adulterio na-
„ tos, eſſe poſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum. Præterea Judaiſmum introdu-
„ cens, juſtum judicat eſſe Chriſtiano, ut ſi voluerit, viduam fratris de-
„ functi accipiat uxorem. Ipſe etiam contra Fidem ſanctorum Patrum con-
„ tendit dicens, quod Chriſtus Filius Dei deſcendens ad inferos, omnes quos
„ inferni carcer detinuit, inde liberaſſet, credulos videlicet & incredulos,
„ necnon cultores idolorum. Multa quoque alia horribilia & contraria Fidei
„ catholicæ de prædeſtinatione Dei affirmat. Quapropter precor, ut litteras
„ veſtras de hoc hæretico mandare curetis Duci Karlomanno ut mittatur in
„ cuſtodiam, ne ſemina ſatanæ latius ſeminans, una ovis morbida totum
„ gregem polluat. Valere Sanctitatem veſtram & proſperis profectibus gau-
„ dere in longitudine dierum optamus.

„ Cumque lecta eſſet epiſtola, Zacharias Papa dixit: Audiſtis, cariſſimi
„ Fratres, quid in iſta epiſtola lectum ſit ex ſacrilegis illis, qui ſe ad ſuam
„ condemnationem Apoſtolos nominare præſumſerunt? Sancti Epiſcopi &
„ venerabiles Presbyteri reſponderunt: Audivimus certe per omnia, non
„ Apoſtolos, ſed miniſtros ſatanæ & præcurſores Antichriſti. Quis enim a-
„ liquando Apoſtolorum vel quilibet Sanctorum ex capillis ſuis aut ungulis
„ pro ſanctitate * populis tribuit, ut iſte pernicioſus agere conatus eſt Alde- * al. ſanctuaria populis tribuerunt.
„ bertus? Sed hoc ſcelus a veſtro ſancto Apoſtolatu reſecandum eſt, tam de
„ illo quam etiam de tranſgreſſore Clemente, qui ſacros canones ſpernit, at-
„ que expoſitiones SS. Patrum, Ambroſii, Auguſtini, ceterorumque reſpuit.
„ Ambo itaque juſtam dignamque tranſgreſſionibus ſuis ſuſcipiant ſententiam.
„ Zacharias ſanctus Papa dixit: Quia jam tardior hora eſt, venturo ſecre-
„ tario de conſcripta vita & oratione, quam ſibi exponit Aldebertus, vel
„ de ceteris ejus geſtis, cum nobis lecta fuerint, communi conſenſu, me-
„ diante Deo, quid fieri debeat pertractemus.

„ *b* Cumque in eodem die ſanctus Zacharias Papa ceterique Epiſcopi, ACTIO II.
„ necnon Presbyteri ſupradicti, aliique Clerici conveniſſent in prænominatam
„ Baſilicam, Gregorius Notarius regionarius & Nomenculator dixit: Jux-
„ ta veſtri ſancti Apoſtolatus præceptum, quod in præterito ſecretario
„ juſſiſtis, Deneardus religioſus Presbyter adeſt præ velo: quid præcipi-
„ tis? Dictum eſt: Ingrediatur. Cumque ingreſſus eſſet, Zacharias ſanctus
„ Papa dixit: Actus illius nefandiſſimi Aldeberti, ſive cetera ejus ſcripta
„ quæ præterito ſecretario in manibus gerebas, coram præſenti Concilio por-
„ rige legenda. Et accipiens Theophanius Notarius regionarius & ſacellarius,
„ legit vitam illius, cujus initium eſt: In nomine Domini noſtri JESU-
„ CHRISTI, incipit vita ſancti *c* & beati Aldeberti Epiſcopi, ex electio-
„ ne Dei nati. De ſimplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei
„ coronatus: quia dum in utero matris ſuæ eſſet, ibidem gratiam Dei ac-
„ cepit *: & antequam perveniſſet beatiſſima nativitas ejus, vidit genitrix * ita ex Sirmondo.
„ ejus per viſionem quaſi egredientem vitulum de dextero latere ſuo. Qui
„ nimirum vitulus deſignabat illam gratiam, quam acceperat ab Angelo, an-
„ tequam exiret de vulva.

a Hinc collige diſciplinam illius temporis in revelandis peccatis Sacerdoti, & quidem genibus flexis.

b Hic finita actione prima Concilii incipit ſecunda, quæ in quibuſdam codicibus repetit exordium Concilii, uti apud Sirmondum: quod etiam in aliis Actionibus ſervatur.

c Sirmondo: *& beati Dei famuli præclari atque per totum ſpecioſi ex electione Dei nati, S. Aldeberti Epiſc.*

AN.CHR. 754 5. Junii.

„ Cumque hic libellus uſque ad finem lectus fuiſſet, Zacharias ſanctus
„ Papa dixit: Quid ad hanc blaſphemiam reſpondetis, ſanctiſſimi Fratres?
„ Epiphanius Epiſcopus Eccleſiæ ſanctæ Silvæ-candidæ dixit: Domine Apo-
„ ſtolice, ex divina profecto inſpiratione motum eſt cor veſtri ſancti Apoſto-
„ latus, ut prædictum Bonifacium ſanctiſſimum Epiſcopum & Francorum
„ Principes commoneretis, in partibus illis poſt longa tempora Concilium con-
„ gregare Sacerdotum, ne hæc ſchiſmata & blaſphemiæ ſancto veſtro Apo-
„ ſtolatui celarentur. Zacharias ſanctus Papa dixit: Si quid adhuc habet
„ Deneardus religioſus Presbyter nobis porrigere legendum, porrigat. Denear-
„ dus Presbyter reſpondit: Ecce, domine, epiſtola qua utebatur Aldeber-
„ tus, & quam divulgabat eſſe JESU, ſibique de cœlo veniſſe. Et accipiens
„ Theophanius Notarius legit, cujus initium tale erat: In nomine Domini
„ incipit epiſtola Domini noſtri JESU-CHRISTI Filii Dei, quæ in Hieroſoly-
„ mam cecidit, & per Michaelem Archangelum inventa eſt in porta Ephra-
*Sirmondo Leoræ „ im, & per manus Sacerdotis nomine Icoræ * ipſa epiſtola fuit exempla-
* Sirm. Hieremiam „ ta. Et tranſmiſit ipſe eamdem epiſtolam ad Germaniam * civitatem alio
„ Sacerdoti Talaſio, & ipſe Talaſius tranſmiſit illam ad Arabiam civitatem
„ alio Sacerdoti Leoban: & ipſe Leoban tranſmiſit epiſtolam iſtam ad Vet-
* Sirm. Macherius „ phaniam civitatem, & recepit eam Macrius * Sacerdos Dei, & tranſmiſit
„ in montem S. Archangeli Michaelis, & per manus Angeli Dei pervenit ad
„ Romanam civitatem ad ſepulcrum S. Petri, ubi claves regni cœlorum con-
„ ſtitutæ ſunt. Et duodecim Papati qui ſunt in Romana civitate, triduanas
„ fecerunt vigilias in jejuniis & orationibus: & cetera uſque ad finem per-
„ lecta. Zacharias ſanctus Papa dixit: Pro certo, cariſſimi Fratres, & præ-
„ dictus Aldebertus in inſaniam converſus eſt, & omnes qui hac utuntur
* Sirm. ſcelerata „ commentata * epiſtola, parvulorum more abſque ſenſu ſunt, & muliebri
„ errore inſaniunt. Sed ne leviores amplius decipiat, indiſcuſſam & abſque
„ ſententia cauſam hanc relinquere non poſſumus. Sancti Epiſcopi & vene-
„ rabiles Presbyteri reſponderunt: Ex divina illuſtratione cognoſcimus cor
„ ſancti veſtri Apoſtolatus illuminatum, & quæ a vobis dicta ſunt, ex ad-
„ miniſtratione ſancti Spiritus emanarunt. Et idcirco ut a vobis prævisum
„ fuerit, in utroque ſententia promulgetur. Zacharias ſanctus Papa dixit:
„ Non ut a nobis ſolis prævisum fuerit, ſed pariter cum ſanctitate veſtra,
„ ut Domino placuerit, in futuro ſecretario eſt pertractandum.

ACTIO III.

„ Cum autem tertia vice in eodem die Zacharias ſanctus Papa, ceterique
„ Epiſcopi, necnon Presbyteri ſupradicti, ſed & alii Clerici conveniſſent in
„ prænominatam Baſilicam, Gregorius Notarius regionarius & Nomenculator
„ dixit: Secundum quod a veſtro ſancto Apoſtolatu præceptum eſt in præ-
„ terito ſecretario, ut Deneardus religioſus Presbyter hic ſe veſtris præſen-
„ taret obtutibus, præſto eſt præ foribus: quid præcipitis? Dictum eſt: In-
„ grediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias Papa dixit: Habes adhuc
„ ex ſacrilegorum illorum conſcripto aliquid, quod coram Concilio proferre
„ debeas ad legendum? Deneardus religioſus Presbyter reſpondit: Etiam,
„ domine mi, orationem, quam ſibi Aldebertus componere niſus eſt; &
„ ecce in manibus eam gero: jubete eam ſuſcipi. Moxque ſuſcepta eſt &
„ lecta oratio, cujus initium tale erat: Domine, Deus omnipotens, Pater
„ Domini noſtri JESU-CHRISTI, & A & Ω, qui ſedes ſuper ſeptimum
„ thronum & ſuper Cherubin & Seraphin, pietas magna & dulcedinis ſatis
„ eſt apud te, Pater ſanctorum Angelorum, qui feciſti cœlum & terram,
„ mare & omnia quæ in eis ſunt: te invoco & clamo & invito ſuper me mi-
„ ſerrimo, quia tu dignus fuiſti dicere: Quodcumque petieritis a Patre in no-
„ mine meo, dabit vobis. A te *a* peto, ad te clamo, a Domino Chriſto
„ confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, pervenit ad lo-
* Sirm. Angele „ cum, ubi ait: Precor vos, & conjuro vos, & ſupplico me ad vos Angelus *
„ Uriel, Angelus Raguel, Angelus Tubuel, Angelus Michael, Angelus Adi-
„ mis

a Sirmondus. *Ergo ego te peto, quia in te confidit anima mea.*

,, mis *, Angelus Tubuas, Angelus Sabaoth, Angelus Simihel. Dum vero AN.CHR. 754 5. Junii.
,, hæc oratio ſacrilega uſque ad finem perlecta fuiſſet, Zacharias ſanctus Papa
,, dixit: Quid ad hæc, ſancti Fratres, reſpondetis? Sancti Epiſcopi & venera-
,, biles Presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendum eſt, niſi ut omnia, quæ * al Adinus, Sirm. Inias
,, coram nobis lecta ſunt, igni concrementur; auctores vero eorum anathema-
,, tis vinculo percellantur? Octo enim nomina Angelorum, quæ in ſua oratione
,, Aldebertus invocavit, non Angelorum, præter Michaelis, ſed magis dæ-
,, monum nomina ſunt, quos ad præſtandum ſibi auxilium invocavit. Nos
,, autem, ut a veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & divina tradit auctori-
,, tas, non pluſquam trium Angelorum nomina agnoſcimus, id eſt Michael,
,, Gabriel, Raphael *a*. Zacharias ſanctus Papa dixit: Optime proviſum eſt
,, a veſtra ſanctitate, ut conſcripta illius omnia igne concrementur: ſed op-
,, portunum eſt, ut ad reprobationem ejus in ſcrinio noſtro conſerventur ad
,, perpetuam confuſionem. Nunc vero quia omnia peracta ſunt, de utrorum-
,, que ſententia, quorum ſuperius mentio facta eſt, pertractandum eſt. Uni-
,, verſum Concilium dixit: Aldebertus, cujus nobis actus & nefaria commen-
,, ta lecta ſunt, & qui ſe Apoſtolum cenſuit nominari, & capillos & ungulas
,, ſuas populis pro ſanctitate * tribuit, quique ſub obtentu Angelorum dæ- * Sirm. ſanctuario
,, mones in ſuum auxilium invocat; ſit ab omni officio ſacerdotali alienus,
,, agens pœnitentiam pro commiſſis, & amplius jam populum minime ſedu-
,, cat. Sin autem in his erroribus perſeveraverit, & populum amplius ſedu-
,, xerit, ſit anathema, & æterno Dei judicio condemnetur; omniſque pari-
,, ter qui ei conſenſerit & ejus doctrinam ſecutus fuerit, aut adjunctus illi
,, fuerit. Similiter & Clemens, qui per ſuam ſtultitiam SS. Patrum ſtatuta
,, omniaque ſynodalia acta reſpuit, inferens etiam Chriſtianis Judaiſmum,
,, dum prædicat fratris defuncti accipere poſſe uxorem; inſuper & Dominum
,, JESUM-CHRISTUM deſcendentem ad inferos, omnes pios & impios exinde
,, prædicat abſtraxiſſe; ab omni ſacerdotali officio nudatus ſit & anathema-
,, tis vinculo obligatus, pariterque Dei judicio condemnatus, & omnis, qui
,, ejus ſacrilegis conſenſerit prædicationibus.

,, ZACHARIAS Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ catholicæ atque apoſtoli- Subſcriptiones.
,, cæ urbis Romanæ, his geſtis atque ſententiæ a nobis promulgatis ſub-
,, ſcripſit. EPIPHANIUS Epiſcopus Eccleſiæ Sylvæ-candidæ his geſtis atque
,, ſententiæ a nobis promulgatis ſubſcripſit. BENEDICTUS Epiſcopus Ec-
,, cleſiæ Nomentanæ his geſtis atque ſententiæ a nobis promulgatis ſub-
,, ſcripſit. VENANTIUS Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Præneſtinæ his geſtis, *&c.*
,, GREGORIUS Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Portuenſis his geſtis, *&c.* NICETA
,, Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Gabinatis, *&c.* THEODORUS Epiſcopus ſanctæ
,, Eccleſiæ Oſtienſis, *&c.* GRATIOSUS Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Veliter-
,, nenſis, *&c.* JOANNES Archipresbyter tituli ſanctæ Suſannæ, *&c.* GREGO-
,, RIUS humilis Presbyter tituli S. Clementis, *&c.* STEPHANUS gratia Dei
,, Presbyter tituli S. Marci, *&c.* STEPHANUS indignus Presbyter tituli S.
,, Euſebii, *&c.* DOMINICUS humilis Presbyter tituli S. Priſcæ, *&c.* THEO-
,, DORUS humilis Presbyter tituli S. Laurentii, *&c.* ANASTASIUS indignus
,, Presbyter tituli S. Mariæ, *&c.* GEOAGIUS humilis Presbyter tituli SS.
,, Joannis & Pauli, *&c.* SERGIUS humilis Presbyter tituli S. Potentianæ,
,, *&c.* JORDANES indignus Presbyter tituli S. Sabinæ, *&c.* THEOPHANIUS
,, humilis Presbyter tituli SS. quatuor Coronatorum, *&c.* LEO indignus
,, Presbyter tituli S. Anaſtaſiæ, *&c.* GREGORIUS indignus Presbyter
,, tituli S. Balbinæ, *&c.* STEPHANUS indignus Presbyter tituli S. Chry-
,, ſogoni, *&c.* EUSTACHIUS humilis Presbyter ſanctæ Romanæ Ec-
,, cle-

---

a Et tamen nonnullæ Eccleſiæ retinent *Urielem*, cujus nomen in Eſdtæ lib. 4. capp. 4. 5. & 10. qui liber cum auctoritatem in Eccleſia non habeat, Urielis cultum ab antiquis repudiatum approbare non poteſt. In litania quadam principatu Caroli Magni uſitata exprimuntur *Oribel*, *Ragubel*, *Tobibel*. Lege eruditi viri Joannis Thierſii epiſtolam nuncupatoriam ad Diſſertationem de voce *Paracliti*. Porro poſt hæc verba Sirmondus addit: *Alioqui de myſterio ſub obtentu Angelorum, dæmonum nomina introduxit*.

AN.CHR. 754
5. Junii.
* hic deeſt apud Sirmond.

„ cleſiæ, &c. * Leo humilis Presbyter tituli S. Damaſi, &c. Procopius indignus Presbyter tituli S. Cyriaci his geſtis atque ſententiæ a nobis promulgatis ſubſcripſit.

V.
Epiſtola encyclica Zachariæ ad Epiſcopos.
1. Sirm. Tarvanenſi
2. Treuvardo
3. Fulcario
4. Laudunenſi
5 Heddo

„ Dilectissimis *nobis* Reginfrido *Rotomagenſi Epiſcopo*, Deodato *Belvocanenſi* a *Epiſcopo*, Ramberto *Ambianenſi Epiſcopo*, David *Spironenſi Epiſcopo*, Ætherio *Toroanenſi* 1. *Epiſcopo*, Helisæo *Noviomenſi Epiſcopo*, Treuvarto 2. *Camerocanenſi Epiſcopo*, Burchardo *Wirtzburgenſi Epiſcopo*, Folcrico 3. *Tungrenſi Epiſcopo*, Genebaudo *Laudenſi* 4. *Epiſcopo*, Romano *Meldenſi Epiſcopo*, Agilolfo *Colonienſi Epiſcopo*, Hattoni 5. *Stratsburgenſi Epiſcopo, & ceteris amantiſſimis Coepiſcopis, Presbyteris etiam & Diaconibus, cunctiſque orthodoxis Eccleſiarum Dei Clericis apoſtolicam doctrinam tenentibus*, Zacharias *divina gratia præditus apoſtolicæ Sedis Pontifex, ſervus autem ſervorum Dei, in Domino ſalutem dicit*. Gratias ago Deo Patri omnipotenti & Domino noſtro Jesu-Christo unico filio ejus, & ſancto Spiritui, qui veſtrum omnium corda inflammare dignatus eſt per diffuſam a ſe gratiam, ut in unitate fidei & vinculo pacis ambuletis, & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper vos, dilectiſſimi mihi, & abundans gratia pacis & charitatis, ut ſitis unum corpus ſpiritualis matris veſtræ ſanctæ catholicæ & apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, in qua Deo

Pſ. 132. 1.

auctore præſumus, implentes illud propheticum dictum: *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum.* Quamvis enim pro itineris longitudine corpore ſimus abſentes, in ſpiritu tamen dilectionis ſemper ſumus vobis præſentes, habentes vos in viſceribus noſtris, & aſſidue orantes, ut Deus & Dominus noſter Jeſus-Chriſtus multo amplius confirmet corda veſtra in exhortatione Evangelii, in miniſterio quo fungimini, ut credita vobis plebs veſtris piis admonitionibus adjuvante Domino a diabolica fraude liberata, perſiſtat ſalva, voſque mereamini de eorum animabus in die Chriſti apportare lucrum. *b* Obſecro ergo vos, ut digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis, ut decet Sanctos, cum multa patientia ſupportantes invicem in charitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis & charitatis: quia finis præcepti charitas eſt de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis, cariſſimi, quoniam fides veſtra & unitas erga nos pretioſa eſt & manifeſta non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, dum ad fautorem & magiſtrum veſtrum a Deo conſtitutum B. Petrum Apoſtolorum Principem benigniſſima voluntate converſi eſtis: & in hoc laudabilis eſt fides veſtra, quoniam idipſum ſapitis, quod oportet ſapere *c*. Habetis itaque noſtra vice ad confortandam dilectionem veſtram ſanctiſſimum Bonifacium Fratrem noſtrum Archiepiſcopum, apoſtolicæ Sedis Legatum, & noſtram præſentantem vicem. Sit ergo conſtantia veſtra adverſus contentionem eorum qui adverſa ſapiunt, & non quæ Dei ſunt: neque terreamini a facie eorum, ſicut ſcriptum

Matth. 10.

eſt, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius eum timete, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam. Fratres mei, in carne enim ambulantes, non ſecundum carnem militemus. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia ſunt, ad deſtruendam omnem exaltationem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei. Confortamini itaque in Domino & in potentia virtutis ejus.

„ Pax

a Aliis *Belbocanenſi*. Sirmondus legit *Bellovacenſi*, & præponit RAIMBERTUS *Ambianenſem*, qui *Lambertus* in codicibus a Caniſio viſis ſcribitur. FULCARIUS Tungrenſis Epiſcopus apud Sirmondum Davidi Spirenſi Epiſcopo præponitur: hæc vero epiſtola apud eumdem ante Concilium collocatur, quemadmodum & ſequens.

b Addit Sirmondi editio: *Scriptum quippe eſt; Filii ſapientiæ Eccleſia juſtorum, & natio eorum obedientia & caritas.*

c Item iſta: *Et nunc Deo operante eſt aggregata Sanctitas veſtra noſtræ ſocietati in uno paſtorali ovili: & eſt nobis unus Paſtor, qui a Paſtore Paſtorum Domino Deo & Salvatore N. I. C. Princeps Apoſtolorum & noſter Doctor eſt inſtitutus*. Sunt & aliæ varietates minutiores.

„ Pax vobis & gratia a Deo & Domino noſtro Jeſu-Chriſto miniſtre- AN.CHR.
„ tur. Amplectimur & oſculamur, ac ſi præſentes, charitatem veſtram in .754
„ unitate ſpiritus, in vinculo pacis & charitatis Chriſti. Deus vos incolu- 5. Junii.
„ mes cuſtodiat.

„ ZACHARIAS *Papa univerſis Epiſcopis*, *Presbyteris*, *Diaconibus*, *Abbatibus*, VI.
„ *cunctis etiam Ducibus*, *Comitibus*, *omnibuſque Deum timentibus*, *per Gal-* Alia ency-
„ *lias & Francorum provincias conſtitutis*. Referente nobis reverentiſſimo Fratre clica de
„ noſtro Bonifacio Epiſcopo, quod dum Synodus congregata eſſet in provin- confirma-
„ cia veſtra juxta noſtram commonitionem, mediantibus filiis noſtris Pippi- tione Syno-
„ no & Karolomanno, Principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram di a Boni-
„ prædicto Bonifacio, Dominus inclinaſſet corda veſtra cum Principibus ve- facio habi-
„ ſtris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis, ta.
„ & falſos & ſchiſmaticos & homicidas & fornicarios a vobis expellere-
„ tis Sacerdotes : omnipotenti Deo gratias egimus, & pro vobis ſumus
„ orantes, ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat uſque in finem.
„ Obſecro enim omnes vos coram Deo, ut ejus commonitionibus firmi-
„ ter obediatis. Ipſum namque vice noſtra in partibus illis ad prædican-
„ dum conſtitutum habemus, ut vos Deo propitio ad viam perducat recti-
„ tudinis, & a cunctis facinoribus ſalvi eſſe poſſitis. Habuiſtis enim pec-
„ catis facientibus nunc uſque falſos & erroneos Sacerdotes : unde & cunctæ
„ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia
„ inter laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim
„ victoria dabitur, ubi Sacerdotes una hora dominica tractant myſteria,
„ & dominicum corpus conſecrant pro animarum ſuarum redemtione; &
„ poſtea Chriſtianos quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos quibus
„ Chriſtum prædicare debuerunt, ſacrilegis necant manibus? & fit ſecun-
„ dum verbum Domini dicentis : *Vos eſtis ſal terræ* : *quod ſi ſal evanuerit*, Matth. 5.
„ *in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultra*, *niſi ut mittatur foras*, *& conculcetur*
„ *ab hominibus*. Dum hæc ita ſint, & tales in vobis fuerint Sacerdotes,
„ quomodo victores contra veſtros inimicos eſſe poteritis? Nam ſi mun-
„ dos & caſtos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis Sa-
„ cerdotes, ut ſacri præcipiunt canones, & noſtra vice prædicat præfatus
„ Bonifacius Frater noſter, & ei obedientes exſtiteritis *, nulla gens an- * ita Sirm.
„ te veſtrum conſpectum ſtabit : ſed corruent ante faciem veſtram om-
„ nes paganæ gentes, & eritis victores : inſuper & bene agentes, vitam
„ æternam poſſidebitis. Vos autem, Fratres cariſſimi, qui eſtis veri Sa-
„ cerdotes, vel ſub regulari diſciplina conſtituti, ſic vos exhibete, ut
„ decet Dei miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei, ut non vitupe-
„ retur miniſterium veſtrum, ne fiat in vobis quod ſcriptum eſt : *Erit* Eſa. 24.
„ *ſicut populus ſic ſacerdos*. Nam ſi hoc fuerit, qualis vobis erit ab homini-
„ bus laus, aut qualis a Deo exſpectatur retributio? Quamobrem ſic vos
„ corrigite ut veri Sacerdotes, & tales ad Sacerdotium provehite, ut &
„ vobis & illis teſtimonium maneat bonum ab his qui foris ſunt : quate-
„ nus ab hominibus laudem & a Deo præmium in æterna beatitudine
„ percipere mereamini, eoquod per vos ad rectam Fidem perducti ſunt
„ populi multi, innoxios habentes Sacerdotes. Ad Synodum quoque om-
„ ni anno convenite, ad pertractandam unitatem Eccleſiæ, & ut ſi quid
„ adverſi acciderit, radicitus amputetur, & Eccleſia Dei maneat incon-
„ cuſſa. Bene valete.

„ R*Everentiſſimo & ſanctiſſimo Fratri* BONIFACIO *Coepiſcopo*, ZACHARIAS VII.
„ *ſervus ſervorum Dei*. Cum nobis ſanctiſſimæ Fraternitatis tuæ ſyl- Item alia
„ labæ delatæ fuiſſent, atque per ſingula legi feciſſemus; reperimus in de eadem
„ earumdem litterarum ſerie, quod peccatis noſtris facientibus dum do- re & variis
„ minici tritici ſemina quæreres elaborare ad augendam ſegetem ſpiritua- dubiis:
„ lem,

AN. CHR. 754 5. Junii.

lem, ſubito inimici ſuperſeminaverunt zizania, ut Sanctitatem tuam in bono opere impedirent. Sed tua ſancta Fraternitas inceſſanter orationi inſtet pariter cum Fratribus qui tecum laborant, ut ſpirituali ſarculo eradicare poſſis zizania. Hoc opus ſi tibi ſemper erit in voluntate, Deus ſine dubio adjuvabit, ut beatus Gregorius Papa: Bonum opus, inquit, nobis ſit in voluntate, nam ex divino adjutorio erit in perfectione. Unde, cariſſime Frater, confortare in Domino, & ipſe erit adjutor tuus. De incurſione autem gentium quæ in tuis plebibus facta eſt, mœrendum nobis eſt. Sed hæc adverſitas nullatenus tuam Fraternitatem conturbet: quia & Romana civitas ex accidentibus facinoribus ſæpius eſt depopulata, & tamen omnipotens Dominus dignatus eſt eam conſolari. Sic etiam credimus, quia & vos conſolabitur *a*, ſi fideliter ad eum clamaveritis, & jejunium ſupplicationeſque litaniarum in populis commiſſis agendas prædicaveritis. Nos quoque licet peccatores exſiſtamus, precibus noſtris & conſacerdotum noſtrorum in quantum poſſumus adjuvamus.

Greg. M.

de jejunio & litaniis indicendis contra gentium incurſiones.

de Synodi confirmatione;

„ De Synodo autem congregata apud Francorum provinciam, mediantibus Pippino & Karlomanno excellentiſſimis filiis noſtris, juxta noſtrarum ſyllabarum commonitionem, peragente noſtram vicem tua Sanctitate, qualiter egiſſes agnovimus, & omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, qui eorum corda confirmavit, ut in hoc pro opere adjutores exſiſterent: & quia omnia optime & canonice peregiſti, tam de falſis Epiſcopis & fornicariis & ſchiſmaticis, quam etiam de reliquis nomine Sacerdotibus, contra canonum inſtituta agentibus, vel contra catholicam & apoſtolicam Eccleſiam, de quibus ſecundum tuam relationem reſpondemus.

de Sede metropolitana Bonifacio attributa;

„ De eo vero quod ſuggeſſiſti, quia elegerunt unam civitatem omnes Francorum Principes, pertingentem uſque ad paganorum fines & in partes Germanicarum gentium ubi antea prædicaſti, quatenus ibi Sedem metropolitanam *b* perpetuo tempore habere debeas, & inde ceteros Epiſcopos ad viam inſtrueres rectitudinis, & poſtmodum tui ſucceſſores perpetuo jure poſſideant; hoc quia decreverunt, nos læti ſuſcepimus, eoquod ex Dei nutu factum eſt. Quod vero falſi Sacerdotes & ſchiſmatici hoc impedire conati ſunt, eorum vanum agonem Dominus diſſipabit, & illa faciet ſtabilita, quæ ſanctorum Patrum ſtatutis videntur concordare. Et quia ipſi Principes Francorum tibi etiam in hoc adjutores exſtiterunt, retribuat illis omnipotens Deus adjutorii hujus præmium, & innumera largiatur bona.

de homicidis, adulteris, & pœnitentibus ad Sacerdotium non admittendis;

„ De illo etiam falſo Epiſcopo quem dixiſti, quod adulterati Clerici & homicidæ filius, in adulterio natus, & abſque diſciplina nutritus eſſet, & quod ſui ſimiles Sacerdotes conſecravit; de hoc meminit tua reverenda Fraternitas, quod etiam tibi ſæpe ſcripſimus, ut nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator ſacrum miniſterium debeat tractare: ſed neque ex pœnitente quis, aut talis, qualem ſacri canones prohibent eſſe Sacerdotem.

de baptiſmo & conſecratione Eccleſiarum;

„ De baptizatis vero ab illis, ſeu Eccleſiis conſecratis requirat tua Fraternitas, ſi aut Eccleſias in nomine Trinitatis conſecraverunt, aut parvulos ſimiliter baptizaverunt: & tunc conſecratio Eccleſiarum & parvulorum baptiſma ſit rite confirmatum.

„ Hoc

a Aliis: *Sed populis tibi commiſſis, reverendiſſime Frater, prædica jejunium, ſupplicationes apud Deum litaniarum; & ſupereminens clementia ejus adjuvabit vos. Te autem, ut prædiximus, nullatenus adverſa conturbent, ſed in bono opere quod cœpiſti, nullo modo deficias. Nos vero licet immeriti & peccatores exſiſtamus, &c.*

b Nempe apud Coloniam Agrippinam, ut patet ex fine hujus epiſtolæ: quæ tamen res effectu caruit, Bonifacio tranſlato in locum Gevviliebi Archiepiſcopi Maguntini, de quo ſupra lib. 1. cap. 37. & in fine cap. 9. Ex hoc loco intelligitur, Bonifacium ſub finem anni 745. quo data eſt epiſtola, (nam Indictio 14. a Septembri inchoata erat) nondum Eccleſiæ Maguntinæ addictum fuiſſe; ſed tantum ſequenti. Niſi ſi eo tempore quo Zacharias epiſtolam ſcribebat, Franci mutato conſilio jam Bonifacium prædictæ Sedi Maguntinæ præpoſuerant; quod quidem veri ſimile credimus. Certe anno 758. jam aliquot annis Sedem iſtam rexerat, ut qui de ſucceſſore cogitabat, infra cap 9. Confer lib. 1. cap. 37.

Digitized by Google

,, Hoc etiam pariter retuliſti, quod illi, qui ante projecti ſunt Sacerdo- AN.CHR.
,, tes, ſe a nobis abſolutos eſſe apud Francorum provinciam divulgarent. 754.
,, Quod tua ſancta Fraternitas nullo modo credat: quia impoſſibile eſt, ut 5 Junii.
,, ſi hoc feciſſemus, non tuæ caritati per noſtras indicaſſemus litteras. Im- de Sacerdotibus depoſitis:
,, poſſibile ergo nullo modo credas, quia non aliud prædicamus, & aliud
,, agimus, aut aliud dirigimus, ut illi garriunt; ſed auxiliante Deo, illud
,, quod prædicamus, finetenus obſervandum cenſemus. Hoc autem Sanctita-
,, tem tuam firmiſſime hortamur ut teneas, ut ſanctorum Patrum inſtitutis
,, & conſultis ſacrorum canonum omni modo parere ſtudeas.

,, Quod obſecraſti, ut Francorum Principibus ſcriberemus, ſcias a nobis
,, eſſe geſtum. Per ſingula enim eis ſcripſimus ut petiſti, ut tibi amici ſint,
,, & adjutores in dominico opere exſiſtant.

,, De cenſu vero expetendo, quod impetrare a Francis ad reparandas * de cenſu Eccleſiis præſtando:
,, Eccleſias vel Monaſteria plus non potuiſti, quam ut vertente anno ab * al. reddendum Eccleſiis, &c.
,, unoquoque conjugio ſervorum duodecim denarii reddantur; ex hoc gra-
,, tias ago Deo, quia hoc potuiſti impetrare. Dum enim Dominus do-
,, naverit quietem, augentur & luminaria Sanctorum pro eo quod nunc
,, tribulatio accidit a Saracenis, Saxonibus vel Friſonibus, ſicut tu ipſe
,, nobis innotuiſti.

,, De eis etiam qui poſtquam depoſiti ſunt pro capitalibus peccatis de gra- de Sacerdotibus lapſis:
,, du ſacerdotali, reperiuntur nec Clerici eſſe velle, nec Monachi ſub pœni-
,, tentia: ſed pergentes ad palatium Regis Francorum, rogant ut eis loca
,, tribuat Eccleſiarum vel Monaſteriorum, ut diſpergant Sanctorum loca:
,, de his, inquam, quid fieri debeat, Francorum Principibus commonitoria
,, direximus ſcripta.

,, In alia quippe tua epiſtola reperimus contineri omnia quæ contra te de Aldeberto & Clemente:
,, egerunt falſi & ſchiſmatici Epiſcopi, id eſt ALDEBERTUS & CLE-
,, MENS, in qua omnia acta eorum & impiiſſimum errorem ſingulatim in-
,, dicaſti. Nos autem congregatis conſacerdotibus noſtris, eorumdem pravo-
,, rum ſceleratiſſima acta in eorum præſentia legi fecimus: & cum nobis
,, coram Concilio lecta fuiſſent, pio ſtudio omnes eadem ſchiſmatica dog-
,, mata & ſceleratiſſimam vitam, quam ſibi Aldebertus conſcribi fecit,
,, una voce decreverunt ut igne cremaretur. Sed nos hoc non fieri rectum
,, judicantes, pro eorum perpetua damnatione in ſcrinio ſanctæ Eccleſiæ re-
,, ſervari mandavimus. Ad hæc etiam dignam ſententiam contra eorum er-
,, rorem ſcribi fecimus: cujus exemplar epiſtolæ ad tuam direximus Sancti-
,, tatem, ut lecta in provincia Francorum, omnis ſchiſmaticus audiens
,, taliter a ſancta & apoſtolica Eccleſia judicatum, a ſenſus ſui pravitate
,, reſipiſcat.

,, In tertia vero epiſtola tua intimaſti nobis de alio ſeductore, nomine de Gevviliebo Pontifice Maguntino.
,, GEWILIEBO *, qui antea falſo Epiſcopi honore fungebatur. Et quia * al. Gevvilibo, Geolebo de quo lib. 1. cap. 37.
,, ſine conſultu ad nos properat, hic dum advenerit, ut Domino placuerit,
,, fiet. Tua autem reverentia ut auxiliante Domino cœpit, vice noſtra peti-
,, mus perficere ſtudeat. Volumus namque omni anno tempore apto in pro-
,, vincia Francorum Concilium te celebrare, ut frequentia Sacerdotum per
,, inſtituta ſacrorum canonum correcta, illic nulla adverſitas valeat pullula-
,, re: ſed magis Eccleſiæ ſanctæ unitas & diſciplina apoſtolica ubique in il-
,, lis partibus dilatata *a* exſiſtat, & non amplius populi per falſos Sacerdo-
,, tes depravati demergantur in interitum. Dum vero Concilium aggregave-
,, ris, ſic tua Fraternitas conflictum habeat cum Metropolitanis, & nullus
,, ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis. Pro eadem quippe cauſa & pro
,, omnibus utilitatibus ſanctæ Eccleſiæ Francorum Principibus direximus lit-
,, teras, ut jam præfati ſumus. De civitate etiam illa, quæ nuper Aggri-
,, pina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum per no-
,, ſtræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, &
,, tuæ

a Sirmondo: *Cunctæ populorum turbæ etiam in occiduis partibus veri Catholici eſſe poſſint.*

AN.CHR. 754 5. Junii.

,, tuæ ſanctitati direximus ejuſdem metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem.
,, Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime Frater. Data pridie Kalend.
,, Novemb. imperante domino Auguſto Conſtantino, anno 27. imperii ejus
,, anno 5. Indictione 14.

VIII. Zachariæ epiſtola de capitulis ad Pippinum miſſis, & de hæreticis: 1. Cor. 11.

,, REverendiſſimo BONIFACIO *Coepiſcopo*, ZACHARIAS *ſervus ſer-*
,, *vorum Dei*. Egregius nos admonet Apoſtolus Paulus in eo quod ait:
,, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*. Hinc eſt ergo quod ſpirituale
,, charitatis vinculum, etſi corpore abſentes, ſpiritu tamen ſemper Frater-
,, nitati tuæ ſumus præſentes, in noſtris orationibus memoriam tui agere
,, non deſiſtimus, petentes immenſam Domini noſtri pietatem, ut ad pera-
,, gendum ſuum te confirmet miniſterium, quatenus in die adventus ejus
,, illam placabilem merearis vocem proferre: Ecce ego & pueri quos dedi-
,, ſti mihi, non perdidi ex eis quemquam: ut continuo cum ceteris Sanctis
,, illa ſupernæ vocationis dicta audias: Venite, benedicti patris mei, perci-
,, pite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Agnoſcas igitur,
,, cariſſime, flagitaſſe a nobis Pippinum excellentiſſimum Majorem domus
,, gentis Francorum per ſuum hominem, nomine ARDOBANIUM, reli-
,, gioſum Presbyterum, aliquanta capitula *a* de ſacerdotali ordine, & quæ
,, ad ſalutem animarum pertinent: ſimul etiam & pro illicita copula, qua-
,, liter ſeſe debeant cuſtodire juxta ritum Chriſtianæ religionis; & ſtatuta
,, ſanctorum Patrum inquiſiſſe. Et quamquam de hoc jam experta ſit tua
,, ſancta Fraternitas quæ a nobis ſunt decreta; illius tamen votis aurem ac-
,, commodantes, in brevi elogio conſcripta apoſtolica documenta direximus:
,, quæ ut in ſacerdotali collegio pandantur, tuam Sanctitatem inibi evocari
,, dedimus in mandatis. Cumque pro hac re aggregatum fuerit Concilium,
,, ad medium deducantur illi ſacrilegi & contumaces ALDEBERTUS, &
,, GODALSACIUS, & CLEMENS, ut eorum denuo ſubtili indagatione
,, cribretur cauſa. Quos ſi deviantes a rectitudinis tramite uſquequaque re-
,, pereritis, & convicti fuerint nolle ad viam rectam converti; ut bonum
,, atque placitum vobis videtur, cum Principe provinciæ diſponite ſecundum
,, canonum ſacrorum ſtatuta. Si autem in ſuperbia perſtiterint contumaci-
,, ter, proclamantes ſe reos non eſſe; tunc cum probatiſſimis & prudentiſſi-
,, mis Sacerdotibus tribus vel duobus prædictos ad nos dirigite viros, ut pro-
,, funda inquiſitione coram Sede apoſtolica eorum inquiratur cauſa: & jux-
,, ta quod meruerint, finem ſuſcipiant. Age itaque, Frater dilectiſſime, in
,, miniſterio tibi commiſſo, ut ab omnipotenti Deo præmium recipiens, æ-
,, ternam vitam conſequi merearis. Deus te incolumem cuſtodiat, reveren-
,, tiſſime Frater *b*.

IX. Idem variis dubiis reſpondet:

,, REverentiſſimo *Fratri* BONIFACIO *Coepiſcopo*, ZACHARIAS *ſer-*
,, *vus ſervorum Dei*. Sacris liminibus beati Apoſtolorum Principis Pe-
,, tri & noſtris obtutibus præſentatus præſens BURCHARDUS, dilectus
,, nobis Epiſcopus, Sanctitatis tuæ attulit affatus, per quorum ſcripta agno-
,, vimus, magnum te habere certamen in prædicatione Evangelii Domini no-
,, ſtri & exhortatione ſanctæ Fidei, quam per B. Petrum & vas electionis
,, Paulum ceteroſque Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, om-
,, nipotenti Deo immenſas egimus gratias, petentes ejus ineffabilem divinita-
,, tem, ut multo amplius confirmet atque corroboret cor Fraternitatis tuæ,
,, & ſoſpitem corpore annuat permanere, uſquequo ejus divinitas te ſuper-
,, ſtitem in hac juſſerit eſſe vita, ad perficiendum miniſterium tibi impoſi-
,, tum, & ad portandum lucrum animarum in diem Chriſti JESU, ut il-
,, lam merearis audire vocem deſiderabilem, quam dicturus eſt Dominus
,, di-

a Hæc capitula exſtant numero ſeptem & viginti apud Sirmondum in tomo 1. Conciliorum Galliæ cap. 562.
b Sic deſinunt codd. mſſ. at in exemplaribus epiſtolarum Zachariæ additur: *Data Nonis Januariis, imperante domino noſtro piiſſimo Auguſto* CONSTANTINO *a Deo coronato magno Imperatore, imperii ejus anno Indict. 6. 15.*

Digitized by Google

„ diligentibus ſe : Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod AN.CHR.
„ vobis paratum eſt ab origine mundi. Erant autem inſerta in eiſdem tuis 754
„ affatibus diverſa capitula, de quibus judicium & conſilium atque ſola- 5. Junii.
„ tium Sedis apoſtolicæ tibi dirigi flagitabas.

„ Primum capitulum pro Synodo provinciæ, in qua natus & nutritus es, de Baptiſmo.
„ quam & in gentem Anglorum & Saxonum in Britannia inſula primi præ-
„ dicatores ab apoſtolica Sede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Juſtus & Ho-
„ norius; noviſſime vero tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus *, * Surio Græco-Latinus.
„ arte Philoſophus & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, Pallio ſublima-
„ tus, ad Britanniam præfatam tranſmiſſus judicabat & gubernabat. In illa
„ tale decretum & judicium demonſtratum eſſe dignoſcitur, ut quicumque
„ ſine invocatione Trinitatis lotus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non
„ haberet. Quod omnino verum eſt: quia ſi merſus in fonte Baptiſmatis
„ quis ſine invocatione Trinitatis fuerit, perfecte non eſt baptizatus. Quod
„ autem per quoſdam affirmari ſcripſiſti, ut quamvis ſceleratiſſimus quiſque
„ hæreticus vel ſchiſmaticus, aut latro vel fur, ſive adulter, Baptiſmum
„ juxta regulam a Domino impoſitam in nomine Patris & Filii & Spiritus-
„ ſancti conſecraret, ſicque homini petenti miniſtraret; tamen, Chriſti eſſet
„ Baptiſmum evangelicis verbis conſecratum: & econtra licet miniſter ju-
„ ſtus fuerit, & Trinitatem juxta regulam a Domino poſitam in lavacro
„ non dixiſſet, verum Baptiſma non eſſet quod dedit: utrumque Fraternitati
„ tuæ notum eſt quid de illis ſacrorum canonum ſeries contineat, quod &
„ tenere te firmiter hortamur. Scriptum quippe eſt dicente Domino: *Sancti* Levit. 11.
„ *eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Quod ſuſcepiſti, Frater, a noſtro præceſ-
„ ſore ſanctæ recordationis Gregorio, hujus apoſtolicæ Sedis Pontifice, in
„ eo permane, & ab evangelica & apoſtolica doctrina nullo modo decli-
„ nes: ſed indutus loricam fidei & galeam ſalutis, viriliter contra nequi-
„ tiam diabolicæ fraudis reſiſte. Scriptum namque eſt: *Ecce dedi faciem* Jerem. 1.
„ *tuam potentem adverſus faciem eorum, & conſtantiam tuam confortabo adver-*
„ *ſus contentiones eorum, & erit fortior petra conſtantia tua*.

„ Eos autem *a*, quos reperiſſe ſe affata eſt Fraternitas tua, pſeudoſa- de falſis Sacerdotibus.
„ cerdotes multo majoris numeri quam catholicos, qui numquam ab Epi-
„ ſcopis catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccle-
„ ſiæ confundentes, qui ſine Epiſcopo proprio arbitrio viventes, populares
„ defenſores habentes contra Epiſcopos, ut ſceleratos mores eorum non pro-
„ hibeant, ſeorſum populum conſentaneum congregant, & illud erroneum
„ miniſterium non in Eccleſia catholica, ſed per agreſtia loca & per cel-
„ las ruſticorum, ubi eorum imperita ſtultitia celari poſſit, perpetrant;
„ nec Fidem catholicam paganis prædicant, nec ipſi Fidem catholicam
„ habent, nec quærunt ab eis quos baptizare ſtudent, abrenuntiationem
„ ſatanæ: ſed neque ſignaculo crucis Chriſti eos muniunt, quæ præcedere
„ debent Baptiſmum, ſed nec aliquam credulitatem unius divinitatis &
„ ſanctæ Trinitatis docent. Hos itaque miniſtros ſatanæ, & non Chriſti,
„ ubicumque repereris, cariſſime Frater, congregato provinciali & ſacer-
„ dotali collegio, a Sacerdotio depoſitos ſub regula monachica & pœni-
„ tentia ſubmiſſos, viam finire decernas: ut carne afflicti quandoque re-
„ deant ad viam ſalutis. Si vero non fuerint converſi, tuæ prædicationis
„ merces non peribit. Confortare ergo in lege & in Evangelio Chriſti &
„ prædicatione catholicæ Fidei, quia ipſa glorificabit te. Tribulatio enim
„ corporis noſtri, temporalis eſt & finem habet: merces autem quæ pro
„ hac tribulatione a Deo præparatur, ſempiterna eſt. Ideoque conferamus
„ mortem Jeſu in corpore noſtro, ut & vita Jeſu in corpore noſtro mani-
„ feſta fiat, ſicut per ejus divinam edocti ſumus doctrinam: *Beati qui per-* Matth. 5.
„ *ſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*.
„ Conforta etiam dilectiſſimos nobis orthodoxos Epiſcopos, & Sacerdotes

a Hic multum variant exemplaria litterarum Zachariæ ab Othloni lectione, quas tu confer ſi lubet.

AN.CHR. 754 5. Junii.

„ atque Levitas, ceteroſque Clericos religioſos, Abbates & Monachos, pariterque glorioſiſſimos Duces cunctoſque Optimates Francorum, ut nobis ſint adjutores contra adverſarios orthodoxæ Fidei, omneſque hæreticos & ſchiſmaticos: quatenus & ipſi de fructu boni operis gaudere mereantur in cœleſtibus regnis.

de Samſonis Scotti errore in Baptiſmum.

„ Scripſit quoque inter cetera reverenda Fraternitas tua, reperiſſe te quemdam Presbyterum genere Scottum, nomine SAMSON, errantem a via veritatis, dicentemque ſine myſtica invocatione aut lavacro regenerationis poſſe fieri catholicum Chriſtianum per epiſcopalis manus impoſitionem. Hic autem qui dicit hoc, vacuus eſt Spiritu-ſancto & alienus a gratia Chriſti, conſortioque ſacerdotali abjiciendus. Quis enim niſi baptizetur juxta præceptum Domini in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, & ſic per manus impoſitionem poteſt eſſe catholicus? Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem ab Eccleſia ſancta condemnatum expelle. Illos autem viros qui ab hæreticis baptizati ſunt, & neſcitur an in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti ſint baptizati; inquiſita rei veritate, ſi ab hæreticis Sacerdotibus baptizati ſunt, hos ſine dubio juxta prædeceſſoris noſtri beatæ memoriæ Gregorii Papæ & ſacrorum canonum traditum tibi mandatum baptizari permittas, ne in æternum pereant, ſed potius evangelica conſecratione ſalventur. Intuiti autem ſumus & volumen *a* a te directum univerſis Epiſcopis, Presbyteris, ceteriſque religioſis de unitate Fidei catholicæ ſcriptum, quod valde nobis acceptabile eſſe cognoſcas: quoniam per Spiritus-ſancti gratiam in te diffuſam hoc operari ſtuduiſti.

„ Inter cetera Sanctitatis tuæ ſcripta petiſti, ut Sacerdos a nobis dirigatur in partes Franciæ & Galliæ: quod implere omittimus, quia dum Deo propitio tua Sanctitas ſuperſtes exſiſtit, qui Sedis apoſtolicæ & noſtram illic præſentas vicem, alium illuc dirigere neceſſarium non eſt. Quos autem repereris, amantiſſime Frater, habentes ſanæ doctrinæ ſcientiam vitæque puritatem; hos mittere ſtude in quibus prævideris locis ad prædicandum verbum ſalutis. Concilia vero aggregatis Epiſcopis provincialibus, ubi tibi rectum videtur, celebrari procura, & quos deviantes inveneris, confunde facies eorum ignominia, ut ſint coram omnibus ſine honore. Suſcepimus & chartam de vera & catholica Fide conſcriptam, quam cum dilectiſſimis nobis Epiſcopis partis Francorum tua direxit reverenda Fraternitas. Hanc itaque reſerantes, nimio gaudio ſumus repleti, innumerabileſque gratias agimus Deo omnipotenti, quia unanimitatem eorum ad ſocietatem noſtram revocare dignatus eſt. Noſtra autem vice, cariſſime, omnes in oſculo pacis ſaluta.

de Virgilio Presbytero.

„ Intimatum eſt etiam a Sanctitate tua, quod VIRGILIUS ille, neſcimus ſi dicatur Presbyter, malignatus adverſum te, eoquod arguebatur a te erroneus eſſe a catholica doctrina, ſeminaret odium inter te & OTILONEM Ducem Bajoariorum, dicens quod a nobis accepiſſet licentiam, ut unius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinavit Fraternitas, diœceſim obtineret. Quod nequaquam verum eſt, quia mentita eſt iniquitas ſibi. De perverſa autem doctrina, quam contra Dominum & animam ſuam locutus eſt, quod ſcilicet alius mundus & alii homines ſub terra ſint, aliuſque ſol & luna: ſi convictus fuerit ita confiteri, hunc accito Concilio ab Eccleſia pelle, Sacerdotii honore privatum. Sed & nos ſcribentes prædicto Duci, evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras, ut nobis præſentatus & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inventus, canonicis decretis condemnetur. Qui enim ſe-

„ minant

a Quodnam ſit iſtud volumen, incertum: forte acta Synodi Germanicæ, poſtea apud Liptinas confirmatæ, de qua Bonifacius in epiſtola 105. ad Cuthbertum: *Iſti confeſſioni univerſi conſenſimus & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus, quos gratulando Clerus & populus Romanus ſuſcepit*. Quamquam Synodi hic poſt pauca mentionem facit Zacharias, forte Sueſſionenſis, in qua Fides Nicæna aliorumque Conciliorum univerſalium approbata eſt.

Digitized by Google

,, minant dolores, metunt eos. Pro SIDONIO *a* autem & VIRGILIO *b* ſu-
,, pradicto Presbyteris, quod ſcripſit Sanctitas tua agnovimus. Et illis qui-
,, dem, ut decebat, comminando ſcripſimus: tuæ autem Fraternitati cre-
,, dulitas pluſquam ipſis admittetur. Si autem Deo placuerit, vita comi-
,, tante, Sedi apoſtolicæ eos miſſis litteris, ut prælatum eſt, evocabimus.
,, Docuiſti enim eos, & non ſuſceperunt, & factum eſt in illis ſicut ſcri-
,, ptum eſt in libro Sapientiæ: *Qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat te-*
,, *ſta* * *arenam*. Non ergo ad iracundiam provocetur cor tuum, Frater, (* al. teſtam)
,, ſed in patientia ubi tales repereris admone, obſecra, increpa, ut conver-
,, tantur ab errore ad viam veritatis: & ſi conſervi fuerint, ſalvaſti animas
,, eorum; ſi vero in malitia permanſerint, mercedes laboris tui non perdes.

,, Alia denique ſcripta Fraternitatis tuæ continebant quod jam olim de (de Sede Moguntiacenſi alteri non cedenda.)
,, Agrippina civitate ſcripſiſti, quia Franci non perſeverarent in verbo quod
,, promiſerunt, & nunc moratur Fraternitas tua in civitate Moguntia *c*. Pe-
,, tiſti etiam, ut cum noſtro conſultu, ſuperveniente tibi ſenectute atque
,, imbecillitate corporis, ſi invenire potueris idoneum virum ad Sedem pon-
,, tificalem in qua præes, pro te valeas collocare. Pro qua petitione nos
,, adjutore Deo conſilium damus tuæ Sanctitati, ut Sedem ſanctæ Eccle-
,, ſiæ Moguntiacenſis, quam pro ſalute animarum accepiſti, nequaquam
,, relinquas, ut impleas illud dominicum præceptum: *Qui perſeveraverit* (Matth. 24.)
,, *uſque in finem, hic ſalvus erit*. Si vero Dominus dederit juxta tuam pe-
,, titionem hominem perfectum, qui poſſit curam animarum habere; il-
,, lum ordinabis pro te Epiſcopum, eritque in Evangelio tibi credito ad
,, miniſterium Chriſti portandum in omni loco, requirens & confortans
,, Eccleſiam Dei. Oramus itaque Dominum & Redemtorem noſtrum, ut
,, ſacris interventionibus ſanctæ ſuæ genitricis ſemper Virginis MARIÆ &
,, beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, orantem pro nobis Sanctitatem
,, tuam ſoſpitem conſervare dignetur. Data Kalend. Maji, imperante piiſ-
,, ſimo Auguſto Conſtantino, anno 29. imperii ejus, Indictione prima. *d*

,, REverentiſſimo *Fratri* BONIFACIO, ZACHARIAS. Legimus in libro (Zachariæ confirmatio de Archiepiſcopis ordinatis.)
,, actuum Apoſtolorum, Spiritum-ſanctum Apoſtolis præcepiſſe: *Se-*
,, *parate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod adſumſi eos*. Propter hoc
,, & beati Principis Apoſtolorum Petri illuminatam doctrinis ex inſpiratio- (Act. 13.)
,, ne divina tuam Sanctitatem in partes Germaniæ credimus deſtinatam,
,, ut ad inſtar eorum idem Spiritus-ſanctus in eodem opere te adſumſerit
,, ad illuminationem gentium: unde nimis exſultamus in Domino, & ejus
,, petitioni immenſas referimus laudes. Dum vero & ſeries litterarum tua-
,, rum nobis panderetur per ſingula, multo amplius lætati ſumus in Domi-
,, no, qui tibi ſuam gratiam ita largiri dignatus eſt, ut dura gentis corda
,, lenires; & ad obedientiam ſacræ Fidei inclinares. Indicaſti etiam nobis,
,, quomodo tetigiſſet Deus corda excellentiſſimorum filiorum noſtrorum PIP-
,, PINI & KARLOMANNI, ut tibi in prædicatione adjutores eſſe niterentur,
,, quorum merces copioſa manet in cœlis. De Epiſcopis vero Metropolita-
,, nis; id eſt GRIMONE *e*, quem nos jam compertum habemus; ABEL quo-
,, que & HARTEBERTO *, quos per unamquamque Metropolim conſtitui- (* al. Arberto)
,, ſti: hos per tuum teſtimonium confirmamus, & Pallia ad eorum fir-

a An Sidonius ex Augienſi Monacho Conſtantienſis Epiſcopus? qui S. Othmarum Abbatem relegavit.

b Et tamen Zacharias ſupra cap. 3 Sidonium & Virgilium religioſos viros appellat. Certe Virgilius inter Sanctos Eccleſiæ Saltzburgenſis Antiſtites locum habet, uti videbimus inferius ad annum 780.

c Id qua ratione factum ſit, diſce ex lib. 1. cap. 37. Quod dicit Zacharias de mutato Francorum conſilio, ex ſuperiori cap. 7. intelligitur. Lege cap. 14. infra.

d Hæ notæ chronologicæ reſpondent anno Chriſti 748. quo Bonifacius jam Sedi Moguntiacenſi præfectus erat: id quod his litteris Zacharias confirmat. Alio proinde ſpectat alia ejuſdem epiſtola infra cap. 14. relata, nempe in novam Eccleſiarum acceſſionem metropolitanæ Sedi Maguntinæ a Zacharia factam in Bonifacii gratiam.

e Grimonem Rotomago, Abelem Durocortoro Remorum, Hartebertum Avarico Senonum præfecit Bonifacius, petita facultate a Zacharia ſupra cap. 1 De Abele dictum eſt ſupra ad annum 737. in Appendice ad Vitam S. Erminonis Abbatis. Lege epiſtolam ſeq. & cap. 12.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii.

,, miſſimam ſtabilitatem, ut in meliori proficiant ſtatu, tranſmittimus.
,, Qualiter autem mos Pallii ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere de-
,, beant hi qui Pallio uti conceduntur, litteris directis docuimus, infor-
,, mantes eos, ut ſciant quid ſit Pallii uſus, & qualiter debeant ſubjectis
,, prædicare viam ſalutis, & eccleſiaſtica diſciplina in eorum Eccleſiis in-
,, concuſſa maneat, & Sacerdotium quod in eis eſt, non pullutum, ut
,, antea fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſſit. Retuliſti etiam
,, nobis, cariſſime Frater, quod duos pſeudoprophetas in Francorum pro-
,, vincia reperiſſes, quos non pſeudoprophetas, ſed magis pſeudochriſtianos
,, appellare debemus, ex quibus unum * novum quidem Simonem, juxta
,, tenorem litterarum tuarum reperimus, qui ſibi & Sacerdotium vindica-
,, bat, & a luxuria ſe minime continebat, ſeduxitque populum per va-
,, rias falſitates, ita ut cruces ſtatuens in campis & oratoriola, illuc faciat
,, populum concurrere, publicaſque Eccleſias relinquere: quique Sanctita-
,, tis nomine ſe vocari cenſuit, & in ſuo nomine Eccleſias conſecravit,
,, affirmans ſe Angelorum nomina ſcire, quæ in tuis litteris nobis conſcri-
,, pta direxiſti: quæ nomina nos non Angelorum, ſed dæmoniorum affir-
,, mamus. Alium * vero ita luxuriæ deditum intimaſti, ut concubinam
,, haberet, & duos ex ea filios procreaſſet; & tamen Sacerdotium ſibi-
,, met vindicaret: affirmans hoc juſtum eſſe juxta traditionem veteris Te-
,, ſtamenti, ut defuncti fratris ſuperſtes frater ducat uxorem; & quia Chri-
,, ſtus reſurgens ab inferis nullum ibi reliquiſſet, ſed omnes inde abſtra-
,, xiſſet. Quæ omnia deteſtabilia & ſceleſta judicamus. Bene autem tua
,, ſancta Fraternitas juxta eccleſiaſticam regulam eos damnavit, & in cu-
,, ſtodiam miſit, optimeque vocavit Antichriſti miniſtros & præcurſores.
,, De cetero decerta, cariſſime, & viriliter age, & pervigil permane in
,, miniſterio Chriſti, ut amplius ſanctæ Eccleſiæ grex augeatur, & præ-
,, mium æternæ retributionis creſcat copioſum. a

de Aldeberti & Clementis damnatione.

* Aldebertum

* Clementem

Zacharias queritur, cur pro ſolo Grimone Pallium petat Bonifacius.

,, REverentiſſimo *Fratri* BONIFACIO, ZACHARIAS *ſervus ſervorum Dei*.
,, Suſcipientes ſanctæ Fraternitatis tuæ litteras per præſentem geru-
,, lum, & relegentes quæ in eis continebantur, in ecſtaſim quamdam in-
,, cidimus & admirationem magnam, eoquod nimis diſſonare videntur ab
,, eis litteris, quæ a tua directæ ſunt Fraternitate per elapſum Auguſtum
,, menſem: ubi nobis indicaſti, quod Concilium adjuvante Deo & Kar-
,, lomanno conſenſum præbente factum eſt, & qualiter falſos Sacerdotes
,, qui divinum non erant digni attrectare miniſterium, a ſacro munere ſu-
,, ſpendiſti; & quia tres Archiepiſcocos per ſingulas Metropoles ordinaſſes,
,, reſeraſti, id eſt GRIMONEM in civitate quæ dicitur Rodoma; ſecundum
,, vero * in civitate quæ dicitur Remorum; tertium HARTBERTUM in ci-
,, vitate quæ dicitur Sennis, qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter &
,, Karlomanni atque Pippini detulit ſcripta, per quæ ſuggeſſiſtis, ut tria
,, Pallia tribus prænominatis Metropolitanis dirigeremus: quod & fecimus
,, pro adunatione & reformatione Eccleſiarum Chriſti. Nunc autem denuo
,, tuas ſuſcipientes litteras valde ſumus (ut diximus) mirati, eoquod antea
,, nobis ex petitione prædictorum Principum, pro tribus Palliis ſuggeſſiſti, &
,, poſtea pro ſolo GRIMONE. Sed volumus ut nobis indicet tua Fraternitas,
,, cur tantæ rei facta ſit permutatio. Reperimus etiam in litteris tuis, quæ
,, nimis animos noſtros conturbaverunt, quod talia nobis a te referantur,
,, quaſi nos corruptores ſimus canonum, & Patrum reſcindere traditiones
,, ſtudeamus: ac per hoc (quod abſit) cum noſtris Clericis in ſimoniacam
,, hæreſim incidamus, expetentes & accipientes ab illis præmia, quibus tri-
,, buimus Pallia. Sed hortamur, cariſſime Frater, ut nobis deinceps tale ali-
,, quid

* ſcil. Abelem

& cur Romanos ſimoniæ inſimulet.

a Addunt alii: *& cum Sanctis & Electis Dei (ut credimus) inveniaris particeps & Apoſtolorum conſors. Deus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime Frater.* Data 10. *Kalend. Julii, imperante domino* ARTABASDO *a Deo coronato magno Imperatore, anno tertio,* & NICEPHORO *magno Imp. anno tertio, Indict.* 11. Hinc patet epiſtolam iſtam præceſſiſſe Concilium Romanum, de quo ſupra cap. 4.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii.

„ quid minime ſcribas: quia faſtidioſum & injurioſum nobis videtur, dum „ nobis ingeritur; quod nos omnino deteſtamur. Abſit enim a nobis & a no- „ ſtris Clericis, ut donum quod per Spiritus-ſancti gratiam ſuſcepimus, pre- „ tio venumdemus: quia illa tria Pallia, pro quibus te ſuggerente (ut præ- „ diximus) flagitati ſumus, nullum expetentes commodum, tradidimus: „ inſuper & chartas quas ſecundum morem a noſtro ſcrinio pro confirmatio- „ ne & doctrina de noſtro conceſſimus, nihil pro eis accipientes. Suggeſſiſti „ etiam nobis per alia ſcripta tua, quod in Bagoaria unum repeririſſes falſum „ Sacerdotem, qui affirmabat ſe a nobis ordinatum eſſe Epiſcopum. Sed tua „ Fraternitas optime egit, dum ea non credens quæ falſo retulit, Sacerdotio „ illum privaſti. Sic etenim auctoritate B. Petri Apoſtoli præcipimus, ut „ quemcumque repereris ſacris canonibus deviare, nulla ratione patiaris ſa- „ crum miniſterium tractare. Et quia ſciſcitatus es, ſi deberes in Bagoariæ „ provincia jus habere prædicationis, quam a deceſſore noſtro habuiſti con- „ ceſſam; nos quoque auxiliante Deo omnia quæ tibi largitus eſt deceſſor & „ prædeceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus *a*. Nam non ſolum Ba- „ goariam, ſed etiam omnem Galliarum provinciam, donec te divina juſſe- „ rit ſupereſſe majeſtas, noſtra vice per prædicationem tibi injungimus, ut „ quæ repereris contra Chriſtianam Religionem vel canonum inſtituta ibidem „ detineri, ad normam rectitudinis ſtudeas reformare *b*.

Pſeudo-Sacerdotis depoſitionem probat.

XII. Bonifacius per Lullum conſuluit Zachariam,

„ REverendiſſimo *Patri & dilectiſſimo domino, cum timore & bonore venerando apoſtolicæ Sedis infula ſublimato* ZACHARIÆ, BONIFACIUS *exiguus ſervus veſter, licet indignus & ultimus, tamen Legatus Germanicus devotiſſimus, optabilem in Chriſto immarceſcibilis charitatis ſalutem*. Paternæ pie- „ tatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, ut hunc Presbyterum „ meum, portitorem litterarum præſentium, nomine LUL, grato animo cle- „ menter ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea, quæ ſoli Pietati ve- „ ſtræ profiteri debet, quædam quidem viva voce dicens, quædam vero per „ litteras oſtendens. De quibuſdam namque neceſſitatibus meis inquirere & „ interrogare, mihique Paternitatis veſtræ reſponſum & conſilium ex aucto- „ ritate S. Petri Apoſtoli ad ſolatium ſenectutis repræſentare debet, ut his „ omnibus auditis & conſideratis, ſi quæ ſint quæ vobis placeant facta, Deo „ auxiliante ſtudeam: ſi quid autem (ut timendum eſt) diſpliceat, ex præ- „ cepto ſancti Apoſtolatus veſtri vel indulgentiam merear, vel dignam pœni- „ tentiam perſolvam. Anteceſſor enim prædeceſſoris veſtri venerandæ memo- „ riæ Gregorius, dum me indignum ordinavit, & ad prædicandum verbum „ Fidei Germanicis gentibus miſit, ſacramento me conſtrinxit, ut canonicis „ & juſtis Epiſcopis ac Presbyteris in verbo, in facto, in conſenſu adſtipu- „ lator & adjutor fierem: quod cum divina gratia implere ſtudui: falſos au- „ tem Sacerdotes, hypocritas & ſeductores populorum, vel corrigerem ad „ viam ſalutis, vel declinarem, vel abſtinerem a communione ipſorum: „ quod ex parte ſervavi, & alicubi implere non potui. Spiritualiter autem „ implevi ſacramentum, quia in conſenſum & conſilium illorum non venit „ anima mea: corporaliter autem ab eis omnino abſtinere non potui, dum ve- „ niens ad Principem Francorum, cogente Eccleſiarum neceſſitate, tales ibi „ reperiſſem, quales nolui: ſed tamen in ſancta communione corporis Chri- „ ſti illis non communicavi. Præcepit quoque mihi præfatus apoſtolicus Pon- „ tifex, ut populorum, quoſcumque viſitaſſem, converſationem & mores „ apoſtolico Præſuli indicarem: quod in Domino confido me feciſſe. De eo „ autem quod jam præterito tempore de Archiepiſcopis & Palliis a Romana „ Eccleſia petendis juxta promiſſa Francorum Sanctitati veſtræ notum feci, „ in-

de converſatione cum malis Sacerdotibus.

de Palliis Metropolitanorum.

a Hic mirari ſubit & Bonifacii libertatem intrepidam, & Zachariæ Pontificis lenitatem, qui a Bonifacio inſimulatus ſimoniæ, auget gratiam, nedum minuit inſimulatori.

b Alii addunt: *Dominus te incolumem cuſtodiat, reverentiſſime & ſanctiſſime Frater. Data non. Nov. imperante piiſſimo Auguſto* ARTABASDO *a Deo coronato magno Imperatore anno tertio, Patriciatus ejus anno tertio: ſed &* NICEPHORO *magno Imperatore ejus filio anno tertio, Indict. 11.*

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5 Junii. In Fuldenſi Monaſterio Privilegium petit.

„ indulgentiam a vobis flagito: quia quod promiſerunt, tardantes non impleverunt, & adhuc differunt, & quid inde perficere voluerint, ignoratur. Eſt præterea locus ſilvaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo Monaſterium a conſtruentes, Monachos conſtituimus SUB REGULA S. PATRIS BENEDICTI viventes; viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos. Hunc ergo locum per viros religioſos & Deum timentes, maximeque per KARLOMANNUM Principem Francorum juſto labore adquiſivi, & in honore S. Salvatoris dedicavi. In quo loco cum conſenſu Pietatis veſtræ propoſui aliquantulum vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperare, & poſt mortem jacere. Quatuor enim populi quibus verbum Dei prædicavimus, in circuitu loci hujus habitare noſcuntur: quibus cum veſtra interceſſione, quamdiu vivo vel ſapio, utilis eſſe poſſum. Cupio quippe veſtris orationibus intercedentibus, pariterque opitulante gratia Dei, in familiaritate Romanæ Eccleſiæ & veſtro ſervitio inter Germanicas gentes, ad quas miſſus fui, perſeverare, ac præcepto veſtro obedire, ſicut ſcriptum eſt: Judicium patris audite, filii dilecti, & ſic facite ut ſalvi ſitis; & iterum: Honora patrem tuum, ut veniat tibi benedictio a Domino.

XII. Zachariæ reſponſio.

„ REverendiſſimo *Fratri & Coepiſcopo* BONIFACIO, ZACHARIAS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui diſperſa congregat, & congregata conſervat, augetque fidem & fiduciam ſervis ſuis ad prædicandum Evangelium Domini noſtri, cum eodem Patre & Spiritu-ſancto viventis in ſæcula ſæculorum. Ipſe enim dixit: Qui credit in me, vita vivet, & non morietur: quoniam ego ſum via, veritas, & vita. Laudamus igitur & ſuperexaltamus ſanctum nomen ejus, læti quod per ſanctæ Fraternitatis tuæ litteras allatas ſuperſtitem in hac vita & in Domino te valere cognoſcimus: petentes immenſam Dei noſtri pietatem, ut ad prædicandum Evangelii atque ſanctæ Fidei ſacramentum, te longævum conſervet, ſuaque protectione a cunctis adverſantium inſidiis te cuſtodiat. Suggeſſit itaque Fraternitas tua in ſuis apicibus, quod prædeceſſor noſter beatæ memoriæ Gregorius hujus apoſtolicæ Sedis Præſul, dum ad prædicandum te miſiſſet in Germaniæ partes, verbo pollicitationis ab eo conſtrictus fuiſſes, ut orthodoxos Epiſcopos ac Presbyteros, vel quoſque reperire potuiſſes, in verbo exhortationis confirmares, & communicares eis: ſi quos vero ſeductores Epiſcopos aut pſeudopresbyteros, vel quoſque reperire potuiſſes in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares & eis communicares: quod & factum eſt: ſi quos vero ſeductores Epiſcopos aut pſeudopresbyteros, vel quoſque a recto Fidei tramite deviantes reperiſſes, nulla tibi cum eis eſſet communio: quod te, Domino auxiliante, uſque in præſens ſpiritualiter ſervaſſe confeſſus es. Si autem cogente aliqua neceſſitate ad Principes gentis Francorum accedens, corporaliter ab eis abſtinere non valuiſſes, tamen in eorum conſilio & conſenſu communionis anima tua non fuerit coinquinata. Propter hoc ergo quod cum eis converſatus es non conſentiens iniquitati eorum, nullum tibi eſt detrimentum coram Deo: te enim prædicante, ſi obedirent, ſalvi eſſent. Si autem in iniquitate ſua permanent, ipſi peribunt: tu autem juxta Prophetæ dictum, ſalvaſti animam tuam.

Joan. 11. & 14.

Ezech. 13.

„ Quod de Principibus Francorum ſcripſiſti, quia in conſtitutione Epiſcoporum quibus Pallia miſimus, promiſſionem ſuam nondum impleverunt; illis magis quam tibi imputandum eſt. Si enim impleverint verbum ſuum, habebunt ex eo laudem: ſi vero aliter egerint, ipſi videant. Nos tamen

„ quod

a Fuldenſe ſcilicet, ita dictum a præterfluente amne Fulda: cui Monaſterio Zacharias Privilegium concedit epiſtola ſequente. De Fuldenſi Monaſterio fuſius agendum in Actis S. Sturmii ad ann. 779. Zachariæ aliud Privilegium pro libertate Fuldenſis Monaſterii Othlonus refert infra.

Digitized by Google

„ quod divina gratia largiente, gratis accepimus, gratis dedimus. Tua etiam AN.CHR.
„ bona voluntas mercede non privabitur. 754
„ Petiſti & hoc, ut Monaſterium in vaſtiſſima ſolitudine & in medio gen- 5. Junii.
„ tium quibus prædicas conſtitutum, atque in honore Salvatoris noſtri dedi- Privilegium Fuldenſis Monaſterii.
„ catum, ubi & Monachos SUB REGULA S. BENEDICTI degere feciſti, nomi-
„ ni tuo Privilegio Sedis apoſtolicæ munire deberemus. Ideoque votis tuis ad-
„ quieſcentes, deſiderium & petitionem tuam implemus. Congruit enim di-
„ vini miniſterii prædicatorem optimumque miniſtrum ad deſiderata pertin-
„ gere, & inchoatum opus bonum uſque in finem perducere.
„ Præterea prædictus gerulus tuus LUL cum ceteris ſuis comitibus, quæ
„ injuncta fuerant a tua Sanctitate, tam verbo quam ſcripto omnia innotue-
„ runt: de quibus reſponſum dantes, tuæ reſcribere ſtuduimus Fraternitati. Reſponſa
„ Continebatur enim in pittacio ab eis porrecto, quia nos flagitaſſes tibi inno-
„ teſcere, quæ recipienda vel quæ reſpuenda ſint, in primis de volatilibus, de eſcis vetitis:
„ id eſt graculis, & corniculis atque ciconiis, quæ omnino cavendæ ſunt ab
„ eſu Chriſtianorum: *a* equi etiam ſilvatici multo amplius vitandi. De his
„ igitur omnibus, ſanctiſſime Frater, ex ſacra Scriptura ſatis inſtrui poteris.
„ De igne autem paſchali quod inquiſiſti, ita ſtatutum eſt a ſanctis Patri- de igne paſchali:
„ bus, poſtquam pretioſo ſanguine Domini noſtri JESU-CHRISTI Eccleſia ejus
„ dedicata eſt, ut quinta feria Paſchæ, quando ſacrum chriſma conſecra-
„ tur, tres lampades magnæ capacitatis ex diverſarum Eccleſiæ lampadum
„ oleo collectæ, & in ſecretiori loco Eccleſiæ conſtitutæ cum magna diligen-
„ gentia ardeant, ita ut oleum ipſum ſufficere poſſit uſque ad tertium diem,
„ id eſt Sabbatum. Tunc pro ſacri Baptiſmatis fonte ſumptus ignis lampadum
„ renovetur. De igne vero qui ex cryſtallis * ſumitur, ut adſeruiſti, nul- * al. de cryſtallis autem ut adſeruiſti, &c.
„ lam habemus traditionem.
„ De his etiam, qui regio morbo *b* vexantur, inquiſiſti, ſive homines,
„ ſive equi ſint, quid faciendum ſit de illis. Si ergo homines ex nativitate de regio morbo:
„ aut genere hujus morbi ſunt, extra civitatem conſervari debent: eleemo-
„ ſynam vero accipere a populo illis licet. Si autem contigerit magnum vel
„ parvum quemquam non a nativitate, ſed ſuperveniente ægritudine vexari,
„ non eſt projiciendus, ſed, ſi poſſibile eſt, curandus. Attamen dum ad com-
„ munionem venerit in Eccleſiam, poſt omnes accedere debet ad percipien-
„ dum ſacri muneris myſterium. Equi vero qui præfato morbo fuerint coin-
„ quinati, ſi curari non valuerint, in puteos & foveas projiciendi ſunt, ne
„ ejuſdem contagione ceteri coinquinentur. Animalia autem, quæ a furenti-
„ bus vel rabidis lupis & canibus fuerint lacerata, oportet ea a ceteris ſepa-
„ rari, ne furentes & mordentes cetera coinquinent *c*.
„ Inquiſivit & hoc Fraternitas tua, ſi liceat ſanctimoniales feminas, quem-
„ admodum viri faciunt, ſibi pedes abluere tam in Cœna Domini, quam in
„ ceteris diebus. Hoc dominicum præceptum eſt, quod qui per fidem imple-
„ verit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres unum Dominum
„ habemus qui in cœlis eſt.
„ Pro benedictionibus autem quas faciunt Galli, ut noſti, Frater, multis de Gallorum benedictionibus:
„ vitiis variantur. Nam non ex apoſtolica traditione *d* hoc faciunt, ſed per
„ vanam gloriam, adhibentes ſibi damnationem: quia ſcriptum eſt: *Si quis* Galat. 1.
„ *vobis evangelizaverit præter id quod evangelizatum eſt, anathema ſit*. Regu-
„ lam itaque catholicæ traditionis, quam a ſancta Romana Eccleſia, cui Deo
„ auctore deſervio, accepiſti, omnibus prædica.

a Alii inſerunt: *etiam fibri & lepores & equi*. Ex quibus atque etiam ex canonibus Theodori Cantuarienſis Epiſcopi diſcimus, etiam tum animalium veteri lege prohibitorum habitam fuiſſe rationem.

b Hoc nomine lepram ſignificarunt antiqui. Rufinus lib. 10. hiſt. cap. 25. de Eunomio loquens: *Vir corpore & anima lepreſus, & interius exteriuſque morbo regio correptus:* item lib. 2. adverſus Hieronymum, & Hieronymus ipſe adverſus Rufinum ſub finem: *Poſt aliquantum temporis computruit morbo regio*.

c Addunt alia exemplaria: *Quod ſi pauca ſunt, ut ſupra diximus, in foveam projicienda ſunt*.

d An ſuperſtitioſas quarumdam mulierocularum benedictiones intelligit? an potius eccleſiaſticas benedictiones nonnullas, ſicuti ignis eliciti ex cryſtallo? de quo ſupra. Cur enim alias traditionem apoſtolicam opponeret?

AN. CHR. 754 5. Junii. de ætate ordinandorum Sacerdotum.

,, Inquiſiſti etiam, ſi ante trigeſimum annum liceat Sacerdotem ordinare. Bonum & congruum eſt, cariſſime Frater, ſi fieri poteſt, ut provectæ ætatis & boni teſtimonii viri juxta ſacrorum canonum decreta ordinentur Sacerdotes. Si autem minime reperiantur, & neceſſitas expoſcit; a viginti quinque annis & ſupra, Levitæ & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur. MILONI *a* autem ejuſque ſimilibus, qui Eccleſiis Dei plurimum nocent, ut a nefario opere recedant, juxta Apoſtoli vocem opportune & importune prædica. Si adquieverint admonitionibus tuis, ſalvabunt animas ſuas: ſi vero non obediunt, ipſi peribunt obvoluti peccatis ſuis: tu autem qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam.

,, Hoc ſimul inquiſiſti, poſt quantum tempus debeat lardum comedi. Licet pro hoc a Patribus inſtitutum nobis non ſit, tibi tamen petenti conſilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priuſquam deſuper fumo ſiccetur & igne coquatur. Si vero libet ut incoctum manducetur, poſt Paſchalem feſtivitatem erit manducandum *b*.

de fornicatore Epiſcopo.

,, Epiſcopus autem condemnatus, de quo inquiſiſti, qui pugnator & fornicator exſiſtit, atque res Eccleſiæ poſt degradationem ſibi vindicare nititur; hic omnino reſpuendus eſt. Quæ enim portio infideli cum fideli, aut quæ communio Chriſto & Belial? *c*

de ordinatis extra legitima tempora.

,, De ordinatione etiam Presbyterorum & Diaconorum, qui cogente neceſſitate & paupertate rogantium non legitimis temporibus ad te pervenerunt, ſi aliquam haberes offenſionem inquiſiſti. Bene autem noſti, Frater, quod ſacri canones docent, aptis temporibus Sacerdotes ordinandos. Attamen in eo quod a te pro intentione bona actum eſt, a Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus.

de cenſu Eccleſiæ.

,, De cenſu etiam Eccleſiarum quid agendum ſit, tibi dicimus. Nullam itaque hæſitationem habeas, ſolidum de caſa ſuſcipere: quia ex eo poteris eleemoſynam tribuere, & opus perficere ſanctarum Eccleſiarum juxta canonum inſtituta.

de Presbyteris ordinatis in capitalibus vitiis.

,, Si quos vero Presbyteros, qui de laicis promoti fuerunt, & antea capitalibus vitiis involuti, ſed celantes ea ordinati ſunt, poſtmodum autem manifeſtata ſunt; hos a ſacerdotali habitu privatos pœnitentiæ ſubmitte. Non enim odit Deus peccantem & confitentem, ſed peccantem & negantem.

de perſecutione fugienda.

,, Hoc etiam inquiſiſti a nobis, ſi liceat perſecutionem paganorum fugere, an non. Pro hoc igitur ſalutare conſilium tibi damus. Si fieri poteſt, & locum inveneris, inſta ad prædicandum illis. Si autem ſuſtinere non valueris eorum perſecutionem, habes præceptum dominicum, ut in aliam ingrediaris civitatem.

de Epiſcopo excommunicato.

,, Inquiſiſti etiam, quid faciendum ſit de excommunicato Epiſcopo & apoſtolicam auctoritatem negligente. Hic ergo deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus, & quicumque ejus condemnationi non communicaverunt, ipſi non condamnabuntur in die revelationis juſti judicii.

de cenſu Slavorum.

,, De Slavis quoque Chriſtianorum terram inhabitantibus ſi oporteat cenſum accipere, interrogaſti, Frater. Hoc quidem conſilio non indiget, dum res eſt manifeſta. Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quandoque terram ſibi quaſi propriam vindicabunt: ſi vero tributum dederint, norunt dominatorem eſſe illius terræ.

,, Fla-

---

a *Milo tonſura Clericus; moribus, habitu, & actu religioſus laicus, Epiſcopia Remorum ac Trevirorum uſurpans, inſimul per multos annos peſſumdedit*, ut ſcribit Hincmarus epiſt. 6. cap. 19.

b Non quod laridi ſiccati eſum quovis tempore etiam Quadrageſimali probet: ſed ne recens & crudius aut quadam quaſi ſanie infectum manderetur, ejus uſum poſt Paſcha remittit. Cui Zachariæ conſilio Turingi, Vveſtfali, Heſſi & alii, qui crudo etiamnunc larido libenter veſcuntur, morem gerunt, ut Serarius obſervavit.

c Adde ex aliis exemplaribus: *Has SS. Patrum traditiones & ſanctorum canonum inſtituta condemnaverunt*.

Digitized by Google

„ Flagitaſti etiam a nobis, ſanctiſſime Frater, ut in ſacri canonis prædicatione quot cruces in locis quibuſdam facere debeamus, tuæ ſignificaremus Sanctitati. Quam petitionem libenter implentes, in rotulo dato prædicto LUL Presbytero tuo, quot ſigna ſanctæ crucis fieri debeant, infiximus. In his igitur & in omnibus rebus Sanctitatis tuæ vota amplectentes, divinam clementiam deprecamur, ut ſuo te muniat & confortet auxilio noſque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſcipere nuntia. Data pridie Non. Novemb. imperante domino Auguſto Conſtantino *a*, imperii ejus anno 32. Indict. 5.

5. Junii de ſignis crucis in canone.

XIV. Zacharias Bonifacio gratulatus, ei Moguntiam Metropolim confirmat.

„ ZAcharias *Papa* BONIFACIO *Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Moguntinæ perpetuam ſalutem*. Qualiter Dominus Deus noſter ſanctæ Eccleſiæ ſuæ propitiatus ſit, & laboribus ſanctiſſimæ Fraternitatis tuæ cooperator exſtiterit, per ſingula edicere longum eſt. Tamen ut hæc quæ objicimus confirmemus, quæ ex parte te narrante perſpeximus, enarramus. Igitur dum in Germania provincia Sanctitas tua ad prædicandum fuiſſet directa a ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro domno Gregorio Papa, & poſt inchoatum opus & ex aliqua parte ædificatum, Romam reverſus ab eo Epiſcopus ordinatus, & ad prædicandum denuo remiſſus es; & elaboraſti, Deo prævio, nunc uſque per annos 25. *b* in eadem prædicatione ex quo Epiſcopatum accepiſti: ſed & in Francorum provincia noſtra vice Concilium egiſti, & juxta canonum inſtituta omnes flexi ſunt tibi obedire: & dum in his piis operibus occupata eſſet Sanctitas tua, hucuſque cathedralem Sedem ſibi minime vindicavit. At ubi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluiſti, ut tibi epiſcopalem Eccleſiam vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus, juxta eorumdem filiorum noſtrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate beati Petri Apoſtoli ſancimus, ut ſupradicta Eccleſia Moguntia * perpetuis temporibus tibi *c* & ſucceſſoribus tuis in Metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has civitates, id eſt Tungris, Coloniam, Wormariam, Spiratiam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentis, quas tua Fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen cognoſcere fecit. His a nobis definitis, per hujus noſtræ confirmationis paginam in tua Eccleſia perpetuis temporibus pro ſui confirmatione hæc conſervari mandamus. Data pridie Non. Novemb. imperante domino Auguſto Conſtantino, anno 32. imperii ejus, Indict. 5.

* confer cap. 9. ſupra

XV. Privilegium Fuldenſi Monaſterio concedit.

„ ZAcharias *Papa* BONIFACIO *Epiſcopo, & per eum Fratribus in Monaſterio ab eo conſtructo*. Quoniam ſemper ſunt concedenda quæ rationalibus congruunt deſideriis, oportet ut devotioni conditoris piæ conſtructionis oraculum in Privilegiis præſtandis minime denegetur. Igitur quia poſtulaſti a nobis, quatenus Monaſterium Salvatoris a te conſtru-

a Aliis *piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo coronato magno Imperatore anno 32. imperii ejus anno* 11. *Indict.* 5.

b Cum hæc Zachariæ epiſtola ſcripta ſit *Indict. 5. prid. Non. Novemb.* id eſt anno 751. Indictione a Septembri inchoata, (nam Zacharias Martio ſequente defunctus eſt) hic legendum videtur per annos 28. Bonifacius enim anno 723 ordinatus eſt Epiſcopus.

c Notanda hæc pronominis appoſitio. Non enim Zacharias Metropoleos dignitatem Maguntiæ primum concedit, quam dignitatem urbs illa a primis temporibus obtinuit; ſed eam Bonifacio ejuſque ſucceſſoribus confirmat, ſeu ratam habet Bonifacii in Metropoli Maguntina ſeſſionem & poſterorum ſucceſſionem. Zachariæ ſententia intelligitur, tum ex ipſius verbis ſuperioribus, *obtinere voluiſti, ut tibi epiſcopalem Eccleſiam vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus*, quibus non novam Sedis epiſcopalis erectionem, ſed certæ Eccleſiæ attributionem deſignat: tum ex alia ejuſdem Zachariæ epiſtola ſupra cap. 7. relata: *De civitate etiam illa quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum per noſtræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus*, hoc addito quaſi explicandi gratia: *& tuæ Sanctitati direximus ejuſdem metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem*. Accedit quod Bonifacius jam ante aliquot annos (ut conſtat ex cap 9.) impoſitus fuerat Sedi Moguntiacenſi, quæ haud dubie Metropolis erat, utpote Bonifacii Archiepiſcopi ſedes. Quamquam Zacharias hac epiſtola Maguntinam Eccleſiam auxit attributa ipſi Colonia Agrippina Germaniæ ſecundæ Metropoli: qua poſtea detracta & priſtinæ dignitati reſtituta variarunt Moguntiacenſium Suffraganeorum nomina & numerus. Lege Serarium in Hiſt. Mogunt. lib. 1. cap. 23. Ceterum mirari ſubit, cur Zacharias enumerans Eccleſias Maguntiæ ſubjectas, Argentoratum ſeu Strateburgum Germaniæ primæ urbem prætermiſit.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 5. Junii.

„ ctum in loco qui vocatur Bochonia, erga ripam fluminis Fuldæ, Pri-
„ vilegio Sedis apoſtolicæ decoretur, ut ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ cui
„ Deo auctore deſervimus Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ
„ poteſtati ſubmittatur. Pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra
„ auctoritate id quod expoſcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem
„ cujuslibet Eccleſiæ Sacerdotem in præfato Monaſterio ditionem ullam
„ habere aut auctoritatem præter Sedem apoſtolicam prohibemus; ita ut
„ niſi ab Abbate Monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ſolemnitatem
„ ibidem quiſquam præſumat celebrare: ut profecto juxta id quod ſub-
„ jectum apoſtolicæ Sedi conſiſtit, inconcuſſe dotatum permaneat. Locis
„ quoque & rebus tam eis quas moderno tempore tenet vel poſſidet,
„ quam quæ futuris temporibus in jus ipſius Monaſterii divina pietas vo-
„ luerit augere ex donis & oblationibns decimiſque Fidelium, abſque ul-
„ lius perſonæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Conſti-
„ tuimus quoque per hujus decreti noſtri paginam, ut quicumque cujus-
„ libet Eccleſiæ Præſul, vel quacumque dignitate prædita perſona, hanc
„ Privilegii noſtri chartam, quam auctoritate Principis Apoſtolorum fir-
„ mamus, temerare tentaverit, anathema ſit, & iram Dei incurrens, a
„ cœtu Sanctorum omnium extorris fiat: & nihilo minus præfati Mona-
„ ſterii dignitas a nobis indulta perpetualiter inviolata permaneat apoſto-
„ lica auctoritate ſubnixa. Data pridie Non. Novemb. imperante domino
„ Auguſto Conſtantino, anno 32. imperii ejus, Indictione quinta *.

*al ſecunda

XVI. *Non omnes Bonifacii epiſtolas invenire potuit Auctor. Karlomanni munificentia in Fuldenſe Monaſterium.*

Hucuſque cum epiſtolarum ſerie ſufficiat intimaſſe, qualis labor, quantave cura S. Bonifacio fuerit circa omnes, quos ipſe ad Chriſtianitatis cultum convertit. Si quem vero moveat, quod plurimæ epiſtolæ, quarum mentio fit in ſupraſcriptis epiſtolis, hic pariter ſcriptæ non habentur; ſciat illud hac de cauſa accidiſſe, quoniam nuſquam eas invenire potui. Deinde in primis dicere volo, quanta KARLOMANNI Principis devotio fuerit circa Fuldenſe Monaſterium. Rationabile etenim videtur eamdem devotionem intimare, non ſolum ad declaranda tanti viri beneficia, verum etiam ad profectum illorum, qui exemplis bonis ædificari merentur, pariterque ad confuſionem eorum, qui licet optima quæque ſciant, videant, audiant; in nequitia tamen ſolita perſeverant; ore tantummodo Deum confitentes, ſed factis negantes: cordium aures ad ſæcularis vitæ amorem reſerantes, ſed ad præcepta divina obdurantes. Princeps igitur prædictus, quamvis undique adjacentium provinciarum bello comprimeretur, non tamen ideo a procuratione ſanctorum locorum ſervorumque Dei retrahebatur: credens utique arma ſpiritualia, id eſt virtutes animæ, multo fortiora eſſe quam corporalia, nullamque ſpem habens in multitudine abſque ſpirituali fortitudine, juxta illud: *Non ſalvatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ.* (Pſal. 32.) Poſtquam ergo omnia Chriſtianæ Religionis jura, ut in præcedentibus libri hujus ſcriptis agnoſci poteſt, tam falſos Chriſtianos quam hæreticos expellendo, juxta S. Bonifacii conſilium correxit, illius etiam vota in Monaſterio Fuldenſi noviter conſtructo implevit. Nam cum Abbas STURMI illum locum, ubi nunc ſitum eſt idem Monaſterium, cum Fratribus quibuſdam incolere cœpiſſet, ejuſdemque loci qualitatem S. Bonifacio denuntians ſatis laudaviſſet; tunc ille ad Karlomannum pergens, ſuppliciter obſecravit eum, dicens: Perpetua remuneratione tua omnipotentem Deum exoro, ſi mihi ſuccurrere dignaris, ut in orientali Regno tuo Monaſterium conſtruere, monaſticamque vitam inſtituere poſſim. Habemus enim in ſolitudine, quæ Bochonia nuncupatur, juxa fluvium qui dicitur Fulda, locum ſatis aptum famulantibus Deo repertum, qui ad veſtram pertinet ditionem: quem ſcilicet locum a pietate veſtra nobis concedi petimus, quatenus in hoc Chriſto ſervire queamus. Quo audito Karlomannus nutu Dei gaviſus eſt, & convocans omnes palatii ſui milites, petitionem Epiſcopi eis intimavit, atque co-

AN. CHR. 754. 5. Junii.

coram eis locum poſtulatum tradidit Epiſcopo, dicens : Locum igitur quem petis, & quem juxta ripam fluminis Fuldæ ſitum adſeris, totum quidquid in hoc ſub mea poteſtate conſiſtit, ab hodierna die in jus Domini trado, ita ut ab illo undique, ab Oriente ſcilicet & Occidente, a Septemtrione & Meridie, marcha *a* per tria milliaria paſſuum tendatur. Hac itaque traditione facta, miſit etiam nuntios, qui omnes nobiles in regione *Grabfeldt* habitantes congregarent, eoſque ſuppliciter rogarent, ut omnes, qui infra marcham ſupranominatam aliquid proprietatis haberent, facerent quæ & Princeps feciſſet, tradens videlicet in obſequium Domini Monaſteriique a S. Bonifacio conſtruendi. Cumque a nuntiis præſignati omnes fuiſſent congregati, Principiſque petitionem cognoviſſent; mox cum omni devotione, quidquid proprietatis ibidem habuerunt, Deo ſanctoque Bonifacio, necnon Abbati venerando STURMI poſſidendum tradiderunt. Ut autem hæc traditio in perpetuum corroborata permaneret, Karlomannus, cujus inſtinctu hæc omnia agebantur, juſſit chartam ſuæ traditionis ſcribi, quam ipſe ſigillo proprio firmare ſtuduit.

XVII. Karlomannus vitæ monaſticæ deſiderio Regnum Pippino cedit.

Cum igitur hæc & his ſimilia idem Karlomannus faciens, in dilectione Dei & proximi magis ac magis proficeret, ſed eamdem dilectionem non ea qua voluit integritate in ſæculari habitu conſtitutus implere prævaleret, elegit optimam partem quæ non auferetur ab eo. Nam reliquit ampla terrenæ poteſtatis Regna, & ad Caſſinum montem, in quo tunc artiſſima monaſticæ vitæ diſciplina habebatur veniens, Monachus ibi efficitur, Pippino fratri committens munia Regni. Hic itaque accepta paternæ & fraternæ poteſtatis monarchia, quæ tunc Major-domus * dicebatur, eamdem devotionem, eamdemque ſollicitudinem, quam & frater ejus, excoluit tam in divinis quam ſæcularibus negotiis, ſecutus per omnia S. Bonifacii conſilia. Qua de re contigit, ut cum ſe Deo qui deponit potentes de ſede & exaltat humiles, ſubmittere jugiter ſtuderet, regalis potentiæ *b* excellentia obniteret. Tanta vero dignitate ſublimatus, eodem modo quo & antea S. Bonifacium diligere ſimul & venerari ſtudebat : unde etiam traditionem fraternam ſuis litteris roborare curavit. Quarum litterarum exemplar hic inſerere cupio, ut Fideles quique inde inſtruantur, raptores vero iniqui videant & confundantur.

* Major-domatus

XVIII. Pippini itidem Privilegium.

„ PIppinus *Rex Francorum*, *vir illuſtris*, BONIFACIO *Archiepiſcopo &*
„ *Legato Germanico ab apoſtolica Sede directo*. Quia veneranda Pater-
„ nitas tua noſtram excellentiam poſtulavit pro Monaſterio, quod a te no-
„ viter conſtructum eſt in ſolitudine Bochonia juxta fluvium Fuldæ, in lo-
„ co quem beatæ *c* memoriæ Karlomannus germanus noſter legitima dona-
„ tione tibi conceſſit, ut ſicut ex auctoritate S. Petri Principis Apoſtolorum,
„ pro quo legatione fungeris, Privilegio Sedis apoſtolicæ ſublimatus eſſe
„ conſtat, ita etiam noſtræ auctoritatis Præcepto roboretur; placuit nobis
„ petitionibus tuis adſenſum præbere. Et ideo hanc noſtræ præceptionis ſe-
„ riem ob honorem Dei & venerationem S. Petri conſcribi juſſimus, per
„ quam Privilegium Sedis apoſtolicæ, a B. Zacharia tibi collatum, cum
„ conſenſu Epiſcoporum cunctorumque fidelium noſtrorum, per omnia ro-
„ boramus : præcipientes, ut nullus Sacerdotum in Regno divinitus nobis
„ conceſſo, in præfato Monaſterio ditionem aliquam ſibi vindicet, præter
„ Sedem apoſtolicam : ita ut niſi ab Abbate Monaſterii fuerit invitatus,
„ nec

---

a Id eſt limes : unde Marchiones dicti, quod limites Regni provinciæ cuſtodirent. Hujuſce donationis limites ſignantius expreſſit Bonifacius in quodam inſtrumento a ſe confecto *anno dominicæ Inc* 747. *principatus vero nobilium virorum Karlomanni & Pippini fratris ejus anno* 6. *menſe Martio* 22. apud Brovverum in lib. 1. Antiq. Fuld. cap. 4 Confer Vitam S. Sturmii ad ann. 779.

b Et quidem a Bonifacio unctus in Regem, quod infra in Appendice demonſtrandum.

c Hæc verba quibus Karlomannum ſuperſtitem Bonifacio fuiſſe innuitur, ſubditicia videntur : nam Karlomannum deceſsiſſe poſt Bonifacium conſtat ex ejus Elogio, quod referemus anno inſequenti.

AN. CHR. 754 5. Junii. „ nec Miſſarum ſollemnia ibidem quiſquam præſumat celebrare : ſed juxta „ id quod ſubjectum conſtat apoſtolicæ Sedi firmitate Privilegii, inconcuſſe „ roboratum permaneat, locis etiam & rebus quas tam moderno tempore „ tenet vel poſſidet, quam quas futuris temporibus juri ipſius Monaſterii di„ vina pietas augere voluerit ex donis & oblationibus decimiſque Fidelium, „ abſque ullius perſonæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Si au„ tem quiſpiam noſtræ auctoritatis præcepto repugnare voluerit, ſenten„ tiam apoſtolicæ diſtrictionis quæ in Privilegio expreſſa eſt experiatur. Ut „ tamen hoc quod ob amorem Dei & venerationem S. Petri auctoritate „ noſtra firmavimus, ſtabile permaneat, manu noſtra roboratum, & tam „ anuli noſtri impreſſione, quam fidelium noſtrorum adſtipulatione ſub„ nixum.

XIX. Adalgeri donatio cœlitus vindicata. Eodem tempore contigit, ut quidam Clericus, nomine ADALGER, bonæ converſationis vir, S. Bonifacio adhæreret, eique fideliter miniſtraret. Poſt modicum vero temporis infirmitate gravi captus cum ſe in extremis hujus vitæ poſitum ſentiret, cum conſilio viri Dei, quæcumque prædia ex hereditate paterna habuit, ad S. Martinum tradidit. Sed eo defuncto fratres ejus, Aſperth & Truttmunt, omnia quæ tradidit in locis ſubternominatis, id eſt ad *Amänaburg*, ad Brettenbrunum & *Selebeim* a, in ſuam poteſtatem redigebant. Cumque pro hac cauſa a defenſoribus Epiſcopi admonerentur, reſponderunt ſe velle cum juramento affirmare, quod fratris prædia merito ſibi vindicarent. Cui juramento Epiſcopus ſe affuturum promiſit. Adveniente ergo die ſtatuto & congregata multitudine copioſa propinquorum ſuorum ut promiſſum juramentum complerent, advenit etiam vir Dei pariter. Cum autem prædicti homines juramenti faciendi adjutores ſecum ad altare traxiſſent, dixit Epiſcopus : Vos ſoli jurate ſi vultis, nolo ut omnes hos congregatos perdatis. At illi nihil morantes, juramentum fecerunt. Quo facto Epiſcopus dixit ad illos : Juraſtis? Qui reſpondentes, Juravimus, inquiunt. Ultio in contradicentes. Tunc Epiſcopus ait ad Aſpertum : Major urſus te occidat. Deinde ad Trutmundum dixit : Numquam ex ſemine tuo videas filium vel filiam. Quod ſcilicet utrumque ut a ſancto Epiſcopo prædictum eſt, eventus rei probavit. Nam poſt modicum temporis Aſperto ad menſam ſedente, venerunt qui dicebant urſum magnum diſcurrere per campum. At ille equo celeriter adſcenſo & venabulo arrepto cœpit urſum perſequi, antequam præpararent ſe comites ſui : in quo itinere equo delapſus, totuſque per membrorum compagines confractus interiit. Cum autem ſervi illius ad illum properantes perveniſſent, invenerunt eum jam mortuum. Truttmunt vero audiens ſancti viri prophetiam in fratre ſuo eſſe completam, nimis expavit, & mox prædia injuſte ablata ad altare S. Martini reddidit.

XX. Bonifacius Friſiam repetit Lullo Maguntiæ ſubſtituto. Poſt hæc igitur cum S. Præſul Bonifacius verbi divini ſemina, quæ infra Germaniæ Galliæque confinia jecit, in cordibus credentium jam pullulaſſe & fructum facere cerneret, necnon vicinam corporis ſui ſolutionem prænoſcens, ſitiret omni modo, quando veniret & appareret ante faciem Dei; decrevit adire Freſonum populos, olim quidem ejus doctrina ad Chriſtianæ Religionis culturam converſos, ſed fallente diabolo iterum quoſdam eorum ad priſtinum gentilitatis errorem devolutos : ut aut eos Deo reconcilians ibi præſentem vitam fructuoſa pace finiret; aut ſi hoc magis Deo placeret, pro ejus nomine quæcumque ibidem adverſa & cruciamina ſibimet occurrerent, uſque ad mortem ſuſtineret. Sed priuſquam tanti diſcriminis iter arriperet, ſciens non convenire, ut pro alienis ovibus ſalvandis laborans, proprias ſibique commiſſas oves perire permitteret, S. LULLUM, qui fideliſſimus prædicationis & laboris ſui comes exſtitit, cujuſque probitatem omni dignitate condignam ſatis agnovit, cum con-

a Locus iſte vicinus Amanaburgo ac Monaſterio Fritiſlarienſi, in confinio Haſſiæ & Turingiæ.

Digitized by Google

conſenſu venerandi Regis Pippini, necnon Epiſcoporum & Abbatum atque Canonicorum, omniumque Procerum ad ſuam diœceſim pertinentium, pro ſe Epiſcopum elegit & ordinavit. Nam ab apoſtolico Præſule jam ante eumdem pro ſe ordinandum impetravit. Quo facto mox illum manu propria apprehendens commendavit cunctis Principibus ibidem congregatis, ut ei tamquam Patri obedirent, & adjutores ei in omnibus neceſſitatibus exſiſterent. AN.CHR. 754 5. Junii.

Deinde profectus ad eos, qui in Turingia & qui circa Rhenum habitabant, eadem faciebat. Noviſſime vero ipſum Lullum admonens dixit: „ Quoniam reſolutionis meæ tempus appropinquat, voluntas mea eſt proficiſci ubicumque me divina gratia dirigere voluerit. Sed tu, fili cariſſime, commiſſarum animarum curam age, tu populum ab errore revoca, tu inchoatam Monaſterii mei Baſilicam prope Fuldam perfice, ibidemque corpus meum, quocumque obiero, ſepulturæ committito. Ad hæc etiam quæ itineri noſtro jam neceſſaria ſunt provide, & linteum quo iſtud decrepitum corpus poſt obitum meum involvatur, in theca librorum meorum repone. Poſtquam loquendi finem fecit S. Bonifacius, B. Lullus, licet ex imo pectore ſuſpiria multa traheret, licet ex nimio dolore lacrimatus fuiſſet, non tamen aliud quam tantus Pater propoſuit, ſuggerere præſumſit. Paucis itaque diebus tranſactis navim cum conviatoribus ad hujuſmodi iter electis adſcendit, & Rheni fluminis alveo defertur, donec aquoſa Freſonum arva ingrediens in ſtagnum, quod lingua eorum *Almeri* dicitur, ſoſpes perveniret. Ubi circumquaque pergens, verbum Domini cum fiducia prædicavit, Eccleſias ingenti ſtudio conſtruxit. Tantam autem gratiam Dominus famulo ſuo contulit, ut poſt paucos dies, multa millia virorum ac mulierum cum commilitone ſuo Chorepiſcopo *a* EOBAN baptizaret. Hunc namque ad ſublevandam ſenectutem ſuam, injuncto ſibi Epiſcopatu in urbe quæ dicitur *Tbret* ſubrogavit. Erant etiam ei fautores Presbyteri tres & totidem Diacones, quorum hæc ſunt nomina, WINTRUNG, WALTHERI & ADALHERI, HAMUNT, SKIRBALT, & DERSO: VACCAR vero & KUNDEKAR, WILLIHERI & HADOLF ex monaſtico Ordine erant ſequentes eum. Qui omnes unanimiter cum S. Bonifacio laborantes in prædicatione Evangelii, meruerunt conſortes fieri in palma martyrii. XXI. Ejus monita ad Lullum, & profectio.

Nam cum per latas Freſonum regiones prædicandi cauſa diſcurriſſent, veniſſentque ad flumen quoddam, *Bortbne* vocatum, quod eſt in finibus eorum qui ruſtica dicuntur lingua *Auſter* & *Weſtericbe*; S. Bonifacius ſuorum tantummodo clientum comitatu ſtipatus, juſſit ibi tentoria figi, cupiens videlicet in eodem loco eorum qui nuper baptizati erant, adventum exſpectare confirmationis gratia. Dies enim appropinquabat, qui ad eamdem confirmationem ſtatutus erat. Cumque dies prædeſtinatus adveniſſet, & ortus ſol altiores lineæ ſuæ gradus jam præoccupaſſet; tunc omnes qui quaſi filii a patre exſpectabantur, indigni ad accipiendam ſancti Spiritus gratiam quæ ipſo die per ſacram confirmationem offerenda erat ſuper illos, verſa vice pro amicis inimici, pro novitiis Fidei cultoribus *b* novi lictores cum ingenti ſtrepitu horrendoque armorum ſumtu in caſtra Sanctorum proruperunt. Quo viſo pueri ex caſtris proſilientes, armiſque ſeſe accingentes, Sanctos contra populi furentis multitudinem defendere geſtiebant. Sed S. Bonifacius audito tumultuantis turbæ impetu, primo quidem ad munimenti ſpiritualis aſylum confugit, ſumens videlicet Sanctorum Reliquias quas ſecum indeſinenter habere conſueverat: deinde vero XXII. Bonifacius a Friſiis circumventus,

a Legendum videtur *Coepiſcopo*. Eobanus enim vere erat Epiſcopus, ut initio Vitæ obſervatum. Certe Vvillibaldus in Vita præmiſſa num. 25. Uſuardus aliique Martyrologi Eobanum Bonifacii *Coepiſcopum* vocant.

b Fallitur Othlonus, ut in Appendice num. 9. probabimus.

AN. CHR. 754 5. Junii: verba facit ad ſuos.

vero accitis ad ſe Clericis e tentorio proceſſit, & pueros ſuos ad reſiſtendum paratos compeſcuit dicens: Nolite, quæſo, pueri mei, pugnare, nolite „ adverſariis noſtris bellum inferre: quia ſacræ Scripturæ verbis edocemur, „ ut non ſolum malum pro malo non reddamus, ſed etiam bonum pro bo- „ no exhibeamus. Jam enim diu optatus adeſt dies, jam tempus illud ad- „ venit, quo de laborioſa hujus ſæculi ærumna ad æternæ beatitudinis invi- „ tamur gaudia. Cur ergo tantam gratiam, tantam gloriam a nobis ſecer- „ nere & auferre vultis? Quin potius confortamini in Domino, & oblata „ gratiæ divinæ dona nos gratanter ſuſcipere permittite. Sperate dumtaxat „ in Domino, & ipſe liberabit nos ab omnibus periculis. Hæc & ſimilia di- „ cens, animos virorum ſuorum compeſcuit ab omni tumultu bellorum. „ Deinde etiam Clericos cujuſque ordinis patria liberaque voce admonens „ ait: O Fratres cariſſimi, ſi qua divini amoris cura, ſi qua admonitionis „ meæ memoria maneat in vobis, in hora oſtendite præſenti, recolentes il- „ la dominica verba: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, quoniam „ animam non poſſunt occidere. Spei itaque veſtræ anchoram in Deo figite, „ quia poſt breve hujus vitæ ſpatium perpetuæ remunerationis vobis bra- „ vium conſortes faciet ſupernorum civium. Nolite, precor, diuturna in- „ victiſſimæ mentis bella in hac parviſſima perdere hora, nolite perverſis gen- „ tilium adulationibus implicari; ſed ſubitaneum quod nobis jam imminet „ mortis periculum pro illius amore qui pro nobis paſſus eſt, conſtanter & „ viriliter ſuſtinete, ut cum illo perenniter poſſitis gaudere.

XXIII. Martyrio afficitur cum ſociis.

Necdum vero hujus ſalutiferæ admonitionis verba a S. Bonifacio, diſcipulos ad coronam martyrii incitante completa ſunt, & ecce furens multitudo paganorum cum gladiis omnique infeſta armatura ſuper eos irruit, eorumque corpora felici cæde cruentavit. Quod cum feciſſent, confeſtim victricem

Sicarii rebus ipſorum direptis,

damnationis ſuæ cauſam augentes, primo quidem ingreſſi ſunt caſtra, & omnia quæ illic erant repoſita tam in libris quam in capſellis Reliquiarum ſuarum abſtulerunt, arbitrantes ſe in eis reperturos multos auri & argenti theſauros: deinde vero ad naves currentes, abſportaverunt etiam ea quæ de quotidiano Clericorum puerorumque victu illic remanſerant. Ubi cum aliquid vini inter cetera reperiſſent, cœperunt ex eo guſtare, furentemque animum inebriare. Poſt hæc vero tractare & conſulere ſtuduerunt, qualiter illum, qui putabatur inventus eſſe, auri & argenti

mutua ſeſe cæde pereunt:

theſaurum invicem dividerent. Cumque prolixius de tantæ pecuniæ ſermocinantes diviſione nequirent rem pacifico conſenſu definire, tanta inter eos ſubito diſcordia & diſceptatio exorta eſt, ut eodem furore, eadem veſania, eiſdem armis, quibus antea ſanctos Martyres jugularant, ſemetipſos mutua condigna cæde necarent, juſto Dei judicio illis occurrente & in tam reprobum ſenſum cadere permittente, ut eumdem gladium quem evaginaverunt ad interficiendos ſalutis ſuæ miniſtros, transfigerent in corda ſua. Hujuſmodi igitur ſtrage finita, qui ſupererant iterum de pecuniarum opinione gaudentes concurrebant, & fractis librorum repoſitoriis, pro au-

reliqui libros diſpergunt, poſtea repertos,

ro volumina, pro argento divinæ doctrinæ chartas reperiebant. Unde ſolita dementia arrepti, eoſdem libros quos invenerunt, alios quidem per campi planitiem, alios vero per paluſtria loca diſperſerunt, quoſdam autem in quibuslibet locis incongruis projicientes abſconderunt. Verumtamen omnipotentis Dei gratia, ut clareſceret quanti eſſet meriti, cujus iidem fuerant libri, poſtea magno temporis ſpatio tranſacto reperti ſunt intemerati, & ad Eccleſias in quibus uſque hodie haberi poſſunt, a ſingulis inventoribus reportati. Inter eoſdem vero libros repertus eſt ſancti Evangelii liber, quem beatus vir pro ſanctitate ſua ſecum jugiter ferre ſolebat. Hic ergo quamvis gladio acuto, ut adhuc ab inſpicientibus probari valet, per medium inciſus fuerit [a], nullius tamen literæ integritatem eadem inciſio-

[a] Iſte codex cum aliis nonnullis, de quibus ſupra, in ſacrario Fuldenſi hactenus adſervatur, teſtibus Serario & Brovvero.

Digitized by Google

ciſione perdidit. Quem (ut fertur) S. Bonifacius in illa hora qua ad caput ejus abſcindendum vibrabatur gladius, habens in manibus vel pro tutela capitis, ut multi ſolent; ſeu etiam pro clypeo ſpirituali quem in libro tali eſſe credidit, percuſſori oppoſuit. In quo nimirum ſigno & miranda virtus Dei, & veneranda ſanctitas B. Bonifacii poteſt agnoſci. Mirabilius namque videtur, quod nulla inciſi libri litera delebatur, quam ſi nullum inciſionis ſtigma per ferientem gladium in libro reperiretur. Poſtquam ergo carnifices qui remanſerant, nulla æſtimatæ pecuniæ indicia invenerant, ſatis contriſtati domum ſunt reverſi, ſumturi poſt trium dierum inducias dignas facinoris ſui pœnas. Audita enim ſanctorum virorum improviſa nece omnes Chriſtiani qui in ejuſdem regionis confinio habitabant, convenerunt, terramque eorum qui Sanctos trucidarant, cum armata manu invaſerunt. Quibus cum pagani convenientes reſiſtere vellent, ſed minime prævalerent; in fugam verſi magna perſequentium Chriſtianorum virtute proſtrati corruerunt. At Chriſtiani victoriam in paganos obtinentes, omnem ſubſtantiam eorum abſtulerunt: ſicque ad propria redierunt. Factumque eſt, ut qui ſalutis ſuæ miniſtros trucidare non verebantur, duplici contritione contererentur: nam in vita præſenti cœperunt conteri, & poſtmodum æternæ damnationi ſunt deputati.

AN. CHR. 754 5. Junii. — & ipſi poſt triduum cæſi.

Corpus vero beati Pontificis a Trajectenſis Eccleſiæ Clericis raptum, poſt dies paucos ferebatur ad Trajectum, ibique magna veneratione eſt ſepultum. Quod cum S. LULLUS comperiſſet, congregata multitudine venerabilium virorum, tam laicorum quam Clericorum, intimavit eis & glorioſam S. Bonifacii paſſionem, & qualiter humatus eſſet apud Eccleſiam Trajectenſem: pariterque referans omnibus in quo loco ſanctus Præſul adhuc vivens ſibi præceperat corpus ſuum ſepelire, petiit ut pro Dei amore auxilium præberent, quatenus ſancti viri juſſa poſſet implere. Cumque plurimi ad hujuſmodi auxilium ſe promtiſſimos exhiberent, elegit ex eis qui ſibi aptiſſimi videbantur, & miſit tam navigantes quam equitantes ad prædictam urbem cauſa auferendi corpus S. Bonifacii. Eiſdem autem legatis omnimodo properantibus & pervenientibus ad Trajectum, cives illius loci audientes cur veniſſent, congregaverunt & ipſi ſeniores populi judiceſque ad reſiſtendum. Et quia multitudini advenientium congredi non poſſe viderunt, teſtati ſunt a Rege PIPPINO * juſſum fuiſſe, ne corpus S. Bonifacii inde auferretur. Verumtamen legati hoc magis fictum quam verum arbitrantes, viribus totis in ea qua venerant cauſa inſtabant, virtute ſcilicet divina eos roborante & adjuvante, ut voti compotes exſiſterent. Quod etiam ita eſſe rei probavit eventus. Nam cum utrimque ageretur altercatio de corpore ſancto, interea ſignum Eccleſiæ, quod vulgo appellari ſolet glocca *, abſque humano motu ſonare cœpit. Quo audito incolæ omnes qui illic aderant, ad pugnam congregati, nutu divino perterriti obſtupuerunt, & ſancti viri corpus reddendum eſſe decreverunt: ſtatimque redditum eſt corpus, & a venerabilibus prædictis legatis ſuſceptum cum debito honore & ſine remigantium labore, tricesimo obitus ſui die quaſi ad hoc ſtatuto, multi virorum ac mulierum procul habitantium convenerant: qui neſcientes adventum ſancti corporis, gratia tantum præſtolandi ſeu occurrendi legatis illuc venire diſpoſuerant. Sed & venerandus Præſul Lullus, qui legatis tranſmiſſis mox ad regiam curtem properarat, ipſo die licet ignarus de ſuorum reditu ſanctique corporis adventu, ſimul advenit, Deo tantum convenientiam ordinante, ut illis communiter advenientibus, quibus magna mœſtitia ex amiſſo Patre & Doctore contigit, fieret etiam commune gaudium, cum eum perennem apud Deum habere poſſe agnoviſſent.

XXIV. S. Bonifacii corpus primo Trajecti ſepultum, — Fuldam transfertur. — * al. clocca al. clogga

Su-

* Pippini mandatum in gratiam Moguntinorum ſignificatum eſſe tradit Eigil Abbas in Vita S. Sturmii num. 16.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 5. Junii. XXV. Mogontiacenſibus fruſtra obnitentibus.

Suſcepto igitur theſauri tanti pignore fuerunt plurimi in urbe Mogontiacenſi, qui cenſebant illic ſepeliendum eſſe ſancti viri corpus, ubi erat Epiſcopus: affirmantes hujuſmodi jus eſſe omnium Eccleſiarum, ut quo quis Sedem epiſcopalem habuerit, illic quoque ſepeliendus ſit. In tantum autem quorumdam illud affirmantium prævaluit certamen *a*, ut pene eorum conſilio S. Lullus conſentiret, niſi cuidam venerabili Diacono, qui dicebatur OTPERTUS, apparuiſſet S. Bonifacius in viſione dicens: Dic Epiſcopo Lullo, ut corpus meum abſque omni ambiguitate ad Monaſterii mei locum transferat. Cumque hanc juſſionem multi audientes minime crederent, Præſul Lullus allatis Sanctorum Reliquiis, juſſit Otpertum probare jurando, ſi vera eſſet ejus viſio. At ille nihil dubitans, juſſa implevit, viſionem jurando probavit. Quod cum factum fuiſſet, omnes non ſolum ea quæ prius renuerant de ſancti corporis translatione fieri conſenſerunt, ſed etiam adjutores eſſe cœperunt in his quæ hujuſmodi cura poſcebat. Quidam enim ad afferendas naves, ut celeriter trans Rhenum proficiſci poſſent, properabant; quidam vero litaniam, pſalmodiam, aliaque divinæ laudis cantica ſanctum funus ſequentes dicebant. Cumque turba una longius procedens, ultraque procedere non valens rediret; alia nihilo minus turba de regione vicina acceſſit, gaudens illius ſancto obambulare corpori, quem credidit & ſperavit ſibimet apud Dominum ſuffragari. Quæ ibi lætitia & compunctio de tanti viri patrocinio plurimis fuerit exorta, hoc nequeunt noſtra digne depromere ſcripta. Unde etiam in quibuſdam locis, ubi cum ſancto corpore pernoctabant vel meridiabant, in ejus honore Eccleſias poſtea conſtruebant. Tali itaque gaudio perductus eſt Monaſterii Fuldenſis loco, quo ipſe ſepeliri ſæpius optavit, ſæpiuſque id beato Præſuli Lullo peragendum commendavit. Qui & petitionem ejus complere ſummopere niſus, cum veneratione debita terræ quod ſuum erat reddidit, animam vero cœleſtibus gaudiis ſociandam omnimodis precibus commendare curavit.

XXVI. In cujus venerando tumbæ loco, per ejus merita, multis quod fides congrua ad obtinenda ea quæ poſcunt incitat, plurima eveniunt beneficia tam interioris quam exterioris hominis: interioris quidem, cum veniam delictorum ſuorum obtinuerint; exterioris vero, cum infirmitatem vel debilitatem aliquam corporalem evaſerint. Quæ videlicet utraque beneficia quotieſcumque ibi non impetrantur, non imputandum eſt vel divinæ inclementiæ, vel invalido apud Deum S. Bonifacii patrocinio: ſed potius his qui infidelitate capti non merentur exaudiri, atteſtante Evangeliſta qui de Domino noſtro dicit: Quia non potuit ullas virtutes facere propter incredulitatem quorumdam. (Matth. 13.) Ceſſant etiam interdum miracula tam pro ſervitutis divinæ negligentia quam pro incorrigibili inhabitantium malitia; ceſſant & idcirco quia cum aliquando per interceſſionem Sanctorum eveniunt, non ſolum laudes vel grates Deo debitæ Sanctiſque ejus minime referuntur, ſed nec memoriæ commendantur. Habuit autem S. Bonifacius in Epiſcopatu annos 35. menſes 6. & dies 6. Paſſus eſt una cum ſociis Nonis Junii, anno ſcilicet peregrinationis ſuæ 40. ſed Incarnationis Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo *b*, regnante eodem Domino noſtro, cui laus & gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

A P

---

a Ob illam contentionem Maguntiacenſibus ceſſerunt exta S. Bonifacii, quæ hodie quoque apud illos in veneratione ſunt, teſte Serario in Hiſt. Mogunt. lib. 3. Notat. 47. Confer Vitam S. Sturmii numer. 16.

b Adde *quinto* ex Vvillibaldo. Sed hac de re pluribus agendum poſtea.

APPENDIX

De reliquis S. Bonifacii geſtis, ætate, martyrii anno, ſociis, & auctoribus; deque ejus cultu, Eccleſiis, Tranſlatione & ſcriptis.

1. *Cum nonnulla S. Bonifacii geſta, aliaque ad ipſum pertinentia, a Vitæ ſcriptoribus prætermiſſa ſint; juvat hoc loco corollarii inſtar ea ſubjicere.*

Danielis epiſtola notabilis ad Bonifacium.

2. *In primis commemoratione digna eſt Danielis Vventanæ civitatis apud occiduos Saxones Antiſtitis epiſtola, qua S. Bonifacio ſalubria quædam monita præſcribit ad facilem Evangelii propagationem. Epiſtolæ ſumma eſt, Bonifacio non eſſe laborandum*, ut contraria iis quæ Germani de falſorum deorum genealogia credunt, adſtruat: *quinimmo* concedat eos adſerere, ut ſaltem modo hominum natos deos ac deas, potius homines non deos fuiſſe qui ante non erant, probet. Cum vero initium habere deos coacti didicerint, interroget, utrum initium habere hunc mundum, an ſine initio ſemper exſtitiſſe arbitrentur. Si initium habuit, quis hunc creavit? Sin oppoſitum dicant, refutandi. *Hæc aliaque plura non abſurde proſequitur Daniel in epiſtola ſua, quæ inter Bonifacianas ordine 67. reperitur.*

Bonifacii zelus.

3. *Bonifacii zelum & apoſtolicam vere libertatem arguit non ſolum epiſtola ab Othlono lib. 2. cap. 11. relata, qua intelligitur, Bonifacium apud Zachariam Papam de Romanorum ſimonia aliiſque vitiis querelas depoſuiſſe, id quod etiam ex cap. 1. conſtat; ſed & alia Bonifacii ipſius epiſtola 19. editionis Serarianæ, in qua* ETHELBALDUM *Merciorum Regem de furtis, adulteriis, ſcortationibus & inceſtis, rerumque eccleſiaſticarum violatione objurgat: &* CUTHBERTUM *Cantuarienſem Archiepiſcopum monet alia epiſtola quæ 105. eſt, ut Sanctimoniales ob luxum ac pompam veſtium caſtiget.* Et ne miraretur, *inquit Vvillelmus Malmesburiæ Monachus lib. 1. de Reg. Angl. cap.* 4, quod alienum negotium ageret, cum ſua nihil intereſſet quomodo & quibus moribus Anglorum gens viveret; ſcire ſe a Gregorio Papa III. (*lege II.*) ſacramento adſtrictum, ne conterminarum gentium mores apoſtolicæ notitiæ ſubtraheret. Quapropter admonitionibus non ſuccedentibus acturum ſe, ne hujuſmodi vitia Papam laterent. Nec inanes, *ſubdit Vvillelmus*, eſſe potuerunt tanti viri epiſtolæ, quas ille legationis ſuæ & compatriatarum amoris intuitu vigilatis ſenſibus emittebat. Nam & Cuthbertus Archiepiſcopus & Rex Ethelbaldus Concilium coegere, emendaturi ſuperflua quæ ille increpaſſet, *nempe Concilium Clovesboviæ, cujus capitula 31. idem Auctor lib. 1. de geſtis Pontif. Dorob. perſtringit. Sed & loco paullo ante citato refert* ſcriptum Ethelbaldi devotionis ejus index, in eodem Concilio factum, *quo* Eccleſiis ac Monaſteriis libertatem *reſtituit*, *conceditque* immunitatem a publicis vectigalibus, pro amore cœleſtis patriæ & remedio animæ ſuæ. *Quæ ſane recte facta Bonifacii admonitionibus ac zelo tribuenda ſunt.*

An Carolum M. baptizavit. Pippinum ungit.

4. *Qui Carolum Magnum a Bonifacio baptizatum fuiſſe ajunt in villa regia* Ingelheim, *duobus a Maguntia miliaribus diſtante, rem omnino incertam dicunt. At Pippinum ab ipſo unctionem regiam accepiſſe, explorata res eſt, tametſi a Vitæ Scriptoribus prætermiſſa. Idipſum enim atteſtantur Francorum Annales de rebus geſtis Pippini & Caroli M.* anno 750. *uti & Eginhardi Annales: Fuldenſes vero* anno 752. *Aimoinus* anno 751. *Annalibus Francorum & Eginhardo Regino Abbas Prumienſis, Marianus Scotus, Sigebertus Monachus, aliique ſubſcribunt.* Verum id potius contigiſſe anno 751. probatum eſt in Præfatione huic tomo præfixa. Et forſan quippe Pippinus unctus a Bonifacio ſit in menſe Januario aut Februario anni 751. qui menſes ſecundum veterem calculum ad finem anni præcedentis pertinebant. *Neque opponas vulgatum Anaſtaſium in Vita Stephani Papæ III., & Ludovici Pii Imp. epiſtolam ad Hilduinum, in qua (ſicut & apud Anaſtaſium) unctio Pippini* a Stephano Papa *facta dicitur his verbis*, propter altare quod ante ſepulcrum S. Dionyſii una cum duobus filiis Carolomanno & Carolo in Regem Francorum unctus *dicitur. Ne, inquam, hæc opponas. Bis ſiquidem Pippinus, a Bonifacio primum, deinde a Stephano Papa, inunctus memoratur in Annalibus Eginhardi, cujus hæc verba*: Anno 750. Hoc anno ſecundum Romani Pontificis ſanctionem Pippinus Rex Francorum appellatus eſt, & ad hujus dignitatem honoris unctus ſacra unctione manu ſanctæ memoriæ Bonifacii Archiep. & Mart. & more Francorum elevatus in ſolium Regni in civitate Sueſſona. Et anno 754. *Stephanus Papa* poſtquam a Rege Pippino Eccleſiæ Romanæ defenſionis firmitatem accepit, ipſum ſacra unctione ad regiæ dignitatis honorem conſecravit & cum eo duos filios ejus Karolum & Karolomannum.

A Pippino litteras munificas accipit.

5. *Johannes Gerbrandus Carmelita in lib. 3. Chron. Belg. capp. 12. & 13. refert diplomata duo Pippini Regis, quibus res ab anteceſſoribus conceſſas Eccleſiæ Trajectenſi confirmat in gratiam Bonifacii Archiepiſcopi. Idem Auctor cap. 14. commemorat contentionem Sancti Bonifacii cum Hilgero Epiſcopo Colonienſi, ipſiuſque Bonifacii ea de re epiſtolam ad Stephanum Papam: quod jam in Vita S. Vvillibrordi expendimus.*

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 5. Julii. *6. Nunc locus eſſet, ut S. Bonifacii virtutes ob oculos poneremus. Jam zelum ejus ſuperius oſtendimus. Humilitatem teſtatur epiſtola 25. his verbis :* Et quia ultimus & peſſimus ſum omnium Legatorum, quos catholica & apoſtolica Romana Eccleſia ad prædicandum Evangelium deſtinavit; ut omnino ſine fructu Evangelii non moriar, pietatem Domini precamini, ut ſpiritu principali confirmet cor meum, qui me indignum Paſtorem in populo vocari voluit, ut lupo veniente more mercenarii non fugiam, ſed exemplo boni Paſtoris agnos pariter cum matribus, Eccleſiam ſcilicet catholicam cum filiis & filiabus ſuis contra hæreticos & ſchiſmaticos vel hypocritas fideliter ac fiducialiter defenſare ſtudeam. *Sollicitudinem ejus pro ſuis & populis recens ad Fidem converſis probat epiſtola 92. Verum his omiſſis ad mortis ejus tempus & auctores veniendum eſt.*

Mortis ejus tempus. *7. Vvillibaldus tempus martyrii S. Bonifacii conſignat* anno Inc. Domini 755, Indict. 8. *poſt* epiſcopatus annos 36. menſis 6, & dies 6. *Loco* epiſcopatus *legendum eſt* apoſtolatus: *tot enim anni effluxerunt a miſſione S. Bonifacii ad ipſius mortem, quæ miſſio quatuor annis epiſcopalem ejus ordinationem prævertit. Othloni lectio a Vvillibaldo non diſſidet, niſi quod librariorum (ut veriſimile eſt) incuria pro* anno quinquageſimo-quinto, *ſcriptum reperitur in codicibus mſſ.* quinquageſimo. *His accedunt Adamus Bremenſis Canonicus in hiſtoriæ capite 8, & Lambertus Scafnaburgenſis in Chronico, uterque gravis auctor, at tempore inferior. Et tamen Auctores ſubpares plerique martyrium S.* Bonifacio *anno 754. adſcribunt, nempe Eginhardus, Continuator epitomes venerabilis Bedæ, Hincmarus Remorum Antiſtes in Opuſculi ſeu epiſtolæ 44. cap. 30; Annales & Scriptores Fuldenſes, quorum primus Eigil in Vita S. Sturmii Abbatis; Annales Mettenſes, & Bertiniani: item Marianus Scotus & Sigebertus: quibus ſubſcribendum videtur, utpote Auctoribus graviſſimis, ſubparibus, pleriſque domeſticis.*

Ætas. *8. Sic igitur Bonifacii ætas componi poteſt. Anno circa 680. Creditoni in Devonia natus eſt,* Vvinfred *appellatus. Monachis Cœnobii Adeſcamcaſtrenſis traditus eſt fere ſeptennis. Apud Nutſcellenſes Monachos litteras didicit adoleſcens. Sacerdos factus anno ætatis trigeſimo, Chriſti circa 710. Paullo poſt a Patribus in Concilio quodam apud Vveſt-Saxones adunatis mittitur Cantuariam ad Berectvvaldum Archiepiſcopum, oblaturus capitula in Synodo ſancita. Anno fere 716. in Friſiam primo trajecit, ut conſtat ex Caroli Ducis Francorum cum Radbodo diſcidio tum temporis fervente, quod anno prædicto agitari cœpit. Belli tempus evangelicæ prædicationi haud idoneum ratus Bonifacius, vix dimidio anno expleto patriam repetiit. Anno 718. ſeu abdicata ſeu recuſata Abbatis dignitate, iterum Friſiam cogitat, & Danielis Epiſcopi litteris munitus ineunte autumno Romam petit, a Gregorio Papa II. benedictionem accepturus: qua accepta, redeunte vere, cum Gregorii litteris* Idibus Maji, Leonis Auguſti anno 3. Indict. 2. *id eſt anno 719. datis, in Germaniam mittitur. Friſia adita cum Vvillibrordo exegit annos tres, poſt Turingis & Heſſis quamplurimis Chriſtianam Religionem perſuadet. Quo nuntio accepto lætus Gregorius, Bonifacium ad ſe arceſſitum epiſcopali ordinatione dignatur* Leonis Imp. anno 7. Indict. 6. prid. Kalend. Decemb. *eumdemque Gregorius tertius archiepiſcopali dignitate & Pallio donavit anno 732. Ea dignitate auctus Bonifacius poſteaquam tertio Romam profectus eſt, anno 742. Synodum in Germania celebrat, ejuſque acta anno ſequenti in Synodo Liptinenſi confirmat. Tum anno 744. Concilium apud Sueſſionas cogit: anno poſtero Sedi Maguntiacenſi incardinatur, qui fuerat hactenus indefinitæ Sedis Archiepiſcopus. Pippinum in jamdicta urbe Sueſſionica Regem inungit anno 750. ac demum in Friſia pro Religione quam tanto ſtudio vivens prædicaverat, mortem oppetiit ſenex, annorum circa quinque & ſeptuaginta. Quæ omnia ex ipſius Actis & adjectis Notationibus conſpicua ſunt.*

Martyrii auctores. *9. Othlonus ex Vvillibaldi contextu male intellecto ſcripſit in lib. 2. cap. 21. Bonifacium* a Novitiis Fidei cultoribus, *qui ipſo die Confirmationis ſacramentum accepturi erant, martyrio fuiſſe affectum. Quod certe non ſenſit Vvillibaldus, ſed loco neophytorum* inimicos *ſeu* paganos *dicit irruiſſe in Bonifacium die præſtituto, quo neophytis manus impoſitio fieri debebat. Vvillibaldi mentem explicat Anonymus his verbis :* Evangelici ſermonis præco totam tuba ſalutari intonuit Freſiam. Aſt ſerpens antiquus omnium bonorum invidus & ab initio ſæculi ſemper inimicus humano generi, quoſdam inſtigavit de gente crudeli, qui necdum fuerant a diabolicis ſuperſtitionibus emancipati, ſuos videlicet ſatellites contra famulum Dei ſuoſque commilitones. Dicebant enim ſe mori malle, quam patrios ritus derelinquere. Mox ut hæc athletæ Dei audierunt, cum proprio Paſtore quantocius ad vicum qui vocatur Dokinga gaudentes ibant, in quo noverant carnifices cum cruenta multitudine congregatos, ut trucidarent Dei famulos. *Quamquam Martyres ſancti non ſeſe carnificum manibus objeciſſe, ſed eas potius in ſe generoſe admiſiſſe, ab aliis auctoribus dicuntur. Sunt qui dicant, iſtorum ſicariorum progeniem hactenus exſtare, albo capillorum globo in vertice notatam divinitus in diri ſacrilegii ſignum.*

Socii Martyres. 10. *Socios Martyres ita deſignat Anonymus.* Illuceſcente igitur glorioſi certaminis die S. Eobanus ejus cooperator & Coepiſcopus, una cum ceteris ſociis videlicet Presbyteris, Monachis, Diaconibus, quorum hæc ſunt nomina: Vvintrung & Vvalthere ſimul

mul & Adelhere ſacerdotali gradu ſublimati; Hamund, Scirbald & Boſa levitici ordinis officio deputati; Vvaccar & Gundecar, Illehere & Batthevvlf, monachicæ vitæ ſubditi, &c. *Eadem fere nomina habent tum Vvillibaldus & Otblonus, tum HRabanus Maurus & Notkerus Monachus in Martyrologiis : niſi quod Otblonus pro* Boſa *legit* Bderſo; *& pro* Illehere, Vvilliheri; *&* Hadolf *pro* Batthevvlf *ſeu* Batovvlf, *HRabanus vero & Notkerus* Hadovvlfe. *Addit Anonymus :* Nurus quoque fuit ſanctorum Martyrum, qui cum B. Pontifice Bonifacio paſſi ſunt pro Chriſto, quinquaginta duo. Sed corpora ſupranominatorum Martyrum aliorumque tredecim a Fidelibus in ſarcophago collocata ſunt, & in navim cum B. Pontifice Bonifacio immiſſa, felici gaudio curſuque proſpero uſque Trajectum pervenerunt. Illic vero cum hymnis & pſalmis Dei ſuſcepta fuerunt, & in Eccleſia quæ eſt in honore S. Trinitatis conſecrata, cum omni timore & veneratione ſepulta. Non poſt multos autem dies corpus S. Bonifacii ad Fuldenſe Cœnobium perlatum eſt. Alia quoque ſanctorum Martyrum corpora, quorum propter deſidiam & negligentiam oblivioni tradita ſunt nomina, ſed in libro vitæ proculdubio ſcripta, in eodem loco, ubi palmam martyrii ſuſceperunt, a fideli populo ſuſcepta ſunt : in quo poſtea Chriſto propitio regalique præcepto pro honore ſanctorum Martyrum conſtructa eſt Eccleſia. His in locis, videlicet Trajecti, Fuldæ, Dockingæ, in ſignis & virtutibus per ſanctorum Martyrum merita fideli populo divinitus præſtantur beneficia. *Hactenus Anonymus, cujus lucubrationem in mſ. codice Compendienſi legimus. In Bedæ epitome dicitur* Bonifacius cum quinquaginta tribus martyrio coronatus *fuiſſe. Numerum 52. habent Hucbaldus Elnonenſis Monachus in Vita S. Lebuini, Johannes de Beka & Vvillelmus Heda in Chron. Traject. item Johannes Gerbrandus in Chron. Belg. cap. 16.*

AN.CHR. 754 5. Junii.

11. *Haud multo poſt martyrium S. Bonifacius ſollemni cultu apud Anglos cultus eſt : cujus rei fidem facit Epiſtola Cuthberti Archiepiſcopi Cantuarienſis, inter Bonifacianas ordine 70. his verbis :* Hunc inter egregios & optimos orthodoxæ Fidei Doctores & amabiliter habemus, & laudabiliter veneramur. Unde in generali Synodo noſtra, ubi & de ceteris omnibus quæ veſtræ modo Sanctitati paucis depromimus, & plenius inter nos conferebamus, ejus diem natalitium illiuſque cohortis cum eo martyrizantis inſinuantes ſtatuimus annua frequentatione ſollemniter celebrare, &c. *Lege epiſtolas 74. & 78. Nec ejus cultum neglexerunt Germaniæ Galliæve populi, qui S. Bonifacii diem paſſionis paullo poſt ejus mortem ritu feſtivo celebrarunt, ut conſtat tum ex epiſtola 5. Lupi Abbatis Ferrarienſis, tum ex carmine quod Vvalafridus Strabus in ejus natali cecinit.*

Feſtus dies S. Bonifacii.

Gaudia præſentis, Bonifaci ſancte, diei
Nos ſalvent, Domino dante tuis meritis.

S. Meinvvercus Paderbornenſis Epiſcopus ineunte ſæculo 11. diem S. Bonifacii & ſociorum ejus celebrari per totum Epiſcopatum Patherbronnenſem annua obſervantia inſtituit. *Quin etiam eidem S. Martyri varia Oratoria & Eccleſias ſtatim poſt ipſius mortem condiderunt, & religioſis votis frequentarunt.*

12. *Prima fit* Eccleſia SS. Pauli & Bonifacii *in loco martyrii Dockinga nomine extructa, de qua Vvionius refert hos verſus Alcuino adſcriptos, qui tamen inter Alcuini epigrammata non exſtant.*

Eccleſiæ eidem dedicatæ.

Hic Pater egregius meritis Bonifacius almis
Cum ſociis pariter fundebat ſanguinis undam,
Inclyta martyrii ſumentes ſtemmata ſacri.
Terra beata nimis Sanctorum ſanguine dives!
Tranſvolat hic victor miles ad præmia cœli.
Suadeo quapropter curvato poplite ſupplex,
Tu quicumque legis, terris his oſcula fige,
Speſque tibi fiat lacrymis adſcendere cœlum.
Hic potuiſſet . . .
Hic manet cruor cuncto pretioſior auro,
Membraque celeſti rore hæc * perfuſa quieſcunt. * *f.* hic
Adjuvat hinc Paulus, Doctor Bonifacius inde,
Hæc illis quoniam conſtat ſimul aula dicata.

Dockinga ſive Dockum, vulgo Dockem & Dockum *ad Burdonem amnem, Eccleſiæ adjuncto Monaſterio (ut ex fine Vitæ a S. Vvillibaldo ſcriptæ diſcimus) evaſit in opidum diœceſis Leovvardenſis : ubi codex Evangeliorum S. Bonifacii manu exaratus cuſtodiri dicitur.*

13. *Nec prætermittendum id quod Eginbardus in Annalibus, Annales Francorum veterrimi apud Cheſnium tom. 2. pag. 14. & Fuldenſes ad annum 774. commemorant de Eccleſia Fridiſlarienſi. Quippe Carolo Magno in Italica expeditione adverſus Deſiderium Langobardorum Regem occupato,* Saxones, *ut ſcribunt Annales Francorum,* exierunt cum magno exercitu ſuper confinia Francorum uſque Buriaburg. Ipſi confinales caſtellum ſunt ingreſſi, & ipſi Saxones venerunt ad quamdam Baſilicam quæ dicitur Fridiſlar, quam S. Bonifacius conſecravit, atque per ſpiritum prophetiæ prædixit, quod numquam incendio cremaretur. Ceperunt autem ipſi Saxones cum nimia intentione adverſus ipſam Baſi-

Eccleſia Fridiſlarienſis ab igne illæſa.

AN.CHR. 754. 5. Junii.

Baſilicam, quemadmodum eam per quodlibet ingenium * cremare potuiſſent. Et dum hæc agerentur, apparuerunt quibuſdam Chriſtianis qui erant in caſtello, ſimiliter & quibuſdam paganis qui in ipſo loco aderant, duo juvenes in albis veſtibus, qui ipſam Baſilicam protexerunt, & non fuit concremata. *Addunt Fuldenſes*: Unus tamen ex hoſtibus juxta Baſilicam flexis genibus, additis lignis & igni incumbens, ſpecie ſtantis repertus eſt mortuus. *Idem factum Regino commemorat. Confer Acta S. Vvigberti Abbatis ad ann.* 747, *cap.* 19.

* Gallicè *engin*.

Eccleſia in Cellis.

14. Eccleſia *Parthenonis* in Cellis *appellati, qui Parthenon Fulda diſtat octodecim fere millibus paſſuum ad ortum ſolſtitialem, juxta collimitium orientalis Franciæ & tractus Hennebergii*, anno 815. dedicata eſt ab Heiſtulfo Mogontiacenſi Archiepiſcopo, rogatu Raitgeri Fuldenſis Eccleſiæ Abbatis in honorem Domini N. J. C. & S. Bonifacii Martyris, S. Johannis Bapt. SS. Petri & Pauli, Martini, Benedicti Ceciliæ, *ut legitur apud Brovverum in lib.* 2. *Antiq. Fuld. cap.* 12.

Eccleſia Fuldenſis.

15. *Mitto alias Eccleſias ſeu Oratoria quæ S. Bonifacio, tum primævo illo tempore, tum procedente dedicata ſunt, ut veniam ad celebrem Baſilicæ Fuldenſis dedicationem. Ubi primum S. Martyris corpus Fuldam translatum eſt*, porticu ſeu arcuato opere incluſum, *inquit Brovverus lib.* 2. *Antiq. cap.* 1, medio Templo verſus ortum ſolis in abſida quievit, prope ab ara quam vivens condiderat vir ſanctus, ubi tumulari mortuus optavit: atque diſtinctis intervallis hinc a Septemtrione Liobam, præſtanti religione & exploratæ ſanctitatis feminam, quæ Virginibus Biſchofheimienſis Monaſterii præfecta fuerat; inde Sturmin Abbatem ad auſtralem plagam, pari item ſanctimonia, in ſua quemque abſida conditum habuit: *quod etiam Candidus in Vita S. Sturmii Abbatis & Ruodolfus in Actis S. Liobæ ſuo loco referendis tradunt. Huc pertinent Verſus HRabani Mauri Inſcriptione* 82, in Eccleſia S. Mariæ juxta ſepulcrum S. Bonifacii poſiti.

Poſtquam martyrium explevit Bonifacius almus,
  Martyr & Antiſtes æthera celſa petens;
De Freſia huc vectus, cum theca hac rite locatus,
  Sanguinis hic partem liquerat hinc abiens.
Deſuper hunc tumulum HRabanus condere juſſit
  Ad laudem Sancti exiguus famulus,
Indignus Præſul, vernaculus attamen hujus.
  Pro quo tu, Lector, funde preces Domino.

Tranſlationes S.Bonifacii.

Anno 778, *ſicuti in Annalibus Fuldenſibus legitur*, Monachi Fuldenſis Cenobii propter timorem Saxonum, adſumtis ſecum S. Bonifacii Martyris oſſibus fugerunt de Monaſterio per millia fere 14. *Lege Vitam S. Sturmii num.* 23 *ad ann.* 779. *Reliquiæ ſacræ in tumulum relatæ, nova Baſilica a S. Eigile exædificata, de qua in ejus Vita ſæculo proximo, in crypta orientali repoſitæ ſunt, & ſuper fornicis convexum locata ara in S. Bonifacii honorem dedicata, uti & principalis Eccleſia: quod ex vetuſto Inſtrumento conſtat, relato a Brovvero lib.* 2. *cap.* 3. *in hunc modum*: Anno Dominicæ Inc. 818, Indict. 12. menſe Novemb. prima die menſis, dedicatum eſt hoc Templum ab Heiſtolfo Archiepiſcopo Mogontiacenſis Eccleſiæ in honorem S. Salvatoris videlicet N. J. C. & in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariae & S. Petri Apoſt. & ceterorum Apoſt. Domini & S. Johannis Bapt. & S. Bonifacii Martyris Chriſti & aliorum plurimorum Sanctorum, & translatum eſt ipſa die ab eodem Archiepiſcopo & ceteris Epiſcopis atque Sacerdotibus corpus S. Martyris Chriſti Bonifacii poſt martyrium ejus expletis annis 65. menſibus 4. diebus 26. in locum quem præparaverat ei venerabilis Abbas Eigil una cum Fratribus ejuſdem Monaſterii magno ſtudio & pia devotione. *Adſervantur etiamnunc in eadem Baſilica ejuſdem Sancti Reliquiæ, caput quidem in ſcrinio peculiari, oſſa vero alia in theca pretioſa. Adſervantur item nonnulli ipſius libri, quos ad Vvillibaldi caput* 12. *notavimus; paſtorale pedum, cingulum & annulus. De S. Bonifacio iſta ſint dicta.*

HI-

HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI GERMANI EPISCOPI PARISIENSIS,

a Monacho Pratenſi anonymo ſcripta, Caroli M. principatu.

Auctior & correctior ex codicibus mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Translatio quo tempore facta & ſcripta.

1. VENANTII FORTUNATI *libellum de vita S.* GERMANI *Pariſiorum Epiſcopi exhibuimus in primo Sæculo Benedictino, rejecta hunc in locum hiſtoria Translationis ejus, ut rationem temporum pro inſtituto noſtro ſervaremus. Translatio hæc facta eſt ex ſacello S. Symphoriani in baſilicam ſanctæ Crucis & ſancti Vincentii ipſi cohærentem, anno ipſo, quo Pippinus ab Stephano Papa unctus in Regem eſt, hoc eſt anno 754. tametſi annum præcedentem ſignat quidam vetus codex membraneus de paſchalibus cyclis. Diem expreſſit Uſuardus in ſincero Martyrologio his verbis :* 8. Kalend. Auguſti civitate Pariſius, Translatio S. Germani Epiſcopi & Confeſſoris. *Eam vero translationem in litteras retulit anonymus quidam Monachus Cœnobii S. Germani de Pratis, ut vocant, prout facti narrationem ex ipſius Caroli Magni, qui puer ſeptennis iſti celebritati interfuerat, ore acceptam didicerat.*

Lantfredo auctore facta.

2. *Traslationis auctor fuit* LANTFREDUS *Abbas, Pippinus Rex approbator & teſtis. Is eſt Lantfredus, quem Carolus Princeps Legatum direxit ad Hunoldum Aquitaniæ Ducem. cujus Abbatis deceſſores ac ſucceſſores, tempuſque regiminis paucis declarare juvat, poſtquam nonnulla de Monaſterii noſtri origine & incrementis præmiſerimus.*

Monaſterium S. Germani.

3. *Monaſterium ſanctæ Crucis & S. Vincentii Childerbertus Francorum Rex munificus, Chlodovei Magni filius, erexit dotavitque hortatu S. Germani Pariſiorum Epiſcopi : Germanus ipſe rebus ſuis auxit, tum ſepultura & nomine ſuo poſtea illuſtravit. Delectus eſt Monaſterio locus amœnus prope Sequanam infra urbem, in pratis ſuburbanis : unde nomen Cœnobio hæſit S.* Germani de Prato, *ſeu de* Pratis, *tametſi ab annis fere quadraginta ædes circumpoſitæ jam æquant urbem populoſam. Tempus incboati Monaſterii fuit poſt annum 542, quo Childebertus ex Hiſpanica expeditione reverſus,* Tunicam S. Vincentii *Cæſaraugusta retulit, teſtante Gregorio Turonico Epiſcopo in lib. 3. cap. 29. indeque baſilicæ S. Vincentio exſtruendæ occaſionem & conſilium accepit. Baſilicæ dedicatio* in honore vivificæ Crucis almique Vincentii Levitæ & Martyris *anno dieque ſupremis Childeberti Regis, id eſt* anno 559. Kal. Janu. *a S. Germano facta dicitur in Vita S.* DROCTOVEI *Abbatis, qui primus Monachis inibi ab exordio collocatis præfuiſſe memoratur. Quam quidem ſententiam præferendam exiſtimo recentioribus Abbatum indicibus, in quibus* AUTHARIUS *Droctoveo anteponitur. Uſuardus ejuſdem Cœnobii Monachus medio ſæculo 9. dedicationis iſtius memoriam inſeruit Martyrologio ſuo in hunc modum :* 10. Kalend. Januarii Pariſius dedicatio baſilicæ in honore ſanctæ Crucis & S. Vincentii Martyris, & depoſitio domni Childeberti Regis. *Ubi vides Uſuardum conſentire cum ſcriptore Vitæ S. Droctovei, qui ſcriptor eodem anno eodemque die factam ait dedicationem, quibus Childebertus expiravit. Baſilicam vero etiam* ſanctæ Crucis *nomine dedicatam fuiſſe conſtat ex litteris Chilperico Rege datis* Baboni Abbati, *quarum primarium exemplar hactenus in Archivo noſtro adſervatur. Hujus primæ dedicationis memoriam fere obliteravit ea, quæ ab Alexandro Papa III. peracta eſt anno 1163, die 21. Aprilis, quotannis hactenus celebrata.* Tunica S. Vincentii *ab Childeberto iſtic repoſita, uti &* egregia crux, *cujus meminit Carolus Magnus in narratione Translationis, infra cap. 3. Hinc Monaſterio* ſanctæ Crucis & S. Vincentii *vocabulum. Germanus Epiſcopus locum a Childeberto locupletatum & privilegiis decoratum ipſe tum rebus ſuis, tum privilegio extulit. Exſtat in cenſuali codice Irminonis Abbatis enumeratio prædiorum a Germano conceſſorum .. Sunt autem hæc.* Manſus dominicatus in villa Vitriaco, & ſilva Puciolus quæ pertinet ad ipſam villam, *quod ſuum ipſius* alodium S. Germanus contulit ad luminaria Eccleſiæ ſanctæ Crucis : quatinus omnibus annis perſolvant ad ipſam Eccleſiam 8. ſextaria olei aut 22. ceræ libras. Eſt ibi in confinio quædam alia poſſeſſio quæ dicitur Valliacus, aliaque procul quæ vocatur Galliacus, quas pater S. Germani ab ERMENFRIDO Comite emit, quaſque prædictus ſanctus Præſul contulit prædictæ Eccleſiæ : quatinus annis ſingulis in commemoratione natalitii patris ſeu genitricis ſuæ ſolvant ad ſepulcra eorum cereos duos, librarum videlicet octo unumquemque, & ad refectionem Fratrum 20. ſolidos. Addidit etiam prædictus ſanctus Præſul excommunicationem coram 19. Epiſcopis, ut quiſquis temeraria præſumtione hoc donum quod ſuæ contulit Eccleſiæ, ex propria vide-

AN. CHR. 754. 25. Julii. licet poſſeſſione, auderet auferre, ſeu Epiſcopus urbis Autiſſioderenſis, in cujus conſtant diœceſi; ſeu Princeps Nivernenſis, ſub cujus conſtat ditione, cum Juda traditore damnationem percipiant. *Quibus ſubjungitur* dies depoſitionis patris ejus nomine Eleutherii Kal. Novembris: matris vero nomine Euſebiæ, 5. Kal. Januarii, *qui uterque parens in ſacello S. Symphoriani ſepultus eſt. Hæc paullum extra propoſitum refero, ne excidant. Floruere hoc in Cœnobio ſtudia litterarum* Uſuardo, Aimoino, Abbone, *aliiſque magiſtris ſæculo 9. & 10. Certe Olbertus Gemelacenſis Abbas ſub finem ſæculi 10.*, Pariſius aliquamdiu apud S. Germani operam dedit & ſtudio, & ſanctæ quæ ibi fervebat Religioni, *quæ verba leguntur in Chronico Gemelacenſi tomo 6. Spicilegii.*

Viri pii. 3. *Viros pios qui hoc in loco vixerunt, invenio in veterrimo Necrologio non paucos: quos inter memorantur* Kalend. Janu. domus Abba VVILLELMUS, nimia religione ſollicitus 5. Idus Febr. FULBERTUS bonæ memoriæ Monachus S. Germani pro juſtitia occiſus 12. Kal. April. depoſitio domni GAUZUINI piiſſimi Abbatis atque Sacerdotis 12. Kal. Maji magiſter BENEDICTUS piæ memoriæ 14. Kal. Junii Rotmaldus Eremita & Monachus S. Germani, ſanctitatis vir & Deo devotus 10. Kal. easdem, depoſitio domni JOHANNIS bonæ memoriæ Monachi & Sacerdotis S. Germani. 7. Kal. Septemb. depoſitio domni ALBERICI piiſſimi Abbatis. 6. eaſdem Kal. RAINALDUS bonæ memoriæ Monachus; prid. Non. Septemb. SIMON Sacerdos & Monachus bonæ memoriæ, 6. Id. Octob. depoſitio domni LANDRICI ſacriſtæ bonæ memoriæ. 16. Kal. Novemb. depoſitio INGELBALDI piiſſimi Abbatis Verziacenſis Monaſterii. 3. Kal. Decemb. GADDO Monachus & Sacerdos piæ memoriæ. *Quibus addendus* GUILLELMUS Epiſcopus, *mortuus anno* 1418., *tertio Idus Decembris, cujus corpus etiam nunc integrum in tumulo, non ſemel diebus noſtris conſpectum eſt.*

Abbatum quorumdam ordo. 4. *Verum ut ad propoſitam S. Germani Translationem me referam*, LANTFREDUS *ejus auctor deceſſorem habuit, non* THEDELMARUM, *ut in vulgatis indicibus legitur, ſed* BABONEM. *Id deprehendi lectione veterum inſtrumentorum hujuſce Monaſterii, ex quibus ordo ac ſeries Abbatum iſtius ſæculi ita ordinari debet.*

AUTHARIUS *Abbas exprimitur in litteris Theoderici Regis, quibus Theodericus confirmat donationem* Eccleſiæ ſanctæ Crucis & S. Vincentii *factam a* Galterio *quodam ejuſque conjuge* Goda *de rebus ſuis in pago Bituricenſi ſitis.* Sunt autem hæc loca denominata. Fraxinum cum Eccleſiis, Caldunum cum Eccleſia domi MOVIALIS Confeſſoris ſuper Chroſam fluvium, Graegilidum, Dolum cum Eccleſia domni Germani, Agentonem cum Eccleſia, vel quidquid ultra Ligerim poſſidere videbantur. Ita videlicet ut poſt obitum Galterii, ſi Goda ejus conjunx ſuperſtes eſſet in corpore, Deo ſacrata foret, & in Eccleſia domni Movialis cum puellis Deo ſacratis quampluribus ſibi aſſociatis Deo ſerviret. *Iſtud diploma quod abſque temporis nota in Chartulario legitur, de Theoderico Chlodovei ſecundi filio interpretor.*

VVALDROMERUS Abbas *fecit commutationem* cum Adalrico *de quibuſdam rebus in* villa Mauriliaco *ſitis* anno tertio regnum domni Childeberti Regis, *uti legitur in primariis litteris, quæ hactenus exſtant. In Necrologio ab annis octingentis exarato:* 10. Kalend. Maji depoſitio Vvandremari Abbatis, qui dedit Cellam ſuper Sequanam S. Germano.

THEDELMARUS Abbas anno 7. Childeberti Regis *laudatur in originali diplomate, quo Childebertus donationem* Monaſterioli Lemauſi in pago Stampinſe, *factam* a Gammone & Adalgude *ejus conjuge confirmat adverſus* Aigathei *poſtulationem, qui mortuo Gammone locum illum evindicare contendebat impulſu Adalgudis tum Deo ſacratæ in Monaſteriolo prædicto. Supereſt iſtius rei autographum, uti & ſequentis.*

BABO Abbas anno 5. Chilperici Regis, *quo* Chulberta femina *teſtatur ſe* per venditionis titulum Monaſterio ſanctæ Crucis & domni Germani ceſſiſſe res ſuas in villa Bodaſio & in villa Mantla: *eaſque* tempore famis *precario recepiſſe. Hæ litteræ inſcriptæ ſunt* Domno & in Chriſto venerabili Patri BABONI Abbati vel omni congregationi Monaſterii veſtri ſancti Vincentii vel ſanctæ Crucis & domni Germani, ubi ipſe pretioſus Domnus in corpore requieſcit. *Hujuſmodi mendæ Notariis illius ævi familiares.*

LANTFREDUS Abbas *ante annum* 740., *quo in Aquitaniam legatus eſt a Carolo Principe ad Hunoldum. Extat Caroli Magni Præceptum originale Lantfredo Abbati conceſſum pro libertate Monaſterii S. Germani, datum* tertio-decimo Kalend. Novembris, anno quinto regni ejus, in Heriſtalio palatio publico. *Lantfredi obitus* anno 775. *ſignatur in vetuſto codice mſ. de paſchalibus cyclis: dies vero in Necrologio* pridie Idus Februarii.

VVICHADUS Abbas anno 7. Caroli Regis *memoratur in primariis litteris Frodoini Abbatis*, Filcherolas ſuper fluvium Roſdon *concedentis* Baſilicæ ſancti Vincentii & ſancti Germani, ubi præeſt venerabilis vir Vvichadus Abba una cum norma plurima Monachorum, *qui Vvichadus aliis* Guichardus Richarduſve *appellatur. In veterrimo Necrologio* Kalendis Novembris Vvichadi Abbatis *depoſitio adnotatur.*

ROTBERTUS Abbas *obtinet a Carolo Rege Præceptum immunitatis a teloneis* 6. Kalend. Aprilis anno 11. & 5. regni ejus, *id eſt anno Chriſti* 779., in Heriſtalio palatio. *Item aliud quo Carolus concedit* Madriolas in pago Milidunenſi, anno nono-decimo & tertio-decimo regni, Vvarmatia palatio. *Aliis demum litteris Carolus componit litem* inter HRotbertum Abbatem & Autbertum Comitem *excitatam ratione ſilvæ, quæ* Mons Adraldi *di-*

Digitized by Google

di *dicitur*, in pago Milidunenſi, anno 23. regni ſui. *Necrologium pervetuſtum reponit obitum* Frotberti Abbatis 8. Kalend. Martii. AN.CHR. 754

HIRMINO *ſeu* Irmino Abbas *ſubſcribit Teſtamento Caroli Magni* anno 811. *obtinet* Karoli-vennam *a Ludovico Auguſto* anno tertio imperii ejus: *numeraturque inter Miſſos*; *ad quorum renuntiationem ipſe Ludovicus Tornacenſibus Canonicis ampliorem aream conceſſit* anno imperii quarto, *apud Miræum in notitia Eccleſiarum Belgii cap.* 28. *Necrologium ejus obitum notat* pridie Kalend. Maji. 25. Julii.

HILDUINUS *ſenior Irminoni ſucceſſit anno circa* 818. *Is præcavens Monachis adverſus Abbatum laicorum violentiam, quædam prædia adſignavit in uſus* Monachorum, *numero* centum viginti: *quam partitionem ratam habuere tum Ludovicus & Lotharius Imperatores, dato communi diplomate* Idib. Januarii, anno 16. imperii domni Ludovici, Indict. 7. Aquiſgrani palatio; *tum Carolus Calvus, cujus hac de re Præceptum poſtea referre juvat. Ludovicus & Lotharius ſucceſſores ſuos interpellant, ut ſtatuta ſua defendant & confirment*, qualiter futuris temporibus Fratres in Cœnobio ſupradicto REGULAM B. BENEDICTI ſervantes abſque perturbatione libere Deo deſervire queant. *Hæc ſatis ad propoſitum.*

Hoc tamen addo quod in veterrimo illo Necrologio exprimitur 6. Kalend. Maji depoſitio RADONIS Abbatis S. Germani, *qui in omnibus indicibus deſideratur. Et* 18. Kalend. Julii depoſitio GODALRICI Epiſcopi S. Germani. *Forſan is eſt* Rado Abbas Vedaſtinus, *qui ex Monachis Germanenſibus adſumptus ſit: uti &* Godolricus Epiſcopus, *is qui Ebbonis Remorum Epiſcopi depoſitioni apud Theodonis-villam ſubſcripſit anno* 835. *an Cœnobii noſtri Epiſcopus proprius?*

CAPUT I.

Lantfredus Abbas de S. Germani translatione cogitat.

OPeræ pretium reor nequaquam ſilentio præterire, qualiter beatiſſimus Germanus venerabilem ſui corporis tranſpoſitionem præeuntibus voluit ſignis oſtendere. Etenim cum ducentis circiter vel amplius annis in porticu Eccleſiæ beati Vincentii Levitæ & Martyris jam quidem baſilica facta ſanctum ejus corpus jacuiſſet humatum; anno viceſimo-tertio quo KAROLUS, Pippini ſenioris filius, Regni Francorum tenebat monarchiam, venerabilis vir LANTFREDUS præfati Monaſterii Pater, divini ſpiritus incitamento ſuccenſus, qualiter tanto Patrono condigna deberet augeri veneratio; ut videlicet ejus ſanctiſſima membra infra majoris Eccleſiæ aulam transferri debuiſſent, tacita cœpit mente tractare, atque devoto non deſtitit corde rimari. Sed quoniam piis ſemper conatibus impedimenta ſe mundi objiciunt, a ſupra ſcripto Principe legationis cauſa in Aquitaniam mittitur. Interea Karolus moritur: iiſdem vero Abbas ab *a* Aquitaniæ Patricio, quaſi explorator tribus ſemis annis invitus detinetur: ſed tandem ſubſtituto in Regno PIPPINO juniore firmataque inter Regna pace, Lantfredus abſolvitur: qui reverſus annis fere duodecim in reſtauratione Monaſterii, quod eo abſente diſſipatum fuerat, occupatur.

Legatus in Aquitaniam.

II. *Poſtea cœleſti monitu rem exſequitur.*

Sed licet his & aliis cauſis præpeditus, tamen ne devotionis priſtinæ poſſet oblviſci, recentibus & admirandis beati Germani rurſus cœpit miraculis admoneri. Siquidem anno ſequenti *b*, ex quo apoſtolicæ Sedis STEPHANUS Pontifex ingreſſus Gallias, excelletiſſimi Pippini, quem idem unxit in Regem, *c* expetivit auxilium; cuidam feminæ hujuſcemodi oſtenſa eſt viſio. Putabat enim ſe quaſi cauſa orationis noctis tempore ad Eccleſiam beati perrexiſſe Vincentii; ubi dum veniens clauſas Eccleſiæ januas inveniſſet, ante fores ejuſdem orationi proſtrata, audivit pſallentium multitudinem infra eamdem Eccleſiam reſonantem, atque omnem humanæ jocunditatis cantilenam modulationis ſuavitate ſuperantem. Cumque tanti miraculi auditu attonita, quid hoc eſſet cuperet agnoſcere; ſubito cujuſdam præclari adſpectus pueri miniſterio conſpicit Eccleſiæ ſibi januas aperiri, tantique ſplendoris luce eamdem repleri, quæ etiam diei vinceret claritatem. Quam cum ingreſſa fuiſſet, præcedente ſe puero reſpicit in partem ſiniſtram, e regione ſepulchri beati confeſſoris Germani: & ecce multitudo virorum angelicis veſtibus indutorum, inter quos etiam præfulgidi adſpectus conſpicit virum, nivea ſenectutem canitie præferentem. Cui quaſi recognito ait: Sanctiſſime Germane, multum jam temporis eſt, quo hæc quæ video, ſervus tuus Lantfredus fieri deſiderabat. Et ille: Scio, inquit, nam hodie viginti anni ſunt, ex quo illi, ut hinc me transferre deberet, oſtendi: tu autem vade & dic ei, quoniam voluntatis ejus devotio mihi omnimodis placet: at vero exſequendi operis tarditas valde per omnia diſplicet; & ſi me hinc tandem transferre deliberat, retro beati Stephani altare me ponat. Quam viſionem mulier cum Abbati & Fratribus retuliſſet, duobus indiciis veram fuiſſe probarunt: ſive quia numerum annorum ſola Abbatis, inſcia muliere, devotionis retinebat memoria; ſeu quia omni congregationi, quod in altari ſanctæ Crucis beati Stephani Reliquiæ eſſent, adhuc manebat incognitum, niſi eas poſtmodum ſagax inquiſitio prodidiſſet.

a *Ab Unoldo ipſius Aquitaniæ Patricio*, ait interpolator, id eſt Duce, Eodonis Ducis filio, qui Hunoldus, ſeu Chunoaldus poſtea mutata veſte Monachus factus eſt in Cœnobio quodam Santonum apud inſulam Redis, ac demum ad ſæculum uxoremque reverſus.

b Id eſt anno 754. nam Stephanus Papa ſuperiori anno in Galliam venerat: tametſi in codice mſ. de paſchalibus cyclis Translatio S. Germani anno 753. reponitur.

c Interpolator addit, *contra gentem Longobardorum Romanam Sedem crudeliter opprimentem*.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 25. Julii. III.

Pippino præſente.

Karolus factum narrat.

Tunc ſæpe dictus Abbas glorioſiſſimum Regem Pippinum adiit, & tam ea quæ ſibi præcedenti tempore ab ipſo Sancto fuerant oſtenſa, quam etiam illa quæ nuper ipſi feminæ fuerant revelata, fideli ſtuduit narratione ſuggerere. Audiens autem hæc glorioſiſſimus & Dei cultor Rex Pippinus, gaudio gaviſus eſt magno: convocatiſque univerſis Regni ſui Præſulibus, eis myſterium ſibi revelatum innotuit; qualiterque tantum perficere negotium debuiſſet, ſollerti ab eis indagine perquiſivit atque tractavit. Quorum conſilio corroboratus, qualiter illud expleverit, licet ipſe non viderim, tamen multis qui hæc viderunt narrantibus agnovi. Ex quibus omnibus unum mihi in hoc opere excellentiſſimum auctorem ponere placuit, domnum videlicet KAROLUM glorioſiſſimum Imperatorem: qui tunc puer ſeptennis *a*, operi pii genitoris interfuit, & ea quæ ibi vidit admiranda memoria retinebat, & admiranda facundia fatebatur. Cujus verbis majorem fidem adhibui, quam ſi ea quæ dicebantur ipſe corporalibus oculis vidiſſem *b*. Ajebat namque (ut verbis ipſius eloquar) ad omnem circumſtantium multitudinem ſtans ante altare ſanctæ Crucis & S. Stephani: Videtis, o populi, condignum decorem hujus Eccle-
,, ſiæ? reminiſcor certe illius temporis, quo nihil horum ornamentorum auri & argen-
,, ti, excepta hac Cruce *c*, hic fabricatum erat. Domnus namque Germanus tunc in
,, illa crypta quieſcebat; & parum quiddam quod ibi modo habetur, pro magno com-
,, putabatur. At ubi ipſo Sancto demonſtrante genitori meo placuit, ut hunc in orien-
,, tali parte hujus baſilicæ tumulari condigne ſatageret; libet mihi narrare vobis, vidiſ-
,, ſe me ibi tria miracula, qualia poſtea nec vidi, nec anteriori tempore de aliquo
,, Sanctorum facta relegi.
,, Adveniente namque bonæ memoriæ genitore meo una cum Proceribus Regni ſui,
,, adeſt optata dies *d*, aperitur terra, levatur cum omni facilitate ipſum ſanctum corpus
,, cum ſuo ſepulchro diligenter clauſo: atque pariete Eccleſiæ perforato, intra aulam hu-
,, jus, occidentali in parte cunctis exſultantibus deponitur; ibique reliquum diei & ſe-
,, quentis noctis officium digne celebrantes, craſtinum præſtolati ſunt diem. Nec mora
,, adeſt primo mane divæ memoriæ genitor meus; ego quoque, germanuſque meus, pe-
,, diſſequi ipſius, cunctique Proceres ipſius Regni, cupientes cœptum opus ad finem ho-
,, neſtum uſque perducere. Vectes autem præparati ſunt longiſſimi, quibus ſuperpoſitum
,, deberet ſanctum corpus à multis efferri, non propter ponderis gravedinem, quod jam
,, experti erant a paucis poſſe portari; ſed propter religioſum obſequium, quod gaude-
,, bat ſe unuſquiſque vel ab aliis portantibus vectes contingere poſſe. Cum autem reli-
,, gione accedens ipſe genitor meus & primates electi ab ipſo, adprehenderunt ſepul-
,, chrum, volentes perficere opus inchoatum. Sed ita multorum manibus levare niten-
,, tium perſtitit immotum, ac ſi radicitus terris teneretur affixum. Et cum ab his diu
,, diverſis machinis labor fuiſſet ſine effectu expenſus, cœpit ipſe genitor meus omneſ-
,, que Optimates illius contriſtari, ſeque metipſos vehementer reprehendere, quare eum
,, de loco quem ſibi vivens ad pauſandum elegerat, in quo tot annorum curriculis jacue-
,, rat, levare præſumpſerint. Vocanturque Epiſcopi, & interrogati dixerunt: Scit, o
,, glorioſiſſime Rex, ſerenitas veſtra, beatiſſimum Germanum Epiſcopum eſſe; ideoque
,, rectum nobis videtur, & hoc ipſum Sanctum delectari putamus, ut ab Epiſcopis ſan-
,, ctum ejus corpus transferatur. Omnibus autem hoc conſilium conlaudantibus & mul-
,, ta prece hoc ab eis fieri depoſcentibus, remotis ceteris accedunt Epiſcopi, conantur-
,, que a terra levare eum. Sed nihilominus ipſos vectes adprehendentes, aliquandiu fru-
,, ſtra laborantes impoſſibilitatem ſuam omnibus patefecerunt, ſepulcro immoto manente.
,, Cunctis autem impoſſibilitatem ipſum levandi expertis, rurſum conſuluntur Epiſcopi,
,, dixeruntque: Certum eſt nobis, o piiſſime Rex, beatum Germanum ſe hinc ad deſi-
,, gnatum locum transferri velle; tamen quia nec celſitudo veſtra, nec humilitas no-
,, ſtra illud perficere potuit; opinamur quod ipſe Sanctus ſervientes ſibi in hoc Mo-
,, naſterio Fratres de bajulatione ſui corporis honorare velit; quo eos ſemper certius
,, & amabilius in ſanctitate ipſi ſervire delectet. Adſenſi ſunt omnes; juſſique acceſ-
,, ſerunt ipſi Monachi ad Sancti tumulum, volentes eum a terra levare. Sed nulla ar-
,, te id facere valentes; diu multumque inaniter laborantes, fatigati impoſſibilitatem
,, ſuam & opere & voce fatentes ceſſerunt.
,, Piiſſimo autem genitore meo flente, cunctiſque Optimatibus ipſius vehemen-
,, ter contriſtatis, extitit quidam qui diceret: Si dignetur clementiſſimus dominus no-
,, ſter Rex audire verbum ex ore tantilli ſervuli ſui, cauſas hujus impoſſibilitatis
,, puto me veraciter narraturum. Eſt in hoc pago Pariſiaco villa veſtra vocabulo
Pala-

a Recte: Nam Carolus Magnus natus eſt anno 747. uti legitur in veterrimis Annalibus Francorum in tomo 2 Cheſnii editis pag. 7. Et tamen Eginhardus & alii poſt eum ſignificant Carolum natum eſſe anno fere 744. cum ſcribant eum deceſſiſſe anno Chriſti 814. ætatis anno circiter 71.

b Interpolator. *Unde tot fere tam Epiſcoporum quam Abbatum, ſive etiam reliquorum totius Regni nobilium, hæc eadem audientes, hactenus teſtes exſiſtentes, quos pene magnitudo ejuſdem Eccleſiæ, ubi hæc ſtans loquebatur, capere poterat. Venit namque ut verbis*, &c.

c De hac cruce lege miraculum factum principatu Philippi Regis infra poſt librum 2. Aimoini: quæ crux neſcio quo caſu deperdita eſt.

d Nempe 7. Kalendas Auguſtas, ut conſtat tum ex Uſuardi Martyrologio, tum ex libro primo miraculorum cap. 17. infra.

Digitized by Google

,, Palatiolum *a* , & in circuitu ipſius ſunt villulæ iſtius Monaſterii conſtitutæ . Ipſi AN.CHR.
,, autem fiſcalini veſtri ob fortitudinem celſitudinis veſtræ valde ſunt inſolentes & te- 754.
,, merarii, & multa mala contra hunc locum perpetrant , videlicet homines & peco- 25. Julii.
,, ra cædendo & occidendo ; vineas & meſſes , prata & ſilvas devaſtando ; atque in
,, aliis modis familiam hujus Eccleſiæ perſequendo & affligendo: ideoque ſpero, quod
,, hanc a larga munificentia veſtra hic beatiſſimus his impoſſibilitatibus expoſcat An-
,, tiſtes . Quo audito piæ recordationis genitor meus , ſtupore adtonitus magno , ait :
,, Vere juſta eſt in hac parte noſtra tribulatio; & pia extat beatiſſimi Germani erga
,, nos admonitio: quia dum nos valde fuimus intenti hoc opus ocius conſummare, non
,, avaritia nobis , ſed oblivio hunc merorem quem perpeſſi ſumus noſcitur induxiſſe .
,, Et ponens vadium ſuum ſuper ſanctum tumulum: Accipe, inquit, o beatiſſime Ger-
,, mane, villam noſtram Palatiolum cum omnibus appendiciis ſuis tibi familiæque tuæ
,, hactenus inimicam , amodo autem & deinceps perpetualiter profuturam ; tantum ut
,, ſacri corporis tui portitor dignus exſiſtam ; ſimulque cum hac voce mittentes tam
,, ipſe quam Optimates ab ipſo electi manus ad feretrum, tanta cum celeritate ac fa-
,, cilitate levaverunt , ac ſi nihil in ſe ponderis haberet . Viſo autem tanto miraculo
,, tam Epiſcopi, quam reliqui Clerici, quammagna poterant voce, *Te Deum laudamus*,
,, *te Dominum confitemur*, præcedentes ſanctum feretrum jubilare cœperunt. Sed quis di-
,, gne referre queat lætitiam atque alacritatem totius populi? quomodo unuſquiſque gau-
,, dendo certabat humeros ſub feretro ſancto ponere? Multi autem quibus hæc facul-
,, tas minime dabatur, magnum ſibi lucrum ducebant, vel extremam partem vectium
,, manu contingere poſſe . Alii vero quibus & hoc minime ſuppeditabat , vel veſtes
,, portantium ſe contingere poſſe gaudebant.
,, Ventum erat ad foſſam in orientali parte hujus Eccleſiæ , quæ præparata tantum VI.
,, onus expectabat ſuſcipere: & ecce altera naſcitur difficultas. Nam vectes ſuper quos
,, ſanctum fuerat delatum corpus , ob longitudinem ſui & brevitatem cryptæ , ipſum
,, ſarcophagum foſſæ coaptari prohibebant. Juvat ergo paullulum ſubſiſtere, donec quid
,, facto opus ſit plenius poſſit videri. Conſenſerunt omnes, ut vectes a ſuperiori parte
,, inciderentur; quatenus ipſe ſarcophagus foſſæ coaptari poſſit . Sed his obſtitit geni-
,, tor meus dicens : Vereor ne dum ſecundum veſtram ſententiam vectes reciduntur ,
,, ſanctum ſepulchrum his ſuperpoſitum in aliquo , quod abſit , lædatur . Tutius ergo
,, conſilium exinde quærere oportet. Et illo hæc dicente, nullo hominum tangente ,
,, ſed cunctis in verbo Regis ſuſpenſis, repente motus eſt ſarcophagus de vectibus il-
,, lis, & celeri lapſu cunctis ſtupentibus & præ timore ora tenentibus depoſitus in foſ-
,, ſam ſibi præparatam. In ipſa autem motione tantus odor miræ & inexpertæ ſuavi-
,, tatis de ipſo ſepulchro evaporavit , totamque hanc Eccleſiam replevit , ut omnes
,, inibi conſiſtentes, quaſi in ecſtaſi a dulcedine illa converſi , per dimidiam fere ho-
,, ram, nec aliquid ſibi colloqui, nec ſe invicem reſpicere poſſint. Tum demum qua-
,, ſi de ſopore evigilantes , ut data eſt copia fandi , intra ſe mutua cœperunt allocu-
,, tione admirando conquirere, quid ſibi actum eſſet: reſpicienteſque ad foſſam, ipſum
,, ſepulchrum, quod minutatim fractum eſſe timebant, vident ſanum & integrum tam
,, ordinate & decenter compoſitum, ut nulli eſſet dubium, hoc miniſterio Angelorum
,, fuiſſe peractum. Cunctis vero ſtupentibus, ego utpote pueriliter ludens, caſu ipſam * *hucuſque Surius.*
,, foſſam inſilii * , ubi mox primum dentem de ore meo mutavi.

VII. Contractus erigitur.

Hactenus digeſta ſereniſſimo Cæſare domno Karolo narrante comperimus ; nunc ad ſequentia competenti diſputatione vertatur articulus . Siquidem eodem ipſo anno quo ſacrum ipſius venerabilis Pontificis ordine corpus ſupra memorato fuit translatum, quidam juvenis Italicæ regionis adeo fuerat membrorum officio deſtitutus, ut ei calcanea natibus quaſi clavis inhærerent affixa; manus quoque retro mammillas hinc inde coſtis quaſi quodam glutino necterentur; oculis vero & auribus, ipſique linguæ, annis circiter tribus, propria negarentur officia. Qui a piis parentibus dum pro recuperanda ſanitate per multorum Sanctorum circumcirca veheretur Eccleſias, nec quidquam priſtinæ a quoquam mereretur recipere ſanitatis ; aliquando tandem in ſomnis admonetur , ut Galliam veniens, beatum Germanum Pariſiorum Antiſtitem ſanandus inquireret . Qui certus de viſione, adjutorio fidelium impoſitus ſitarcio, comitante ſibi puero, equo vehente Pariſius pervenit , atque in Monaſterio beati Petri Apoſtoli hoſpitio receptus , cauſam ſui adventus Clericis ejuſdem Monaſterii expoſuit . In craſtinum vero bajulatus ejuſdem pueri officio, ad Eccleſiam ſupradicti Antiſtitis perlatus eſt : in qua cum tota die jacuiſſet, veſpere eſt receptus hoſpitio. Nocte vero ſequenti, quidam Clericus ſenex eidem bajulo per viſum apparuit dicens : Quare hunc debilem heſterno veſpere

F iiiij ab Ec-

a In codice cenſuali Irminonis Abbatis recenſetur ſecundo loco Palatiolum , *Palaiſeau* , hoc initio: *Habet in Palatiolo manſum dominicatum cum caſa & aliis caſticiis ſufficienter. Habet ibi de terra arabili culturas* 6. *bunaria* 287. *ubi poſſunt ſeminari de frumento modii* 1300. *de vinea aripennas* 127. *ubi poſſunt colligi de vino modii* 800. &c. Et in fine articuli. *Habet in Palatiolo manſos ingenuiles* 108. *qui ſolvunt omni anno ad hoſtem carra* 6. *ad tertium annum ſogales* 108. *ad alterum annum vervices cum agnis* 108. *de vino in paſtione modios* 140. *de argento in lignericia ſolidos* 35. *pullos* 250. *ova* 1750. *de cap. ſolidos* 9. Quo tempore vel quo pacto Palatiolum a Monaſterio diſtractum ſit, incertum.

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 25. Julii. ab Eccleſia detuliſti? ſurge itaque & revoca eum in Eccleſiam, quoniam propter ignorantiam tuam peperci tibi. Qui ſtatim diluculo conſurgens, (erat enim ſabbatum) ab hoſpitii domo præfatum ad Eccleſiam debilem revexit: eumque ad caput beati Germani extra cancellos collocans uſque ad veſperum cuſtodivit jacentem. Cumque poſt ſynaxim veſpertinam fores Eccleſiæ juxta morem *a* eſſent claudendæ; cuſtos Eccleſiæ cunctos ut ad hoſpitia ſua redirent admonuit: quem flebili voce iſdem exorans debilis ait: Oro te, o beatiſſime Pater, ne me hac nocte hinc abire præcipias: quia per ſanctum Germanum ſanitatis mihi eſt recuperatio repromiſſa: qua etiam fiducia fretus, patria ſimul parentibuſque relictis, nequaquam de pollicitatione dubius, ſed tanti Confeſſoris virtute ſecurus, huc ſanandus adveni. Permiſſu itaque cuſtodis, nocte eadem, ideſt dominica, intra aulam Eccleſiæ, juxta parietem ſepulchri Sancti Germani, licentiam eſt adſecutus jacendi. Noctis vero tempore priuſquam fratres ad vigilias ſurgerent, magnis cępit clamoribus perſtrepere, ita ut vocibus ejus quieſcentes excitarentur Fratres: & ecce repente cohærentia cęperunt membra reſolvi, atque decurrente cruore, paullatim crura & manus diutino glutino coartata in priſtinum vigorem reſolvi: factumque eſt, ut ſurgentibus Clericis *b*, & juxta morem diei dominici matutinorum officia conſummantibus, is qui veſpere æger manibus venerat delatus alienis, mane facto propriis jam ſanus incederet veſtigiis: & ita in eo eſt plenitudo reſtaurata ſalutis, ut uno eodemque tempore & oculi viſum, & aures auditum, & lingua locutionem, & manus ejuſdem operandi priſtinum recepiſſent officium.

VIII. a Pippino muneratus. Nec multo poſt veniens præcellentiſſimus Rex Pippinus, atque tanti miraculi novitate gaviſus, oratione peracta eumdem qui fuerat redditus ſanitati, ſuis exorat obtutibus præſentari: quem cum diutius fuiſſet intuitus, cępit ſciſcitari ab eo, quid faciendi, vel quo commorandi voluntatem haberet. Is vero recuperatoris ſui immemor & priſtinæ mendicitatis amator, poſtulat ſibi a Rege auxilium tribui, quatenus illuc unde venerat potuiſſet reverti. At vero piiſſimus Rex ei ſtatim clementi animo duo argentea vaſa pariterque equum dari præcipiens, præſago ſpiritu infit: Ego quidem voluntati tuæ libentiſſime faveo; te autem hinc diſcedere velle, videtur mihi nec debere, nec perficere poſſe. Quam ejus ſententiam divinitatis ſpiritu prolatam, ſequentis mox ſigni adteſtatio declaravit. Nam interpoſitis non multis diebus, ſicut perverſa mente conceperat, comitatus duobus Monachis, uſque ad quamdam poſſeſſionem præfati Monaſterii, cui Acmantum *c* vocabulum eſt, pertinaci obſtinatione devenit: ubi eadem nocte utriſque Monachis qui eum deducebant, ne eum amplius ducere præſumerent, indiſſimilis apparuit viſio, quam cum facto mane eidem retuliſſent, & ipſe in ſua obſtinatione perſiſteret, ſequenti nocte intolerabilium dolorum vexatione percuſſus eſt. Qui obſtinata mente dum in ſua deliberatione perduraret, & toties correptus a perverſo itinere pedem retrahere nollet; ne vias poſſit tenere nequitiæ, recidiva eſt orbitate cæcatus.

IX. Impotens recipit vires. Quidam etiam ex provincia Andegavorum, dum per annos fere duodecim, manuum ac pedum, ſed & oculorum fuiſſet privatus officio, Turonorum civitatem adveniens, in Eccleſia beati Martini meritis ipſius Confeſſoris lumen oculorum recepit. Nocte autem ſequenti cum ſe ſopori dediſſet, in ſomnis admonetur, ut Pariſius veniens, meritis beati Germani totius corporis ſanitatem adquirere deberet. Qui certus de viſione, Pariſius adveniens atque in Eccleſia ipſius ſupradicti Confeſſoris pernoctans, univerſæ debilitatis moleſtia liberatus eſt, ita ut & manus priſtinum operandi recepiſſent officium, & pedes diu contracti recte ambulandi ſortirentur effectum. In quo miraculo, dum iſdem languidus a beato Martino ſolum oculorum recepit ſalutem, quid aliud claruit, niſi quia & potuiſſet eum iſdem venerabilis Confeſſor totius corporis reſtituere ſanitati & noluiſſet? ut videlicet patenter oſtenderet, hunc beatiſſimum virum Germanum Antiſtitem imparem ſibi in cęlis nequaquam exſiſtere meritis, quem in curando languido ſuæ virtutis ſocium in terris non eſt paſſus habere diſſimilem.

X. Contractus curatur. Sed & quidam Bituricenſis territorii adoleſcens, qui erat a renibus uſque deorſum omnium immobilis rigiditate membrorum, ita ut manibus innitens univerſum poſt ſe corpus trahendo inſtar vermium per terram reperet; quique etiam illum, quem ſupra memoravimus, a beatiſſimis Confeſſoribus Chriſti Martino & Germano nobiliter fuiſſe curatum, multis jam diebus veniendo præceſſerat: anno eodem quo ejuſdem eximii Confeſſoris ſæpe dicti Germani ſanctiſſimum corpus fuerat tranſmutandum, præcedente tranſi-

a Huc ſpectat id quod ait Henricus Autiſiodorenſis Monachus in libro de miraculis S. Germani Epiſcopi cap. 46. *Factum eſt ut officiis veſpertinis exactis generaliter, ut in Cœnobiis mos eſt, univerſa vulgi concio a ſeptis Eccleſiæ cuſtodum inſtantia pelleretur.*

b Id eſt Monachis Cœnobii S. Germani. Quo ſenſu etiam *Clerici* nomen uſurpaſſe videtur Auctor ſupra initio hujus capitis, ubi agit de Clericis Monaſterii S. Petri: quod nunc S. Genovefæ dicitur. quo in loco Monachos a primordiis extitiſſe conſtat, quibus ſucceſſere Canonici ſæculares circiter Caroli Magni principatum; his vero Canonici Regulares per Sugerium Abbatem inducti.

c Acmantum, *Eſmant*, vicus prope Monaſteriolum opidum ad Sequanam, vulgo *Montereau*, ſupra Lutetiam Pariſiorum, hactenus juris Monaſterii S. Germani, in libro cenſuali Irminonis deſcribitur hoc modo: *Habet in pago Senonico in villa Acmanto manſum dominicatum cum caſa & caſticiis ſufficienter* &c. Eo in loco Guillelmus Bricionetus Epiſcopus Meldicenſis & Abbas Pratenſis voluit ſepeliri.

Digitized by Google

tranſitus ejus ſacratiſſima ſollemnitate, ſtans in baſilica ejuſdem, videnſque eum qui poſt ſe venerat, tam celeriter a beatiſſimo viro fuiſſe ſanatum; converſus ad ſepulcrum beatiſſimi Confeſſoris, querelloſis lacrymis cœpit inſiſtere dicens: O vir ſanctiſſime Chriſti Confeſſor Germane, quam ob culpam meam, vel ob quod peccatum me tot diebus tuæ miſericordiæ exſpectantem auxilium ſanare noluiſti? & ecce huic nullam in exſpectando moram ſuſtinenti, potentiam tuam, qua plurimum apud Dominum te valere cognoſcimus, demonſtrans, repentinam extemplo ſalutem contuliſti. Eadem nocte dum ſe ſopori dediſſet, apparuit ei per viſionem vir Dei dicens: Proxima veniente veſpera ſabbati, pervigilem in Eccleſia tranſigere noctem memento. Quod ſi intra Eccleſiam jacendi tibi licentia denegatur, nihilo minus in porticu ejuſdem, ſanitatis tuæ adventum præſtolari curato. Fecit ergo ut ſibi fuerat imperatum; & veniente nocte dominica, nihil de promiſſione dubitans, avidus ſalutis in porticu Eccleſiæ jacuit. Cumque jam vicina eſſet hora vigiliarum, paullatim cœpit, appropinquante ſalute, ſomno gravari; cum ecce apertis ſubito oculis, vidit tres quaſi canes teterrimos contra ſe ſtantes: confeſtimque excitans puerum, quem ſecum habebat, Surge, ait, & hos extra porticum ejice canes. Qui concite ſurgens, luſtrato atrio atque porticibus, quæſivit quidem canes; ſed phantaſmatis indicia non valuit reperire. Cumque reverſus paullulum quieviſſet, ſurgentibus ad vigilias Monachis & divinis officiis inſiſtentibus, eidem debili ſopore detento vir Domini Germanus manu baculum ferens apparuit, quo ejus membra debilia ſenſim contingens, ut ſanus ſurgeret clementer imperavit. Denique ſtatim eidem debili eſt cum eadem voce torpentium membrorum priſtinus redditus uſus: ita ut peractis laudibus matutinis exiens venerabilis vir LANTFREDUS Abbas cum Fratribus, in propriis greſſibus ſanum erectumque cerneret, quem præcedente veſpera contractum per terramque repentem vermium more vidiſſet.

XI. Vvitbaldi Chorepiſcopi paralyſis ſanata,

His breviter prælibatis, plurimiſque a reverendiſſimis viris auditu cognitis prætermiſſis, ad ea quæ coram poſiti ipſi vidimus, vertamus articulum. In pago Haſbanio, villa Leudico *, WITHBALDUS quidam nomine Chorepiſcopus fuit, ita gravi paralyſi percuſſus, ut a renibus & deorſum tota membra pedetenus mortua pendere vivo viderentur in reliquo corpore, qui ſemivivus taliter degens curriculum annorum bis octo in corpore, aliorum manibus in quodam artificioſo ſedili ex corio, propriorum explebat pedum officium. Itaque, ſicut diximus, aliorum manibus devectus, cupiens proprii corporis recuperare ſalutem, multorum circumibat loca Sanctorum: tandemque aliquando pervenit ad ſepulcrum ſanctiſſimi Confeſſoris Germani, ubi per triduum eum reliquorum manibus laborioſo artificio vidimus deportari. Expletaque ibi temporali devotione, ſimiliter gratia orationis ſepulcrum adiit beatiſſimi Confeſſoris Martini: ubi expleta devotione orandi, iter arripuit ad propria revertendi. Qui cum aliorum, ſicut ſupra taxatum eſt, manibus ſuper equum componeretur, ſenſit guttam ſanguinis cum quodam calore a renibus pedetenus per unam deſcendere coxam: quo ſtatim gaudio repletus, ſodalibus ſuis enarrare curavit. Sed in ipſa debilitate perſeverans ſpemque diu prolongatæ ſalutis quodammodo deguſtans, ad ſepulcrum beati Confeſſoris repedavit Germani. Factum eſt autem appropinquante eo Monaſterium ſæpedicti Antiſtitis, imminente jam hora veſpertina, (erat enim ſabbatum) ut diceret puero regenti equum ſuum: Accelera velociter, ne moram feceris, ut veſpertina ſynaxi ad Monaſterium beatiſſimi Germani pervenire queamus. In hac ſubito voce, vox ſigni Monaſterii veſpertino officio invitantis auribus ejus inſonuit: & in ipſo ſonitu largiſſima unda ſanguinis a renibus ejus profluens, per coxas & tibias ad pedes uſque deſcendit, cum tanta ſcilicet velocitate, ut ſtatim pedes ejus tanto ante tempore immobiles, ex artificioſis ſedilibus, quibus collocati tenebantur, ſumma velocitate exſilirent. Unde ipſo Epiſcopo celſa voce Deo gratias repetente, ſocii omnes in admirationem converſi, Monaſterium uſque gratulabundi perveniunt: quod cum fuiſſet ingreſſus, qui aliorum manibus ante horam equo ſuperpoſitus collocatuſque fuerat; priſtino recuperato vigore baſibuſque membrorum mirifice firmatis, proprio adniſu de equo deſcendens, ſuper proprios lætabundus pedes ſtetit. More itaque ſolito occurrentibus ſibi Fratribus omnibus, allocutus eſt dicens: Viri fratres, gratias agamus omnipotenti Deo, quia per merita beati Germani, opitulante divina gratia, modo facio quod me facturum jam nullus in orbe credebat: nam qui per ſedecim annos ſemivivus alienis ſum manibus vectus, nunc propriis me lætor vadere plantis. Ut autem ventum eſt ad ſepulcrum ſupra dicti Pontificis, quis narrare queat quanti in gratiarum actionibus tam ab ipſo Epiſcopo, quamque a ſodalibus ipſius imbres effuſi ſunt lacrymarum? ſub omnique mira celeritate in integram reſtitutus ſanitatem, remeans ad patriam, omne reliquum vitæ ſpatium in eadem quam acceperat ſanitate duravit.

* Liege

teſte Auctore.

XII. Muto & ſurdo facultas reddita.

In pago quoque Tarnenſe * fuit quædam paupercula enixa infantem: quem cum non haberet unde nutrire poſſet, per nocturna ſilentia ante Eccleſiæ fores projecit. Mane autem facto adeuntes populi eamdem Eccleſiam, invenerunt vagientem puerum ante fores Eccleſiæ projectum. Tunc quidam ex ipſis miſericordia motus, eumdem puerum cum conſilio & hortatu ceterorum ad nutriendum accepit, eo videlicet tenore, ut ſi ipſe puer ipſo nutriente adviveret, ipſe nutritor eum in ſuum ſervitium diebus vitæ ſuæ retineret.

* an Tarvennenſe

Quem

AN.CHR. 754 25. Julii. Quem cum ad domum ſuam portaſſet, enutrivit annis circiter ſeptem, qui cum jam ad hoc perveniſſet, ut ſecundum tempus loqui vel quæ ſibi dicebantur intelligere debuiſſet, ita repertus eſt ſurdus & mutus, ut nullo indicio vel ſignificatione aliquid poſſe loqui vel intelligere demonſtrare potuiſſet. Unde nutricius ejus valde contriſtatus, ſpem omnem quam de ſervitio ejus fruſtra conceperat ſibi videns ablatam, nihil de retributione divina cogitans, ipſum a ſe ſuaque domo ſemimortuum repulit & eliminavit. Tunc quidam pauperculus, cui tota facultas unus aſellus erat, quem de civitate in civitatem onuſtum ducens, quidquid in una vile emebat, carius vendere ſatagebat in altera; inveniens ſupra dictum puerum expoſitum & jam pene fame affectum, cum didiciſſet quæ circa ipſum geſta fuiſſent; partim cauſa miſericordiæ, partim autem ſpe ſervitii ſecum eum adſumens abduxit. Sicque factum eſt, ut exinde & deinceps ſicut proprium ſervulum ipſum paſceret & veſtiret; onera vero in ſcapulis ipſius jam feſſi alleviaret aſelli. Appropinquante autem die ſacratiſſimæ depoſitionis beati Pontificis, contigit ut idem mercator de urbe Aurelianenſe tam cum ſuo aſello quam cum ipſo adoleſcente ſale onuſtis Pariſius adveniret: ubi negotiatione peracta dum ad propria remearet, ipſe divino quodam inſtinctu magiſtro relicto baſilicam beati Confeſſoris Germani expetiit: ubi cum inter reliquum vulgus totam pervigilem duceret noctem, Fratribus matutinorum ſollemnia ex more celebrantibus, ipſe magnis primum dentium ſtridoribus fremere cœpit: quem cum circumſtantes admirando intuerentur, cœpit ſudare & palleſcere, ac dentibus magis magiſque ſtridere. Facta autem mora in hac anxietate, cum multo dolore ac labore lingua, quæ diuturna religatione muta manebat, cum impetu ſanguinis ad loquendum reſolvitur, aureſque, quas natura in lucem ſurdas effuderat, ad audiendum laxantur. Mox igitur tam loquendi quam audiendi receptis officiis, cœpit clamores & voces confuſas emittere. Tantum enim bruta quædam & incondita perſonabat: ſed quid ipſæ voces exprimerent, nec ipſe, nec alius intelligere valebat. Deductus itaque ad ſepulchrum beatiſſimi Antiſtitis, ibi tam loquendi quam audiendi perfecte poſſibilitatem accepit: ſed quid diceret, vel quid alii ſibi dicerent, penitus ignorabat. Erat enim hoc valde mirabile, ut cum ipſe nullius linguæ poſſet intelligere verbum, quidquid in quacumque lingua loqui audiret, poterat continuo ipſis ſimiliter exprimere verbis. Unde factum eſt, ut tam audito * quam locutione in brevi non ſolum ipſam ruſticam linguam perfecte loqueretur, ſed etiam litteras in ipſa Eccleſia Clericus effectus diſcere cœpit. Facta eſt autem magna dubitatio tam de terra nativitatis ejus, quam etiam utrum baptizatus fuiſſet, an non: quarum rerum nec ipſe unquam poterat audiendo cognoſcere; verum nec alter aderat, qui ipſum cognoſcendo poſſet perhibere teſtimonium. Cumque jam deliberatum eſſet, ut quia nulla ſuper his indicia reperirentur, baptizari debuiſſet; ecce homo ille, qui eum, ſicut ſupra retulimus, more aſelli tot annis circumduxerat; ipſum Monaſterium adiens, hunc intra Eccleſiam reperit: qui cum mutuo ſe vidiſſent, unus admirari cœpit, alter timere: hic, quod videbat ſuum quondam (ut ita loquar) aſellum humanas & litteratas emittere voces: ille, quod videbat dominum ſuum ut fugitivus & nuper elapſus ſe proſequentem. Sed tandem dominus ejus cognitis quæ circa ipſum per merita Pontificis geſta erant, benedicens Deum, glorificans beatiſſimum Germanum, lætior eſt effectus de ejus ſalute, quam fuiſſet antea de oneris ſui evectione. Adeo autem lætus effectus eſt, ut & de terra nativitatis ejus & de rudimentis infantiæ ejus, ſed & de ſacramento baptiſmatis ipſius, & omnibus quæ ſupra de ipſo retulimus, ipſe nobis cum jurejurando eo tenore ut dicta ſunt adfirmaverit: & quem ante ſemivivum invitus perdiderat & æſtimabat mortuum, nunc lætus voluntarie reliquit omnibus membris & corporis ſenſibus ſanum.

* audituˌ.

XIII. Paralyticus ſanatus.

Sed & in ipſa nocte, qua hic ſurdus & mutus propria membrorum beato viro obtinente recepit officia, aliud miraculum Dominus dignatus eſt declarare in ipſa Eccleſia. Quidam enim ruſticus fuit nomine Bertlaicus de pago Biturico, qui germanum ſuum in pago Adartenſe *a* commanentem gratia viſitationis curavit adire. Ubi cum aliquot demoraretur diebus, ita paralyſi ægritudine eſt percuſſus, ut a renibus & deorſum nullum membrorum ejus proprium valeret adimplere officium. Hac autem diſſolutione quinquennio detentus, manuum exſecutione pedum officia *, reptando potius, quam ambulando, totius Galliæ ſtuduit ſæpius peragrare provincias; victus ſcilicet ſupplementum ab hominibus arte medicationis adquirens; templa vero Sanctorum pro corporis ſalute rependo frequentans. Adveniente autem die ſacratiſſimæ depoſitionis beati Confeſſoris Germani, contigit hunc inter reliquum vulgus ejuſdem adire baſilicam. Ubi dum ipſam noctem pervigilem duceret, facta hora Monachi vigilias in honore beatiſſimi Pontificis more ſolito celebrare cœperunt. Rite autem nocturnali completo officio, cum Evangelium juxta morem *b* legi inchoaretur, ipſa paralytici diſſoluta membra priſtino recepto vigore ad propriam cœperunt ſolidari compagem: & ubi antea per terram more vermium manibus nitebatur incumbens, ſuper propria genua elevatus ſuis tentavit vadere plantis: deinde ad beatiſſimi viri perductus ſepulchrum ibi pleniſſime omnium membrorum

* adde ſupplens.

a Sic non raro veteres appellant pagum Atrabatenſem, *l'Artois*.
b Nimirum juxta præſcriptum Regulæ S. Benedicti in capite 11.

Digitized by Google

brorum ſe lætatur recepiſſe ſalutem. Mox autem in prædicto Monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ pollicitus eſt beato ſe ſerviturum Germano. AN.CHR. 754

Item in regione Waſconia, in civitate Wltrona, fuit quædam femina nomine Leutfreda, ab ipſa nativitate tam manibus quam etiam brachiis ita contracta, ut membra tantum corpori mortua inhærentia nullo naturali fungerentur officio. Quæ cum tanta debilitate ad perfectam perveniens ætatem, nocte quadam ſopore detenta, divina admonitione eſt juſſa, ut ad ſepulchrum beati Germani Pariſiaci Antiſtitis ſananda veniret: quæ de viſione credula, propria tellure relicta, Pariſius quam celeriter potuit, beati viri venit ad aulam: in qua paucis diebus feſtivitatem beati præſtolans viri, ipſa nocte ſacræ Pontificis depoſitionis, dum nocturna melodia Monachi celebrarent, ipſa beati Pontificis obtinentibus meritis ab omni eſt infirmitate tam brachiorum quam manuum reſtituta ſaluti. Sicque factum eſt, ut dum pro ſalute hujus populi grates Domino laudeſque beato referrent Germano; cœcus quidam nomine Rantfredus de villa Vedrarias *a* e regione reſidens, primum lacrymas cœpit vehementer effundere; deinde oculi diuturna cœcitate perculſi, poſt multam effuſionem lacrymarum ſanguinem emanare cœperunt. Cumque ipſas lacrymas jam ſanguine mixtas a facie manu tergendo ſiccaret, ſubito adaperti oculi lumen ablatum paullatim recipere cœperunt. Sed & in hujus illuminatione populis ſtupore detentis, ecce in parte altera prædictæ baſilicæ, homo quidam nomine Lantbertus, de villa Palatiolo, paralyſi ægritudine detentus, qui ita tam renes quam coxas, ſive etiam tibias vel ipſos pedes a paralyſis infirmitate diſſolutos habebat, ut nullum ex eis naturali conditione ſuum movendo poſſet adimplere officium; auditis autem miraculis, quæ in ſuperius nominatis divina contulerat gratia, cum, ut conſueverat, baculorum ſuſtentatione progredi vellet, ſubito ab ipſis renibus uſque ad pedes largo influente impetu ſanguinis, membra longinqua diſſolutione tabefacta, paullatim priſtina cœperunt recuperare officia. Quod cum Eccleſiæ cuſtodes cognoviſſent, tam ipſam feminam quam ipſum cœcum, ſive etiam iſtum paralyticum, omnes ad ſepulchrum ſanctiſſimi deduxerunt Confeſſoris: ubi uſque auroram jacentes, pleniſſime tam contracta manuum ac brachiorum, quam cœcus lumen oculorum, ſive etiam iſte paralyticus priſtinam omnium membrorum recipere meruerunt ſalutem: & qui aliorum officiis adjuti veſpere Eccleſiam debiles fuerant ingreſſi, mane facto propriorum membrorum vegetatione recepta, ad propria incolumes ſunt regreſſi.

25. Julii.
XIV. Item contracta.

XV. Cœcato lux reſtituta.

Quantum enim properamus volentes finem adtingere, tanto ſemper nobis ſe objiciunt virtutum inſignia. Sed ſi cuncta meis tentavero percurrere ſcriptis, charta dieſque mihi nec mora deficient. Igitur in pago Laumenſe *b*, in villa quæ dicitur Covinio, fuit quidam ruſticus nomine Ernoardus, qui dum tempore meſſis ſuper plauſtrum ſuum ſtans manipulos ab aliis ſibi oblatos in eodem plauſtro ex more componeret, quidam manipulum incaute in faciem ipſius jaciens, ariſtarum oculi terebrati aculeis, naturale amiſerunt videndi officium. Qui cum tanto fuiſſet munere caſſus, in hac cœcitate perſtitit annis circiter decem: & dum multa Sanctorum loca circumiret, ut lumen ademtum a Domino recipere mereretur: tandem Turonis ad baſilicam beatiſſimi Martini pervenit, ubi ſimiliter dum miſericordiam Domini exoraret, apparuit ei in viſione quædam Deo ſacrata dicens: O homo, ſi lumen oculorum priſtinum recipere cupis, Pariſius perge: ibi tibi Dominus meritis beati Germani lumen recuperabit ademtum. Qui jam utpote deſperatus nequaquam viſioni fidem accommodans, ad propria ut venerat mendicando reverſus eſt. Nocte autem quadam dum in Choe caſtro quieſceret, apparuit ei quidam Clericus venerandam ſenectutem canitie præferens, dixitque illi: Vade Pariſius ad domnum Germanum, & ibi te Dominus adjuvabit. Qui cum nec huic ſecundæ viſioni fidem accommodaſſet, ſequenti nocte idem Clericus cambottam manu geſtans, cujus ſuperior pars uſque ad medium aurea videbatur, & inferior ferrea, eidem cœco apparens ipſum de cambotta leniter percuſſit dicens: Cur non ambulaſti ad ſanctum Germanum, ſicut præcepi? ſurge ita nunc, & ocius ad ſepulchrum illius feſtinare memento, quia ibi oculorum tuorum recipies ſanitatem. Mane autem facto cum Clericis Eccleſiæ hanc uniformem trinam diceret viſionem, quidam ex eis irridentes dicebant, quod jam nullo modo fieri poſſit, ut ipſe lumen cœli videret: alii vero quibus erat mens ſanior, eum exhortari cœperunt, ut juxta imperatum ſibi, cum ſpe recipiendæ ſalutis, citius ad baſilicam domni procuraret ire Germani: quorum conſilio roboratus, proprio ſolo relicto, tandem aliquando beatiſſimi pervenit ad aulam: in qua Fratribus veſpertinam ſinaxim celebrantibus, ipſe bina manibus luminaria tenens accen-

---

a Interpres Gallicus male hunc locum vertit *Vueres en Bretagne*: hoc enim loco intelligitur vicus *Vedraria*, vulgo *Verrieres*, agri Pariſiaci, ac juris Cœnobii S. Germani. Irmino Abbas in codice cenſuali: *Habet in Vedrarias de terra dominicata culturas quatuor, quæ habent bunaria* 257. *& poſſunt ſeminare modios* 1100. *de vinea aripenna* 95. *ubi poſſunt colligi de vino modii* 1600. *&c.*

b Carolus Calvus in diplomate inferius edito memorat Cubinium in pago Laumenſe. In libro de miraculis S. Forannani Abbatis mentio fit villæ Calvi-montis *in pago Lomaco*. S. Dodo Abbas Vvaslerenſis natus dicitur in pago Laomacenſi, in villa quæ dicitur Vallis. Et in diplomate Ottonis III. Imperatoris relato in Chronico Gemmelacenſi, Giſla nobilis femina dat villam Gemblaus in Comitatu Lomacenſi atque Tarnuenſi. Ex quo intelligitur, Laumacenſem pagum pertinuiſſe ad provinciam Namucenſem, Porro haud procul a Monaſterio Gemmelacenſi extat vicus quidam S. Germani dictus.

Digitized by Google

AN. CHR. 754. 25. Julii.

cenſa, retro cancellos ſanitatis ſuæ præſtolabatur adventum. Finita autem veſpertina ſinaxi cum Fratres ſe orationi proſtraſſent, ille utpote cæcus quid ageretur ignarus, aliis orantibus ſtabat erectus: & ſubito quaſi ambo pedes ei uno fuiſſent ictu reſecati, cum magna vociferatione in terram corruit, ibique præ dolore nimio tantos emiſit ab ore clamores, ut nimietas vociferationis orationes interrumperet Fratrum. Quibus rite finitis cum a cuſtodibus interrogaretur, cur tales voces emitteret; alia poſtponens interrogat, quo iſſent columbæ unde ipſam baſilicam repletam vidiſſet: cunctiſque negantibus inibi tunc nullam omnino fuiſſe columbam, ait: Ego cum inſcius quid ageretur, utpote cæcus, ſtarem, divino ictu percuſſus ad terram corrui: mox autem multo dolore correptus, duas columbas maxillis meis inſidere ſenſi, quæ cum unguibus ſuis oculos meos ſulcando rimarent, repente meritis beatiſſimi Germani lumen amiſſum recepi, ſurſumque reſpiciens omnem hanc Eccleſiam albis conſpexi repletam columbis: quæ quando vel qualiter hinc abierint, quamve partem petierint, mente confuſus, & nimio ſplendore gaviſus ſcire nequivi. Qui lumine oculorum plene recepto, unde nuper cœcus manibus fuerat alienis adtractus, ad propria eſt incolumis beato Germano medente reverſus.

Quæ ſequuntur in primario exemplari, recentiore manu deſcripta videntur.

XVI. Demerſus aquis ereptus.

Præterea de anguſtiis ad ſe clamantibus idem venerabilis Præſul quam ſit proximus, licet paucis, quibuſdam tamen hic cogimur manifeſtare miraculis. Nam neceſſe eſt talibus nos, id eſt divinis admonitionibus ad Dominum Sanctoſque ejus timendum rogandumque ſemper accendi. Vir quidam ex noſtris nobilis & potens genere, nomine ADEVERTUS, cum eſſet aliquando in Saxonia, contigit ut illic ſolus quoddam ſibique ignotum vadum pertranſire deberet. Sed ut ventum erat jam utcumque ad alterius partem alvei, ecce tres illi ſubito Saxones obvii adſunt parati, quatenus illum prius etiam quam ad litus exiret perimerent. Quem ſimul impellentes haſtis: etſi illi vitam lorica, immo protegente Chriſto minime tulerunt; eum tamen ipſo agili pulſu ad ejuſdem fluminis fundum pene uſque depreſſerunt, erat enim aqua & terminus ripæ ibi profundior. Unde in hac ipſa propulſione undis adhuc coopertus, beatiſſimum ſibi adeſſe Germanum invocans, non ſolum ſurrexit, ſed (quod eſt mirabilius) pariter cum ſuo equo & armis univerſis ita ab ipſius aquæ altitudine feſtinato producitur, ut quando vel quomodo exoptatum tenuerit ſolum, fere neſcius idem ſtupuerit: animo ſolum advertit divina ſe clementia hujus beati viri meritis fuiſſe ſublatum. Referebat etiam ita ſe eodem in loco adverſus eos qui ſe convenerant decertaſſe, quatenus ſic numquam niſi cœleſti ejuſdemque Sancti auxilio adjutus potuerit.

XVII. Alius igni.

Eſtque hic adnotare, qualiter olim quidam prædones ipſius Sancti quemdam hominem comprehendentes, in ignem projecerint: qui dum fideli ac pura cordis intentione exclamaſſet dicens: Libera, o beatiſſime Germane, tuum innocenter damnatum ſervulum; protinus flammæ vis a ſui ardore ſic evanuit, ut nec ipſius quidem veſtimenta vapore hinc inde revulſo, tanti ignis aduſtione flagrarent. Sed qui intrinſecus pervicaciæ flammis ſuccenſi ardebant, non eis ſemel hoc egiſſe ſufficiens fuit. Ideoque rurſus atque iterum id ipſum agentes, nihil aliud quam antiquum ſtupendumque nobis miraculum ad mentem reduxerunt. Nam is qui periclitari cogebatur incendio, divina ac ejuſdem Sancti protectione vallatus, in modum (ut ſic adteſtetur) trium puerorum Chaldæorum quondam immanitate damnatorum tandem liber exivit.

XVIII. Manualdus Comes invaſor punitur.

MANUALDUS vero quidam Comes dum in ejuſdem beati villam, quæ nunc uſque Kalaus nuncupatur, intraſſet, cœperunt hanc ſui vaſtare comites, incolaſque ipſius gravibus atque inhumanis tormentis afficere. Ad quem cum veniſſent injuſta ſe pati clamantes, & quoad eos mitius ageret ſupplices exorantes, non ſolum audire noluit, ſed eos indignans reſpuit, pejora hinc illis futura promittens. Qui cum ejecti ſicque comminati ab eo exiſſent, verterunt ſe ſtatim, ut eſt pauperum uſus, ad Dei ſanctique Germani implorandum auxilium: quorum nec fides votis fraudatur. Porro a quo torquebantur; idem Manualdus ita totus paralyſi diſploſus efficitur, quatenus illi ſermo atque pedum mox omnis negaretur inceſſus. Unde illum cauſa recuperandi quam non meruit incolumitatem, ad ejuſdem Sancti ſacra limina poſt nequiquam deportatum conſpeximus. Nihil igitur ſanitatis vel injuriarum remedii uſque adeo recepit, donec in modico adſumtus vita deficeret.

XIX. Rumaldus item Comes.

Simili nempe modo RUMALDUS Madriacenſis *a* Comes in villa quæ dicitur Sicca-vallis *b* percuſſus obiiſſe dinoſcitur. Hic autem cum quibuſdam Sancti hominibus perperam vim inferre minime timuiſſet, atque in ſe reclamantibus aurem pietatis inflectere nollet, ultio eum divina mox præterire nequivit. Itaque dum ad audiendam Miſſam procedere vellet,

---

a De pago Madriacenſi in Neuſtria dictum eſt ſupra in Vita S. Leutfredi Abbatis ad annum 737. quo in pago extat vicus Sicca-vallis.

b In codice Irminonis legitur *Breve de Sicca-valle ſive Foreſte*, his verbis: *Habet ibi manſum dominicatum bene conſtructum* * *& aliis caſticiis ſufficienter & broilum muro petrino circumſeptum, quem domnus Irmino Abba conſtruxit*, &c. Ibi etiam dicuntur ingenui quidam S. Germano *ad luminaria* dediſſe villam Nidalfam, *Neaufle*, & alia alodia, *quia militiam Regis non valebant exercere*. Prope Nidalfam cernitur vicus S. Germani dictus.

* adde cum caſa.

vellet, ſiquidem ea die venerabilis ejuſdem inſtabat Pontificis ſollemnitas; illico cœleſti AN.CHR.
attactus flagello, veluti ſuccisis cruribus concidit, atque eodem in loco moriens expira- 754
vit. Infelix! qui dum adviveret, ſaltem vel in momento prævidere diſtulit, quas forte 25. Julii.
ad pœnas mortuus ivit: impletumque in eo eſt illud Scripturæ veriſſimum, quia *qui aver-* *Prov.* 28.9.
tim aurem ſuam ne audiat legem, *oratio ejus erit exſecrabilis*.

Deinde Emminus Aquitaniorum quidam nobilium, cum eodem in Regno ipſius vi- XX.
ri Dei fiſcum vocabulo Vernoilum * temere invaſiſſet, vidit eumdem quadam nocte ad Emminus item.
ſe ita dicentem: Quid ergo has turres uſurpare voluiſti? & rurſus: Niſi, inquit, eas * *Verneuil.*
dimiſeris, cognoſce quia in proximo debitum inde experieris perpetratæ jam culpæ flagel-
lum. Quam viſionis ac pietatis gratiam bis ita ſibi oſtenſam, ut idem poſt deplorabat,
nihili habens; tertio cum apparuiſſet vir Dei, eum in ventrem ex ea quam manu geſta-
bat ferula percuſſit, ac deinde diſparens abiit. Percuſſus vero ſtatim nimia inteſtinorum
vexatione corripitur. Itaque vocata atque ſibi ejuſdem loci reconciliata familia, cunctis
præſentibus pollicitans dejerare cœpit, numquam ſe ad eumdem locum ultra venturum,
niſi forte indeclinabilis cauſæ neceſſitas urgeret: tantum ut a præſenti anguſtia illius pie-
tate eripi mereretur. Quibus precibus ac hujuſmodi ſponſionibus vir mitiſſimus flexus, quod
petebat indulſit. Nam illico pax ſanitatis viſcera intrat dolentia, atque qui vexabatur
homo, interius exteriuſque curatur.

Eamdem denique villam Georgius & ipſe Comes olim cum deprædari cœpiſſet, XXI.
quidam plebium adeuntes Eccleſiam, mox ſigna ſonare cœperunt: ſiquidem ejuſdem San- & Georgius
cti digna illic a populis habebatur veneratio: quos ille amens utpote ſuperatus ira corri- Comes.
piens, flagris percuti fecit. Sed ut Domini Sanctorumque ejus pietas, quam ſemper ſe
digne invocantibus præſto ſit evidenti demonſtraretur indicio, cœleſtis hunc protinus vin-
dicta ſubſequitur. Enimvero ex ea jam quam ibidem exercuerat ingurgitatus rapina, dum
ad ſeceſſi locum urgente quidem cauſa vix perveniſſet; ſtatim, ut erat (quod abſque du-
bio claret fatendum) fide & gratia Dei inanis, more Arrii cuncta viſcerum mole effu-
ſa ventre vacuus reſedit, habuitque merito judicium ſine miſericordia, qui aliis dum po-
tuit miſereri noluit.

In Corboilio *a* quodam vico Pariſiacenſi hoc notum ac terribile conſtitit miraculum: XXII.
nam & eamdem villam quondam beati fuiſſe Germani adhuc rarus qui neſciat: ubi ali- Judex
qui ex colonis ibidem degentis familiæ, ſeveri cujuſdam ſuper ſe judicis crudelitate ve- etiam Corboilenſis.
xati, ad Eccleſiam illic ejuſdem Sancti honore dicatam, tali coacti preſſura confugiunt,
ibique vulgo expoliatum *b* verberantes altare, ita gementes crebrius ac ipſa repetita vo-
ce clamabant: Quare, o domine Germane, ſic noſtri tuorum oblitus es famulorum? ſur-
ge, precamur, & libera nos. Quibus vocibus excitata confeſtim quæ neſcit ſomnum ſan-
cta & pervigil pietas, ſtatim revera judex ille quo reſidebat ita inſanire cœpit, quate-
nus nulli dubium eſſet, quin maligno ageretur ab hoſte. Tenetur ſimulque ligatus ad-
ſtringitur, atque eam ad baſilicam vi attractus perducitur. Deinde vero non modicam
coram ibi poſitis ſui amentiæ vexationem perpeſſus, tandem precibus ac votis pro ſe San-
cto oblatis ſenſum recepit: neque ulla hinc eum cogebat neceſſitas invitari a quoquam,
quemadmodum ſponderet, nil tale ſe deinceps acturum. Erat denique in eadem Eccle-
ſia, ubi idem ſanctus Sacerdos vivens dormierat, ita adhuc viride jacens fenum, qua-
tenus ſane illis deſecatum eſſe videretur diebus. Non enim fuerat qui hactenus illud inde
efferre præſumeret.

Hæc quoque perſimilis cauſæ deſpectu virtus inſeritur. Cum etenim quoſdam e vicino XXIII.
civitatis carcere more ſæpius ſolito ſacer illius feſtivitatis dies excepiſſet, accidit ut Perfugium
unus eorum aliis aliam in partem evadentibus Monaſterium hujus Sancti ad ſe liberan- in Eccleſiam S.Ger-
dum eligeret, ubi conſuetudo talis, (quemadmodum antiqua relatio ac moderni tempo- mani.
ris frequens adhuc habet exhibitio) ut nemo qui quemquam illuc fugientem, poſtquam
videlicet vel prima ejuſdem Pontificis attigerit limina, non ſolum tenere, ſed nec etiam
perſequi audeat. Quo quidam tunc geſtiens pervenire, equum aſcendit, poſtque fugien-
tem velociter cucurrit. Quem dum ille jam jamque proximantem cerneret, atque inſe-
quentis ſe carnificis vultum recognoſceret; magnis incipit vocibus beatiſſimi Germani im-
plorare auxilium. Cui qui ſequebatur, ſic infelix eum affatus reſpondiſſe perhibetur:
Serum eſt, ait, quod ſanctus ſuccurrat Germanus: neque enim idem cum ſit juſtus, nos
aliquid injuſte pati velle debet. Poſt quam vocem confeſtim equo in terram prolabente
cecidit, coxamque ſibi pene in fruſta comminuens fregit: eoque inibi tantiſper quieſcen-
te atque (ut ſic verbo ludatur) naſcentis herbæ modum mirante, is qui cœperat aufugit,
necnon ad aulam ſui liberatoris condigne gratias agens ſecurus pervenit.

Alia complura miracula breviter notata hic omiſimus.

DE

a Nempe Corboilum vetus, *Corbeil le vieil*, ſupra Lutetiam Pariſiorum ad Sequanam, cujus loci Eccleſia etiamnunc S Germano ſacra eſt.

b Sic Chriſtianus Floriacenſis Monachus ob armillas Eccleſiæ S. Benedicti ſubreptas petram ante ſancti Patris ſepulchrum poſitam *baculo percuſſiſſe* dicitur apud Adrevaldum. Lege Præfationem Sæculi 2. num 48. & adde Franconis Epiſcopi Aquenſis factum ex Gregorio Turonenſi Epiſcopo in libro de gloria Conf. cap. 71.

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 25. Julii.

DE MIRACULIS SANCTI GERMANI LIBRI DUO,

Auctore AIMOINO Monacho Pratenſi ſæculo IX.

Ex libris editis & codicibus mſſ.

INCIPIT EPISTOLA AIMOINI MONACHI.

STUDIOSIS *in Chriſto piiſque lectoribus Salus & pax perennis ab* JESU *omnium dominatore dominantium*. Quoniam non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu, ſiquidem pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia; hunc libellum miraculorum domni noſtri Germani, elucentibus promicantem inſignibus, per aliquorum manus minime dubito revolvendum. Hæc priſcorum temporibus Danorum, RAGENARII ſcilicet ejuſque ſociorum, meritis ipſius ſancti Pontificis ſuperno favore mundo conceſſa, ad aures uſque ſereniſſimi Regis KAROLI digna paſſim relatione pervulgata fluxerunt: quibus ille gaviſus, veluti eorum pretioſitate ſe regnante munificentior redderetur orbis; mandavit ea ſollerti diligentia notari, atque eccleſiaſtico jure catholicis paginis aggregari. Tunc namque memorati ſancti Præſulis Cœnobio præerat domnus & Abbas vir venerabilis EBROINUS *a*, Pictavenſis Eccleſiæ ſedis Epiſcopus. Hic regali cenſura injunctum ſibi negotium quomodo perficeretur incumbens, duobus hoc delegavit agendum ejuſdem noſtræ congregationis Fratribus, maturitate pariter ac ſcientia provectis: qui pro ſui quiſque ſenſus ubertate ſeorſum ſcribentes, ediderunt exinde ſinguli ſingula opuſcula. Quod utrumque a præfato domno Antiſtite Ebroino aliiſque recitantibus approbari * placuit, ſed alterum alteri utcumque præferri. Idcirco manſit amborum inuſitatus labor uſque ad tempus domni GOZLINI *b* ejuſdem loci præcipui Patris. Quod cum ſibi jam aliquorum quidem poſt tempus annorum ita compertum fuiſſet; præcepit mihi non ut ſapientiori, ſed ut manuali potius Fratri, quatinus unum e duobus coadunarem corpuſculum: tantum ut ſi qua prorſus invenirem ſuperflua, reciderem: quæve minus comta, florentioris ſtili venuſtate, nihil extra veritatem faciens, polirem. Quod ego fateor non viribus, niſi cœlitus datis, aut ingenio tumens arripui; ſed magis obedientia tanto Primati debita fidens ſuſcepi: merebarque mihi noxam criminis, ſi jubentis domini juſſa proſequi negligerem.

* *f.* non placuit.

INCIPIT PROLOGUS AIMOINI MONACHI.

SICUT laude dignos credimus eos, qui geſta vel miracula Sanctorum, quæ divina virtus per eos operari dignatur, ad ædificationem Fidelium ſcribere ſatagunt; ita abſque dubio ſcimus culpari illos, qui præ deſidia ac torpore mentis ea litteris tradere ad profectum negligunt futurorum. Jam veluti a ſomno quotidie ad amorem Dei ſtudiumque bene vivendi excitantur plurimi, legentes in libris facta ſanctorum Patrum, eorumque acſi præſentia ſacra cernentes miracula. Proinde unuſquiſque talenti donum habens timeat, ne forte audiat quod ille malus ſervus, qui acceptam pecuniam ac male humo defoſſam, ad Dominum ſine uſuræ lucris reportare non formidavit. Hoc non ſolum ſponte agendum, verum etiam & cum injungitur, ſommopere injungentis eſt imperio parendum. Plura quidem ac ſtupenda dignaque relatu omnipotens Deus per eumdem beatum Antiſtitem præteritis noſtriſque dignatus eſt patrare temporibus, quæ ob inertiam ſilentio ſunt preſſa, atque per incuriam ſcriptorum omiſſa. Tunc vero ea quæ noviter cunctarum rerum Conditori gratia ejuſdem ſanctiſſimi viri placuit operari, auxiliante Domino & ipſius Sancti juvantibus meritis, jubente domno Rege EBROINO Antiſtiti ejuſque Monaſterii Rectori, licet incomto atque inerudito, veraci tamen ac fideli ſermone læti conamur perſtringere: & ut veraciter ſunt geſta, atque etiam in populo Nortmannorum jam vulgata, tam præſentibus quam futuris legenda relinquere.

IN-

a Erat is ſummus Capellanus Caroli Regis, ut notavit Sirmondus ad Capitulare tertium Caroli Calvi in Verno palatio habitum præſidente Ebroino.

b Et is Caroli Calvi Cancellarius fuit poſt Ludovicum Abbatem, dein mortuo Carolo Epiſcopus Pariſienſis, de quo rurſus infra.

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 25. Julii.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAP. I. Anno 846. Nortmannorum adventus Pariſios.

ANNO Incarnationis Domini JESU-CHRISTI octingenteſimo quadrageſimo ſexto, Regis autem præcellentiſſimi KAROLI ſexto; cum Regnum Francorum poſt obitum domni HLUDOVVICI Imperatoris varias diviſum eſſet in partes, & peccata populi creſcerent, ſanguiſque ſanguinem tangeret; Deo permittente, flagitiis quidem exigentibus actum eſt noſtris, ut exteræ nationes e propriis egrederentur ſedibus, videlicet gens Danorum, qui vulgo Nortmanni, id eſt Septemtrionales homines appellantur: & ſuperbo tumentique corde cum valido navium apparatu Chriſtianorum fines intrarent: qui huc illucque furentes, atque cum magna ſuperbia cuncta gyrantes, cœperunt vaſtando per diverſas inſulas maris, donec nemine ſibi reſiſtente fluvium Sequanæ ingreſſi, Rotomaco * forte incredibili applicarent. Cumque in eadem civitate aliquantiſper demorantes, regionis Principes (quod abſque ingenti contritione cordis effari nequivimus) ad bellandum pigros timidoſque adverterent; exeuntes a navibus, longe lateque diffuſi, cœperunt utriuſque ſexus multitudinem trucidare, captivare, villas, Monaſteria, Eccleſiaſque depopulando cremare, totamque ſuæ libidinis immenſitatem cum omni crudelitate in populum Dei debacchando exercere: quouſque ad locum qui vocatur Karoli-venna *a*, ventis veliſque ſuæ malignitati juſto Dei judicio ſecundantibus, ultra ſpem ſecuri navigando venirent. Tunc glorioſus Princeps Rex Karolus, quia propter ſubitaneum eorum adſcenſum ex toto non poterat, convocata aliqua ſui exercitus parte, venit primum *b* ad Monaſterium macharii Dionyſii, ut ejus orationibus fultus, ſecurius contra Dei ſuoſque pergeret inimicos. Deinde ut erat, uti adoleſcens, animo armiſque ſtrenuus, ad ſupra dictum locum pugnaturus acceſſit; paratus non ſolum dimicare, ſed etiam pro Fide, proque defenſione ſanctæ Dei Eccleſiæ laudabiliter mori. Cujus adverſarii cognoſcentes adventum, diverterunt ad alteram prædicti fluminis ripam, ubi quædam parva tantum pars populi erat: quibus confeſtim in fugam verſis, in inſula quadam ejuſdem fluvii ad opprobrium Chriſtianorum plus minus undecim captivos ſudibus ſuſpenderunt, multoſque alios per domos & arbores confixerunt, atque nonnullos per villas campoſque miſerabili inſecutione trucidantes peremerunt: ipſoque ſacratiſſimo Paſchalis feſtivitatis ſabbato Pariſius pervenientes, vacuam penitus ipſam urbem quondam populoſam, & omnia in circuitu illius Monaſteria a ſuis habitatoribus deſerta repererunt. Timor ſiquidem & metus univerſos invaſerat, utputa merito iniquitatis divino enudatos auxilio, atque ideo mundanæ defenſionis deſtitutos ſolatio. Quis, rogo, non doleret, antequam bellum committeretur, fugatum exercitum; antequam jaceretur ſagitta, confoſſum, ante ſcuti conliſionem, ignominioſe ſubactum? Univerſorum namque ordo penitus in Eccleſia confuſus atque a bonitatis ſtudio permutatus, hoc ipſa privatione boni uſque ad exitii fomitem digna ſatis ultione promeruerat. At pius Pater juſtus, delinquentium ſemper corrector, correctorumque clemens ſuſceptor, non hoc intulit ut nos ob innumera delictorum noſtrorum pondera crudelis damnaret, ſed ut per immenſam ſuæ largitatis benignitatem afflictos emendaret. Tunc pro dolor ſacratiſſimum beati Germani corpus de ſuo effoſſum ſepulchro, in poſſeſſionem quamdam ejuſdem Eccleſiæ, quæ Cumbis *c* dicitur, delatum eſt. Sed quæ facundia quive ſermo exponere poteſt, qualis dum hæc agerentur, quantuſque in eadem Eccleſia exſtitit luctus? Senes itaque ac juvenes, pueri flebant & infantes, utpote nemo ſeſe a lacrymis temperare valens. Similiter & aliorum corpora Sanctorum in eodem pago degentium extumulata, atque per diverſa ſunt loca deportata, exceptis dumtaxat membris macharii Dionyſii ſociorumque ejus Martyrum: quæ licet a ſuis fuerint abſtracta ſepulchris, propter tamen Regis præſentiam, non ſunt tunc ad alia loca *d* tranſire compulſa. Statuerat quippe

* Rouen

Delatio corporis S. Germani Cumbas.

a Karoli-venna, ideſt Karoli piſcatura. Carolus Calvus in diplomate pro Monaſterio S. Dionyſii apud Sirmondum in Notis ad Capitula: *Et ſolitum cenſum de venna, quæ eſt ſuper fluvium Locb in pago Tellau*, &c. Karoli-venna locus erat prope *Rioilum*, a Carolo Martello piſcatura inſtructus, ut conſtat ex litteris Ludovici Auguſti, quas poſtea huic loco illuſtrando referemus: nec longe aberat Cella S. Germani, ex ſequenti capite 6. Hinc colligimus fuiſſe locum illum, cui hactenus nomen hæſit vernacule *Chalevanne* ad Sequanam, paulum ſupra opidum S. Germani in ſilva Ledia: a quo loco non longe diſtat vicus Rotoialus ſeu Rioilus, vulgo *Ruel*; & Cella ſancti Germani, *la Celle*. In quodam Chartulario noſtro Germanenſi extat *Arbitrium* ROBERTI *Abbatis Sancti Victoris datum anno* 1253. in gratiam Germanenſium contra Dionyſianos, de molendino Karoli-vennæ ante annos duos ab illis erecto: & in Dionyſiano item Chartulario diploma Philippi tertii Francorum Regis, quo juſtitiam *altam & baſſam apud Karoli-vennam* Monachis Dionyſianis cedit.

b Vides jam tum in more poſitum fuiſſe, ut Rex Francorum bellum præliumve ſuſcepturus, S. Dionyſio coram ſe ſuumque exercitum commendaret: quod poſteri religioſe obſervarunt. Lege caput 20. libri 2. de miraculis S. Dionyſii infra ad annum 784.

c Cumbæ villa, *Combes la ville*, vicus in pago Briegio, ſexto miliari a Lutetia Pariſiorum, olim de jure Monaſterii S. Germani in codice Irminonis Abbatis.

d Lege tamen tranſlationem Reliquiarum S. Dionyſii in libro de miraculis S. Dionyſii infra ad annum 784.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 25. Julii. Rex populo videlicet a ſe labente, ut vel jam dicti ſancti Martyris Monaſterium defenderet, eoquod divæ memoriæ genitor illius eum, cum eſſet parvulus, eidem Sancto ſpeciali traditione commendaſſet.

II. Cereus cœlitus reaccenſus. Hoc interea juxta narrationis ordinem inſeratur, quod dum ſanctum ejus moveretur corpus, cunctipotens Dominus dignatus eſt oſtendere. Nam dum in effoſſione ipſius, & quomodo portari deberetur unanimes intenti eſſemus; cereis pro reverentia accenſis, caſu accidit, ut unus, quem puer incaute tenebat, e manibus ipſius labens rueret, totoque privatus extingueretur lumine: quem cum a ſolo idem puer cum omni velocitate levaſſet, lumen amiſſum ab altero mutuare cupiens, meritis tanti Patroni actum eſt, ut ſtatim in manibus ejus cereus inluminaretur exſtinctus. Quod quidem mirum, nec ab re tamen ducimus, ſi ibidem ignis divinus reſplenduit, ubi, quamvis lugubre, filius venerabatur lucis. Unde qui aderant univerſi gratias Deo referentes atque præclara Pontificis merita conlaudantes, cœperunt magis magiſque in Pſalmodiis Deique laudibus eſſe devoti, quouſque opus, licet triſte, conſummaretur honeſte.

III. Viſum. Num viſio illa quæ aliquibus ipſius Monaſterii Fratribus eadem nocte, qua beatiſſimum ejus corpus effoſſum eſt, antequam aurora ſubſequentis appareret diei, oſtenſa eſt, ut non dicatur omitti debet? Cum ergo ad fluvium Sequanæ ſua quæque ad naves ferentes, prima ipſius noctis vigilia quidam perrexiſſent Fratres, indeque ad Monaſterium jam remearent; apparuit eis ſecumque etiam comitantibus famulis tam immenſus claritatis ſplendor ſuper eam Eccleſiæ partem, qua ejuſdem ſanctiſſimi viri corpus poſitum erat, ut claritati æquaretur diei, eademque Eccleſia veluti igne ſuppoſito videretur cremari. Qui cum intra ſe nimium mirarentur, & eorum corda hujuſcemodi conſideratione ſtupefacta hærerent, viſio paullatim deficiens diſparuit. Pervenienteſque ad Monaſterium ſciſcitati ſunt, ſi aliquis Fratrum ea hora cum lumine ſuper ipſam fuiſſet Eccleſiam. Nemine tamen qui fuerit reperto, cognoverunt viſionem angelicam divina virtute meritis Sancti patratam, qui ſua migratura oſſa pioſque cineres talis ſibi claritatis conceſſa gratia inviſere curaviſſet.

IV. Aliud viſum. Illud quoque inſigne miraculum, quod ante biennium quo hæc acciderunt, cuidam Monacho ipſius Monaſterii ætate moribuſque grandævo oſtenſum eſt, minime oportet ſilere: cujus exempla actuſque eximii ſi ſequantur, plurimum prodeſſe poterunt ad ſalutem. Vidit iſdem quadam nocte poſitus in ſopore, beatum Germanum quaſi ſuo egredientem de ſepulchro, expeditum atque ad iter agendum præparatum. Qui veluti ſciens eumdem eſſe beatiſſimum Dei famulum, interrogavit humili voce, quo tali proceſſu abire diſpoſuerit. At ille migraturum ſe ex eodem loco reſpondit. Quem rurſus animo quidem timenti interrogans ait: Domine, & ſi tunc abieris, nos tantilli tui ſervuli quid poſtea faciemus? Cui quaſi triſti vultu & cum magno mœrore, ut eidem Fratri videbatur, ait: Et vos ex iſto migrabitis loco: attamen vere cognoſcetis, quoniam & ego revertar: voſque miſeratione divina ſimul cum tempore diſpoſito remeabitis. Quam viſionem veriſſimam fuiſſe, ea quæ conſequenti fine ſunt completa declararunt.

V. Item aliud. Nec illud quod cuidam in eadem Eccleſia revelante Chriſto patefactum eſt, ſilentio præterire debemus: quoniam dum prædicamus talia, excitantur audientium corda ad melliflua Sanctorum depoſcenda ſuffragia. Quidam vero religioſus ejuſdem Monaſterii Frater, cum alii Completorio peracto feſtinarent ad requiem, quo feſſa poſt diei laborem corpora lectulis reclinarent; ſeſe ille ante ſepulchrum beati Germani peculiaris orationis cauſa projecit. Cumque diu cœlorum ac totius mundi Dominum pro ſuis exorans delictis, opem beati Germani ceterorumque Sanctorum intento corde Fidelibus cunctis depoſceret, (jam enim frequens paganorum rumor ad noſtras certiſſime percrebuerat aures) ante quindecim fere dies adventus illorum hæc mirabilis ſibi oſtenſa eſt viſio. Nam ab oratione qui jacuerat ſurgens, apertis vidit oculis, ut olim totum mundum Pater BENEDICTUS, ſepulchrum beatiſſimi Germani veluti patefactum; ipſumque ſanctiſſimum corpus indiſruptis veſtibus indutum, atque miniſterio ut fuerat divino in ipſo ſarcophago ordinate compoſitum: quemadmodum ipſe poſt paullulum omneſque qui ſimul adfuimus, dolendum inſpeximus. Sic Dominus ſuo dilecto ſanctuſque Germanus oſtendere voluit, quod in brevi peccatis facientibus noſtris erat implendum: nec viſio prius quam viſionis ſequentia omnibus panditur.

VI. Oratorium S. Germani fruſtra nituntur incendere Nortmanni. In memorato denique Karoli-vennæ loco ipſi Nortmannorum populi ſe victores, ſeque ſuperiores eſſe conſpicientes, dum adhuc morarentur, exeuntes a navibus Cellam noſtram, quæ contra vel ſecus eumdem locum poſita eſt, curſu propero feſtinantes intraverunt. Unde miraculum quod illic tunc factum comperimus, optimum ſi narretur putamus. Namque in eadem Cella *a* Eccleſiis Apoſtoli Petri almique Germani ignem

---

a *Cella Equilina* dicitur in codice Irminonis, quod non longe ſit a ſilva Equilina. Hæc eſt Cella, quam Vvandremarus Abbas S. Germano dediſſe memoratur: hactenus de jure Cœnobii noſtri, vulgo *la Celle*.

ignem terque quaterque ſupponere nitentes cum defeciſſent, eas incendere amborum meritis non valentes, clauſtra ejuſdem Cellæ tandem egreſſi, horreum quod ibi erat juxta poſitum cremaverunt: ex quo tantus flammarum globus aeris alta petens adſcendit, qui quaſdam arbores ultra etiam jam dictam Cellam virentes incenderet, ipſas vero Eccleſias intactas integras ut erant relinqueret. Cum inſuper ventus auſtralis validiſſime flaret, totumque fere incendium eamdem in partem projiceret, illico ſeptemtrionalis e regione ſpirans intumuit: atque in alterius partis latus auſtralem mira converſione reflectens, omnem vim pariter retorſit. Ita mirabilis Deus, qui famulos ſuos ſecum fulgentes in cœlis ſemper mira communi pietatis gratia operatur in terris. AN.CHR. 754 25. Julii.

VII. Obſeſſio Pariſiaca. Cum igitur ſabbato paſchali diffuſa navium claſſis Pariſius, ut ſupra relatum eſt, perveniſſet, in craſtinum cum ſuos jam ſol lucifluos emitteret radios propria totum illuſtrans lampade mundum, e navibus prorumpentes, ipſam civitatem, ut præmiſimus, vicinaque ſuburbana abſque habitatoribus repererunt: ingreſſique Monaſterium beatiſſimi Germani, Dei fanum reſiduumque Eccleſiæ, quod ſecuritatis damno remanſerat apparatum, contaminare, pollutiſque manibus cœperunt deſtruere. Sed quia Domino miſerante nec ibi virtus defuit ejuſdem ſanctiſſimi Patris, minime debent reticeri, quæ tunc illic totius mundi Creator ad laudem ſui nominis gratia ipſius Pontificis oſtendere dignatus eſt miracula. Quæ quia nemo noſtrum interfuit, penitus ignorabamus: poſtea tamen a fidelibus miſſis HLUDUVVICI Bejuvariorum Regis, KOBBONE videlicet aliiſque quos ad Principem Nortmannorum HORICH nomine legationis cauſa direxerat, ea cognovimus: qui nobis illa fideliter narraverunt, quemadmodum ipſi (ut teſtati ſunt) coram Horich præſentes ex parte viderunt, atque ex parte ab ipſis qui tunc in ipſa Eccleſia, quando hæc geſta ſunt, ſimul aderant Chriſtianis audierunt. Nam cum trabes Eccleſiæ miſerrimus ille populus, quia erant abiegnæ, & idcirco habiles navigio, incidere tentaviſſent; tres ex maligno eorum numero ante altaris crepidinem beati Stephani, invalidi totius virtutis robore ruentes ceciderunt, atque confracti incredulas Deoque odibiles animas aliis timore perculſis exhalantes, perpetuas deſcenderunt ad umbras, ubi edax vermis eorum non morietur, & nimius eorum ignis non extinguetur. Miracula tum facta.

VIII. Cumque illud Dei templum a trabibus ita ceſſatum totumque ſimul depopularetur Monaſterium, accidit ut unus eorum etiam apud eos nefandiſſimus ad Confeſſionem domni Germani, ſtrictum gladium polluta geſtans manu (mira quidem dicentur) deveniret, columnamque marmoream, quæ ibidem orantibus ad dexteram ſita erat, tredecies totiuſque corporis adniſu veluti capulans hoſtem percuteret. Cui continuo ita manus dexteræ, qua columnam ipſam inciderat, virilitas evanuit, ut poſt illum diem (quemadmodum idem KOBBO vidit, qui & eas inciſiones nobis ignorantibus præſens oſtendit) uſque ad infelicem ejus ex hac vita diſceſſum ſemper immobilis aridaque & ut fuerat extenſa permaneret: manubrium vero ferri ita manu compaginatum inhæſerat, ut numquam ab ea aliquo ingenio vel arte niſi cum cutis parte avelli potuerit. Qui tamdiu nimia vexatione compatientis corporis cruciatus eſt, donec miſerrimam finiret vitam, plenus indignationis & iræ, manibus dæmoniorum devectus ad tartareas ſedes cocyti fœtidumque lacum averni.

IX. Operæ pretium fore credimus, ſi & illud magnum narretur miraculum. Igitur dum ipſum ſanctiſſimum Oratorium a crudeliſſima impie violaretur turba, tanta ſubito nebulæ eſt denſitate repletum, ejuſdemque obſceni violatores ita divini judicii cœcitate perculſi, quatenus illud metu ac tremore nimio pavefacti linquere cupientes, vix oſtia vel fores per quas intraverant invenire valerent: ſicque in oberrando diutius fatigati, tandem erumpentes quantocius effugerunt, tali ab illo die tantoque pervaſi terrore, quo non auſi ulterius eſſent quacumque fœditate ipſam contaminare Eccleſiam. Inſuper & ita dyſenteriæ morbo exinde (ut eſt vulgatum) ſunt afflicti, ut dum quotidie mererentur, nullus ex tanta multitudine ſe putaret evadere.

X. Interea ſimulato languore, legationis cauſa dirigunt ad præcellentiſſimum Regem KAROLUM, ut eos cum pace fideles ſuſcipiens, ad propriam dato Regni tributo redire permitteret patriam. His ita placitis, Rege quidem nolente, Principibus tamen quibuſdam (ut fatebatur) muneribus læſis, RAGENARIUS Dux eorum, cunctique Principes ad Regem, qui tunc in Monaſterio macharii Dionyſii reſidebat, adducuntur: per deos, perque ea quibus maxime ſe protegi ac ſalvari putabant teſtantes numina vel arma, quatinus nequaquam ulterius vel fines ſui Regni niſi fortaſſe auxiliatores intrarent aut contingerent. Qui ita dimiſſi atque pro ſui evaſione quam minime ſperaverant gaviſi, pariter quo venerant accepta auri argentique impoſita ſumma læti redierunt: ſed revertentes, morbo quo in prædicta Eccleſia perculſi fuerant quotidie deficientes cruciabantur, cruciatiſque nequiſſimas miſerabiliter animas expirabant, nemine quos ſecum habebant Chriſtianorum hujuſmodi plagam ſentiente. In quibus omnibus Dei eſt conſideranda potentia, ejuſque pietas amplectenda, qui tam miſericorditer ſalvat innocuos, tamque terribiliter Sanctos ſuos mirificando punit profanos.

XI. Quid in eadem Eccleſia, poſtquam major pars Fratrum ab exſulatu reverſa fuit, geſtum eſt, ſilentio premere non debemus. Necdum enim ſacratiſſima beati viri oſſa ad

Digitized by Google

AN.CHR 754 25. Julii. proprium fuerant reportata ſepulchrum. Una namque noctium, cuſtodibus ejuſdem Eccleſiæ dormientibus, antequam Fratres ad referendas Deo laudes more ſolito excitarentur; auditur ab eiſdem coram altari ſancti Stephani ſtrepitus dæmoniorum ingens, veluti hominum multitudo ad aliquid putaretur diſcurrens. Qui confeſtim ſurgentes, & cum lumine totam Eccleſiam circumeuntes cum neminem reperiſſent, intellexerunt fraudem fallaciamque dæmonum fuiſſe; qui nimirum dolebant ſe expelli a ſanctis ſedibus templi, in quod, dum a perfidis permiſſum fuerat pollui, haud dubium quin aliquantulum juxta Eſa.13.21. illud, *Et piloſi ſaltabunt ibi*, intrandi licitum habuerint. Poſtquam autem ſacri ejus cineres relati atque ſuo loco Chriſto favente ſunt reſtituti; nihil tale in eadem baſilica ipſius ſanctitate promerente auditum eſt.

XII. Ragenarii Ducis ſupplicium. Siquidem RAGENARIUS Dux, auctorque totius memorati mali, ante profanum HORIGH Nortmannorum Principem cum ingenti ſuperbia veniens, oſtendit ei quod ſecum hinc abſportaverat aurum argentumque multum: dixitque quod opinatiſſimam Pariſius civitatem captam haberet; quodque manſionem Germani ſenis, quæ in eadem terra decentiſſima haberetur, intraſſet; inſuper & quod omne Karoli Regnum ſibi ratione tributi ſubjugatum haberet. Horich autem dum talia non crederet, juſſit jam dictus Ragenarius partem inciſæ trabis Monaſterii domni Germani, ſeramque portæ Pariſiacæ urbis ante eum in teſtimonium adduci. Præterea retulit ei quam bonam quamque fertilem uti omnibus repletam copiis inveniſſe terram: populum vero eam incolentem, ad dimicandum pavidum ac trementem: referebatque dicens, quod majorem ibi mortui quam viventes haberent virtutem, nullumque invenerit ſibi reſiſtentem, præter Germanum ſenem mortuum. Hæc cum diceret, tremens illico ac pavens corruit in terram, atque terrifica cœpit voce clamare, Germanum coram adſiſtere, eumque ſe baculo quem manu geſtabat graviter flagellare. Quod videntes Horich ſcilicet univerſique ſibi adſiſtentes, ipſeque Kobbo HLuduvvici Regis illuc directus Legatus, ex hoc quod acciderat ſtupore nimio permoti admirati ſunt. Iſdem vero Ragenarius ſic humiliatus ac repente contritus, aliorum manibus cito ſublatus receſſit: qui maximis per triduum tormentis ignominioſe afflictus, præcepit tandem unam auream ſuæ ſimilitudinis ſtatuam fieri, atque per eumdem Kobbonem Germano ſeni deferri, ſpondens ſe, ſi evaderet, Chriſtianum deinceps futurum, Deumque Chriſtianorum indubitanter crediturum: ſed quia non erat ex ovibus Chriſti, idcirco quod petebat, obtinere non meruit. Ita prorſus inflatus, quemadmodum nobis idem Kobbo manifeſtum fecit, ac totus turgidus exſtitit, ut nec auditus, nec viſus, nec odoratus, vel guſtus in ejus corpore diſcerni potuerit. Sicque diffuſis ad poſtremum viſceribus medius crepuit, vitamque miſerrimus mane finivit. Statua vero ſacris oblationibus indigna, a quibus delegata fuerat retenta, veluti immundiſſima a mundiſſimo cordium inſpectore refutata remanſit.

XIII. & aliorum Nortmannorum. Sed adhuc qualiter qui reſidui fuerant ex hac defecerint vita, proſequendo narremus. Ab eo ſane die, quo Monaſterium almi Præſulis Germani ingreſſi ſunt donec pœnaliter cuncti interirent, ita, ut diximus, turgenti ſunt (Kobbone teſte) viſcerum inflatione perculſi; quatenus omnis eorum cœtus etiam in patria quotidie moriens periret, præter quos Horich poſtea juſſit occidi. Timens etenim ipſe ejuſque Optimates & populus pariter univerſus hujuſcemodi morte peſſima damnari; præcepit omnes qui reſidui erant, exceptis paucis fuga lapſis, quos nec mortis credimus evaſiſſe exitium, decollari: eorumque capita veluti ſatisfaciens morbo, Chriſtiano qui captivus illic erat populo tradi. Nam ita clades ingraſſata Deo permittente ſæviebat in plures, ut pene quicumque morbidum tangeret, extemplo eodem adtactus morbo & ipſe deficeret. Inſuper juſſit cunctos captivos qui Chriſtianitatis vocabulo cenſerentur, in Regno ſuo perquiri, eoſque cum libertate & honore abſque alicujus contradictione in ſuam patriam reverti: qui etiam hæc & alia ultra quam ſint inſerta dicebant. Nos tamen ea quæ a videntibus percepimus, ſolummodo ponere diſpoſuimus; magnum ſatis habentes, quod victoriam quam populi multitudo communi obſtante crimine ex inimicis habere non potuit, beatus Germanus inclytus meritis, glorioſus miraculis, apud Deum tali donatus triumpho obtinere promeruit.

XIV. Cumbis puer totus impotens ſanatus. Quia vero duce Chriſto hucuſque ſignorum dulcedinem ſequentes proceſſimus, nunc ordinem quo ipſius beatiſſimi corpus relatum ſit dicere aggrediamur, his præmiſſis quæ in villa Cumbis accedentibus infirmis, ejus patrociniis donata cognovimus: quæ quo magis narrantur, eo amplius juvat a piæ narrationis tramite non diſcedere. Igitur cum quidam puer Dagenus nomine, ex familia ejuſdem Monaſterii, ſurdus & mutus, omniumque membrorum officio deſtitutus, ad præfatam villam auxilio parentum deportatus fuiſſet, ita eſt ſubito meritis ipſius glorioſi Pontificis priſtinæ redditus ſanitati, ut & loqueretur pariter & audiret: & qui paralyticus manibus devectus venerat alienis, ovans ac lætabundus tribus in ſe miris oſtenſis, propriis jam cœpit ire veſtigiis. Namque a terra poſt paullulum incolumis ſurgens, cum magna cordis alacritate illis qui aderant ajebat: Ecce ecce adeſt beatus Germanus, per quem me totum Deo gratias agnoſco curatum.

XV. Puellæ duæ febre liberatæ. Nec illud omitti debet, quod Chriſtus ad laudem & gloriam famuli ſui largiri dignatus eſt, quod etiam audientibus proficere credimus. Fuerunt itaque in eadem villa duæ puellæ, longo tempore ſic febribus valde vexatæ, ut vix jam pedibus incedere valerent, quibus

Digitized by Google

quibus nec ulla medicinæ ars eatenus potuerit ſubvenire. Quæ cum fiducia magna ad eamdem Eccleſiam in qua ſanctiſſima ejus membra poſita erant pergentes, petierunt a cuſtodibus, ut ſaltem ſub tanti Pontificis venerabile corpus eis tranſitus præberetur. At illi fidem illarum plenam conſiderantes, promiſerunt eas ſicut humili petebant prece tranſire. Nec fides præmium diſtulit. Ita ſane ipſius ſancti corporis tranſito feretro ab eadem infirmitate mox curatæ ſunt, ut nullam exinde moleſtiam per idem tempus ulterius paterentur. Ergo mirabilis Deus in Sanctis ſuis, qui non ſolum eos in præſenti gratiarum donis mirificat, verum & poſt mortem tantis beneficiorum muneribus eorum meritis languentibus præſtitis miraculorum glorificat ſignis. AN.CHR. 754 25. Julii.

XVI. Relatio corporis ſacri.

Poſt hæc vero cum ejus ſacratiſſimum corpus a ſupradicta villa Cumbis ad Monaſterium reportaretur; quod tunc in via actum eſt manifeſtare placet in populis. Tanti denique Præſulis beatiſſima membra Monachis cum laudibus & hymnis ad proprium referentibus locum, contigit ut cereus qui præferebatur ardens, validiſſimo flante vento, etiam in laterna in qua poſitus erat extingueretur. Dumque cum equo ad villam quis propter ignem qui rurſus debuiſſet accendi ire voluiſſet, cœlitus effulſit, ut omnibus qui aderant, tamquam extinctus non fuiſſet, in eadem laterna rutilans appareret. Unde ad hujus rei teſtimonium in eodem loco a Fidelibus crux lignea *a* ponitur: ut quod ibi tunc geſtum eſt, quodque priuſquam ad Monaſterium perveniretur geminatum miraculum, a tranſeuntibus futuriſque non ignoretur generationibus.

Cereus in via cœlitus reaccenſus.

XVII. Reſtituitur corpus ſacrum.

Ventum eſt autem non paucis ſanatis infirmis cum magnificentia & honoris obſequio ad Theodaſium *b* ejuſdem Sancti villam: unde ſequenti die comitantibus rurſum virtutum prodigiis gratanter egreſſi, venerunt pſallentes rectoque itinere gradientes uſque ad fluvium qui vulgo dicitur Biber *c*. Quo tranſmiſſo venerabilis Præſul & Abbas ipſius Monaſterii domnus EBROINUS obviam venit, multique utriuſque ſexus, diverſi gradus & ordinis cum crucibus & cereis, reliquoque ſanctiſſimo apparatu cum eo; plebs quoque civitatis villarumque circumquaque non modica, cum omni alacritate ac devotione cordis univerſi currentes. Nam Clerici magna cum voce Deum laudantes, ſingultu interdum quatiente pſallebant: populi autem nunc præ immenſo gaudio lacrymas fundentes, nunc vero præ cordis jubilo exſultantes, innumeras Deo gratias referebant. Nec uberior mœſtitiæ fletus in tranſmigratione, quam lætitiæ exſtitit in reverſione. Præfatus itaque Antiſtes, aliique ad hoc delecti Sacerdotes nobileſque viri, ſacratiſſimum eius corpus propriis humeris viciſſim geſtantes, reliquis omnibus ante & poſt feretrum cum laudibus & hymnis tripudiantibus bajulantiumque veſtes attingere feſtinantibus, ad propriam deportaverunt Eccleſiam. Cumque ad primam Monaſterii portam perveniſſent, cœperunt hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, cœlo reſonante ante ipſum decantare, ponentes eum ſuper altare ſancti Stephani in eadem Eccleſia principali. Ubi tamdiu manſit, donec translationis eius feſtus dies, quæ octavo Kalendas Auguſtas celebratur, adveniret. Tunc accedens memoratus Abbas domnus Ebroinus Epiſcopus, tulit illum, & collocavit in ſuo ſarcophago cum metu & nimia diligentia, benedicentibus univerſis qui aderant ac laudantibus Deum.

XVIII. Viſum.

Denique poſtquam ejus ſacratiſſimum corpus in ſuo eſt collocatum ſepulchro, illam viſionem ſilendo præterire non debemus, quæ cuidam Fratri noſtro in eodem Cœnobio quadam nocte revelata eſt. Videbantur enim illi in ſopore poſito omnes Fratres ipſius Monaſterii ſtantes in choro veſtibus induti ſollemnibus, loquentes ad invicem quaſi de his quæ acciderant malis: reſpicienteſque contra orientalem ejuſdem Eccleſiæ partem, viderunt beatiſſimum Germanum veluti in habitu militari ante altare ſancti Stephani galeatum atque mirifice loricatum ſtantem, & uti ex campo certaminis armigeratum feſſumque venientem: adſpicienſque cunctos, interrogavit uſitato gentis nomine, ubi eſſent vel quo abiſſent Normanni ipſius templi violatores, patriæ diſſipatores, qui ſua aliorumque Sanctorum membra effodi compuliſſent. Cui humili ſatis (ut decebat) reſponſo dixerunt, quia receſſiſſent. Tunc venerabilis Pater: Bene, inquit, & Deo gratias reſpondit. Deinde in ſedili quod ante memoratum altare paratum erat, ut eidem videtur Fratri, reſidens, vocavit eos, juſſitque ut ſeſe ad deponendum ea quæ portabat arma militaria juvarent. Interea quod adſpiciebatur defecit. Nos vero tali habitu, talique viſione præfiguratum animadvertimus, quod jam veraciter factum eſſe cognoſcimus, ultionem dumtaxat a ſancto viro ex inimicis cœlitus reportatam: cujus interrogatio eorum perditionis declaratio fuit. In armorum quoque deponendorum adjuvatione colligimus, quod eum, immo noſmetipſos bene juvando adjuvare debeamus, ne talia nobis aut illi pro nobis ultra proveniant.

XIX. Epilogus.

Nunc igitur paulliſper conſiderare libet, quam metuenda ſint omnipotentis Dei judicia, quanta ſit longanimitas atque juſtitia piiſſimi Creatoris noſtri, vere terribilis in conſiliis ſuis, patiens & æquiſſimus in univerſis operibus ſuis: qui ſi ratus ſervis ſuis negligentibus fuerit, cito illis pœnitentibus placatus reconciliabitur, atque viſibilibus

a Crux iſta inter Quinciacum & Villam-novam S. Georgii collocata dicitur.

b Teodaſius, *Thiais*, vicus hactenus Cœnobio Pratenſi ſubjectus, altero miliari ſupra urbem haud procul a Sequana, *Theodaxium* vocatur in codice Irminonis.

c Biber amnis, vulgo *la riviere de Bievre*, Sequanæ miſcetur ad urbem.

AN. CHR. 754 25. Julii.

libus ſive inviſibilibus proſtratis hoſtibus, pacem contritis corde cum victoria dabit. Sic de populo Iſraelitico ſæpe legimus; ſic noſtris temporibus frequenter audivimus; ſicque in nobis ipſis ejus pietatis gratia experti ſumus. Ipſe eſt enim Deus repellens & deſtruens, iraſcens & miſerans; commotorumque contritiones ſanans. Adtendendum etiam beatiſſimus Germanus quantum ſit glorificandus, quantumque venerandus, qui ſic miſericorditer juvat ad ſe cum fiducia confugientes, ſicque terribiliter juſtis, quod eſt fatendum, meritis percutit adverſantes. Et quia longum ac difficile eſt per ſingula ejus virtutes retexere, maxime cum & antequam naſceretur ita dilectus gratuſque Deo ut Joannes in utero matris exſultans inventus ſit, cui virtus miraculi famulatrix extiterit; placet in ejus laude hoc in loco paucis ludere verſibus, ſitque prioris libelli finis.

Hic eſt Germanus, voluit quem mater in alvo
 Perdere, præſumtis hauſtibus atriferis.
Sed quia vitali fuerat reſperſus olivo,
 Non potuit ſanctum commaculare malum.
Nam fuit egregia genitus de ſtirpe parentum,
 Qui quondam terris, nunc ſuper aſtra nitet.
Optat enim fragili ſi quis dum carne manebat
 Noſſe fuit qualis, hic ſua geſta legat.
Et cœlos poſtquam conſcendit, quanta per ipſum
 Geſſerit omnipotens, promere lingua nequit.
Linquitur hoc illi bibulas qui ſolus arenas,
 Ac pelagi guttas dinumerare valet.
Hortor enim cunctos, maculat quos actio vitæ,
 Hujus opem precibus poſcere ſæpe piis.
Debilis ad cujus venit ſi turba ſepulchrum,
 Inde means rediit ſana favente Deo.

Cui nunc & ſemper gratias agamus, qui nos meritis hujus fideliſſimi ſui Præſulis de tot tantiſque malis eripuit, quique nobis quotidie innumerabilium donorum beneficia ejus ſuffragiis præſtat, faciens magna & mirabilia ſine numero: cui ſit honor & poteſtas, decus & imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

INCIPIT PRÆFATIO LIBRI SECUNDI.

QUIA prioris libelli metas, optatum propinquantes portum, Chriſto ſermonis vela regente attigimus; acceptum ducimus ea modo miraculorum ſubnectere ſigna, quæ poſtea Dominus per ejuſdem Pontificis merita glorioſa dignatus eſt pandere. Illa quoque quæ rurſus in ipſius Sancti, noſtraque peregrinatione ſunt facta, non incongrue addenda cenſerentur, niſi forte pudoris eſſe viderentur: ſcilicet qui caſtigationis divinæ poſthabitis eruditionibus, tempus emendationis, necnon & fructum correctionis parvipendentes, ad hoc iterum prolapſi ſumus, ut longiorem demum exultationem digniſſima expulſione pateremur. Sed abſit ut vel noſtra tacendo inaccuſata pallietur iniquitas; aut cœleſtis qua ſanaremur, nobis clementer adhibita quo non præconetur, reticeatur benignitas; vel etiam tanti Pontificis humanæ ſaluti largita virtutum gratia immemorata tranſſiliatur.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAP. I. Mulier contracta ſanatur. d'Hyeſme

SANCTI vero corpus dum revectum, atque ordine ſupra digeſto ſuo eſt in loco reſtitutum, acceſſit ex pago Oximenſi * quædam paupercula mulier, nomine Hirmintrudis. Hæc per novem annorum curricula contractionis calamitate oppreſſa, de loco ad locum, niſi aliorum manibus delata, nequaquam incedere valebat. Cumque eam Dominus per glorioſum Antiſtitem Germanum curare voluiſſet, nocte quadam ſuperveniente, vidit duas ſanctimoniales virgines præclaris vultibus coram ſe adſiſtere, deferentes ſibi panem & lac; ſignum futuræ ſanitatis, hortanteſque ut comederet: moleſtia namque infirmitatis fatigata obdormierat. Cumque comediſſet ex hisquæ attulerant, dixerunt illi: Surge & quomodocumque potes, Pariſius ad ſepulchrum beati Germani ire feſtina: cujus munere noſcas te ex propria corporis debilitate curandam. Quæ longo ægritudinis vinculo de ſua deſperata ſalute, putavit ſe vano ſomni phantaſmate deludi. Idipſum & parentes quibus hæc retulerat, dicebant. Sed alia iterum nocte prædictæ virgines eidem apparentes, cum quadam indignatione, blando quidem ſermone eam allocutæ dixerunt: Gaude: in proximo eſt enim ut curreris. Et quare quo tibi præcepimus non iſti? vade igitur ſaltem nunc, nec moram feceris. Porro expergefacta mulier, auxilio tandem fratris aſello levatur; ſicque ante tumulum tanti Patroni delata exponitur. Permiſſa itaque eſt in atrio ejuſdem Eccleſiæ ipſa nocte requieſcere. Sed priuſquam mediæ noctis ſpatium tranſmitteretur, evigilans, quaſi quodam medicamine delibuta, per ſeipſam aggreditur Eccleſiam, Fratribus jam ex more vigiliarum ſollemnia

Digitized by Google

nia celebrantibus. Interea membra ſibi male cohærentia cœperunt reſolvi, atque in antiquum mox officium reverti: quæ pro anxietate cordis corporiſque relaxatione magnas inſtitit voces emittere, ut omnes qui aderamus audivimus: factoque mane, illi Domino beati Germani precibus miſerante propriis conceſſum eſt ambulare veſtigiis: ſicque per iter quo venerat rediens, omnibus bonum ſibi largitum narrabat. AN.CHR. 754 25. Julii.

II. Item homo contractus. *de Bayeux

Nec illud præterire debemus quod ſimili modo factum contigit miraculum. Nam inter ceteros ex diverſo properantes, venit quidam juvenis ex pago Bajocaſino * vocabulo Hildemodus, qui ita renibus contractus tribus continuo extiterat annis, ut eo ipſo dolore genuum ac tibiarum ſeu pedum privaretur officio: iſque multa venerabilium Sanctorum circumiens loca, quo priſtinam illorum ſuffragiis recuperaret ſoſpitatem, a nullo prorſus deſtinatus eſt ſanari. Supra dicta autem ſanctiſſimi Pontificis imminente celebritate, a quodam venerabili viro per ſoporem eſt admonitus, ut Monaſterium ejuſdem ſanandus adiret. Qui nihil de viſione dubitans, eo die qui eamdem præcedit ſollemnitatem, nono Kal. Auguſtas, cum aſcellaribus venit ante ſancti Patris ſepulchrum, jaciens ſe pronus in terram. Cumque diutius pro ſui recuperatione Deum beatiſſimumque Præſulem intenſiſſime exoraret, ſubito cœpit coram oculis omnium illic adſtantium membra prolixa ægritudine torpentia gemens extendere. Nec mora: ſtatim namque ſurrexit benedicens Deum, ſanctumque glorificans Germanum: & non ſolum ipſe, verum & qui præſentes eramus, omniſque frequentia populi qui convenerat, pariter benediximus Domino: qui talia meritis ſui Confeſſoris dignabatur concedere.

III. Item puer.

Illud quoque quod divina bonitas eodem veſpere ad famam nominis tanti viri oſtendere voluit, reticeri non debet quin inter cetera narrentur miraculorum inſignia. Fuit quidam puer (ut putabatur) duodennis, de pago Aurelianenſi & familia beati Patris Benedicti, qui de matris vulva in lucem renibus contractus ac genibus proruperat; nec aliter ſe ullo modo movere poterat, niſi manibus nitens ſemivalidum promoveret corpuſculum: inſuper & ita ab ineunte ætate, officio loquendi privatus adoleverat, ut more ipſius lingua potius ſtrepitum, quam verborum exprimeret ſenſum. Qui cum ad beati Caronis * Martyris ſepulchrum, qui juxta opidum ſitum eſt Karnotinum *, a quolibet gratia pietatis deportatus fuiſſet, interventu ipſius ſancti Caronis pedes ejus, contractione genuum perſeverante, a poſterioribus ſolummodo ſunt disjuncti. Inde vero ad patrocinia almi Patroni noſtri quandoque perductus, obtentu miſericordiæ permiſſus eſt ad ſancti Pontificis Confeſſionem manere. Cumque jaceret Fratribus jam in Eccleſia veſpere pſallentibus, cœperunt mox nervi atque nodi a nativitate contracti corporis reſolvi, necnon & ad uſum ambulandi divina miſeratione per beati viri ſuffragium aptari: qui cum fide venienti impetrare potuit, quod natura vitiata negaverat.

* S.Cheron * Chartres

IV. Cœcus lumen recipit.

Non enim debent eſſe (quod longe a Fidelibus ſit) oneri, quæ Chriſtus ſuis ſanctis amicis dignatur largiri. Nam qui geſta virtuteſque eorum qui jam cum Domino in cœleſti regnant Hieruſalem audire renuit, ipſe procul dubio ſibi teſtis exſiſtit, quia nondum ad illorum perfecte ſuſpirat conſortium. Contra vero qui recolit, legit vel audit; ille utique, licet in terris adhuc poſitus, concivem illorum ſe evidenter eſſe demonſtrat in excelſis. Igitur ex quadam poſſeſſione ipſius beati viri, quæ in pago Pinciacenſi *a* ſita Prunidus dicitur, fuit quidam homo nomine Adoardus, ita oculorum privatus lumine, ut illi continua nox eſſet, nec quidquam lucis haurire poſſet. Hic ad ſancti Pontificis feſtivitatem manibus, utpote cœcus, aliorum deductus, ad ſacra Miſſarum ſollemnia inter reliquos qui convenerant devotus adſtabat: & ecce ſubito antequam Evangelium legi inchoaretur, cœpit ab ejus oculis magnus quaſi lacrymarum fluxus mirum in modum manare. Cumque diu hoc ageretur, & ipſe rivulorum fontem de ſuis maxillis crebra manus adhibitione extergeret; ſuperno mox reſpectus intuitu, incipit paullulum ſplendoris inſpicere: deinde gratias agens toto devotionis affectu, ſolo proſtratus obnixe precabatur, ut ſibi jam partim reſeratum lumen plenius redderetur. Nec ejus ſunt preces apud altiſſimum cordis inſpectorem ſanctumque fruſtratæ virum. Statim namque exauditus, priſtinum recepit viſum: Miſſarumque peracta ſollemnitate, venit jam clare videns ante poliandrum * beatiſſimi Confeſſoris glorificans Deum, qui ſibi ejus precibus, per tot annorum curricula luminis ademptam reddiderit dignitatem.

* ideſt ſepulchrum

V. Nortmannorum altera infeſtatio.

Ut igitur caſtigantis nos inæſtimabilis divinæ bonitatis miſeratio evidentius prædicetur, illa quæ rurſus in ejuſdem Sancti ac noſtra peregrinatione (ut meminimus) facta ſunt miracula perſequamur, etſi non ſermone verborum copia phalerato, virtutum tamen ſpecioſitate colendo. Non poſt multos denique annos, iteratis ſæpius malis, ſuſcitavit nobis Deus ſæviſſimam earumdem gentium perſecutionem qua nos merito affligeret, afflictoſque ut pietatis pater ad emendationem compelleret. Namquemadmo-

a Pinciacum, *Poiſſy*, locus ſexto miliari infra civitatem Pariſiorum, S. Ludovici Regis natalibus illuſtris, a quo non longe diſtat Prunidus, *Prunay*. Pinciacenſis pagus longe extendebatur. Complectebatur ſiquidem villam *Mogedon*, recentioribus *Meudon*, paullo infra eamdem civitatem, ex codice Irminonis, *Suriſnas* vulgo *Sureſnes* ex diplomate Caroli cognomento Simplicis, &c.

Digitized by Google

AN. CHR. 754 25. Julii. admodum proſpera a recto tramite per mentis elationem aliquando devïant, ita & adverſa per contriti cordis humilitatem ad noſtri nos cuſtodiam revocant. Sola enim vexatio intellectum dabit auditui. Hujus itaque perſecutionis orto flagello, Sanctorum circumquaque jacentium corpora non ſolum a ſepulchris inſtaurato dolore effoſſa, verum etiam & ad proprias poſſeſſiones ſunt hac illacque devecta. Cumque paratum fuiſſet quo ſanctiſſimi corpus Germani ad ſuperius dictam villam Cumbis iterum ferri deberet, illud nos quod tunc ibidem geſtum eſt miraculum dicere juvat. Quidam autem noſtrum, nomine ADALARIUS, Monachus & Sacerdos, ſic per tempus continua renum fatigatione debilis factus exſtiterat, quo nullo modo per ſe vel ad modicum, niſi uno & præſertim duobus ſuſtentatus baculis, incedere valeret. Quibus adductus venit ad Eccleſiam inter reliquos gemens: accedenſque ad ſancti Præſulis corpus jam ad efferendum feretro aptatum, ſtuduit unus nec tardior quidem eſſe portantium. Et hoc divino ſuffragante auxilio precibus ſancti ſublevatus relicto, immo (ut ipſe poſt ajebat) oblito baculorum officio viciſſim peregit, uſquedum ad præfatam Cumbis villam vinculo infirmitatis ſolutus pertingeret. Quo in loco beati corporis gleba ſuper altare venerandum expoſita, ipſe gratias agens ad omne quidquid voluit ſanus evaſit.

& ſacri corporis iterata delatio.

VI. Dæmoniacus liberatus.

Deinde contigit poſt aliquod evolutum temporis ſpatium, ut illuc quiſpiam dæmonio plenus adduceretur, quem quatuor ferme viri tenere vix poſſent. Maligna quippe vigebat virtute, eratque ex ipſius Sancti familiæ colonibus, atque de villa ſupra memorata Prunido. Advenit ergo manibus violentorum impulſus, tergiverſatione reluctante hoſtis, Juſti præſentiam nimium formidantis. Itaque multas illi adjurationes juxta conſuetudinem exorciſmi quidam noſtri fecerunt, dantes inſuper & hauſtum aquæ benedictæ. Sed ut in eo potius apoſtolici viri meritum præfulgens panderetur, univerſis ab eo tandem quieſcentibus acceſſit ultima ejuſdem exorabilis medicina: qua depulſa callidi pervaſoris morbida fœditate, omnis in eo incolumitas ſenſus vigore reſtituto informatur. Iniquiſſimo ſiquidem habitatore projecto, liber exivit captivus ab angue: remanſitque non ſolum quatuor, ſed uno minus homine valens.

VII. Contracta curata. * Noſtre Dame de Mouſſy

Adducitur & quædam fœmina utramque manum geſtans aridam. Hæc olim pro qualibet ſibi adhæſibili infirmitate ad ſanctæ Mariæ * baſilicam, quæ ibi prope ſita eſt, annuale votum juxta ſuæ paupertatis modulum ex dimidii denarii quantitate conſtituerat. Sed adveniente dominicæ Reſurrectionis die, emit inde, blanda diei ſubripiente occaſione, edulium carnis, atque comedit, parvipendens melius non vovere, quam poſt votum vota non reddere: ſtatimque ut ſole clauſo gratia ſoporis cubilis ſui ſecreta petivit, ita manibus voti violatricibus ea in nocte contrahitur, quemadmodum emortuo in eis operandi officio, palmarum intima ungues producti penetrare viderentur. Quæ mane facto veniens, dum ante altare in quo ſanctum quieſcebat corpus ſtatuta fuiſſet, ſic poſt modicum emendato delicto, ut fuerat prius, ſana regreditur: nec glorioſa domina glorioſum dedignata eſt Germanum conſortem, ſeu reparatorem ſui habere miraculi.

VIII. Cœco lux reddita.

Ut autem taceamus de reliquis ea tempeſtate per eumdem Sanctum in eodem loco patratis miraculis, dicatur nunc illud de quodam cœco mirabiliter curato, qui dum alieni greſſus ſolatio fuiſſet adtractus, ſuam illic per dies exorando præſtolabatur ſalutem. Nam & ſolitus erat alia neſcio quadam intercurrente infirmitate, multas crebrius quam ſubitas cum gemitu doloris effundere voces. Unde aliquando quaſi importunus, & qui Eccleſiæ ſilentiis eſſet inquietus, a quibuſdam correptus, nimis mœrens alиорſum ire diſponens, receſſit; deſtinavitque animo, ut ad quamdam Eccleſiam in villa Ruoilo *a* in ipſius Sancti honore dicatam, quia prope erat, diverteret; ibique dum tempus ſui veniret miſerendi maneret. Quod cum prævio ſe ducente feciſſet, antequam ejuſdem baſilicæ januam intraret, lumen oculorum recepit: moxque tanta cœlitus ſibi data viſitatione jocundus, ad eumdem Sanctum videns laudeſque vociferans Cumbis revertitur. Fuit itaque gaudium Fratribus univerſiſque inibi converſantibus, atque per omnes circumquaque non modica admirationis lætitia. Hi ergo a quibus exaſperatus receſſerat, pœnitentes ajebant, ſe & alios tali facto commonitos, ad pauperum debiliumque importunitates patientes eſſe debere.

IX. Helagia vegetatur.

Hinc HELAGIAM, generoſi ſanguinis feminam, inter reliquos illuc veniſſe ſanandam, ſimulque ſanatam rediiſſe videamus. Hæc ita ſuffocationis moleſtia per prolixi temporis curſum elanguerat, ut nec ſaltem divinis aliquando intereſſe cupiens officiis, dum ſolius tantum legeretur Evangelii lectio, durare pedibus ſtando valeret: neque hanc Dominus piis Sancti carere voluit beneficiis. Quæ diebus plurimis alieno portatu ſubvecta, eam in qua ipſius erat corpus frequentans Eccleſiam, cum cereis necnon & aliis oblationibus piiſſimum ex animo venerabatur patronum. Cumque terminus quo ejus devotionis labor remunerari deberet, divinitus jam præfixus incumberet,

---

a Interpres Gallicus hunc locum interpretatur de vico *Ruyan* diœceſis Senonicæ, cujus tamen vici Eccleſia S. Juliano vota eſt. Neque explicandus videtur hic locus de Rioilo vico pagi Pinciacenſis ad Sequanam, cujus vici fit mentio in diplomate Ludovici Auguſti, infra: nam iſtius loci Eccleſia S. Petro ſacrata dicitur.

Digitized by Google

AN.CHR. 754 25. Julii.

beret; ſtatim cœleſti perfuſa medicamine, tanta corporis valentia ante ejuſdem Sancti præſentiam donatur, quatinus Deo ipſique beatiſſimo gratias agens reparata ſaluti exſultans rediret.

X. Nortmanni Cœnobium S. Germani diripiunt.

Dignum ducimus quod in ſequentibus rythmo continetur recolendum interſerere miraculum. Nortmanni vero apud eumdem locum qui dicitur Oſcellus *a*, in quadam Sequanæ inſula reſidentes, Pariſius ſæpe, dum prorſus placebat, navali excurſu veniebant. Redimebantur ergo omnia in circuitu vicina Monaſteria, ne illorum ſævitia impoſitis ignibus cremarentur; ſtudebantque præterea viciſſim equis, quatenus aliquos nobilium gratia pecuniæ capere poſſent. Unde veluti ex mitiſſimi viri domni HLUDUVVICI *b* Abbatis redemtione, non modicum & incomparabile adquirebant lucri negotium. Et quotieſcumque tale quid agere diſpoſuiſſent, diſſimulabant ſe multis diebus ante, nullatenus quoquam ire, ne cui illorum furtivus innoteſceret adventus. Proinde decreverant mutua ſilentique conſideratione Pariſius ſive ad noſtrum aliquando percurrere locum; omneſque ibidem ſub maleſida ſecuritate commorantes inſperate decipere. Reſtiterant ſiquidem in eodem Monaſterio qui ipſum cuſtodirent Fratres fere viginti. Quibus matutinale orto jam crepuſculo Paſchalis ſacroſanctæ feſtivitatis officium celebrantibus, adſunt Nortmanni, qui Paraſceve die equis adſcenſis iter arripuerant veniendi. Quos quidam noſtrorum equites paulliſper pervenientes, eorum eis quamvis ſero malignum nuntiaverunt adventum. Illis autem non credentibus, ſed magis laudibus divinis inſiſtentibus, pagani ſine mora inſequentes venerunt, cunctoſque ut erant in Eccleſia circumcinxere pſallentes. Tunc, quod magnum fuit declinandi ſubſidium, clauſis in eorum oculis Eccleſiæ portis, omnes ſeſe in quæque latibula vel puteos immergentes abſconderunt; quo non ex omnibus niſi unum equo ſidentem, tanti Præſulis ſuffragantibus meritis interficerent. Itaque fugientes, ante conſpectum ipſorum ibant. Nec aliter inquam veriſſime, niſi ut quidam illorum ante enudatos etiam gladios, cum eſſet dies, inlæſi tranſierunt. Quibus ita angelica adminiſtratione ſalvatis, interfectis prænuntiis atque aliis in circuitu & in medio Monaſterii ex familia plurimis, omnia veluti ſpurciſſimi invaſores quæque in Eccleſia vel extra invenerant diripientes; cum proventus exſultatione, cellario Fratrum igne ſuppoſito, reverſi ſunt. Tunc univerſi de qualibuſcumque quibus ſe abdiderant egreſſi latebris, concurrente etiam hinc inde populo civitatis, ſubverterunt tantum Spiritus-ſancti gratia ignis ardorem, jam ad cuncta conſumenda, ſpatia altiora petentem. Neque, quod poſtea noſtris iterato contigit delictis, locus tunc penitus crematus diſperiit.

Monachis cœlitus ſervatis.

Cæſis famulis nonnullis.

XI. Delatio corporis Novigentum.

Ceterum ut ſit memoria Juſti cum laudibus, ad ea quæ in Novigento *c* villa noſtra ſuper Maternam fluvium ſita dum ibi moraretur, dumque inde reverteretur facta didicimus, ſed non ad cuncta vertamus ſermonem. Nam ſi eamus per ſingula, exuberans erit modus in pagina. Contigerat ergo terrore paganorum ultra Pariſius jam & caſtelli Milidonis * terminos excurrentium, ſanctiſſimum corpus ab Acmanto * quo nuper delatum abierat, illuc transferri. Homo igitur ex eadem villa ita infirmus per annos ut vix incedere poſſet, totoque corpore nulla ſibi ſubveniente medicina debilitatus adveniens, candelam ſecum detulit, munus fidei, pretium ſanitatis. Sed antequam illam accendere conatus quod cœperat peregiſſet, quæſitum, videntibus qui aderant univerſis, e cœlo reſpectus donum percepit. Ergo ſi regni cœlorum inæſtimabilis magnitudo cujuslibet quantitate pretii emi poteſt, multo magis vera fide ſanitas corporis. Tantum enim Chriſtianus accipit, quantum credit. Confeſtim ſiquidem oblato munere ſanatur, atque domus ſuæ limina gaudens reviſit.

* Melun

* Eſmant

XII. Miracula varia.

Erat ibidem ſane concurſus infirmorum hinc inde confluentium plurimus: quorum cauſas ut ſic breviter colligam, cæci gaudebant videntes, claudi ambulantes, curati diverſi febricitantes, atque plurimi variis corporum contagiis liberati gratias agebant lætantes: ſinguliſque largiebatur remedii gratia, prout digni inveniebantur medicantis clementia. Ita quoque dumtaxat ut qui veſpere debilis adveniret, mane facto ſæpiſſime incolumis exiret. Inter quos puerulus de pago Stampenſi * infans defertur: habebat enim contractione nervorum membra damnata: qui a matre deportatus, deprecatur ipſa obnixe, ut ſe cum puero ea nocte in eadem baſilica, in qua ſancti Præſulis corpus venerabatur, remanere liceret. Deinde hora ejuſdem noctis adveniente (ut putabatur) jam media, puer matre neſciente ſolus adſurgens, per eamdem Eccleſiam pedum cohæſione utcumque ſoluta ambulare tentabat. Evigilat mulier, gaudetque de nati viſa ſalute: ſicque ipſa atque ſequenti nocte eodem in loco tranſacta, totus poſt biduum ſoſpes effectus, genitrice jocunda receſſit.

* d'Eſtampes.

a Iſtius loci meminit Carolus Calvus in libello proclamationis adverſus Venilonem Senonum Archiepiſcopum. *Deinde contra paganos*, inquit, *ad inſulam loci qui Oſcellus dicitur perrexi*.

b Quidam imperitus in codicibus mſſ. hoc loco repoſuit HILDUINI, advertens nullum id nominis Ludovicum Abbatem eo tempore Cœnobio S. Germani præfuiſſe. Ac retinendum nomen HLuduvvici ſeu Ludovici Abbatis Monaſterii Dionyſiani, qui ab Nortmannis captus ac pretio dato liberatus eſt. Lege Vitam S. Faronis in Sæculo 2.

c Novigentum Artaldi appellant, vernacule *Nogent l'Artaud*, in pago Briegio ad Maternam ſeu Matronam fluvium, habetur in codice Irminonis, nuper prædio vulgo dicto *Amblainvillere* commutatum.

AN.CHR. 754. 52. Julii. XIII. Relatio corporis.

In eadem denique Novigento villa quæ & quanta fuerint (ut paullo ſupra retulimus) ſanitatum charismata ejus bonitatis munere advenientibus exhibita, ſine crimine fatemur nos ignorare : quam vero fuerint innumera, ille qui dedit cooperator piiſſimus, ſolus novit JESUS. Ideo ad id quod ardet animus tranſeuntes, ejus reverſionem mente hilari exponere feſtinemus. Fratres igitur qui illic aderant ſanctiſſima ejus corporis membra cuſtodientes, una cum ipſo loci ruinas ſaltem inviſere feſtinantes egreſſi; Nortmannis jam amico pacis fœdere Regno eductis, iter reverſionis læti ſuſcipiunt : fuitque eis in revertendo navalis congruus apparatus. Unde Maternæ fluvium pariterque Sequanam enavigantes, venerunt citra Biberis ac Sequanæ confluentia portum facientes : eductumque ſacratiſſimum corpus a navi, excepimus illud multi utriuſque ſexus & ordinis ibidem congregati, ut miraretur vix Clericos ad eum tollendum accedere poſſe. Nam ex ſui quondam Epiſcopii domo, Canonici primi ut Pontifici adſiſtentes exceptionis peregere miniſterium, hujus antiphonæ congruam jubilantes melodiam : *O quam venerandus es, egregie Germane Confeſſor, qui terrena contemſiſti, & cœli januam exſultans petiſti; modo victor fulges in virtute cœleſti : ideoque ſupplices te exoramus, ut intercedas pro nobis ad Dominum Deum noſtrum*. Factaque geniculatione, ac oratione dominica & Miſſa pro univerſis ſollemniter dicta, ex Monaſterio ſancti Petri necnon & beatæ Genovefæ virginis religioſe accedentes Clerici, eumdem ſequentes ordinem cœperunt ſancto humeris ſuſcepto corpore hanc pſallere antiphonam dicentes : *Iſte eſt Germanus Pontifex maximus, qui per ſupernam gratiam divina dans miracula, promiſſa ſumens munera, vivit perenni gloria*. Deinde nos uti decebat ſervulos corruentes, ſalutationis novum habentes hymnum, verenter adſuimus : ſurgenteſque a ſolo quo digniſſima ejus reverentia proſtrati jacueramus, poſt orationem & collectam, jam cuidam contractæ feminæ ac cœcis duobus collato ſanitatis beneficio, quo unaquæque videlicet exceptio proprio decoraretur miraculo, ita concrepantes intulimus.

Ave Præſul benedicte, ave nunc piiſſime,
O Germane venerande, Pater & eximie,
Plebis temet cum fideli comitantis agmine,
Veni jam, veni benigne, redi Paſtor optime,
Oves proprias require, ac paci reſtitue,
Nec triſtari ultra ſine de ſublato pignore.
Deplorabat te ceſſiſſe dominum Lutecia,
Se plangebat & lugebat caruiſſe gloria,
Quam adplaudet recepiſſe jam tua præſentia.
Heu quam flebant & gemebant ſervi tui Monachi,
Et caterva populorum cuncta nimis propria,
Cum fuiſſes exſul loco a tuo ſanctiſſime!
Quis illorum ſermo valet planctus fari cordium,
Atque ſimul expedire fletus amariſſimos,
Quod Sacerdos pietatis pulſus eſſet impie.
Qui ſi ceſſit feritati paganorum rigidæ,
Necnon loco vel ultrici flammæ; tamen adfuit
Votis dignis famulorum præſens in periculis.
Unde juvat nos adire illud dictu nobile,
Quod ſtupendum & mirandum inferat miraculum,
Pro quo dignæ Confeſſori referantur gratiæ.
Itaque dum inluceſſit Paſchæ dies ſplendida,
Dumque laudes celebrarent matutinas Monachi,
Circumdantes ſe paganos miro ludunt ordine.
Nam ut cunctos glorıantur ſe cepiſſe miſeri.
Utque gyro mox vallarunt omnes fere proximo;
Te precante liberantur prope capti ſervuli.
Dumque nullus ſeſe putat habere ſuperſtitem,
Gladiatam evaſiſſet qui Danorum aciem;
Omnes ſe de locis mergunt abditis incolumes.
Cerneres tunc lacrymantes non loquentes invicem,
Dum de necis quaſi fauce ſe viderent ſurgere.
Vota ſolum cordis dabant tacita digniſſime.
Unus tantum præpeditur cœcæ mortis obice,
Atque telo perforatur hoſtis velociſſime,
Ne tanto ſummus careret Pontifex libamine.
Salve clemens, hinc precamur, ſalve Præſul agie,
Omnem Clerum te colentem cum devoto populo
In præſenti ut mereamur uti prece commoda,
Hincque celſi paradiſi regnum nobis obtine,
Quo ſimul tecum pſallamus Patri laudes Domino,
Atque toti Trinitati conſonantes Angelis,

San-

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,
Cœli tua pleni manent atque terra gloria.
Oſanna qui benedictus in excelſis venerat.
Gloria ſit Deo Patri atque laus Altiſſimo,
Honor, virtus & poteſtas Jeſu Chriſto Domino,
Dignitas & unus apex ſit quoque Paraclito, Amen.

AN. CHR. 754. 25. Julii.

Quo ad finem uſque ita completo, fuimus jam licet ex adverſo proximi partim aduſtæ, necnon & permultum diſſipatæ civitati: cujus demolita facies nos omnes in dolorem adducens, competenter exegit pſallere: *Adſpice, Domine, quia facta eſt deſolata civitas plena divitiis, ſedet in triſtitia domina gentium, non eſt qui conſoletur eam, niſi tu Deus noſter.* Multi namque canentes, plures vero cernebantur plorantes: ſicque proceſſimus in pratum *a* uſque, quod ſub ipſo eſt Monaſterio. Eramus vero mœrentes, quod poſtea quam propriam intraveramus tellurem, nullas ut antea oſtenſas noveramus virtutes: ſed ecce ſubito ex tanta populi multitudine, unus procurrens acceſſit. Habebat enim cauſa pœnitentiæ ferri circulum in brachio, ut ſolet fieri, artiſſime obvolutum. Jamque tempus increverat, ex quo illi caſu propriam occidenti matrem, hujuſmodi pœna acceſſerat. Qui vociferans & tanti viri pietatem ſibi adjutricem expoſtulans, ut manum ad feretrum, quo Sancti ſacrum bajulabatur corpus, pallium ſaltem deſuper contingere cupiens protendit, illico ferrum de brachio exſiliens mirandum crepuit, ita ut in aera ſurſum evolans videretur a multis. Quæ res nos univerſos hilariores efficiens, nonnullos etiam in lacrymas præ gaudio movit. Sed & caro armillæ hujuſmodi aſperitate in profundum exeſa, quod geſtum erat pretioſum pandebat miraculum.

Homo ob interfectam matrem ferro religatus ſolvitur.

XIV. Alia miracula.

Advenerat & quædam mulier adjumentis fidei comitata, quæ a cunabulis ita nuncupata, dicebatur Electa. Hæc prorſus, ut nobis quaſi eadem adhuc infirmitate dolens ajebat, ita per decem annorum curricula manus dexteræ ariditate contabuerat, quo nullo modo vel ad os eam porrigendi poſſe habuerit. Accedens itaque cœpit magnæ humilitatis precibus ſupplicare, quemadmodum ſibimet tantum ſub ejuſdem ſancti corporis feretro, ut eramus in ambulando, tranſitus concederetur. At ubi vix intromiſſa (erat enim compreſſio populi multa) tranſiſſet, ſic illius aridæ manus debilitas extemplo curatur, quatenus omni recepto vigore, ſolitum propriæ actionis exerceret officium. Hanc namque vidimus incolumem, & Meroldum qui venerat cœcus, necnon & Aldegundem videntes.

XV. Reſtitutum corpus anno 863.

Pervenimus ergo pſallentes nimia laſſitudine ac ſolis ardore fatigati hora quaſi ſexta ad Monaſterii januam. Annus autem circuli reſurgentis Chriſti octingenteſimus ſexageſimus tertius; dies vero menſis quarto-decimo Kalendas computabatur Auguſtas. Tunc hymno *Te Deum laudamus* incœpto intravimus Eccleſiam, deponentes idem ſacroſanctum corpus ſuper ipſum in quo prius jacuerat ſepulcrum. Deinde concinentes antiphonam, *Laudem dicite Deo noſtro omnes Sancti ejus, & qui timetis eum puſilli & magni, quoniam regnabit Dominus Deus noſter omnipotens: gaudeamus & exſultemus & demus gloriam ei*: facta oratione ac pro omni qui convenerat cœtu peracta Miſſarum celebritate, intulimus illud in Sancti Symphoriani cryptam, ubi primum migrans *b* quieverat, atque poſt ejuſdem ſancti Martyris altare in præparato ſibi tumulo venerandum poſuimus. Unde evolutis temporum ſpatiis, atque Monaſterio jam ex parte reædificato, adveniens glorioſus ſemperque pius Rex KAROLUS ejuſque regni conſors RICHILDIS Regina, ſimulque pater & paſtor noſter domnus GAUZLINUS *c* Abbas & INGELVINUS Epiſcopus, aliique Præſules ſive Regni ſui Principes retulerunt eadem ſanctiſſima membra cum laudibus & hymnis ad proprii locum ſepulcri. Ubi auxiliante Deo & Domino noſtro JESU-CHRISTO, ſocia Spiritus-ſancti gratia multi uſque hodie venientes ejuſdem ſancti Pontificis meritis ſanantur infirmi ad gloriam & laudem ſanctæ & individuæ Trinitatis in ſæcula ſæculorum, Amen.

a Hinc Monaſterium dictum *S. Germani de Prato*, non tamen ante ſæculum XI. ſi bene adverti, recentius *de Pratis*.

b Ergo id quod ſcribit Auctor anonymus in libro Tranſlationis ſuperius edito, S. Germani corpus humatum fuiſse primitus *in portica Eccleſia S. Vincentii*; explicandum eſt de ſacello S. Symphoriani, quod hactenus exſtat in atrio Eccleſiæ.

c In codice Irminonis Abbatis exſtant litteræ donationis paullo recentiori manu ſcriptæ, quibus Brunardus quidam ingenuus tradit *duos manſos propriæ hereditatis ſuæ batiſſimo Præſuli Germano, ſitos in villa ipſius ſanct. Pontificis nomine Celſiaco in pago Stampinſe, eo tenore, ut de reddita & cenſu quod exinde exierit, queat lumen haberi ante ſanctum ejus ſepulcrum. Actum Pariſius anno regni 10. Karoli, Kal. Aprilis, Abbate Gozlino.* Ex quibus apparet, Gozlinum jam præfuiſse Monaſterio anno 850. Hic ſubjiciendum eſt diploma Ludovici Auguſti cognomento Pii, quo diſcimus ſitum Karoli-vennæ, cujus meminit Aimoinus ſuperius initio libri I. de miraculis S. Germani, ex ipſa originali membrana deſcriptum in hæc verba.

Digitized by Google

AN.CHR. 754. 25. Julii.

DIPLOMA LUDOVICI AUGUSTI

pro Karoli-venna.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI HLudovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Quicquid ob amorem Dei pro opportunitate ſervorum Dei agimus, hoc nobis ad æternam beatitudinem obtinendam pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quia ob emolumentum animæ noſtræ quamdam piſcariam, quam olim proavus noſter bonæ memoriæ KAROLUS in pago Pinciacenſe, in villa quæ vocatur Rioilus, in fluvio videlicet Sequanæ fieri juſſit, ad Monaſterium ſancti Germani, ubi ſanctum & venerabile ejus corpus requieſcit, & ubi HIRMINO vir venerabilis paſtorali fungitur officio, ad ſubſidium Monachorum in eodem ſancto loco Deo famulantium libentiſſime conceſſimus, & per hos apices confirmavimus, ea ſcilicet conditione, ut illam nocturnam * quam Monaſterium ſancti Dionyſii exinde accipit & ſancti Petri Monaſterium, nullatenus eis a quoquam ſubtrahatur: ſed eadem Monaſteria omni tempore pro ſua portione reſtaurationi vennæ atque emendationi adminiculum præſtent, prout neceſſe fuerit. Reliquum vero in integrum eidem venerabili ſancti quidem Germani ceſſimus Monaſterio. Jubemus quoque atque decernimus, ut de memorata piſcaria nullus prædictum Monaſterium ejuſque procuratores inquietare noſtris futuriſque temporibus præſumat, neque aliquam contrarietatem ex ipſa eidem Monaſterio facere, ut aliquid inde abſtrahere pertentet: ſed amodo & deinceps ita libere teneant ipſi Monachi hanc KAROLI-VENNAM, quemadmodum genitor noſter KAROLUS ſereniſſimus Imperator & Auguſtus, avus etiam noſter PIPPINUS, atque proavus KAROLUS, qui eamdem conſtruere juſſit capturam; nos quoque eamdem tenuimus hactenus: ſcilicet uti omni tempore ſit ſalva undique ab omnibus obſtaculis aqua, ſicuti apud nos adhuc extat. Nec fiant unquam ulla opera huic vennæ nocitura nec ante vel retro: Siquidem cujuſcumque poteſtatis ſint littora noſtra, tamen eſt regalis aqua. Ergo ſuper hanc ceſſionis auctoritatem hoc noſtrum regale præceptum fieri juſſimus, per quod decernimus atque jubemus, ut nullus quilibet Chriſtianitatis cultor audeat vel præſumat noſtræ ſalutis donativum infringere, neque per violentiam, neque per ullum calliditatis præjudicium Karoli-vennæ nociturum: ſed potius ſine ulla ſubtractione vel diminutione atque damnatione liceat Monachis ſancti Vincentii ſanctique Germani cum omni integritate hoc munus quod eis conferimus, ad noſtram requiem ſempiternam perpetualiter poſſidere & frui. Ergo hæc noſtræ auctoritatis præceptio ut firmiter continuationis vigorem obtineat per ſuccedentia annorum curricula, manu propria ſubter roborantes anulo noſtro eam juſſimus inſigniri. Signum HLUDOVICI ſereniſſimi Imperatoris. DURANDUS Diaconus ad vicem HELISACHAR recognovi. Data tertio kal. Septemb. anno Chriſto propitio 3. imperii domni HLudovici piiſſimi Auguſti, Indictione decima. Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen: *cum ſigillo cereo.*

* id eſt jus piſcandi una nocte.

Nec ab re erit etiam referre hoc loco diploma Caroli Calvi pro confirmatione partitionis, quam Hilduinus Abbas ſenior fecerat in gratiam Monachorum Pratenſium: cui partitioni etiam addit de ſuo Carolus, qui ob ſua in hoc Monaſterium beneficia meruit inſeri Necrologio noſtro pervetuſto in hæc verba: 2. *Non. Octob. Karoli quoque II. Imperatoris ac loci benefactoris.* En ejus diploma ex primario exemplari, ſimile illius, quod Carolus ipſe pro Monaſterio Dionyſiano conceſſit anno 862. apud Dubletum.

PRÆCEPTUM CAROLI CALVI

pro partitione prædiorum in uſu Monachorum Cœnobii S. Germani.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Karolus gratia Dei Rex. Si ea quæ prædeceſſores noſtri ſuperna dignatione illuminati ac ſuorum fidelium devotis admonitionibus inſtigati, pro ſtatu & utilitate Eccleſiarum ſive ſervorum Dei ſtatuere decreverunt, noſtris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad æternam beatitudinem Regnique noſtri tutelam profuturum eſſe credimus, atque exinde Deum retributorem in poſterum habere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ ac noſtris præſentibus ſcilicet & futuris, quod vir venerabilis GOZLINUS Abba Monaſterii almi Confeſſoris Chriſti Germani, & S. Vincentii Martyris, necnon & Monachi ejuſdem congregationis devotiſſimi oratores noſtri ſuggeſſerunt ſerenitati noſtræ, ut pro Dei amore & futuro ejuſdem congregationis ſuffragio, ne aliqua ſucceſſorum ſuorum negligentia Ordo in ea Monaſticus futuris temporibus perturbaretur, ut ſæpe manifeſtum eſt contigiſſe, ſuper quaſdam villas neceſſitatis eorum per propriæ confirmationis præceptum genitoris noſtri HLUDUVICI ſereniſſimi Auguſti eidem congregationi

AN.CHR. 754 25. Julii.

tioni jam olim deputatas, ſuper alias etiam a memorato fideli noſtro Gozlino Abbate pro eorum ſtipendiis, quæ annuatim in cibo & potu accipere debebant, noſtro conſenſu & auctoritate illis collatas, firmitatis noſtræ præceptum fieri juberemus, per quod tam ea quæ præ manibus habere videbantur, quam etiam ea quæ a noſtra largitate in præſenti illis confirmabantur, firmius ac ſecurius per ſuccedentia tempora tenerent ac poſſiderent. Nos vero neceſſariis illorum petitionibus clementiæ noſtræ aurem accommodantes, veluti poſtulaverunt, fieri adjudicavimus, confirmantes eis regali teſtamento has villas, quorum hæc ſunt vocabula: in pago Pariſiaco Antoniacum, & Spinogilum & villulam Caticantum: in Senonico Acmantum: in Milidunenſe Matriolas, quam inclytæ memoriæ avus noſter KAROLUS ad ligna ſubminiſtranda clementer memorato contulerat Cœnobio. Novigentum etiam in Meldenſi: & in Pinciacenſi Cellam, quæ dicitur Villaris, & Villam nihilominus ſupra mare, videlicet ad veſtimenta & calciamenta eorum & perplures neceſſitates in diverſis Monaſterii officinis ſupplendis, dormitorii ſcilicet, cellarii, domus infirmorum, piſcatorum quoque ac perneceſſaria medicinæ adjumenta; & ad viginti modia ſaponis, picemque emendam ad vaſa vinaria componenda, & ad ceteras loci neceſſarias utilitates a Decano procurandas; & inſuper ad reconcinnandam vel recooperiendam domum infirmorum, cellariique & reliquarum officinarum habitacula, ex antiqua conſtitutione Decano deputata: inſuper ad refectiones in dominicis diebus & deputatis ſollemnitatibus Sanctorum Fratribus adminiſtrandas. Pro ſtipendiis autem victualibus quæ eis a parte Abbatis perſolvi debebantur, ſicut in præfato genitoris noſtri præcepto continetur ac noſtro, delegamus eis una cum conſenſu & voluntate memorati Gozlini Abbatis omniumque Fratrum ejuſdem congregationis has villas infra ſcriptas: *Calau* in pago Stampinſe cum integritate & hoſpitiis ſuis quæ ſunt in Albaterra; villulam quoque Rubram in eodem pago, Teodaxium nihilominus in pago Pariſiaco, cum omni integritate; & Banniolum in pago Senonico, cum hoſpitiis quæ ſunt in villa quæ vocatur Campiniacus; Cubinium etiam in pago Laumenſe. Acceperunt autem Fratres has villas pro modiis frumenti mille ſexcentis viginti, & pro centum octoginta leguminum modiis, & pro caſei penſis centum ſexaginta, & pro modiis viginti adipis; & pro viginti ſeſtariis butiri, & pro quatuor ſeſtariis mellis, & duabus ceræ libris omni menſe, pro modiis etiam ſalis centum & pro braciis viginti per duodecim modia, & pro horeo qui tam hieme quam æſtate neceſſarius eis habetur: quoniam hæc omnia ab Abbate minus plene illis perſolverentur. Statuimus quoque ut ex iſtis ſtipendiariis villis per ſuccedentia tempora dormitorium Fratrum & cella Novitiorum recooperiatur: reliqua vero Cœnobii ædificia de Abbatia reficienda & recooperienda ſunt, exceptis ſupradictis a patre Fratrum reemendandis. Vinum autem in potum cotidianum refectionis ex Teodaxio & Villa-nova tam de vineis dominicis quam paſcionibus Fratribus dari cenſuimus. Sin autem ex eiſdem vineis ad numerum duum millium modiorum non pervenerit, tunc idem numerus ex reliquis Abbatiæ villis in Fratrum & hoſpitum uſus in refectorio edentium juxta veterem conſuetudinem ab Abbate compleatur. Duobus etiam Fratribus in eadem Villa-nova laborantibus, quæ dari ibidem conſuetudo fuit, dentur, & torcularia juxta ſolitum reemendentur, & vaſa vinaria præparentur, vinumque ex more ad Monaſterium deferatur. Vineas quoque in ſæpe fata villa defiximus ab eiſdem excoli & vindemiari, a quibus olim culti fuerunt & vindemiati, ſive ſint indominicati, ſive in beneficium quibuslibet dati. De melle quin etiam carrada una ex modiis octo cum ſolita cera, ſicut de villa Lucarias perſolvitur, uſibus Fratrum ab Abbate tribuatur. Prædia denique bonorum hominum largitione ſibi donata una cum clauſo ſecus Monaſterium ſito eiſdem Fratribus ſtabili jure conceſſimus. Refectiones denique Miſſa S. Germani quinto Kal. Junii, & dedicatione Eccleſiæ, vel ANNIVERSARIO CHILDEBERTI Regis & feſtivitate S. Vincentii, Cœna Domini, ſeu vigilia ſancti Paſchæ, & de volatilibus cum pulpaſtis in Natale Domini tribus diebus, & in Paſcha ſimiliter tribus, inrefragabiliter eis ab Abbate miniſtrari ſufficienter decrevimus. Karitates etiam in eiſdem feſtivitatibus ex antiquo more bis ipſis a parte Abbatis dentur. De ſupradictis vero villis ſtatuimus, illis in reliquis Nativitatis Domini & Paſchæ diebus volatilia cum pulpaſtis a Decano ſubminiſtrari, excepto quod Theſaurario & aliis miniſterialibus facere conſtitutum eſt. Item ordinamus ipſis alias refectiones a Decano præberi, videlicet de *Calau* IN FESTIVITATE TRANSLATIONIS S. GERMANI, & de Teodaxio in ſollemnitate S. Dionyſii: Præterea decrevimus, ut de villa quæ vocatur Boſpatium in pago Laudunenſi, quam eiſdem Fratribus per regiæ auctoritatis præceptum, ad locum refugii, pietatis noſtræ clementia miſericorditer contulerat, in Idibus Junii, quando Deus nos naſci in mundo voluit; & 8. Idus Junii, quando Rex Regum nos ungi in Regem ſua dignatione diſpoſuit, refectio eis a Decano ſpecialiter exhibeatur: quæ commemoratio poſt obitum noſtrum in depoſitionis diem, cum me Dominus viam univerſæ carnis ingredi juſſerit, convertatur. Omnes igitur has villas in hoc noſtro præcepto ſuperius nominatas cum Eccleſiis & appendiciis ſuis, cum redditibus ac mancipiis, cum precariis ſeu beneficiis exinde datis, cumque omnibus ad ſe pertinentibus, ipſius congregationis Fratribus ad multiplices eorum neceſſitates ſuppléndas, re-

NOTA.

gali

AN.CHR. 754. 25. Julii. gali auctoritate per noſtræ confirmationis præceptum ſtabili ac perpetuo jure concedimus atque firmamus, præcipientes regia poteſtate & per ſanctam inviolabilem Trinitatem atque examen tremendi judicii, Angelorumque ac Sanctorum omnium reverentiam conjurantes, ut nemo Abbatum per ſucceſſiones quod noſtro roboratum eſt edicto ſubtrahere vel minuere audeat, aut ad uſus ſuos retorqueat, vel alicui quiddam in beneficium inde tribuat; ſed neque ſervitia ex eis exactet, vel paraveredos aut expenſas ad ſuas vel ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, ſive manſionaticos inde exigat, ſicut nec conſuetudinis unquam fuit. Supra ſcripta autem AD CENTUM VIGINTI MONACHORUM ſunt ordinata, ex quo nil unquam cuiquam Abbatum licebit ſubtrahere: augere vero, ſi forte voluerit, multiplicatis ad uſum eorum opibus, accumulentur divini ſervitii cultores. Qui vero noſtro tempore aliter facere præſumpſerit, & poſt diſceſſum noſtrum ſive quamdiu advixerimus, hanc noſtram confirmationem violare voluerit, a Deo cujus exſtitit contemptor, pœnis æternalibus ſe damnandum cognoſcat. Ad corroborandum etiam noſtræ celſitudinis præceptum ſuper eodem privilegium epiſcopale per ſemet a cunctis Eccleſiæ filiis æternaliter obſervandum fieri ac firmari decrevimus. Et ut hæc auctoritas quam ob Dei amorem & remedium animæ noſtræ ſtatuimus atque roboravimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa perdurare queat, manus noſtræ conſcriptione eam ſubter firmavimus, & de annulo noſtro ſigillari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis. GAMMO Notarius ad vicem GOZLENI recognovit. Data 12. Kal. Maji, Indictione 5. anno 32. regnante Karolo glorioſiſſimo Rege, & in ſucceſſione HLotharii Regis anno 3. Actum Monaſterio S. Dionyſii in Dei nomine feliciter, Amen.

APPENDIX

De aliis translationibus & miraculis S. Germani.

Tranſlatio in urbem ob Nortmannos. 1. CUM *Lutecia Pariſiorum iterato a Nortmannis impeteretur anno 886. tunc cives S. Germani Patroni ſui auxilium implorare, ad ejus tumulum confluere: ex quo ſacrum ejus corpus refoſſum in urbem delatum eſt. Id cecinit Abbo noſtri Cœnobii Monachus in libro 1. de obſidione Pariſiaca.*

Tunc trepidant cives, cunctique vocant celebrandum
Germanum. Miſerere tuis, Germane, miſellis.
Concurrunt matres, pariter juveneſque puellæ
Ad Sancti tumulum, ſuffragia poſcere grata.
Hic jacuit ſuimet jugiter venerabile corpus,
Nobiliuſque Monaſterium cunctis fuit illud.
Hinc propriis fuerat famulis geſtatus in urbem.

Nempe in Eccleſiam S. Germani Veteris *appellatam: in qua Sancti brachium in hoſpitii mercedem relictum eſt. Tunc*

Efficitur boſtar * Germani Anteſtitis aula,
Completur tauris, ſuculis, ſimiſque capellis.

* ſtabulum

Miracula duo ad puteum. 2. *Idem Auctor in libro 2 miracula recitat duo, facta adverſus duas feminas Nortmannicas, quæ aquam e puteo S. Germani in uſus ſuos hauſerant. Is puteus hactenus viſitur in Eccleſia Germanenſi, febricitantibus quondam frequentatus, quibus ejus aquæ benedictione ſignata ſæpius medicamento fuere. Situs eſt in apſida orientali, eo fere in loco, quo S. Germani corpus a Lantfredo Abbate depoſitum eſt. Quæ omnia intelliguntur ex ſubjectis Abbonis verſibus libri 2.*

Cujus * adaccubitat puteus veſtigia, cujus
Qui potabit aquas extemplo febre laborans,
Auxilio Sancti fidens capiet medicinam.
His panem cupiens quædam componere, juſſit
Vi ſibi Scotta Danum deferri. Namque Sacerdos
Templa tuens, puteum vendebat egris * pretio amplo.
Depoſitus flammæ panis, mox ipſe figuram
Sanguinis accepit rubeam. Poſt altera forte
Scitur vi conans latices, hauſiſſe cruorem.

* Germani

* ægris

Relatio corporis ex urbe. 3. *Gozlino Pariſiorum Epiſcopo tempore obſidionis e medio ſublato, ſimulque Henrico Duce quem Carolus Craſſus auxilio miſerat; Nortmannis ſtrenue reſtiterunt Ebbolus Gozlini nepos, Germanenſis Abbas, & Odo Comes, eoſque ad ſolvendam obſidionem compulerunt. Id factum anno 888., quo S. Germani Reliquiæ ex urbe in priſtinum locum reductæ, & in pretioſam thecam reconditæ, inſculptis in ea ſequentibus verſiculis:*

Hic poſitum ſancti multis venerabile corpus
Germani, loculo nunc cuſtoditur in iſto.
Audeat ornatus aliquis hinc tollere nullus,
Perpetua metuit qui non niſi morte perire.

Digitized by Google

Inferni cœcas audet adire tenebras.
Subventus cauſa, Chriſto tribuente ſalutem,
Ferri quo poſſit, fuerit quocumque ferendum.
Hunc in honore tuo loculum, Germane, rogavit
Ebbolus Abba pius fieri, donisque replevit.
Hic etiam, Henrice Pater, tua dona refulgent.
Odo Comes vernat, multi quoque Chriſticolarum.

Fuit is Odo ſeu Eudo Comes, poſtea Rex dictus, filius Rotberti Andecavorum Comitis, viri Saxonici generis, in bello Nortmannico exſtincti. Quis fuerit Henricus iſte, an Dux qui ab Carolo ad ferendam Pariſiis opem miſſus eſt, non conſtat.

4. *Guillelmus cognomento Epiſcopi, Abbas piiſſimus, cujus corpus incorruptum hactenus in tumulo perſiſtere diximus, anno 1408. eamdem thecam elegantiori opere refici curavit. Ad hoc viginti ſex marcæ aureæ, quibus conſtat thecæ pars ſuperior, e veteri capſa deſumtæ: additæ argenti deaurati marcæ ducentæ quinquaginta ad compingenda latera: fundus induſtrie cælatus argento præterea conflatus eſt. Guillelmus vero ne Ebbolt primarii opificis (quæ viri modeſtia erat) memoriam obſcurare videretur, prædictos verſus in thecam reſtituit, quatuor hiſce additis:*

Annis milleno quadringentis quoque nono,
Hoc opus impletum, fulgenti decore repletum,
Cœpta ſequens alias Guillelmus Præſulis Abbas
Ad decus Eccleſiæ veſtiit ipſe pie.

Supereſt etiamnunc egregium illud opificium, uti & tabula majoris altaris argentea; utrumque Guillelmi pietatis monumentum. Reliquum eſt ut miraculum quoddam ſæculo 11. factum referamus ex codicibus mſſ.

MIRACULUM FACTUM ANNO MLXI.

In vigilia Translationis ſancti Germani quondam legi ſolitum.

Miraculis quæ Dominus Deus pro meritis beatiſſimi Germani Pariſienſis Antiſtitis hucuſque copioſa operari non deſinit, adjiciendum cenſemus illud, quod contigit Philippi Magni Francorum Regis ſucceſſivis temporibus. Is ſiquidem Philippus, Henrici Regis filius, dignitatem regalis principatus patre ſepulto ſuſcepit annis adhuc in puerilibus. Prædictus itaque Rex adulatorum conſiliis, utpote juvenis, nimis credulus, Baſilicam S. Germani quæ prope Pariſius eſt, ſatis irreverenter ingreſſus eſt: quatinus de theſauris Eccleſiæ, quos ibi Childebertus Rex ad decorem domus Dei multos congregaverat, cupiditatibus & voluntatibus ſuis ſatisfaceret. Igitur præcepit crucem auream, quæ poſt altare beati Vincentii Martyris locata erat, deponi, ut aurum & lapides pretioſos inde abſportaret, ſuiſque ſatellitibus abſportata distribueret. Eſt enim ipſa crux operis ac ponderis incomparabilis, gemmis exquiſitiſſimis venuſtata, utpote quam dicunt de Hiſpaniis allatam, & in præfatam Eccleſiam ex regalibus munificentiis illatam. Cujus pretioſiſſimi donarii laudem ipſa res adhuc teſtatur: & dum ſuperſtes erit, ipſum opus mirificum, & auri pondus immenſum teſtabitur. Imperante & præſente Rege depoſita eſt cui ſupererat crux de columna, & ſuper tapetum unum in Eccleſiæ pavimento collocata. Aderant artifices cum ſuo apparatu ex Regis edicto deletioni crucis inſtantes. Nec minus intererant Eccleſiæ illius Monachi condolentes, ſanctum Vincentium & beatiſſimum Germanum præcipue invocantes. Monachorum alii capſulas, in quibus Sanctorum continebantur pignora, humi depoſuerunt, & voce flebili & corde ſuſpirioſo Dei miſericordiam everberabant. Huic tam exſecrando ſpectaculo aderat Stephanus urbis prædictæ Præfectus, homo multum irreverens & infrunitus, cujus inſtinctu nefario rem totam aggreſſus erat Rex Philippus. Præſumtuoſis autem conatibus, Deo gratias, confeſtim obſtitit benigniſſimus Deus. Sicut enim relatum eſt, his qui adſtabant videntibus, quædam nebula ſancta ſanctorum Eccleſiæ illius obnubilare viſa eſt. Rex autem a propoſito ſuo continuo deſtitit, & pavore quodam perterritus ab his temerariis auſibus de cetero ſe cohibuit. Ut etiam divinæ vindictæ non anceps, immo evidens daretur experimentum, Stephanus Præpoſitus oculorum acie ſtatim privatus eſt: & quouſque vixit, tali condigna redargutione multatus eſt. Compulſus eſt igitur miſer in ſeipſo recognoſcere, quia conſiliator adulativus pro terreni Regis amore conſilium ſuum in cœleſtem Regem non debuerat arroganter erigere. Lamentum itaque Monachorum verſum eſt in gaudium: crux quoque cum omni reverentia in ſtatu priſtino ſublimata, & plebs Pariſienſis ex hac Domini viſione lætificata. Miraculum ſiquidem iſtud celebre habitum eſt, & inter multos ſollemniter divulgatum eſt. Nos autem poſteris noſtris id ſcriptum tranſmittimus ad laudem & gloriam Dei, & ad recenſendam memoriam Patroni noſtri beatiſſimi Germani, cujus precibus & meritis inceſſanter adjuvemur. Amen.

Sequebatur in mſſ. codice Sermo de laudibus S. Germani, ab Aimoino (ut videtur) compoſitus, quem hic edere non viſum tanti eſt.

SAN-

AN. CHR. 755 17. Aug.

SANCTI CAROLOMANNI
DUCIS FRANCORUM,
ET MONACHI CASINENSIS,
ELOGIUM HISTORICUM.

Principes multi apud Caſinum Monachi.

1. CASINENSE *Monaſterium, ut tempore S. P. Benedicti Romanæ nobilitatis ſchola & palæſtra fuerat; ſic poſt inſtaurationem a Petronace factam, Principum ipſorumque Regum diverſorium evaſit, & opportunum a ſæculi turbinibus aſylum. Primus inter primos* CAROLOMANNUS *Francorum Dux, ne dicam Rex, iſtuc ſeſe recepit: cujus exemplum ſequuti* RATCHISUS *Langobardorum Rex,* GISULFUS *ex nobili Beneventanorum Ducum proſapia ducens originem,* GUAIFERIUS *Princeps Salernitanus, aliique, quos enumerare longum eſſet.*

Carolomannus quas Franciæ provincias rexexit.

2. CAROLOMANNUS, CAROLI *Majoris-domus Franciæ cognomento Tuditis, ex* CHROTRUDE *ſeu* ROTRUDE *priore conjuge filius natu maximus, patris teſtamento Auſtriam, Sueviam ſeu Alamanniam, Turingiamque regendas accepit anno 741. quo etiam Pippinus frater germanus Neuſtriæ, Burgundiæ ac Provinciæ præfectus eſt, Gripponi parte aliqua Neuſtriæ, Auſtriæ Burgundiæque relicta. Hunc poſtea ſeu inviſum, ſeu turbas agitantem Carolomannus & Pippinus Lugduno * Clavato obſident, comprehenſum in Novo-caſtello Arduennæ proximo cuſtodiri jubent. Sonichildis mater Calæ Monaſterii parietibus incluſa. Erat per id tempus Gallia ſine Rege: nam Theoderico anno 737. mortuo,* interregnum *fuerunt productum ad annum 742. quo Carolomannus, & Pippinus Childerico Regis nomen impoſuerunt, ſervata ſibi poteſtate. Raro tamen ab illius temporis Scriptoribus dicti ſunt* Reges *ſive Carolomannus, ſive Pippinus ante annos decem, quam hic Rex a Francis ſalutatus eſt.* Duces & Principes Francorum *nominari mos erat. Audi Annales Fuldenſes:* Anno 741. Carolus anno ducatus ſui 28. moritur Pariſius, & apud S. Dionyſium ſepelitur: cujus filii Carlomannus & Pippinus ſub obtentu Major-domatus totius Franciæ Regnum ſuſcipiunt & inter ſe dividunt. Rex *tamen dicitur Karolomannus in hiſtoria elevationis S. Hucberti Epiſcopi Leodicenſis, & apud alios Auctores nonnullos.*

* Laon

Rex aliquando dictus.

Varia bella conficit.

3. *Dum hanc dignitatem geſſit Carolomannus, varia bella confecit. Hunoldum Aquitaniæ Ducem Pippino fratre adjuvante vicit fugavitque: rebellantes non ſemel perdomuit Alamannos, itidemque Odilonem Bajoariorum Ducem, quem in gratiam recepit. Saxones diſſidentes in ſuam poteſtatem revocavit. Hæc breviter dicta ſint de bellicis Carolomanni factis, quæ rerum Francicarum tractatoribus fuſius enarranda relinquimus.*

Eccleſiæ res curat.

4. *Mirum quantum rei Chriſtianæ & eccleſiaſticæ curam habuerit piiſſimus Princeps. Argumento ſunt Concilia variis in locis eo procurante habita. Primum occurrit Concilium Carolomanno auctore in Germania celebratum anno 742. cujus hæc Præfatio:* Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini 742. undecimo videlicet Kalend. Maji, cum conſilio ſervorum Dei & Optimatum meorum, Epiſcopos qui in Regno meo ſunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregavi, *&c. Anno vero inſequenti* in ſynodali conventu qui congregatus eſt ad Kalendas Martias in loco qui dicitur Liptinas *agri Camaracenſis, Synodi Germanicæ acta confirmavit, novaque confici curavit. Huc ſpectant Zachariæ Romani Pontificis epiſtolæ duæ ad Bonifacium, nimirum inter Bonifacianas epiſtolæ 138. & 142. quæ tamen ordine 143. debet numerari.*

Loca ſancta donis afficit.

5. *Eluxit etiam in eo pia in loca ſancta munificentia, quam Othlonus in lib. 1. de*

Digitized by Google

de Vita S. Bonifacii cap. 36. *& lib.* 2. *cap.* 16. *ceteris Principibus proponit in exemplum.* *Nam Carolomannus* locum juxta ripam fluminis Fuldæ ſitum, ad tria miliatia paſſuum *conceſſit Bonifacio ad condendum Fuldenſe Monaſterium*, *& miſſis nuntiis nobiles incolas rogavit*, ut omnes qui infra marcham ſupra nominatam aliquid proprietatis haberent, facerent quæ & Princeps feciſſet. *Præterea apud Folcuinum de geſtis Abbatum Laubienſium cap.* 6. *in Spicilegii tomo* 6. *fit mentio donationis ab ipſo Principe factæ Laubienſi Monaſterio*, apud Liptinas villa publica, quo facit Februarius dies ſex, anno ſecundo regnante Hilderico: *& S. Burchardo Vuirtziburgenſi Epiſcopo* villam Michelnſtat *conceſſiſſe dicitur apud Egilvvardum*. *Porro* Carolomannus Rex *ſeu Princeps*, anno regni *ſeu major-domatus* ſui tertio *interfuit elevationi corporis S. Hucberti Leodicenſis Epiſcopi, cui varia dona ac prædia tribuiſſe memoratur. Lege hiſtoriam Tranſlationis S. Hucberti Sæculo inſequenti ad annum* 716. AN. CHR. 755. 17. Aug.

6. *His rebus pie fortiterque geſtis Carolomannus ſæculi fugam cœpit meditari. Varias ſeceſſus cauſas referunt Auctores. Vualafridus Strabus id factum ait* ob amorem regni cœleſtis & cauſa vitæ quietioris. *In Annalibus Francorum ab anno* 726. *ad* 796. *productis, quos Philippus Labbeus ex codice Maſciacenſi edidit in tomo* 2. *novæ Bibliothecæ, leguntur hæc verba:* Anno 746. Carolomannus intravit Alamanniam, ubi fertur quod multa millia hominum ceciderit: unde compunctus Regnum reliquit. *Et certe ex continuato Fredegarii Chronico patet, Carolomannum anno ſexto regni ſui Alamannis bellum intuliſſe*, & cum magno furore, *quod contra ipſam* fidem fefelliſſent, peracceſſiſſe in eorum patriam, & plurimos eorum gladio trucidaſſe. *Et tamen addit Continuator, ipſum* devotionis cauſa ac divino inſtinctu ſuccenſum *Regno ſeſe abdicaſſe. En verba:* His ita geſtis, *nempe Alamannica expeditione confecta*, ſequenti curriculo annorum Carolomannus devotionis cauſa inſtinctu ſuccenſus, Regnum una cum filio ſuo Drogone manibus germani ſui Pippini committens, ad limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romam in Monachorum ordinatione perſeveraturus advenit. De ſæculo fugiendo cogitat, cur.

7. *Ex eodem Continuatore ſatis intelligitur, Carolomanni ſeceſſum contigiſſe anno ſeptimo regni, hoc eſt anno* 747. *quod aliis argumentis confirmari poteſt. Hunc annum ſignant Annales Fuldenſes:* Anno 747. Carlomannus relicta quam tenebat poteſtate Romam vadit, ibique mutato habitu religioſe victurus, in Caſinum ad S. Benedictum ſecedit, & Monachus efficitur. *Eadem fere Hermannus Contractus ad eumdemmet annum, quam etiam exprimit Lambertus Scafnaburgenſis Monachus Herſfeldenſis. Nec audiendi ſunt, qui hunc ſeceſſum ad annos ſuperiores revocant. Quippe Carolomannus chartæ cuidam de finibus & terminis Fuldenſis Monaſterii apud Brovverum invenitur ſubſcripſiſſe* anno dominicæ Inc. 747. principatus vero anno 6. menſe Martio, 22. die. quo anno.

8. Carlomannus, *teſtante Vualafrido Strabo in libro de miraculis S. Galli cap.* 11. dum cauſa quietioris vitæ Romam tenderet, ad S. Galli Monaſterium cauſa orationis acceſſit... Cumque vellet ibidem degentibus aliquod ſuæ largitatis conferre ſolatium, ſed retractaret a negotiis ſe Regni disjunctum explere non potuiſſe quod voluit; fratri reſcripſit, ut ſui amoris intuitu eidem Monaſterio aliquod regiæ largitatis ſolatium dignaretur impendere: quod Pippinus præſtitit. S. Galli Monaſterium inviſit.

9. *Poſthæc* Carolomannus pro amore cœleſtis regni, *inquit Herkempertus*, terrenum relinquens regnum, Romam adiit, & a Zacharia Papa factus eſt Monachus: & poſt aliquantum temporis ad B. Benedicti quod Aquinenſium finibus ſitum eſt, profectus eſt Monaſterium. *Herkemperto præivit Eginhardus in Annalibus ad annum* 746. Karolomannus Romam profectus, dimiſſa ſæculari gloria habitum mutavit, & in monte Soracte Monaſterium in honorem S. Silveſtri ædificavit: ubi quondam tempore perſecutionis quæ ſub Conſtantino facta eſt, latuiſſe fertur. Ibique aliquamdiu commoratus, meliori conſilio hoc loco dimiſſo, ad Monaſterium S. Benedicti in Samnio pro- Romæ fit Monachus.

AN. CHR. 755 17. Aug. vincia juxta Caſſinam arcem conſtitutum Deo ſerviturus venit, ibique monachicum habitum ſuſcepit. *Immo jam monaſticum habitum a Zacharia Papa acceperat.*

NOTA. *Quocirca obſervare operæ pretium eſt, tunc in more poſitum fuiſſe, ut plerique Reges ac Principes, ſæculo nuntium remittere volentes, a Romano Pontifice tonſuram veſteſque religioſas ſuſciperent. Id teſtantur Offa, Coenredus, & Ina Reges Britanniæ inſulæ. Teſtatur & Ratchiſus Langobardorum Rex, qui* divino inſtinctu, *uti ſcribit Herkempertus, & ex eo Leo Marſicanus*, regalem relinquens dignitatem, devote cum uxore ad B. Petri Principis Apoſtolorum pervenit limina: Clericuſque effectus, *id eſt tonſura donatus*, monaſtico indutus eſt ſchemate cum uxore & filiis. Et ille quidem cum filiis ad B. Benedicti Cœnobium profectus eſt, ubi ſub arctiſſima vitæ diſtrictione vitam finivit: uxor vero ejus Taxia nomine cum reptivida prole ſua ſimiliter mutato habitu, *&c. Eum ad modum Carolomannus Zachariæ manibus tonſus, veſtem monaſticam induit, & in montem Soractem ſe recluſit. Anaſtaſius Bibliothecarius in Zacharia addit, Carolomannum* ad B. Petrum cum aliquantis ſuis adveniſſe fidelibus, ſeſeque eidem obtuliſſe Apoſtolo: atque in ſpirituali habitu ſe fore permanſurum ſpopondiſſe, Clericatus jugum ab eodem ſanctiſſimo ſuſcepiſſe Pontifice: *ubi Clericatus nomine, monaſticum ſtatum intelligit: quo ſenſu paſſim alibi hoc vocabulum uſurpatur, ut alias oſtendimus. Subdit Anaſtaſius:* Et inter alia multa dona obtulit B. Petro Apoſtolo ante confeſſionem, arcum argenteum majorem penſantem libras ſeptuaginta. Et poſt aliquantum temporis ad B. Benedicti quod in Aquinenſium finibus ſitum eſt, profectus eſt Monaſterium, in quo & ſuam finiri vitam jure profeſſus eſt jurando. *Hinc corrigas Annales Mettenſes alioſque nonnullos, qui Carolomannum primo Caſinum adiiſſe, ibique Monachum factum adfirmant.*

Monachos in monte Soracte fuiſſe.

10. *Si quis vero adhuc dubitare pergat, Carolomannum non Clerici ſæcularis, ſed Monachi habitum geſtaſſe in Monaſterio Soractenſi, legat epiſtolas duas Pauli Papæ ad Pippinum Francorum Regem. In prima quæ apud Cheſnium in tomo 3. Hiſt. Franc. inter Pontificias epiſtolas duodecima eſt, Paulus concedit Pippino* Monaſterium B. Silveſtri cum aliis tribus ei ſubjacentibus, id eſt B. Stephani, atque beatorum Andreæ & Victoris cum omnibus eis generaliter & in integro pertinentibus, pro ſuſtentatione peregrinorum & alimoniis fratrum noſtrorum Chriſti pauperum, atque Monachorum illic nunc & in poſterum ſpiritalem vitam degentium. *In alia epiſtola quæ ordine* 16. *eſt, Paulus innuit, idem Monaſterium a Pippino reſtitutum Eccleſiæ Romanæ fuiſſe, cui antea Carolomannus jam illud ſubjecerat. Denique id diſertis verbis tradit Eginhardus in Vita Caroli Magni cap.* 2. Frater ejus Karolomannus, *inquit*, incertum quibus de cauſis, tamen videtur quod amore converſationis contemplativæ ſuccenſus, operoſa temporalis Regni adminiſtratione relicta, Romam ſe in otium contulit: ibique habitu permutato Monachus factus, in monte Soracte apud Eccleſiam B. Silveſtri conſtructo Monaſterio cum Fratribus ſecum ad hoc venientibus per aliquot annos optata quiete perfruitur.

Carolomannus cur Soractem deſerit.

11. *Quid cauſæ fuerit, ut Carolomannus montem Soractem reliquerit petieritque Caſinum, aperit idem Auctor & ex eo Adrevaldus in lib. de Mirac. S. Benedicti cap.* 14. Monaſticæ *quippe* vitæ normam adeptus, in monte Soracte apud Eccleſiam B. Silveſtri exſtructo Monaſterio cum Fratribus ſecum ad hoc convenientibus nonnullo tempore optata quiete perfruitur. Sed ex Francia multi nobilium ob vota ſolvenda Romam cum ſollemniter commearent, & eum velut dominum quondam ſuum præterire nollent; otium quo maxime delectabatur, crebra ſalutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum hujuſmodi frequentiam ſuo propoſito officere vidiſſet, relicto monte in Samnium provinciam ad Monaſterium S. Benedicti ſitum in caſtro Caſini ſeceſſit, atque ibi quod reliquum fuit mortalis vitæ, religioſe converſando complevit.

Digitized by Google

12. *Caſinenſi Monaſterio etiam tum præerat* PETRONAX *Abbas, qui variis modis Carolomanni patientiam probavit. Alii alia de eo referunt. Regino ait ſuo tempore exemplum* de ſancto viro *circumferri ſolitum. Nempe Carolomannus frequenti popularium ſalutatione in Soractenſi Monaſterio laudibuſque hominum pulſatus, noctu univerſis inſcientibus aufugit uno comite ſibi fidiſſimo, & ad Caſinenſe Monaſterium pervenit: ubi demiſſis poſtulationibus Abbatem exoravit, ut ſibi homini Franco, omnium ſceleratiſſimo poteſtatem faciat iſto in loco agendi pœnitentiam vitæ prioris. Abbas eum una cum ſocio in cellam Novitiorum admitti jubet, & barbaræ gentis hominem artiſſime probari. Poſt annuam probationem factis ſollemnibus votis ſocietati Monachorum adjunctus, dum culinæ vice ſua humillime fungitur, ſed artis culinariæ ignarus in multis offendit, coquus mero fervens ei colaphum impingit. Carolomannus nihil motus,* Tibi, *inquit,* Frater, ignoſcat Deus & Carolomannus. *Iterum eidem eamdem ob cauſam ſeſe pulſanti eadem precatus eſt. Cum vero tertio atrociter a coquo cæderetur; Francus alter peregrinationis comes, rei indignitate commotus, rapto piſtillo coquum repercuſſit, exclamans:* Nec tibi Deus parcat, ſerve nequam, nec Carolomannus ignoſcat. *Id ubi reſcivit Abbas, Francum cuſtodiæ mandari jubet, ac ſequenti die coram omnibus eductum interrogat, cur Fratrem miniſtrum pulſaviſſet.* Quia, inquit, vidi ſervum nequiorem omnibus, virum meliorem & nobiliorem omnibus quos in terra converſari ſcio, non ſolum verbis dehoneſtare, ſed etiam plagis afficere. *Irati Monachi quod hominem peregrinum ceteris prætuliſſet, percontantur quis ille eſſet, qui bonitate & nobilitate omnes antecederet. Ille neceſſitate compulſus reſpondit:* Iſte eſt Carolomannus quondam Rex Francorum, qui pro Chriſti amore Regnum & gloriam mundi dereliquit. *Quo audito Monachi tremefacti ex ſedibus conſurgunt,* veniam poſtulant de contemtu, *ut qui ejus dignitatem ignoraviſſent. Ille contra humi proſtratus negat hæc vera eſſe, ſe non Carolomannum, ſed peccatorem eſſe & homicidam: hoc effugium a populari ſuo excogitatum, quo facti pœnas evaderet. Sed tamen* cognitus ab omnibus, cum magna reverentia eſt obſervatus. *Id Regino fuſe narrat, iiſdemque verbis commemorant Annales Mettenſes: quod aliis æſtimandum relinquo.*

Caſini variis modis probatur,

in culina.

13. *Leo Marſicanus in Chronici Caſinenſis lib.* I. *cap.* 7. *tradit, Carolomannum a Zacharia tonſum,* poſt aliquot dies *ad Beati Benedicti Monaſterium ab eodem fuiſſe tranſmiſſum:* ubi ſub regimine prædicti Abbatis, (*Petronacis ſcilicet, non Optati, ut in Annalibus Mettenſibus*) cum omni humilitate & devotione Domino ſerviens, per aliquot deguit annos. *Atque ut ipſius animum probaret Abbas, paſcere eum oves jubet.. Cui miniſterio dum ille ſedulo dat operam, forte in latrones incidit: quos ab ovium rapina compeſcere pro viribus tentat, vir priſtinæ ſuæ fortitudinis haud oblitus. Illi hominem minime repugnantem exſpoliant, nudumque deſtituunt. Sic nudus in Monaſterium reverſus, Abbati & Monachis quid ſibi acciderit narrat. Tum Abbas experturus, vera an ſimulata eſſet patientia, acriter eum cœpit increpare;* ſegnem ac ſtultum *appellans. Quod cum Carolomannus modeſte & nullo reddito verbo tuliſſet, pecoris curam reſumere jubetur. Forte quondam oves citato curſu agens, ut ad horam conſtitutam occurrere poſſet; claudicantem oviculam humeris impoſuit, & in caulam cum aliis revexit. Abbas viri patientiam & demiſſionem admiratus, eum a cuſtodia pecoris ceſſare juſſit, & horto excolendo inſudare præcepit. Utra narratio, Reginonis an Leonis, immo an utraque vera ſit, non facile quis dixerit. Homines quantumvis nobilitate ac dignitate præſtantes, vilibus quibuſque miniſteriis in Cœnobiis addictos fuiſſe, pluribus exemplis conſtat. Certe Adalardus, Caroli Magni conſobrinus, dum Corbejæ Monachus ageret, in horti cultura laborare ſolitus erat. Ut mirum non ſit, Carolomannum, etiamſi notus fuerit, apud exteros id egiſſe, quod Adalardus Regis conſanguineus apud populares lubentiſſime tulerit. Taceo id quod in quibuſdam Francorum Annalibus a Philippo Labbeo editis*

in ovium cuſtodia.

Digitized by Google

AN CHR. 756 *tis tomo 2. novæ Bibliothecæ refertur de anſerum cuſtodia Carolomanno commiſſa.*

17. Aug. An venerit in Galliam pro recuperandis S. Benedicti Reliquiis.

14. *Carolomannus Caſinenſium Monachorum impulſu litteras petiiſſe a Zacharia Papa ad Pippinum Regem dicitur, quo S. P. Benedicti Reliquias in Galliam translatas, Caſinum reduci juberet: iiſque litteris acceptis ad Pippinum ea de cauſa acceſſiſſe. Profert Zachariæ litteras Adrevaldus in libro de miraculis S. Benedicti cap. 15. additque, negotii curam Pippini juſſu demandatam Remigio Rotomagenſi Antiſtiti, qui ab efferendis Sancti Reliquiis divinitus impeditus ſit. Carolomannum in Galliam acceſſiſſe Stephano Papa tertio conſtat: an vero acceſſerit Zacharia adhuc ſuperſtite, non conſtat. Nam Francicarum rerum ſcriptores veteres unam Carolomanni reverſionem in Franciam agnoſcunt. Obtinuerit a Zacharia litteras Carolomannus pro repetendo S. Benedicti corpore: ſed eas ad Pippinum perferendas legatis commiſit, uti ex mſ. hiſtoria Epiſcoporum Rotomagenſium probavimus Sæculo 2. ad præcitatum Adrevaldi locum. Unum hic remoram facit, ſcilicet Remigium necdum tum ſuperſtite Zacharia præſediſſe Eccleſiæ Rotomagenſi, quam anno 755. regere cœpit. Verum id licet præſtiterit ante acceptam dignitatem, quod a Pippino jubebatur; potuit tamen ſcriptorum oſcitantia tribui jam Epiſcopo, quod necdum Epiſcopus fecit, ſed aulicus & Regis frater. Hic eſt* REMEDIUS *Pippini germanus*, cujus Monachos Simeoni ſcholæ Cantorum Priori contradidit Paulus Stephani Papæ III. ſucceſſor, ad inſtruendum eos in pſalmodiæ modulatione, quam ab eo adprehendere tempore quo Simeon in Francia exſtitit nequiverant. *Exſtat ea Pauli epiſtola apud Cheſnium in tomo 3. Hiſt. Franc. ordine 43. inter Pontificias.*

Venit in Franciam Aiſtulfi impulſu.

15. Anno 753. *inquit Eginhardus in Annalibus*, Stephanus Papa venit ad Pippinum Regem in villa quæ vocatur Cariſiacus, ſuggerens ei, ut ſe & Romanam Eccleſiam ab infeſtationibus Langobardorum defenderet. Venit. & Carolomannus frater Regis, jam Monachus factus, juſſu Abbatis ſui, (Optati) ut apud fratrem precibus Romani Pontificis obſiſteret. Invitus tamen hoc feciſſe putatur: quia nec ille Abbatis ſui juſſa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Langobardorum qui ei hoc impetraverat, audebat reſiſtere. *Et Anaſtaſius Bibliothecarius in Stephano III.* Interea nefandiſſimus Aiſtulfus Carolomannum fratrem benigniſſimi Pippini Regis a Monaſterio Beati Benedicti, in quo devote per revolutum temporis ſpatium monachice degebat, diabolicis ei ſuaſionibus ſuadens, Franciam provinciam ad objiciendum atque adverſandum cauſæ redemtionis ſanctæ Dei Eccleſiæ, Reipublicæ Romanorum direxit. Dumque illuc conjunxiſſet, *id eſt perveniſſet*, nitebatur omnino & vehementius decertabat ſanctæ Dei Eccleſiæ cauſam ſubvertere. Sed propitiante Domino minime valuit ſui germani Chriſtianiſſimi Pippini Regis Francorum in hoc firmiſſimum cor inclinare, *&c. Anaſtaſius hic aliter ſentit atque alii fere hiſtorici, qui Carolomannum ajunt quidem in Franciam veniſſe, ſed invitum: nec quidquam, uti juſſus fuerat, adverſus Stephanum Papam molitum fuiſſe.*

Filii ipſius tonſi.

16. *In veterrimis Francorum Annalibus ab anno 708. ad 800. apud Cheſnium editis tomo 2. Hiſt. Franc. hæc leguntur:* Anno 753. Papa Stephanus venit ab urbe Roma in Franciam, & Karlomannus poſt eum: & filii ejus tonſi ſunt. *Eadem verba leguntur in Chronico Fontanellenſi cap. 15. (in editis 14.) ubi de Vvidone Abbate. An plures Carolomannus habuerit filios, non omnino certum. Forſitan Auctores modo citati filios Carolomanni fratris Caroli Magni a Regno excluſos, & in Italiam abductos a matre, Carolomanno patruo attribuunt. Certe de unico hujus Carolomanni filio mentio fit in Bonifaciana epiſtola 42. & Fredegarii Continuator meminit unius Drogonis, qui ſi tonſus eſt, id factum ut paterni Regni exſors fieret. Niſi in tonſionis nomine intelligenda eſt prima deciſio capillorum, quæ ſollemni ritu tum fiebat, teſtante Paulo Vvarnefridi in lib. 6. de geſtis Langob. cap. 53. ubi dicitur* Carolus Princeps Francorum Pippinum filium ſuum ad Liudprandum direxiſſe, ut ejus

Digitized by Google

ejus juxta morem capillum ſuſciperet. Qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt. AN.CHR. 755

17. Anno 755. *ut præferunt Eginbardi Annales*, Karolomannus Monachus frater Regis, qui cum Bertrada Regina in Vienna civitate remanſit, priuſquam Rex de Italia reverteretur, febre correptus diem obiit. Cujus corpus juſſu Regis ad Monaſterium Sancti Benedicti, in quo monachicum habitum ſuſceperat, relatum eſt. *Anaſtaſius in Stephano adfirmat, Carolomannum Viennæ in Monaſterio obiiſſe.* Tunc pari conſilio, *inquit*, iſdem ſanctiſſimus Papa cum denominato Francorum Rege conſilio inito, juxta id quod præfatus Carolomannus Deo ſe devoverat monachicam degere vitam, in Monaſterio eum illic in Francia collocaverunt: ubi & poſt aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit anno Domini 755. *Quo in loco etſi annus Incarnationis in Anaſtaſii textum irrepſiſſe videatur; certus tamen ex Eginbardo & aliis calculus efficitur. Plura in civitate Vienna Allobrogum erant Monaſteria, ſicuti in Vita Sancti Clari Abbatis vidimus Sæculo 2. in quonam illorum deceſſerit Carolomannus, incertum. Ex his corrigas Petrum Bibliothecarium & Annales Fuldenſes, in quibus Karolomannus Lugduni obiiſſe fertur. Herkempertus tradit*, Carolomanni corpus in locello aureo ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monaſterium in Caſino remiſſum fuiſſe: *id quod ex eo Leo Marſicanus accepit.* Noſtro ævo, *ait Angelus de Nuce in caput 7. libr. 1. Chronici Caſinenſis*, Carolomanni oſſa ſub ara maxima inventa ſunt in urna onychina. *Quæ Inventio in Martyrologio Benedictino memoratur 4. Kalend. Aprilis, obitus vero 16. Kalend. Septembris. Quamquam in vetuſto Necrologio Flaviniacenſi mors Carlomanni* prid. Nonas Decembris *reponitur his verbis:* Obiit Karlomannus Monachus, frater Pippini. *At ſive Auguſto menſe deceſſerit, ſive Decembri; ſine dubio mortuus eſt poſt Bonifacium Moguntinum Antiſtitem, qui Nonis Junii affectus martyrio eſt eodem anno 755. ut quidam Auctores tradunt; ſeu potius anno præcedente, ut probant Eginbardus, Annales Fuldenſes & alii. Hinc colligo in privilegium Bonifacio a Pippino Rege conceſſum irrepſiſſe verba illa, quibus* Karlomannus bonæ memoriæ *appellatur apud Othlonum in libro ſecundo de vita Sancti Bonifacii cap. 18. In quodam diplomate, quod Pippinus ipſe Fulrado Abbati Dionyſiano pro Exona villa tribuit anno regni 15. id factum dicitur eo pacto, ut melius delectet ipſos Monachos pro ſe & pro* bonæ memoriæ germano *ipſius* Karlomanno attentius deprecari. 17 Aug. Carolomannus obiit. Corpus relatum Caſinum. Inventum.

18. *Carlomannus* ſanctus *dicitur apud Reginonem Monachum Prumienſem: nec ſcio an alibi hoc nomine donetur apud veteres. Vvion nomen ipſius inſeruit faſtis Benedictinis: tametſi Caſinates nullo eccleſiaſtico officio ejus memoriam colunt. Non omittenda verba Annalium Mettenſium ad annum 754.* Eodem anno beatæ memoriæ Karlomannus Monachus Vienna civitate, in qua cum Bertrada Regina infirmus remanſerat, poſt multos in infirmitate dies migravit ad Dominum. Carolomannus ſanctus.

19. *Monachos Caſinates nonnullos legationis ſocios habuit Carolomannus: quos cum in Gallia retineret Pippinus, Optatus Caſinenſis Abbas repetiit per Stephanum Papam. Huc enim ſpectant poſtrema ipſius Stephani verba in epiſtola quadam ad Pippinum.* Hoc præcelſæ & a Deo cuſtoditæ excellentiæ veſtræ innoteſcimus, quia petiit nobis OPTATUS religioſus Abbas veſtri Monaſterii S. Benedicti pro Monachis ſuis, qui cum tuo germano profecti ſunt, ut eos abſolvere jubeas: ſed qualiter tua fuerit voluntas, ita de eis exponere jubeas. *Eos cum loculo Carolomanni Caſinum repedaſſe veri ſimile eſt.* Monachi Caſinates repetuntur.

20. *Dum Simplicius Caffarellus Abbas Caſinenſis ſanctuarium baſilicæ novo opere novaque ara exornare vellet, in fornice ſubterraneo reperit corpora Sanctorum Simplicii & Conſtantini Abbatum, adeoque Carolomanni Principis: quam inventionem Martyrologio noſtro inſcriptam* 4. Kalend. Aprilis *ſuperius diximus. Dum ornando ſanctuario incumbunt operæ, ne cæmentariorum imprudentia aut caſu aliquo violarentur exuviæ ſacræ, interim in ſacrario adſerva-* Inventio Carolomanni.

AN.CHR. 755 17. Aug. *tæ ſunt : perfecto demum opere ſubtus aram honorifice recondita Kalend. Octobris anni 1628. Ejuſce rei hiſtoriam fuſe & eleganter deſcripſit Marcus Antonius Scipio Monachus congregationis Caſinenſis in libro de Elogiis Abbatum ſacri iſtius Monaſterii, ex quo hanc de Carolomanno inſcriptionem referre non pigebit.*

CORPUS S. CAROLOMANNI REGIS ET MONACHI CASINENSIS,
QUEM CLARIOREM REDDIDIT CELLA QUAM REGIA,
CUCULUS QUAM PURPURA, PEDUM QUAM SCEPTRUM,
OBEDIENTIA QUAM IMPERIUM:
E MONASTERIO VIENNENSI (UBI CUM APUD PIPINUM FRATREM,
FRANCORUM REGEM,
AD ITALIÆ PACEM PROCURANDAM LEGATIONE FUNGERETUR,
VITA FUNCTUS EST) HUC TRANSMISSUM,
ET AD SS. PARENTIS BENEDICTI PEDES POSITUM,
SIMPLICIUS CAFFARELLUS HUJUS SAC. COENOBII ABB. CXXVIII.
UT QUI HONORIS INSIGNE REPULIT VIVENS,
RECIPERET MORTUUS SOLEMNI POMPA ELEVATUM,
IN ORNATIOREM LOCULUM REPOSUIT KAL. OCTOB. AN. MDCXXVIII.
PONTIFICATUS S. D. N. URBANI OCTAVI ANNO VI.
PHILIPPO IV. HISPANIARUM REGE CATHOLICO REGNANTE.

AN.CHR. 756 17. Apr.

VITA SANCTI WANDONIS
ABBATIS FONTANELLENSIS IN GALLIA,

Ex Chronographo Fontanellenſi ſubpari in Spicilegii tomo 3.

Vvando Abbas, * le Tallou

1. WANDO Presbyter, a patre BALDRICO nomine progenitus, territorio *Tellau* * ortus, regimen adſumſit Cœnobii ab anno dominicæ Incarnationis 742. *a*, qui eſt annus primus Principatus CAROLOMANNI & PIPPINI, præſidente Romanæ Eccleſiæ anno primo ZACHARIA Apoſtolico. Igitur idem vir religioſus Vvando, dum de Trajecto caſtro, ubi ad exſilium ductus fuerat, cum permiſſu ac juſſione glorioſiſſimi Principis Pippini reverteretur, pignora reliquiarum beati Servatii Confeſſoris adſumens *b* ſecum detulit: venienſque in hunc locum ædificavit baſilicam in honore ipſius Confeſſoris Chriſti juxta Eccleſiam beati Principis Apoſtolorum Petri ad meridianam ejuſdem Eccleſiæ plagam. In qua ſolarium *c* condidit, ita ut per gradus ſurſum adſcenderetur: collocavitque ibi altare unum, in quo de reliquiis prædicti Confeſſoris poſuit. Quo in loco ob meritum ejuſdem almifici Confeſſoris Chriſti plurimæ a Domino patratæ conſtant fore virtutes. Nam ut e plurimis unum proferam, lampas quæ coram ara hujus baſilicæ dependebat, poſtquam in ea ſemel poſitum fuit, ſponte liquorem olei in uſu lucernæ nullo quippiam adjiciente per plurimos manavit annos, donec quidam latomus, ſicut relatione cujuſdam venerabilis ſenis didici, qui tunc temporis in hoc degebat Monaſterio, furtim inde abſtulit: ſicque deinceps ob piaculi hujus facinus manare deſiit.

S. Servatio Oratorium condit,

2. Aliud

a Prius ab anno 716. in annos tres ſubrogatus fuerat in locum Benigni Abbatis ab Ragenfrido pulſi, ex dictis ſupra ad annum 723. ubi de Benigno Abbate: ubi etiam de Vvandonis exſilio apud *Vviltaburg* ſeu *opidum Vviltorum*, *lingua Gallica Trajectum*, vulgo *Utrech*, ad Rhenum.

b Nempe ex Trajecto ſuperiori, *Maſtrich*, ad Moſam, ubi ſepultus S. Servatius.

c Sic non raro ſuperius conclave ſeu tabulatum exprimunt Scriptores veteres. Exemplis id confirmare poſſem, ſi res poſtularet. De ſolariolo in Actis S. Auſtrulfi Abbatis infra poſt hanc Vitam.

Digitized by Google

2. Aliud quoque memorabile miraculum huic operi inſerere commodum duxi. Quodam denique tempore, id eſt anno dominicæ Incarnationis 756. qui erat PIPPINI Regis annus quintus, Eccleſia beati Petri per culpam incuriæ igne cremata eſt. Hæc autem beati Servatii Confeſſoris baſilica contigua erat illi. Cumque furentium flammarum globi alta peterent, aliqui ex Fratribus ad ipſum virum religioſum Vvandonem, qui in eadem ſanctiſſimi Servatii baſilica reſidebat, accedunt, monebantque ut egrederetur, metuentes, quia adhærebat ei quæ incendium patiebatur, ne ſimiliter igne concremaretur. Tunc idem vir Domini reſpondiſſe fertur: Si potuerit, me quidem ſanctus Servatius ac baſilicam iſtam, quam devoto pectore ædificavi, ab his ignibus defendi faciat: ſin vero, ſponte cum ipſa temporale ſubire non recuſo incendium. In eadem denique baſilica, ſicuti dixerat, orationi inſiſtens remanſit: exuſtaque ſancti Petri baſilica, hæc illæſa permanſit obtentu beati Servatii Præſulis. Erat namque idem Vvando amator Eccleſiarum, ſemperque de lege Domini meditationem agere volebat.

AN. CHR. 756

17. Apr. ubi ipſe illæſus ab igne ſervatus.

3. Anno igitur HILDEBERTI Regis ſecundo ad converſionem veniens ſub HILDEBERTO Abbate, ex propria hereditate contulit jure poſſidendi huic Cœnobio in pago *Vimnau*, ſuper fluvio *a* Vimina in loco qui vocatur Quatuor-Molas, tertiam partem de Cora, de Haiſmedisvilla tertiam ſimiliter partem, de Buxido nihilominus tertiam partem, de Pyro ſimiliter; de Balliolo *b* in pago *Tellau* tertiam ſimiliter partem; necnon & de illis vineis quæ ſunt in pago *Tellau* ſuper fluvio Viſrona. Huic venerabili Patri dedit Ragenfridus intarta *c* fiſcum qui vocatur Vvintlana, anno ſecundo HILPERICI Regis, qui erat dominicæ Incarnationis 717. Indictione 15. ſub die quinto Kalend. Octobrium, feria ſecunda. Plurimæ namque res Eccleſiæ noſtræ in hujus adminiſtratione accreverunt. Dimiſit autem in Eccleſia S. Petri offertorium argenteum cum patena, capſam auro decoratam, & alia ornamenta diverſa; codicum etiam copiam non minimam, quod dinumerare oneri eſſe videtur. Sed aliquos ob memoriam illius inſerere placuit; id eſt codicem unum Romana littera ſcriptum, in quo continetur expoſitio brevis trium Evangeliſtarum, id eſt Joannis, Matthæi & Lucæ. Arnobii Epiſcopi & Rhetoris ſermo de Adam qui perierat. Rufini ex hiſtoria eccleſiaſtica, de Spiridione Epiſcopo: ejuſdem de muliere captiva, ex eadem Chronica ab eodem tranſlatum, quæ Hiberorum gentem ad Chriſti fidem convertit. Fides Nicæni Concilii. Exhortatio S. Macharii ad Monachos. Item Rufini ſermo de jejunio & oratione. Vita & Paſſio S. Felicis Nolanæ urbis Epiſcopi. Epiſtola S. Leonis Epiſcopi Nolenſis ad Marcellum Presbyterum ejuſdem Eccleſiæ. Regula Sanctorum Patrum Serapionis & Macharii, & alterius Macharii & Paphnutii. Regula S. Auguſtini Epiſcopi. Epiſtola beati Auguſtini ad Felicem & Hilarium. Epiſtola S Hieronymi de caſtitate: item epiſtola beati Hieronymi ad Nepotianum: item epiſtola ejuſdem ad Evangelium Presbyterum, de Melchiſedech: item idem ad Ruſticum. Epiſtola S. Clementis Papæ ad beatum Jacobum Apoſtolum: item codicem beati Auguſtini, in quo continetur de pœnitentia: item hiſtoriam Apollonii Regis Tyri in codice uno: hiſtoriam Jordani Epiſcopi Ravennatis Eccleſiæ, de origine Gotthorum:

Fontanellæ prædia concedit,

& codices plurimos.

a Fluvius ſeu amnis Vimina is eſſe videtur, qui a vico *Viſme* ortus, dein aquis Breſellæ fluvii ſe immiſcet ad Gammachium opidum: ad quem amnem exſtat vicus *Freſſe-meulles*, a quo non longe diſtant *Aigneville*, *Caurey*, *Buz*, qui hic deſignari videntur, omnes in pago Vimnacenſi, *le Vimeux*, ad Picardiam attinente.

b Balliolum vicus uno miliari diſtans a Novocaſtello pagi Caletenſis opido, alius a Balliolo in Picardia altero fere miliari ab urbe Abbavilla: uterque vernacule *Bailleul* dictus. Lege V. C Carolum Freſnium in Notis ad Nicephorum Bryennium.

c Id eſt rebellis, a voce Græca ἀντάρτης quæ tyrannum ſignificat. Sic reſtituendum eſſe hunc locum me monuit V. C. Hadrianus Valeſius, cum in editis legatur *in Tarta*. Eodem modo etiam reſtituendus locus alter Chronographi Fontanellenſis, qui in cap. 3. Ragenfridum *intartam* vocat. Papias *intarta*, *perverſus*. Lege Anaſtaſium vulgatum in Deusdedit Papa: & Vitam S. Martinæ die 1. Januarii apud Bollandum cap. 1.

Digitized by Google

AN.CHR. 756 17. Apr.

item codicem, in quo continetur Regula S. BENEDICTI *a* & S. Columbani, & Martyrologium: item codicem, in quo continentur capitula nonaginta novem de Evangeliis Matthæi & Lucæ, expoſita ab Aurelio Auguſtino: item ſermo ejuſdem de Incarnatione Domini: item in eodem libro differentiarum ſpiritualium & carnalium Iſidori junioris *b* Hiſpalenſis Epiſcopi, in quo ſunt capitula quadraginta duo: item in eodem definitio dogmatum eccleſiaſticorum Gennadii Presbyteri Maſſilienſis: item in eodem expoſitio Fidei catholicæ S. Hieronymi Presbyteri: item S. Athanaſii *c* Alexandrinæ urbis Epiſcopi de eadem re: item in eodem libri quatuor Evangeliorum expoſitionem continentes editam a Sedulio viro ſcholaſticiſſimo *d* ad Macedonium Presbyterum: item in eodem capitula tredecim ex libro ſententiarum Iſidori: item in ipſo homiliæ tres beati Papæ Gregorii ſuper Ezechielem prophetam: item in eodem epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum adverſus hæreſim Eutychetis Presbyteri.

Podagra laborans, *Hebr. 12. 6.* *Auſtrulfum ſubrogat in locum ſuum.*

4. Laborabat autem idem egregius Pater frequenter podagrico dolore: in infirmitate tamen poſitus, ſicut & ſemper facere conſueverat, Dominum attentiſſime collaudabat, ſciens ſcriptum eſſe: *Flagellat Dominus omnem filium quem recipit;* & illud: *Quem amat Dominus, caſtigat.* Tranſactis autem ſeptem circiter poſt ſuſcepti regiminis curam annis, luminibus oculorum præ nimio ætatis ſenio privatur. Tunc una cum conſenſu ac generali Fratrum voluntate eligit pro ſe venerabilem virum nomine Auſtrulfum, qui erat Præpoſitus hujus Cœnobii, regiminis loco ſubrogandum. Quo facto, miſſa petitione ad Pippinum Principem, obſecrat ut ſuam & Fratrum electionem comprobans, ſua ex auctoritate idem Auſtrulfus Cœnobio huic præficeretur: quod ita & factum eſt. Ipſe vero venerabilis Pater Vvando bonis operibus inſiſtens, in Eccleſia B. Petri ſedulo reſidens, agonem ſuum triumphatori Chriſto, jejunando, orando, vigilando commendabat. Quantum vero fervens in Præceptis Domini adimplendis exſtiterit, quotque virtutum ſpeciebus adornatus fuerit, imbecillitati meæ proſequi ponderoſum foret. Teſtantur plurimi qui illum viderunt: ideo non neceſſe æſtimo univerſa de eo inſerere, ne legentibus nauſeam feciſſe videar. Victimam quoque hoſtiæ ſalutaris, quamdiu capitis habuit lumina, immolabat quotidie.

Miſſam quotidie celebrat.

Obit anno 576.

5. Anno denique Hildeberti Regis ſecundo, ut ſupra taxavimus, ad converſionis gratiam venit, fecitque in monachico voto annos ferme ſexaginta: quibus expletis, decrepitæ jam ætatis ſenio confectus, præſentis vitæ debitum complens ad æternam migravit requiem anno ab Incarnatione dominica circiter 756. qui erat Pippini Regis annus quintus, Vvidonislaici vero Abbatis annus primus: ſepultuſque eſt in Eccleſia beati Petri juxta beatos Chriſti Confeſſores, in apſida ejuſdem baſilicæ ad meridianam plagam. Nam BERTGAUDUS Monachus, qui eum ſepulturæ tradidit, referre erat ſolitus, quoniam dum eum poſuiſſet in ſarcophago more mortuorum, ſubito converſum fuiſſe, ſeque dextero in latere collocaviſſe, ſicuti moris eſt vivorum in ſtratu agere; viventiſque effinxiſſe ſpeciem. Rexit iſtud Cœnobium primo annis quinque *e*, ſecundo, id eſt poſt reditum ſuum de exſilio, annis ferme ſeptem. Tranſiit 15. Kalend. Maji.

MO-

a Hinc patet, utramque Regulam aliquando in nonnullis Monaſteriis obſervatam fuiſſe. Regulam enim cujuſque Monaſterii una cum Martyrologio in uno codice componi ſolitam, ſciunt rerum monaſticarum periti.

b Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, Leandri frater, non raro Junior appellatur, ut diſtinguatur ab alio Iſidoro ſeniore.

c Jam ergo ſæculo octavo vulgatum Athanaſii Symbolum magno Athanaſio adſcribebatur.

d Hoc eſt doctiſſimo. Eo enim ſenſu *Scholaſticus* paſſim uſurpatur apud antiquos Auctores.

e Et tamen in capite de geſtis Benigni Abbatis dicitur Benigno ſubrogatus dumtaxat per annos tres. In Kalendario vetuſti Breviarii Fontanellenſis ſignatur *commemoratio* VVANDONIS *Abbatis* 15. Kal. Maji.

Digitized by Google

MONITUM

in vitam ſequentem.

Etſi Auſtrulfus Vvandonis ſucceſſor ante Vvandonem obierit; ſatius tamen viſum eſt ipſius Vitam anteceſſoris ſui Actis ſubjungere eo ordine, quo in Chronico Fontanellenſi exhibentur in cap. 13. quod quartum-decimum eſſe debet.

VITA VENERABILIS AUSTRULFI ABBATIS FONTANELLENSIS IN GALLIA.

AN. CHR. 754 14. Sept.

Ex Chronographo Fontanellenſi ſubæquali in Spicilegii tomo 3.

1. AUSTRULFUS vir venerabilis, a patre SINDULFO matreque WILBERTA vocabulo, ortus territorio Curtriacenſi *a*, Abbas conſtituitur, ſicut ſupra adnotatum eſt, una cum conſenſu ac electione Fratrum, annuente ordinationi eorum pio Principe Pippino: quod factum eſſe conſtat ſub anno dominicæ Incarnationis 747. Hic egregius Pater amator hujus Cœnobii ac fortiſſimus Rector exſtitit, curamque maximam de ſtatu Regulæ & obſervatione legis Dei habuit. Denique tempore prædicti Patris Wandonis præpoſituræ ordinem cum magna geſſit moderatione ac cautela, Fratribuſque ſuis ſufficientem alimoniam ſemper implere ſtuduit, verbique divini pabulum ſedule miniſtravit, ſuiſque in actibus imitandus omnibus apparuit. Unde factum eſt, ut pro hujuſmodi meritis ſinceræque converſationis exemplis Abbatis promeritus ſit honorem: quo in culmine conſtitutus ita ſe omnibus exhibuit inreprehenſibilem, ut caſtos hujus actus omnes imitari vellent: nam quicumque illum docentem videbat, aliter operantem non redarguebat. Is Vvandoni ſubrogatur.

2. Sub hujus ergo tempore, ut videri poteſt, magnum miraculum conditor mundi omnipotens Deus ac pretioſum theſaurum populis illis in pago Coriovallenſi reſidentibus oſtendere dignatus eſt. Nam Comitatum ejuſdem pagi tenente RICWINO Comite, vas quoddam ad inſtar parvi fari in medio maris juxta locum qui vocatur Portus-Ballii *b*, ſuper aquam ferri viſum eſt: ſicque paullatim appropinquando in ipſo emporio conſtitit. Quod cernentes vicini, more vulgi mirari cœperunt, quidnam hoc fore vellet: deinde ad Comitem accedunt, rem novam pandunt: ſicque una cum Comite religioſos quoſque viros ac Sacerdotii dignitate fulgentes ad hoc inauditum ſpectaculum invitant. Qui propius accedentes cum grandi pavore, fide tamen majori inſpiciunt in latere ejuſdem turriculæ oſtiolum cera firmatum. Quod reſeratum introſpicientes, repererunt codicem pulcherrimum quatuor Evangelia continentem, Romana littera optime ſcriptum, membranis mundiſſimis honeſtaque forma confectum. Juxta quem inveniunt & capſam, quam aperientes repererunt partem ex pretioſiſſima maxilla beati Georgii Martyris cum aliis plurimis pignoribus diverſorum Sanctorum; inſuper & ſalutiferi ligni crucis dominicæ, quod in eadem capſa literis ſingillatim declaratum erat. Deinde indicto jejunio quid agendum ſit deliberant. Expleto namquè ipſo jejunio plauſtrum præparant, cui prædictum farum imponerent, ut quo Domini decreviſſet voluntas perferretur: duabus quoque vaccis eidem plauſtro applicitis, ſummi Arbitri præſtolabantur nu- S. Gregorii reliquiæ ejus tempore repertæ.

H iiiij tum.

a Curtriacum ſeu Curtracum, *Courtray*, urbs Centronum in Flandria ad Legiam fluvium, *le Lys*.
b Portus-Ballii ad Oceanum, *Portbail*, in Conſtantino, *le Cotantin*, inferioris Nortmanniæ pago.

AN.CHR. 754 14. Sept.

tum. Nec mora, eædem vaccæ concito gradu cum ipſo plauſtro populis exſpectantibus atque proſequentibus, ſine ductore ac ullius bubulci administratione ad eum locum, qui uſque nunc Brucius vocatur, pervenerunt. Erat autem poſſeſſio cujuſdam illuſtris viri. Ibi namque ut Eccleſia conſtrueretur in honore beati Georgii Martyris, omnibus placuit. Comes tamen prædictus primus in hoc negotio erat, qui una cum populis ſibi ſubditis condidit in eodem loco baſilicam in honore beati Georgii Martyris: duæque aliæ Eccleſiæ, id eſt una in honore beatiſſimæ matris ac perpetuæ Virginis Mariæ; altera in ſanctæ Crucis eſt fabricata honore: ubi divina præſtante clementia, obtentu Sanctorum pignora ſacratiſſima cum particula pretioſi capitis ſancti Georgii Martyris Chriſti ſervantur, tanta fiunt uſque ad præſens miracula, ut niſi a Fidelibus qui noverunt Dominum plurimas in Sanctis ſuis operari virtutes, fidem excedant. Eſt autem idem vicus in ardui montis planitie ſitus, cui ab auſtrali plaga fluvius adjacet, qui vocatur Undua, diſtans ab eo loco plus minus millia duo. Turriculæ autem illius formam, in qua eædem reliquiæ conditæ erant, quia vidi, etiam deſcripſi. Eſt autem formæ quadratæ, ex quatuor videlicet angulis ab imo adſurgens: & ita opus omne paullatim minuendo in latitudine, in ſummo anguſtum redditur, ut pyramidem in altitudine reddat, uniuſque mali parvi concluſione ſolidetur. Habet quoque in medio ſui ſolariolum *a*, in quo codex ille evangelicus cum capſa illa ſervabatur, cui deſuper aptum eſt laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plus minuſque trium. De qua vero parte aut loco, aut qualiter in ipſum pagum pervenerit, ab univerſis incolis ejuſdem loci uſque ad præſens habetur incertum.

Ædificata in S. Georgii honorem Eccleſia.

Reliquiæ unde advectæ.

3. Invenitur autem in geſtis beati Zachariæ Papæ, qui nonageſimus tertius a beato Petro Apoſtolo Romanam rexit Eccleſiam, ita per ordinem ſcriptum: „Hujus temporibus magnum theſaurum Dominus Deus „noſter in hac Romana urbe per eumdem almificum Pontificem propalare dignatus eſt. In venerabili itaque Patriarchio ſacratiſſimum beati „Georgii Martyris iſdem ſanctiſſimus Papa reconditum in capſa reperit „caput. In qua & petacium pariter invenit literis exaratum Græcis, „ipſum eſſe ſignificantibus. Qui ſanctiſſimus Papa omnino ſatisfactus, „illico aggregato hujus Romanæ urbis populo, cum hymnis & canticis „ſpiritualibus in venerabili Diaconia ejus nomine ſita in hac Romana civitate, regione ſecunda ad velum aureum, illic deduci fecit. Ubi im„menſa miracula & beneficia omnipotens Deus ad laudem nominis ſui „per eumdem ſacratiſſimum Martyrem operari dignatur. Unde remur aliquos venerabiles viros, aut de Britannia, id eſt gente Anglorum, qui maxime familiares apoſtolicæ Sedi ſemper exſiſtunt; aut de Germania, vel de quacumque provincia, ad quam intrandam mare tranſeundum eſt, tunc temporis in Romana adfuiſſe urbe, præfataſque reliquias ab ipſo Pontifice acceptas, dum domum redire vellent, in mari correptos naufragio, aut qualicumque diſcrimine, ſicque ipſa pignora amiſiſſe, nutuque Dei in ipſum territorium advecta fore: ubi uſque nunc a fidelibus populis ſumma excoluntur veneratione. Conſequenti quoque tempore quidam paterfamilias nomine Bernehardus, quia poſſeſſio ejus erat, in qua ipſa baſilica prædicti Martyris ſita videtur, huic Cœnobio eam contradidit, ſicque in ditionem hujus loci pervenit. Hæc de advectione reliquiarum

a Id eſt parvum tabulatum: nam ſolarium non raro pro tabulato ſeu conclavi ſuperiori uſurpatur. In cap. 8. Concilii Mettenſis apud Sirmondum tomo 3. *In locis non conſecratis, id eſt in ſolariis ſive in cubiculis propter infirmos vel longius iter a quibuſdam Preſbyteris ſacrificium offerebatur: quod omnimodis interdictum eſt.* Vuillelmus Malmeſburiæ Monachus in lib. 2. de geſtis Regum Anglorum cap. 9. *Solarium totum repente cum axibus & trabibus diſſiluit & concidit.* Lege Ordericum lib. 6. pag. 630.

rum beati Georgii Martyris, prout auditu didici, vel in ſcriptis ejuſdem Pontificis inveni, aut etiam ipſe vidi; quia tempora convenientia inveni, memoriæ mandare curavi. Nam eodem quo advectæ ſunt tempore, & Zacharias Apoſtolicus, & Pippinus Princeps, & Richvvinus Comes exſtiterat: ideo nulla de hoc eſt dubitatio. Nam & codicem illum evangelicum, ut ſcriptura ejuſdem inſinuat, in Romulea urbe ſcriptum conſtat. AN.CHR. 754 14. Sept?

4. Huic egregio Patri Auſtrulfo edidit glorioſus Rex Pippinus privilegium quoddam ſacræ ſuæ auctoritatis, in quo præcepit, ut nullus Judex neque exactor Reipublicæ gentis Francorum ad cauſas audiendas ac freda exigenda, nec fidejuſſores accipiendos, nec ad ullam exacturam gerendam, poteſtatem hujus Cœnobii ingredi audeat: ſed ſub perenni ſua defenſione ac protectione ſecura in æternum ab omni querimonia valeret permanere: quod Privilegium in ſcriniis hujus noſtri Cœnobii pro munere ſacro adhuc conſervatur. Editum eſt anno dominicæ Incarnationis 750. die 8. Iduum Juniarum, Vermeria * Palatio regio. Quo anno idem glorioſus Princeps Pippinus ex conſultu beati Zachariæ Papæ urbis Romæ a Bonifacio Archiepiſcopo unctus, Rex conſtituitur Francorum, ablato Principis nomine: unde rumor potentiæ ejus & timor virtutis in univerſas tranſiit terras. Et HILDERICUS Rex Merovingorum ex genere ortus, depoſitus, tonſuſque, ac in Monaſterio S. Audomari, quod dicitur *Sithiu* truſus eſt. Cujus filius nomine THEODERICUS in hoc Monaſterio anno ſequenti Clericus effectus collocatus eſt. Auſtrulfus privilegium obtinet a Pippino. * Verbery

5. Hic namque venerabilis Pater poſt ſuſcepti regiminis annum ſextum, accenſus igne divini amoris, partibus Romuleæ urbis ad limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli iter diſpoſuit: convocatiſque Fratribus, devotionem quam animo conceperat liquido promſit. Tunc omnes unius vocis clamore hæc contradicunt, dicentes ſe numquam eum deſerturos. E contra ille cauſa ſuæ ſalutis & illorum, corpore humi proſtratus, profecturum ſe velle proclamabat. Quid multa? videns univerſa caterva Fratrum flebilibus ejus precibus ſe obviare non poſſe, conticuit, piique Patris petitionibus ceſſit. Demum benedictione percepta, omnibus Fratribus pacis oſculum dedit, ſicque iter ſuum direxit, deducentibus eum plurimis lacrymarum imbre perfuſis. Perveniens autem Romanæ urbis ad arces tempore Stephani Papæ, vota ſua omnipotenti Deo ac beatis Apoſtolis ejus reddidit: ac ſic a mœniis ejuſdem urbis iter convertens, patriam ac locum ſuæ nativitatis repetere ſatagebat. Romam petit.

6. Perveniens autem ad Monaſterium S. Mauricii Martyris & ſociorum ejus in Agaunum, ibidem a febre quam diu protraxerat ingravatus, conſortiis humanis ſubtractus obiit in Chriſto 18. Kalend. Octobrium: ibique digno in loco honorabiliter ſepulturæ traditus eſt. Hæc de eo narrare erat ſolitus bonæ recordationis HARDOINUS *a*, cellæ ſancti Martyris Saturnini Presbyter, qui ſub ejus tempore hoc in Cœnobio Clericatus ſuſcepit habitum. Tenuit autem hujus Cœnobii regimen annis fere ſex *b*. Agauni moritur.

VI.

a De Hardoino agemus Sæculo inſequenti ad annum 811. quo deceſſit.

b Anno proinde 753. regimen ceſſit Vvidonilaico, obiitque anno inſequenti. De eo in vetuſto Breviario Fontanellenſi mentio nulla.

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov.

VITA SANCTI PIRMINII
ABBATIS ET CHOREPISCOPI IN ALAMANNIA,

Auctore (ut videtur) WARMANNO tum Monacho Augienſi, poſtea Conſtantienſi Epiſcopo ſæculo 11.

Ex mſ. codice Cheſniano & Chriſtophoro Brovvero.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores. * S. Pirmin

1. GUILLELMUS *Eiſengreinius in Catalogo teſtium veritatis, & ex eo Molanus ad Uſuardum, duos indicant ſcriptores Vitæ S.* PIRMINII *, *quem alii* Pyrminium *&* Pirmenium *pingunt. Primus auctor eſt* WARMANNUS *Comes a* Dilingen, *ex Monacho Augienſi Epiſcopus Conſtantienſis, qui obiit anno* 1034. *Alter* HENRICUS *Comes a* Kalvve, *Augienſis Abbas ab anno* 1210. *ad* 1237. *eamdem Vitam ſuo ſtilo elaboravit.* Warmanno *tribuenda videtur ſubjecta lucubratio, quam Chriſtophorus* Brovverus *in Vitis illuſtrium Sanctorum Germaniæ* OTHLONO *Monacho adſignat, codicis manu deſcripti fide, an ſua ipſius conjectura. Rationes ob quas a Brovveri ſententia recedere viſum eſt, hæ ſunt. Vvarmanni ætas recte congruit cum tempore* LIUDOLFI *ſeu* Ludolfi *Archiepiſcopi (ut cum Brovvero opinamur) Trevirenſis, cui hæc ſcriptio nuncupata eſt; quippe qui teſte Hermanno Contracto vivendi finem fecit anno* 1008. *At vero Othlonus Monachus circa finem ſæculi* 11. *florebat, ut ex prologo Vitæ S. Bonifacii ab ipſo ſcriptæ intelligitur. Deinde hujus Vitæ Pirminianæ conditor nonnulla de S. Bonifacio commemorat, quæ cum ipſius Othloni narratione Bonifaciana pugnant, ut ad cap. 22. advertemus infra. Præterea longe gravior & maturior eſt Othloni ſcriptio de S. Bonifacio, quam hæc de S. Pirminio. Denique in mſ. codice Andreæ Cheſnii quo uſi ſumus, nulla exſtat Auctoris inſcriptio, nec ulla erat* in originali volumine, *quod Trithemius in Breviario hiſtoriæ Francorum laudat.*

Memoria in ſacris faſtis.

2. *S. Pirminii memoriam ab Uſuardo, Floro, Vvandalberto & Adone prætermiſſam celebravit HRabanus Maurus in Martyrologio his verbis:* 3. Nonas Novemb. Depoſitio S. Permenii Conf. *Eumdem laudat in Epigrammate* 101. *hac inſcriptione præfixa:* Verſus juxta corpus Permenii ſcribendi: *qui verſus ita ſe habent.*

Permenius Præſul, Chriſti Confeſſor, & ipſe
 Hanc ædem inhabitat, conſecrat atque locum.
Qui propter Chriſtum præſentia gaudia mundi
 Spernens, pauperiem elegit * atque ſibi.
Deſeruit patriam gentem, ſimul atque propinquos:
 Ac peregrina petens, æthera promeruit.
Gentem hic Francorum quæſivit dogmate claro,
 Plurima conſtruxit, & loca Sancta Deo.
Hic quoque nunc pauſat deponens corporis artus,
 Atque anima ſurſum regna beata tenet.
Adjuvat & quoſque qui digne celeſtia quærunt,
 Riteque conſervat ipſe ſuos famulos.

* eligit

Sepulchri locum ſignanter exprimit Vvalafridus Strabus Monachus & Abbas Augienſis in carmine ad Grimaldum Capellanum de obitu Vvettini Monachi Augienſis, quod carmen edidit Henricus Caniſius in antiquarum lectionum tomo 6. ex quo hæc depromere juvat.

Rhenus ab Auſoniis quo ducitur Alpibus, æquor
Miſcet in occiduis diffuſus partibus; ingens
Illius in medio ſuſpenditur inſula fluctu,
Augia nomen habens; jacet hanc Germania circa.
Hæc ſolet egregias Monachorum gignere turbas.
Primus in hac ſanctus conſtruxit mœnia Præſul
Pirminius, terniſque gregem protexerat annis.
Hujus quiſque velit ſanctam cognoſcere vitam,
Ipſa ſepulcra petat, ſatis ipſe probabit in Hornbach.

De Horenbacenſi Monaſterio agendum infra. Sic vero Pirminii ſucceſſores in Augienſi regimine memorat Vvalafridus.

Poſtea ſeptenis præſedit curſibus ETO.
Tum ſequitur binis laudandus GEBA Sacerdos.

Bina

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov.

Bina ERMENFREDUS tum luſtra peregerat Abba.
SIDONIUS ternis-deniſque ibi præfuit annis.
Vicenos binoſque receperat inde JOANNES.
Quinque PETRUS ſortitur item venerabilis annos.
Quatuor inde tulit WALDONIS luſtra poteſtas,
Tempore ſub quorum juvenis velut aurea ſurgit
Stella, *&c.*

Nimirum HETTO, *poſtea Abbas, cujus laudes proſequitur, annumque regiminis novenumdecimum illigat anno decimo imperii HLudovvici Cæſaris. Eumdem fere calculum ſervat Hermannus Comes de* Woringen, *dictus Contractus, & ipſe Monachus Augienſis, niſi quod Joanni tres annos ſupra viginti adſignat. His per opportunum excurſum relatis, nonnulla obſervanda veniunt de S. Pirminii patria, Epiſcopatu, & Monaſteriis.*

3. *Pirminii patriam reticet Vitæ ſcriptor, nec ſatis indicat HRabanus Maurus, qui Pirminium* patriam gentem & propinquos deſeruiſſe, *&* gentem Francorum quæſiviſſe *adfirmat. Nobis ariolari non vacat.* Patria ignota.

4. *Nec certior de ejus Epiſcopatu ſententia. Auctor ſubjectus queritur in Prologo, quod poſteri de Pirminii geſtis parum ſolliciti, nihil de ipſius infantia, adoleſcentia & juventute ſcriptum reliquerint.* Pauca dumtaxat, *inquit,* quæ ſub pontificatus tempore geſſit, obſcure exarata reperimus: ipſa evidentius atque operoſius exprimere ſtudebimus. *Expreſſiſſet ſincere, uti ea exarata invenerat! Sic igitur caput primum orditur a Pirminii pontificatu.* Pirminius, *ait,* obtinuit ſedem Epiſcopatus in caſtello Meltis. *Hinc Pirminium alii* Meldenſem *Epiſcopum, alii* Mettenſem *fuiſſe dicunt. Sane* hunc Præſulem de Galliæ finibus adveniſſe Romam, *habet Vitæ ſcriptor cap. 5. Et tamen in Indicibus Pontificum utriuſque Sedis nullus Pirminio locus: quem tamen ſine dubio haud ignoraſſet Paulus Vvarnefridi, illorum temporum ſcriptor, qui librum de Mettenſibus Epiſcopis compoſuit: nec Uſuardus Monachus Cœnobii S. Germani apud Pariſios, Meldicæ urbi vicinus, proximo poſt Pirminium vivens ſæculo, eum in ſuo Martyrologio omiſſurus fuiſſet: certe non Eccleſia Meldicenſis ejus feſtum diem inſuper habuiſſet. Unde præferenda eſt auctoritas Hermanni Contracti, viri æque gravis ac nobilis, qui paullo poſt Vvarmannum floruit medio ſæculo 11. cujus hæc verba ad annum 724.* Sanctus Pirminius Abbas & Chorepiſcopus, a Berchtoldo & Vehi Principibus ad Carolum (*Tuditem*) ductus, Augiæque inſulæ ab eo præfectus, ſerpentes inde fugabat, & cœnobialem inibi vitam inſtituit tribus annis. *Ex quibus intelligimus, Pirminium Abbatem & Chorepiſcopum fuiſſe, priuſquam Augiam inſulam peteret, an poſtea, incertum: tametſi eum alicubi antea fuiſſe Abbatem, veriſimilius eſt. Monachum Cœnobii S. Mauri ad Ligerim fuiſſe tradunt Trithemius & alii recentiores.* Epiſcopalis dignitas.

5. Plurima loca Deo conſtruxit *vir ſanctus, uti HRabanus teſtatur. Nomina recitat auctor in Vitæ cap. 14. eadem prorſus, quæ habentur in fragmento hiſtorico, quod Chriſtophorus Urſtitius chronico Alberti Argentinenſis præfixit, & ex eo Andreas Cheſnius in tomo 1. Hiſt. Franc. edidit, in hæc verba:* Sequenti anno, *nimirum* 724. *S. Pirminius* in Augia inſula ſerpentes fugavit; & cœnobialem vitam ibi inſtituens, ETHONEM poſtea Argentinenſem Epiſcopum, qui etiam Etenheim Cœnobium conſtruxit, pro ſe Abbatem conſtituit: ipſeque Alſatiam, Alemanniam, atque Bavariam alia conſtructurus Cœnobia petiit, quorum nomina ſunt hæc: ALTAHE, PHEVERS, MURBACH, SCUTTERE, GENGENBACH, SVVARZAHE, WISSENBURG, HORENBACH, MORSMUNSTER, NUVVILRE. *Et Hermannus Contractus ad ann.* 731. Tria Cœnobia, ideſt Altaha, Morbach, & Favarias, ex Augienſibus Fratribus inſtructa ſunt, duodenis ad ſingula Fratribus deputatis, & totidem Augiæ remanentibus. *De ſingulis pauca dicenda.* Monaſteria.

6. *Augienſe Monaſterium in inſula Rheni* Auva *&* Ouva *vocabulo ſitum paullo infra Conſtantiam, ab inſula* Inſulanenſe, *ab inſulæ nomine* Auva *&* Ouva, *a fundi datore* Sintlacis-ovva, *ab opibus* Richenavv *&* Richenovv *appellatum, diſtingui debet ab* Augia Majore, *quæ ad lacum Brigantinum ſita eſt. Prioris Monaſterii fundamenta poſuit S. Pirminius ad annum 724. teſte Hermanno: quod ex Vvalafridi carmine ſuperius relato facile deduci poteſt. Multa ſanctitate & religione locus floruit; multa item Monachorum nobilitate, præſtantia & doctrina. Iſtic religioſæ vitæ rudimenta hauſit S.* MEINRADUS: qui cum eam attigiſſet ætatem qua aptari poſſet litterarum ſtudiis, a patre ducitur ad inſulam, quam veteres Sindlocheſaugiam vocabant, a nomine cujuſdam Presbyteri, (*immo Comitis,*) qui Sindloch appellatus, primo in ea habitacula Monachorum conſtruxit, & ſecum Pirminium cum ſociis ad habitandum eo induxit juſſu Berchtoldi nobiliſſimi Alamannorum Ducis, temporibus Pippini (*Caroli Majoris-domus*) Regis Francorum, *ut in S. Meinradi Actis videbimus Sæculo proximo. Ex eodem Monaſterio prodierunt Archiepiſcopi tredecim, in quibus S.* WOLFGANGUS *Ratiſponenſis ſæculo* 10. *Epiſcopi quatuor ſupra triginta, quorum nomina Joannes Ægonius Prior Gabrieli Bucelino communicavit ex ſui Monaſterii Necrologiis aliiſque tabulis. Hos inter non ultimum tenet locum* ETO *ſeu* HETTO, *qui &* Heddo *&* Addas, *Pirminii diſcipulus & ſucceſſor, ex Abbate Argentoratenſis Epiſcopus, in Epiſtola Gregorii Papæ II. ad Bajoariorum & Alamannorum Epiſcopos directa memoratus: & alius* HETTO *ſeu* Hatto *&* Heyto *Abbas & Epiſcopus Baſileenſis, qui cum* Hugone & Augienſe.

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov. ne & Haione Comitibus Coſtantinopolim miſſus eſt *a Carolo Magno anno* 811. *referentibus Vvalafrido in præcitato carmine, & Hermanno in Chronico: cujus Heytonis ſeu Abytonis Capitulare editum eſt nuper in Spicilegii tomo* 6. *In eodem loco floruerunt plures viri litterati, in primis* WALAFRIDUS STRABUS, & HERMANNUS CONTRACTUS, *ſcriptis ſuis clariſſimi, Certe Vvalafridus in carmine ſæpe laudato celebrat* TUTTONEM *Augienſem Monachum*, cui magiſtro ſe parere *gloriatur: & in præfixa ad* Grimaldum *epiſtola*, Erlebaldum dominum *ſeu Abbatem*, Tattonem præceptorem ſuum *agnoſcit. Habuit etiam præceptorem HRabanum Maurum, cui Abbati Fuldenſi epigrammata quædam inſcribit. Ipſum etiam in S. Galli Monaſterio operam dediſſe litteris ajunt. Porro S. Meinradus juſſu Erlebaldi Abbatis Augienſis* ad cellulam quamdam ad jamdictum Monaſterium pertinentem, ſitam juxta lacum Turicinum, *directus eſt*, ut ibidem ſcholæ præeſſet. *Ex eodem Cœnobio eductus eſt* OTVVINUS *ad ſedem Hildeneshеimenſem, qui anno* 996. *obiiſſe dicitur. alios prætereo. Perſtat etiamnunc Augia Dives, at menſa (ut ajunt) Abbatis menſæ Conſtantienſis Epiſcopi unita eſt.*

Altahenſe duplex. 7. Altahenſe *Monaſterium duplex*, Superius *&* Inferius, *ædificaſſe dicitur Pirminius: Inferius quidem ampliſſimum, in Bajoaria inferiori ad Danubium ſitum, conſtructum in honore* S. Mauricii; Superius *vero ad ripam itidem Danubii, Otilone Duce locum utrumque ac ſumtus ſubminiſtrante. Utrumque hactenus perſeverat, ut ex Metropoli Saltzburgenſi diſcimus. Lambertus Schafnaburgenſis revocat Monaſterii Altahenſis initium ad annum* 741. *quod de Inferiori videtur intelligendum, in quo floruerunt SS.* GODEHARDUS *Hildenesheimenſis poſtea Epiſcopus, & ſub eo S.* GUNTHERUS, *S. Stephani Hungarorum Regis cognatus; & S.* THIEMO, *dein Archiepiſcopus Saltzburgenſis, de quibus in Sæculo* 6. *Benedictino agemus.*

Fabarienſe. 8. Fabarienſe *Monaſterium, vulgo* Pfeffers, *diœceſis Curienſis, nunc Benedictinæ congregationis Helveticæ, plurimi illuſtrarunt Sancti, a Gabriele Bucelino laudati in parte* 2. *Topographiæ Germanicæ, de quorum ſanctitate & geſtis certiora monumenta expectamus. In his poſt S. Pirminium memorantur SS.* ALDELBERTUS, BALDEBERTUS *Abbates, S.* WIGGERUS *Epiſcopus, S.* FINTANUS, *& alii plures.*

Murbacenſe. 9. Murbacenſis *Monaſterii conditionem tribuunt Eberhardo Sueviæ Duci & Aleſatiæ Comiti, incœptamque ajunt anno* 726. *Id congruit S. Pirminii ætati, qui forſan ad loci initium ſeu profectum aliquid contulit. Perſtat ad hoc uſque tempus iſtud Monaſterium in ſuperiori Aleſatia, diœceſi Baſileenſi, ad montana Voſagi ſitum, ex quo eductus eſt S.* SIMPERTUS, *cujus Acta in Sæculo proximo referenda. Iſtic etiam Monachi plures ab Hunnis necati. Lege Gabrielem Bucelinum loco modo citato.*

Schutteranenſe. 10. Schutteranum *Cœnobium in diœceſi Argentinenſi, Mortenaugia tractu, ſitum ad Rheni ripam, auctori S. Pirminio tribuit Vitæ ſcriptor, eumque ſecutus Tritbemius in Hiſtoria Francorum: at Paulus Voltius Abbas Hugonis-curiæ Offoni Angliæ Regi, a quo* Offonis-cella *primum, dein* Schuttera *a præterlabente fluvio dictum ſit, adſignandam originem putat, uno ante Pirminium ſæculo, qui tamen locum ad S. Benedicti normam revocaverit. Adi Franciſcum Guillimannum de Epiſcopis Argentinenſibus in Amando, & Bucelinum. In diviſione facta inter Carolum* Calvum *& Ludovicum fratrem*, Offonis-villa, *forte* Cella, *Carolo obtigit, apud Cheſnium in tomo* 2. *Hiſt. Franc. pag.* 454.

Gengenbacenſe, Svvarzahenſe, & Vveiſſenburgenſe. 11. *De* Gengenbacenſi *&* Svvarzahenſi *nibil occurrit notandum. Utrumque in Aleſatia ſitum, & a Ruthardo Aleſatiæ Duce conſtructum Pirminio hortante.* EMILO Abba *&* ALFRAM Abba de Kenginbach *memorantur inter Fratres conſcriptos Cœnobii S. Galli apud Goldaſtum in parte* 2. *rerum Alamannicarum.* Weiſſenburgenſe, *potentiſſimum olim Cœnobium, ſæculo proxime elapſo Eccleſiæ Spirenſi unitum eſt. Ejus primordia referunt ad Dagobertum, incrementa ad S. Pirminium.*

Horenbacenſe. 12. Horenbacenſe *ſeu (ut Vitæ conditor ſcribit)* Horbacenſe *Monaſterium, in loco nomine* Gamundeo ob duorum confluentium rivulorum *appellato ædificatum eſt ope Vvernheri prænobilis Franci, in confinio diœceſeωn Trevirenſis & Mettenſis: ubi S. Pirminius ſepulturam habuit, qui loco incrementum dedit & nomen, S.* Pirmin, *quod opidum uno tantum miliari diſtat ab arce & opido Biponte, vulgo* Zvveybruch. *Monaſterio ab hæreticis direpto & peſſumdato, corpus S. Pirminii alio illatum eſt, ut poſtea videbimus. In epiſtolis S. Bonifacii Epiſcopi & Martyris duæ extant epiſtolæ, una ordine* 84. *quam* LULLONO Maguntino Antiſtiti *ſcribit* DOTO *ſeu* DODO ſervus ſervorum Dei *Abbas*, & omnes Monachi S. Petri Apoſtolorum Principis degentes ſub norma ſanctæ regulæ: *aliam numero* 113. Domino & Patri RICULFO Archiepiſcopo *Lulli ſucceſſori ſcribunt* AMALARDUS & WIDO omniſque congregatio S. Petri ex Monaſterio Horbach.

Mauri-Monaſterium & Nova-villa. 13. Mauri-Monaſterium, *vulgo* Maurſmunſter, *&* Nova-villa, Neuvviler, *utrumque in Aleſatia. Et primum quidem a S. Leopardo conditum, ut ferunt, hactenus ſubſiſtit; alterum Canonicis mutavit.*

Alia. 14. *His Monaſteriis a Pirminio aut erectis, aut excultis, addit Hundius in Metropoli Saliſburgenſi* Manſeum, *vulgo* Manſee, *aliis* Lunælacenſe *dictum a S. Pirminio erectum ope Otilonis Ducis in honorem S. Petri & S. Michaelis; &* Pfaffenmunſter, *aliis* Monaſterienſe *in Bajoaria, primo prope Straubingam opidum, nunc Straubingæ mœnibus incluſum. Et Trithemius in Compendio Annal. lib.* 1. *Amerbachii Cœnobii diœceſis Vvirtzburgenſis inter Necca*rum

Digitized by Google

carum & Mœnum fluvios ſiti originem adſcribit Pirmenio, qui & diſcipulum illic ſuum AMATOREM *ſeu* AMOREM *primum, Abbatem reliquerit. Monaſterium hoc a Richardo Fuldenſi Abbate reſtitutum, & S. Simplicio dicatum fuiſſe procedente ſæculo* XI. *adfirmat Brovverus in lib.* I. *antiq. Fuld. cap.* 20. *& lib.* 2. *cap.* 10. *Hæc ſatis.* CIRCA AN. 758 3. Nov.

INCIPIUNT CAPITULA IN VITA S. PYRMINII.

Procœmium operis. Denotatio negligentiæ ſcriptorum.

CAPUT I. QUOD B. PIRMINIUS *in Meltis caſtello primum ſedens Epiſcopatum obtinuerit.*

II. *Quod ab Alemannia* SINTLAZ *eum adierit, prædicationis quoque ejus efficaciam miratus fuerit.*

III. *Quomodo eum rogaverit ſuæ genti medelam prædicationis inferre.*

IV. *Quod beatus vir hoc recuſat, niſi apoſtolica juſſio urgeat, pariterque ire Romam deliberat.*

V. *Quomodo beatus vir Sintlacem Romæ pervenit, orationique inſtiterit.*

VI. *Quomodo per baculi ipſius ſtaturam ſanctitas ejus Apoſtolico claruerit.*

VII. *Quomodo eidem Apoſtolico cauſam ſui adventus retulerit.*

VIII. *Adventus Sintlacis, & quomodo Papa utrorumque fervori congratulatus fuerit.*

IX. *Quod ad* THEODERICUM *Regem epiſtolam direxerit de recipiendo S. Pyrminio in dioceſes Epiſcoporum Franciæ ſive Germaniæ.*

X. *Quomodo vir Dei in Alemannia prædicans, a Sintlace ſit interpellatus de domo orationis.*

XI. *Quomodo in inſulam prope viſam veniens, omnem venenatorum turbam inde fugavit.*

XII. *Quomodo eam excolens, amœnam & fructiferam fecit, Cœnobiumque fundavit.*

XIII. *Allocutio ſalutaris ad inſulam.*

XIV. *De eo quod alia etiam Cœnobia fundaverit.*

XV. *Deo eo quod* WERINHERUS *in Franciam de Alemannia eum venire rogaverit.*

XVI. *Deliberatio ipſius cum beato viro de conſtruendo inibi Cœnobio.*

XVII. *Quod vir almus modicum primo fecit ſibi tugurium in honorem ſanctæ Dei Genitricis, donec a ruſtico deductus ſit in Gamundium.*

XVIII. *Quod ipſe emundans locum, ædem ibi conſtruxerit.*

XIX. *De vacuatis chriſmate ampullis ſubito impletis: gratulatio plebis ex perpetuo miraculo.*

XX. *De eo quod Vverinherus poſterique ejus plurima prædia ad ipſum locum condonaverint.*

XXI. *Quomodo Cœnobium* Wiſaburg *ad ſpiritualem gratiam promoverit.*

XXII. *Adventus S.* BONEFACII *Archiepiſcopi ad B. Pirminium, ipſorumque congratulatio.*

XXIII. *De eo quod ſanctus Bonefacius in itinere Freſiano ancillam Dei vas fuſile * rogavit.* * id eſt campanam

XXIV. *Quod ad Freſiam veniens, multos ibi ad Fidem Chriſti converterit.*

XXV. *De eo quod alii Freſonum impii Præſulem ſanctum ſocioſque interfecerint, ſeque mox mutuo trucidaverint.*

XXVI. *De reportatione corporis ſacri, & de ſpontaneo ſonitu fuſilis.*

XXVII. *Adventus ipſius primo ad Mogontiam, inde ad Vuldam *, & miraculum de conceſſa ciborum copia.* * Fuldam

XXVIII. *De taciturnitate campani quod Vvido Horbacenſi Cœnobio abſtulerat, redditaque ejus ſonoritate per B. Pyrminii merita poſtquam retulerat.*

XXIX. *De eo quod B. Pyrminius poſt abſceſſum S. Bonefacii ab activa ſe ſuſpendit, & in ſolam contemplativam intendit.*

XXX. *Exhortatio ejus ad Fratres in hora exitus ſui.*

XXXI. *Tranſitus ejus ad Chriſtum, corporiſque ſacri collocatio.*

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 Nov.

PROLOGUS AD LIUDULFUM ARCHIEPISCOPUM.

IN omni creaturarum multimoda univerſitate opifex earum Deus magnificus atque mirabilis perpenditur; & cum ſolus lucem habitet inacceſſibilem, ideoque ab homine nullo qui mortali tegitur carne, videri poſſit; per ea tamen quæ condidit, æſtimari ſe concedit. Ib quibus omnibus dum potens & mirificus evidenter appareat, perſpicacius, pulcrius, atque dulcius in ſanctis hominibus magnificentia ipſius irradiat. Hi denique voluntati ejus morem gerendo, præceptorum diſciplinæ ſemet penitus ſubmittendo, Conditorem ſuum adſciſcunt ſibimet intimum habitatorem: huncque habentes cooperatorem, quam mirandus, quam potens, quam bonus Iſrael ſit Deus, ceteris clarius oſtendunt. Quod egregius Prophetarum David ingenio ſagaci contemplans, *Mirabilis*, inquit, *Deus in Sanctis ſuis, ipſe dat virtutem & fortitudinem* (Pſal. 67.): ac ſi diceret: Vos qui Sanctorum virtutes admiramini, magis illum qui dat contemplamini. Idem in ultimis pſalmorum, ubi omnem creaturam in Dei laudes ordinat, electe atque ſingulariter canendo invitat (Pſal. 149.): *Cantate Domino canticum novum*: *laus* enim *ejus* præcipua *in Eccleſia Sanctorum*. Et iterum (Pſal. 150.): *Laudate Dominum in Sanctis ejus*. Hymnus quoque trium puerorum, immaniſſimæ fornacis divinitus igne ſopito concelebratus, omnia Domini opera ad ipſum benedicendum ordine incitat. Incipiens namque a ſummis, id eſt Angelis & cœlis, deſcendit ad infima, id eſt terram & maria, inque his naſcentia atque habitantia. Quibus omnibus decurſis ita claudit (Daniel. 3.): *Benedicite ſpiritus & animæ Juſtorum Domino, benedicite Sancti & humiles corde Domino*: ac ſi hujuſmodi verbis cantilenæ vim exponat: Omnia quidem opera Domini benedicendum illum ſignificatis, quem in vobis miramur; ineffabiliter tamen Sancti & humiles corde præbetis mirabilem, quem vobis promeruiſtis cooperantem. Idcirco nullum oportet ambigere, quin in Deum tranſmittatur honor qui Sanctis exhibetur, & omnis qui geſta & virtutes eorum ſcribit aut prædicat, operantem in eis Dominum magnificat.

Hujuſmodi ergo rei conſideratione animatus, ſimulque Fratrum benigniſſimorum atque in Chriſti charitate fervidorum petitione pulſatus, vitam & actus ſanctiſſimi Patris eximiique Pontificis PYRMINII deſcribere conabor. Nam etſi temeritatis verear elogium, quod lingua minus limata, eloquio inculto, verborum inops, tam reverendæ dignitatem materiæ aggredi præſumo; tamen fiducia robur ingerit, quæ de Dei gratia nullo modo deſperare permittit. Ipſe enim cordis ſcrutator & examinator plus ruſticitatis benevolentiam, quam periti ſermonis probat affluentiam. Unde etiam regni ſui Evangelium magis incultis piſcatoribus, quam facetis commiſit Oratoribus. Quod tamen opus tibi, reverendiſſime Archipræſul LIUDOLFE *, conſiderandum & examinandum committo: quia fides & veritas te compoſuerunt, ceteræque virtutum catervæ tam firma tutela muniunt, ut livore careas, & ab omni ventoſitate immunis exſiſtas. Precor ergo ut ſi qua fuerint inſulſe prolata, in melius fingas, ſuperflua reſeces: nec ante in aures publicas prodire ſinas, quam juſti examinis libra perpenſum, tuæ ſagacitatis fuerit lima probatum. Quamvis enim mihi non inſit cornea fibra, potius tamen judico a prudentibus corrigi, quam adulatorum falſiloquio commendari.

* al. Leudelfe

Sed jam tempus eſt ad explicanda memorati Præſulis geſta vertere ſtilum: cujus quæ fuerint ab ineunte ætate rudimenta, quibus in adoleſcentia ſanctitatis rutilaverit floribus, vel quibus per omnem juventutem uſque ad promotionem Pontificatus excreverit virtutum inſigniis; nimium culpanda ſcriptorum incuria notare neglexit. Pauca dumtaxat, quæ ſub Pontificatus tempore geſſit, obſcure exarata reperimus; ipſa (ſi Chriſtus opem dederit) evidentius atque operoſius exprimere ſtudebimus. Verumtamen

tamen quod magnifica fuerint in ſanctitatis fervore, quæ ſcriptores non fecerunt cognita; manifeſtavit quam poſt operatus eſt miraculorum eminentia. Nam ipſe qui ait: *Ego glorificantes me glorificabo;* a conſequentibus donavit argumentari, quanta fuiſſent quæ præceſſerunt. CIRCA AN. 758 3. Nov. Hierem. 30

CAP. I.

IGITUR vir beatiſſimus PYRMINIUS obtinuit ſedem Epiſcopatus in caſtello Meltis appellato, tempore quo THEODERICUS [a] Rex Francorum ſceptra tenebat: ubi tanto vigore tantaque ſapientiæ ubertate eloquiique dulcedine veritatis ſemina ſpargebat, ut quiſquis eum audierat, compunctionis rore debriatus, ad reddenda pietatis germina efficeretur fecundus. Nam non ſolum vicinos, verum etiam longe remotos mirifica prædicationis ejus efficacia fama vulgante attraxerat: & ſicut apes ad alveare melle refertum, ita ad eum confluebant examina populorum, ſaporatiſſimi verbi ipſius dulcedinem haurire geſtientium.

II. Erat autem eodem tempore quidam vir inter Alamanniæ Primates opinatus, nomine SINTLAZ, divino cultui ſtudioſa devotione intentus; qui loca Sanctorum circumquaque ſiſtentia luſtrando, precumque vota ubertim ſolvendo, animæ ſuæ lucra ſummopere quærebat. Cumque hujuſcemodi officio ſedulus inſtaret, contigit eum ad locum quo ſacratiſſimus Pontifex Pyrminius manſitabat deveniſſe. Cujus dum infatigabilem in Dei famulatu vidiſſet ſudorem, quodque non magis nocte quam die requiei quidquam concederet; ſimulque conſiderans morati nobiliterque educati ordinem Cleri, necnon & totius ſibi commiſſi convenientiam populi, admiratione grandi perculſus eſt, ob magnifice diſpoſitam ſapientiſſimi Salomonis familiam. Cum vero prædicationis ſermoni ejus aures mentemque adhiberet; tum ſuavitatis affluentia, tum ex efficaci in excolendis cordibus potentia, ſupra modum attonitus, vice Æthiopum Reginæ, non habebat ultra ſpiritum.

III. Quapropter eum ſecreto aggreſſus, ita eſt allocutus: O ſerve Dei fideliſſime ac myſteriorum ejus diſpenſator prudentiſſime, beati qui adſiſtunt tibi aſſidue, oris tui gratiam ſentire meriti, de inopia illorum eruti de quibus ſcriptum eſt: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: quia tu vividus Paſtor, pervigili cura creditum cœlitus talentum ipſis diſpenſas, quos pabulo vitæ crebro ſatias, lucis exemplo indeſinenter ædificas. Væ autem meæ gentis ſterilitati, cui nullus cœlica propinat fluenta; cujus Rectores torpori indulgent, negligentiæ manum dant, Chriſto nihil lucrari meditantur: quia ſibi viventes, pecuniam Domini ſui ſanctæ uſuræ accommodare non conantur. Quo ſi tu ire atque aliquid gratiæ qua tu redundas irrorare velis, centuplo auctum in futuro præmium provenire tibi gaudebis. Audi, quæſo, ut annuas ſupplicanti, ariditatique noſtræ pro cordis affectu compatere: nam niſi celeri ope ſubvenire contendas, noſtrates cunctos poſſidebit iterato errore paganiſmus. His a præfato viro prælibatis, comites illius conqueſtione immenſa eadem replicabant. Thren. 4.

IV. At vir eximius conſulto ſagaciſſimi animi ſecreto ita reſpondit: Pia equidem ſunt, o viri Deo devoti, quæ poſtulatis; ſed in omni re, ſicut ipſi noſtis, plurimum valet cautela conſilii prudentis. Sancitum profecto conſtat canonibus ſacris, ne quis ſibi aliquid arroget in alterius diœceſi Pontificis. Et quomodo me cogitis illuc migrare, quo neque a Præſulibus illarum partium ſum evocatus, neque ab apoſtolicæ Sedis Antiſtite deſtinatus? Quare, quem perſuadere certatis, ut ego mihimet cœleſtis accumulem bravii lucra, vos eadem intentione, mecum laborare delectet, quatenus itineris Romani laborem ſimul aggredientes, a ſummæ Sedis culmine deſiderati operis cenſuram ſtudeamus perquirere. His di-

[a] Nempe Theodericus Dagoberti tertii filius, qui ab anno 721. ad 37. regnavit.

CIRCA AN. 758 3. Nov. ctis, animos eorum ad conſentiendum ſibi reflexit. Sintlaz domum repedabat; ac ea quæ itineri conducto forent neceſſaria parare ſatagebat.

V. Beatus Pyrminius nimio pietatis zelo ſtimulatus, acri fervore inſtabat, ut opus Domini, quod aggredi fuerat perſuaſus, conſummaret; ad apoſtolicaque properans limina, longe antequam præfatus vir, venit in urbem Romanam; ubi dum apud quemdam hoſpitii humanitatem impetraſſet, quotidie orationis incenſo faciem Domini placare conſuevit: atque dum hujuſcemodi ſtudio frequenter inſiſteret, die quadam B. Petri Apoſtolorum Principis domum ingreſſus, cunctas ibi conſiſtentes aras contriti cordis immolatione fumigabat. Ubi quoque ab apoſtolico Præſule primo eum videri contigit, qui a ceteris perquirens ſecreto ſi noſſent quis eſſet, aut unde veniſſet; reſponſo didicit, hunc Præſulem eſſe, & de Galliæ finibus illuc adveniſſe. At Apoſtolicus: Multum, inquit, deſipitis, quod aliunde venientes minus caute obſervatis: a talibus denique plura ſæpe perperam geſta fuiſſe percepimus.

VI. Interim beato Pyrminio ſingula perluſtrante altaria, accidit eum ad ſacratiſſimam B. Petri tumbam deveniſſe. Ubi cum orationis gratia genua flectere in voto haberet, pedum paſtorale limpido commiſit pavimento. Qui nulli adhærens materiæ attrectabili, tamdiu (mirum dictu!) immobilis perſtabat, donec ab oratione ſurgentis recipientiſque manui ſe ultro immitteret. Quod ideo fieri miraculum provida Chriſti voluit clementia, ut liquido pateret, quanta apud ſe meritorum polleret ſublimitate, qui erat ignotus patria & gente: hocque voluit Evangelium ejus initiari ſigno, quod cumulato diſpenſaturus erat lucro. Motus autem hoc Apoſtolicus [a] eventu, intimam cœpit habere pœnitudinem, quod ante oſtenſionem hujuſcemodi ſigni, ullam de beato viro mali geſſiſſet ſuſpicionem: celeriterque ad ejus ſe provolvens veſtigia, hujuſce reatus obnixe poſtulavit indulgentiam. Cumque vir beatus humiliter eum ſuſciperet, dulcibus oſculis ſanctiſque amplexibus magnopere ſe commendantes mutuo, ad miſcenda pietatis colloquia pariter conſederunt.

VII. Verum ubi ſe plurimum cœleſtis vitæ recreaverunt pabulis, cœpit Papa beatum conſulere Pyrminium, qua de cauſa illo venire diſponeret. At ille cuncta ordine pandit; quomodo videlicet egregius vir Sintlaz de Alamannia ad eum in Franciam devotionis cauſa veniſſet, ſuæ gentis defectum referret, quia Doctores ejus dormitarent, commiſſos negligerent; denuoque in paganiſmum caſuram, niſi aliquis divino zelo inſtinctus ſuccurrere properaret: quomodo etiam idem Sintlaz ſemet id opus aggredi ſuaderet, ſuique eum reſponſum accepiſſe, quod non eſſet licitum aliorum Præſulum parochias diſcutere ſive corrigere, niſi aut illorum rogatu, aut apoſtolicæ auctoritatis juſſu: pariterque condicerent Romam properare hac de cauſa. Addidit quoque ſe mirari oppido, quænam prædictum Sintlacem præpediret occaſio, quod non adeſſet ex condicto.

VIII. Talia referenti beato Pyrminio, Sintlaz ſui ingerens præſentiam, cunctis ejus adſertionibus teſtificatus eſt, tum votivo adventu, tum veraci relatu. Tunc Papa perpendens in Sintlace ſinceriſſimæ intentionis fervorem, in beato autem Pyrminio fidei conſtantiam, animi induſtriam, ſapientiæ plenitudinem, ſermonis affluentiam; ineffabili exſultabat gaudio, ac intimo cordis laudes Chriſti parturit jubilo, qui ad lucranda populorum agmina, talium cooperatorum inflammare dignatus eſt pectora: verituſque ſe negligentiæ nævo notari, coramque Deo reum detineri, ſi quod ipſum decuit agere omitteret: accitos utroſque ſanctæ exhortationis animavit eloquio, ſuæque auctoritatis roboravit indicio, ut opus quod divina inſpiratione inchoaverant, fiducialiter certarent implere.

Deni-

[a] Is erat Gregorius ſecundus, ut colligitur ex tempore, quo Pirminium acceſſiſſe in inſulam Augiam diximus in Obſervationibus præviis.

Digitized by Google

Denique epiſtolam cum beato viro abſque dilatione per venerabilem virum Sintlacem ad Regem Francorum THEODERICUM a direxit, monens, ſuadens, & imperans, ut reſpectu divinæ remunerationis, viri Dei votum pia opitulatione duceret ad effectum: edocens hoc ita demum ſagaciter fieri poſſe, ſi cunctis tam Alamanniæ quam Franciæ Præſulibus convocatis, imputaret neglectus ipſorum deſidiam, reatus notificaret pondus: quod nequirent evadere, niſi beatiſſimum Pyrminium ad ſuas diœceſes ducerent, peſſumdatique gregis damna reſtaurare flagitarent. Porro Rex epiſtola perviſa honorifice ab Apoſtolico ſuſcepit directos, ac cuncta quæ mandata ſunt, libenti animo perficere curavit. Nam coadunatis Epiſcopis ceteraque Cleri ac plebis caterva, miſſum a Papa Sintlacem videlicet in medio ſtare juſſit, palamque referre, quomodo Papa reverendus illorum Pontificum inertiam doleret, quomodo labefactati populi diſpendia lugeret, ſuaque juberet auctoritate, ut inclytus Pyrminius ab eis gratanter ſuſciperetur, gemendæ jacturæ futurus efficax reſtaurator. Pontifices talibus auditis compunctionis ſtimulo ſunt ſalubriter accenſi, virumque Dei in ſua adſciſcentes, omnem opportunitatem ac libertatem ſe ei paraturos ſpoponderunt, ad peragenda quæ divinitus ſunt inſtituta & ab Apoſtolico imperata. Accepta igitur tam congruæ occaſionis facultate, vir Dei primo ad Alamannorum gentem proficiſci diſpoſuit: quo dum perveniſſet, veluti cœlitus imber diffuſus, omnium ad ſe venientium corda fecundiſſimo ſalutaris verbi rore maritavit: commoranſque in loco qui vocatur SINTLACIS-OWA, venienti viam paravit Domino, prava mutans in directum, & aſpera in vias planas; & ex duris impolitiſque lapidibus filios Abrahæ quadrans. CIRCA AN. 758 3. Nov. IX.

Cumque non modicum tempus in hujuſmodi exercitio deſudaret, vir eximius Sintlaz, cujus etiam filium Pater ſanctiſſimus de ſancti lavacri fonte levavit, humiliter adiit eum, dicens: O Sacerdos inclyte, in tuo adventu omnia mortua reviviſcunt, arida virent & florent, tellus noſtra germine vitalis fructus gravida facta eſt: rogamus nunc, ut pio conſilio ſuggeras, quo in loco, poſtquam hinc forſan diſceſſeris, conſtruere queamus domum orationis. X.

At beatus Pyrminius: Videre, inquit, videor, inſulam prope quam celeriter navigando quimus attingere: properemus ad eam: fortaſſis ibi benignus Dominus ſuam nobis exprimet gratiam. Reſpondens autem prædictus vir ait: Abſit, abſit hoc, domine mi, quia in illa inſula ſerpentium exſtat vermiumque horrendorum poſſeſſio, nec hominis ulla ibi poterit eſſe habitatio. Tunc Pater almus: Quid, inquit, loqueris modicæ fidei? nonne Chriſtus retulit ſibi donatam eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra? nonne electis ſuis conceſſit ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem atque draconem? His auditis ſupradictus vir beato viro annuere, ipſique navigii opportunitatem præbere non tardavit. Mox autem ut ſacerdos ſanctus inſulam attigit, omnis illa venenatorum turba, veluti nimia contrarietatis vi urgente, fugiendo inſulam deſeruit: tantaque multitudo eorum abire viſa eſt, ut tribus diebus ac noctibus tota ſuperficies maris, per quod natando tranſierunt, cooperta videretur: nuſquam vero poſtea comparuit. XI.

Tunc egregius Chriſti agricola, tam horribili hoſtilitate anathematizata ſociatiſque fidelium adminiculis, ſtirpes inutiles, ſpinas, tribulos, fruticumque inculta præcidere curavit; nec deſtitit donec omni fœtori atque uligini abſceſſum pararet, ſoli vero ac jocundo aeri locum faceret: at- XII.

a Non diſſentiunt qui Pirminium acceſſiſſe ajunt ad Carolum Martellum, penes quem erat ſumma rerum, Theodorico ſola Regii nominis appellatione relicta. Certe Bartholomæus Scobingerus in Additionibus ad Joachimum Vadianum apud Goldaſtum obſervat, Carolum dotaſſe Monaſterium Augienſe ex ſionis fiſcalibus circumjacentium locorum pagorumque, in primis regia villa *Erfmuotingen*, ex cujus vinetis voluit præſtari vinum in uſum ſacrificii: id quod conſtat ex litteris conditionis Monaſterii, fundati *in honorem B. Mariæ Virginis & Apoſtolorum Petri & Pauli juxta Regulam* S. BENEDICTI.

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov. atque ita ſub celeri dierum momento facta eſt apta hominum habitatio, ubi antea conſtiterant immanium viperarum cubilia. Deinde in Chriſti honore Oratorium conſtruere aggreſſus eſt, ad quod plures fidei ardore animati, prædia ſua conferre decreverunt: præcipue tamen devotiſſimus Sintlaz, qui in ambitu ipſius loci multa hereditario jure poſſidebat, Chriſti domicilium amplificare ſtudebat: ubi poſtea plures coadunati ſæculi hujus transfugæ, Religionis ſanctæ facti ſunt aſſeclæ, procelloſi mundi vitantes inquietudinem, tutiſſimi portus obtinent ſtationem. *a*

XIII. O quondam ſterilis & horrida, nunc amœna & fertilis Owa; olim vepribus & ſpinis obſita, nunc fructiferis arboribus fecunda, vineis uberibus ſpecioſa, ut paradiſus emicas ſemper delicioſus. Gaude, & lætare immenſo cordis jubilo, grates Chriſto indeſinenter referendo, qui te per talem & tantum Patronum ſic exaltavit, ſic glorificavit. Eras quondam cubile draconum, nunc in te oritur viror calami & junci: via ſancta eſt in te, per quam non tranſibit mala beſtia: quondam ſonabant in te ædes habentes ululæ, nunc filii Sion commorantes & exſultantes in Rege ſuo, ſuaviſſimum præcinunt alleluja. Pro quibus jocunda & lætabunda in corde tuo juxta propheticum Iſa. 49. drama ſermocinari poteris: *Quis mihi genuit iſtos? ego ſterilis & non pariens: & iſtos quis enutrivit?* Ego deſtituta, ſed in manibus Domini ſabaoth deſcripta, in cujus oculis muri mei permanent ſemper. Iſte ergo primus locus eſt, quem venerabilis Sacerdos conſtruxit ad laudem Chriſti & ad commodum congregationis Chriſto famulantium: in quo ab ipſo tempore uſque in finem ſæculi cœleſtes foventur alumni, cœleſtis Hieruſalem futuri cives æterni.

XIV. Poſt hæc vero nullo modo deſiſtens a ſancti fervoris propoſito, cum prædicationis inſtantia, tum ſignorum virtutumque magnarum efficacia id comparavit, ut patrimonia ſua Fidelibus plurimis conferentibus, alia quoque nobilia ædificaret Cœnobia, quorum nomina hæc ſunt: ALTAHA, SCUTERA, GENGENBACH, SUARZAHA, MURBACH, MORESMUNSTER, NOWENWILARE *b*. Quod non ſine magna miraculorum patratione eſſe poterat: quamvis, quæ illa miracula, vel quot & quanta eſſent, ſcriptorum deſidia notificare neglexerit. Verum his omiſſis moveamus ſtilum noſtrum texere, quibus beneficiorum geſtis Horbacenſe Cœnobium orditus fuerit atque conſummaverit.

XV. Fuit igitur vir quidam WERINHERUS nomine, alta Francorum nobilitate propagatus. Hic cor ſuum inclinaverat ad faciendas juſtificationes Domini propter retributionem mercedis æternæ. Hic nempe odoratus odorem ſuaviſſimæ opinionis beati Pyrminii, quam fervidus ſcilicet deſudaret in prædicationis opere, quam efficax eſſet in animarum lucrificatione, quam ſedulus in ædificandis Monaſteriorum habitaculis, quamque ſtudioſus in coadunandis Religioſorum catervis, & quod nimio zelo Regulam S. BENEDICTI obſervare quoſque accenderet; pietatis æmulatione repletus, legationem direxit, rogans obnixius Præſulem eximium ad ſe venire dignari. Cui ſervus Dei morem gerere non renuit, quia Deo placita eum procurare perpendit; venienſque cum omni honore ab eo ſuſceptus eſt.

XVI. Cumque aliquamdiu ſimul morarentur, præfatus vir ſic eum allocutus eſt: Pater ſanctiſſime ac Sacerdos venerande, cujus merita longe lateque magnarum virtutum ſunt teſtificatione notificata; tibi ſummiſſius ſupplico, ut quod æſtuanti corde parturio votum, deſideratum adjuves adi-

a Huc referendum id quod ſcribit Hermannus Contractus ad ann. 727. S. PIRMINIUS poſtquam Augiam per tres annos rexit, *ob odium* CAROLI (Tuditis) *a Theodebaldo* GOTIFRIDI *Ducis* (Alamanniæ) *filio ex Augia pulſus*, EUTONEM *pro ſe conſtituis Abbatem, & ipſe Alſatiam alia inſtructurus Cœnobia petiit*. Et ad ann. 732. EUTO *Augiæ Abbas a Theodebaldo ob odium Caroli Muraniam relegatus; ſed eodem anno, pulſo Theodebaldo, a Carolo reſtitutus eſt.*

b De Monaſteriis a S. Pirminio conditis actum eſt in Obſervationibus præviis.

adipiſci effectum. Habeo namque, divina largiente gratia, plurima in circuitu conſiſtentia prædia, ex quibus aliqua in Dei honorem & ad commodum ipſi ſervientium conferre cupio, ut videlicet aptus quæratur & eligatur locus, in quo Dei famuli continuo manentes, idoneum ei poſſint perſolvere ſervitium. Hanc rem tuis initiari conſiliis volo, te duce, te inſtructore, ad ultimum, te ipſo fabricatore perfici exopto. CIRCA AN. 758 3. Nov.

Cui Pater almus: Non nos, inquit, tam pio ſubtrahimus operi; immo ultro præbemus promtos & paratos ad obſequendum tuæ voluntati; quia ſentimus, Deo inſpirante, agitari.

His dictis, præcipuus athletarum Chriſti adverſus omnem robuſtus difficultatem, a nullo, licet grandi, temperabat labore: quia ſummæ præventus benedictionis dulcedine, acriter invigilabat ad comparandam de pretioſo lapide coronam.

Quærens itaque inibi locum orationibus, ſacriſque exercitiis opportunum; modicum primo conſtituit tugurium, ad evitandas dumtaxat ſolaris æſtus moleſtias aptum. Contigit autem ruſticum quemdam adoriri eum, ac dicere: O Pater eximie, quem cuncti novimus hujus negotia declinare ſæculi, deliciarum luxus fugere, divitias ſpernere, animarum lucris deſervire, eaque ſolummodo quæ Dei ſunt die noctuque curare; ſi ſuggeſtioni meæ exiguitatis adſenſum præbere dignatus fueris, conciliatam tuis deſideriis propalabo manſionem. Eſt denique in contiguo locus, quem ob duorum confluentiam rivulorum GAMUNDIUM appellant: hunc ſi velis inviſere, divino cultui dignum duces mancipatum iri, poteriſque in ipſo, tam tuæ ſanctitati, quam noſtræ ſaluti modis omnibus proſpicere. XVII.

His perceptis Pater almus non deſtitit ad indagandum ipſum locum pergere. Quo conſiderato dum teſqua peragraret inculta, offendit venatorum illuſtris viri, prædicti videlicet Werinheri magalia; illaque introiens, & ſurſum manibus erectis, Davidici modulaminis verſum præcinuit dicens: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoadusque Dominus Jeſus, in juſſu & voce Archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlis, ac cum ceteris reſurgentibus ejus gratia uſis rapiar in nubibus obviam ipſi in aera. Poſt hæc a ſordidis venatorum uſibus emundans locum, ſicuti ferventibus animis efficacius obſequuntur quælibet inchoata opera, celerrime conſtruxit orationis ædem, quam in honore & memoria ſanctiſſimæ Dei Genitricis perpetuæque Virginis MARIÆ conſecrare non diſtulit. Tunc Fidelium devotione ſibi alacriter opitulante, pulcherrimum conſtruxit Cœnobium; ubi ſæculo huic renuntiantes, Deoque ſe ex integro mancipantes commodiſſimis uterentur habitaculis. Mutata ſunt ergo in brevi prava in directa, inculta in amœna, fœda in ſpecioſa: & quo prius fiebat venatio animalium ad delicias tranſitorii luxus præbendorum, ibi felici captura poſtea trahebantur animæ cœleſtis convivii dapibus ſaturandæ. Impletum videtur vaticinium carminis Eſaiæ, nobiliſſimi inter Prophetas, ita præcinentis: *Lætabitur deſerta & invia, & exſultabit ſolitudo lætabunda & laudans; quia gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron*. Aperiuntur enim nunc ibi oculi cœcorum, patent aures ſurdorum, ſalit claudus ut cervus, aperta fit lingua mutorum, quoniam ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine. XVIII. Pſal. 131. Iſa. 35.

Sanctiſſimus igitur vir more ſolito ardentiſſime inſtabat prædicationis officio, omniumque ad ſe venientium corda melliflua debriavit ſophia. Unde multitudo utriuſque ſexus numeroſa, non ſolum ex illa provincia, verum ex aliis etiam regionibus, ſanctæ opinionis odore attracta confluere non ceſſabat; quæ non ſolum exhortationis ejus virtutem deſiderabat, verum etiam ſalutiferæ impoſitionis Confirmatione ungi flagitabat. XIX.

CIRCA AN. 758 3. Nov. Sed quia locus erat artus, duorum videlicet fluminum concurſibus adſtrictus, præſertim cum Religionis cœtui ægre ferret femineum ſexum miſceri; ceſſit ad priora loca tabernaculorum, quatenus ibi commodius atque opportunius poſtulatum expleret miniſterium. Cumque huic ferventius inſiſteret, Sacerdotis ſui benevolentiam cœleſtis gratia glorioſo illuſtravit miraculo. Nam cum ſanctæ Confirmationis opus ob nimiam multitudinem prolixius exerceret, contigit oleum ſacratiſſimi chriſmatis evacuatis ampullis jam deeſſe. Unde anguſtiatus vir eximius, Curre, inquit miniſtro, velocius; ampullas doporta ad Cœnobium, ut eas iterato implens referas nobis ſancti liquaminis uſum. Ille ut juſſis morem gereret, agili motu arripuit ampullas; ſed mox ut eas eſt intuitus, offendit ſancto liquore uſque ad ſummum ditatas. Hic in promtu eſt conſiderare, quam fidelis Dominus in verbis ſuis exſiſtat. Sic enim promiſit obſecutoribus ſuis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* (Matth. 28.) Invenit profecto cor ſervi ſui juxta cor ſuum, cui dignatus eſt cooperari. Elucent merita Præſulis almi, per quæ mirabilis & magnificus oſtenditur Deus. Exprimitur quoque evidentius miſericordiſſima & efficaciſſima Spiritus-ſancti potentia, quæ fidem noſtram adhuc inſtruit & ædificat, ut certiſſime credamus, eum nos inviſibilis gratiæ unctione a peccati nævo lavare; qui viſibilis olei liquore exhauſtas ampullas voluit & valuit replere. Ideo nos jugiter aptare & conformare oportet apparatæ Deitatis gratiæ, quia nullo modo vult deſerere, quos ſibi promtos cernit exſiſtere. Contemplans igitur miniſter tam evidentis miraculi virtutem, non diſtulit manifeſtare ſancto Pontifici exhibitam gratiam. Aderat adhuc maxima plebis concio, quæ tanti ſigni admiratione perculſa, non eſt facile dictu, quanta mentis jubilatione, quanta corporis exſultatione præconia Chriſto ſolvebat. Funduntur ex intimis præcordiis grata ſuſpiria, tripudiant lætifico geſtu corpora cunctorum, non valentium invenire, quibus motibus exprimant percepta gaudia. Præſul autem venerandus hujuſcemodi verbis Domino gratificabat: Domine Deus omnipotens, qui es factor non exſiſtentium, reparator pereuntium; tu tempore priſco eſurientem in deſerto populum cœleſti manna recreaſti, ſitientem de petra manante rivo potaſti; tu iterum tempore recentiori quina hominum millia, quinis panibus biniſque piſcibus ſatiaſti: tibi gratias referimus, laudes præcinimus: eoquod inpræſentiarum non dedignatus es noſtræ quoque exiguitati, tuæ largifluæ bonitatis ſigna monſtrare, impendens ſubito oleum quod non exſtitit, ut mundares & ſanctificares quod immundum & perditum conſtitit: tibi honor & gloria in ſæcula ſæculorum. His dictis Præſul almifluus non ceſſavit confirmare cunctos qui ſupervenerant. Nam eo copioſius & devotius affluebant, quo ſe cœlitus dato nectare initiandos ſciebant: nec antea ſanctum potuit peragi miniſterium, quam conſummato diei tempore immineret veſperum. Quo minitante noctis tenebras effundere mundo, univerſi ſacra benedictione muniti remeabant ad propria, pleni gaudii refectione ditati.

XX. Illuſtriſſimus autem vir Wernherus quæ pii cordis deliberatione ſpopondit, omni alacritate implere curavit. Nam & ampliora quam voverat ſolvere certaverat, ut non ſolum obligationis minime fieret reus, verum dein ſuperadditis erogatorum numeris, æternum remuneratorem ſibi potius faceret debitorem. Inter plurima denique quæ liberali animo depromſerat, obtulit quoque maximos limites in ſaltu qui Vogeſus dicitur: in quo villa exſtat, habens vocabulum Pyrminishuſna, eoquod ibi proviſores gregum Cœnobii ſancti viri primo ſua metati ſunt tuguria. Subſequenti etiam tempore directi ſunt a Præpoſitis atque ab aliis ſanctiſſimi Monaſterii miniſtris, tam ſervilis quam liberæ conditionis viri; qui loca prædicti ſaltus perſcrutantes, necnon inutilia ejus arbuſta exſtirpantes, plurimarum paravere commoda villarum: in quarum ambitu

tu quæque excolentes diu infertilia, gratiſſima ex is reddidere novalia: quorum redditibus utentes in præfato degentes Cœnobio, tam carnali quam ſpirituali tripudiant beneficio. Æmulantes autem liberaliſſimum præfati Wernheri exemplum poſteri ejus quamplurimi, multique alii benignitatis affectu repleti, ad ſuſtentandas vineæ Domini vites ultro ſe ſuaque præbuerunt. Denique ex utriuſque præfati ſaltus partibus plurima condonavere prædia, quorum nomina ponere ſuperſedemus. Proinde penſanda mira gratiæ ſupernæ diſpenſatio, quomodo ſe diligentibus his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, omnia cooperari tribuit in bonum. En cernere poſſumus, qualiter iſte Præſul Deo devotiſſimus ad præparandos cœleſtis uſuræ fructus inſtigat excolere culturæ terreſtris uſus: & dum ſummorum intentus meditatur lucrum, infimorum accipit famulitium. Quæ licet tranſeundo finem habeant, his tamen qui eis recta uſi ſunt intentione, fructificant ſemper manentis gaudii diuturnitatem. Quid vero his præparent qui in eis aliter quam a Deo ſit conſtitutum, verſari geſtiunt, ex adverſo colligi poteſt. Rationales quidem animæ in id conditæ ſunt ordinis, ut famulantem infimorum habeant uſum, ſummorum vero appetant fructum. Hunc ergo obſervantibus ordinem, omnia cooperantur in bonum. Econtra qui ſumma pro nihilo penſant; imis autem delectantur ut ſummis; omnia cooperantur in malum. Et ratione id cadit, ut illis in præmio cumuletur vitæ æternitas, iſtis in ſupplicio perpetuæ mortis atrocitas: illis exſultationis immenſitas, iſtis mœroris immanitas: illis honor perpes & gloria, iſtis opprobrium indeficiens & ignominia. Obſecrare nunc juvat, te beatiſſime Chriſti Sacerdos, ut piis apud eum obtineas interventibus, quo ſua nos illuſtret gratia, quæ terrenos in nobis affectus interimat, cœleſtium appetitus incitet & augeat: quidquid tranſitoriæ facultatis ſe ſubjicit, ad uſum diſpenſare doceat, non ad fructum; teque ducem & prævium noſtrum ſequentes, per temporalia quæ nobis præparaſti commoda, æterna procuremus præmia. CIRCA AN. 758 3. Nov.

Poſt hæc Præſul egregius iter ſuum ad locum jocundiſſimum, qui vocatur Wizaburc * deſtinavit, ibique gratiam qua redundabat plurimis impertiens, a ſæcularis vitæ ſcoria purgatos, religioſæ diſciplinæ excudit æmulos. Hic quoque ſicut in reliquis ejus conſtructionibus efficaci comparatione adſtitit Chriſtus, qui corda multorum eo ignivit ſtimulo, ut prædia poſſeſſioneſque ampliſſimas eidem loco ſubrogarent: præparatumque eſt in brevi Cœnobium Dei ſervitio aptiſſimum, & ſæculo renuntiantibus tutiſſimi ſtatio portus; ubi non paucis Fratribus ſpiritalis exercitii fervore coadunatis, honeſtiſſimam atque diſcretiſſimam B. BENEDICTI Regulam obſervare Pater almus inſtituit: & ſic ad Horbacenſe Cœnobium reverſus eſt per ſuam ſemitam: quæ ob piæ privilegium memoriæ ad inpræſentiarum vocatur ſancti Callis Pyrminii. XXI. * al Vvizeburg

Ex hujuſcemodi ergo piorum operum ardoribus fama beati viri longe lateque percrebuit, adeo ut eximius Antiſtes BONEFACIUS [a], qui tunc Moguntinæ metropolitanæ videlicet urbis ſedi præerat, & a primævæ ætatis pueritia digno exſequi ſtuduit opere quod præfiguravit in nomine; viſitandi eum gratia adire diſponeret, & ad ipſum Gamundii locum venire non omitteret. Quem beatus excipiens Pyrminius, magno gratulabatur affectu, quod a tanto meruit viſitari Sacerdote. Æſtimare datur, quanta in utrorumque cordibus exſtitit lætitia, quam copioſæ exſultationis affluentia, ex ſancti Spiritus manans inundantia, dum uterque alterum conceſſa participat gratia, uterque docet & diſcit, uterque Chriſtum indit & haurit: & quanto prolixioribus mutuo ſe donant colloquiis, tanto ſtrictiori- XXII.

[a] Othlonus in Vita S. Bonifacii illum congreſſum prætermiſit, refertque alio prorſus modo factum de cymbalo, cujus meminit hic Auctor cap. 23. & 28. adeo ut Othlonus hujus Vitæ ſcriptor dici non poſſit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov. bus in Chriſti amore connectuntur vinculis. Felices judicandi, qui tantorum Antiſtitum intuebantur amplexus, fide & veritate gravidos, puritate conditos, ſanctitatis vigore fecundos: quorum oſcula dulciſſima, charitatis nectare redolentia, ſancti Spiritus irrorabant chariſmata. Amoris itaque divini inſtinctu aliquantulum temporis pariter tranſigere decreverunt, ut a saluberrima collationis efficacia de ſtatu Eccleſiarum ſanctarum, de uniendo in vera pacis concordia ritu plebium commiſſarum multa proponerent, utiliſſima quæque deliberarent. Hinc ſalutiferæ exhortationis munere ditati, immo fraternæ conſolationis manu roborati, lætiſſimo congratulabantur affectu.

XXIII. Sanctus autem Bonefacius Deo multimodis gratificans, quod ut beato Pyrminio ampliorem vulgato reperiſſet gratiam, mutua benedictione data & recepta rediit ad ſua. De cujus meritorum vivacitate aliqua huic inſerere opuſculo animus parturit: quibus decurſis, terminum materiæ noſtro conſecrabimus Pyrminio. Præfatus namque Sacerdos, ut athleta bellicoſus, in Chriſti militia decertans, ſe gnaviter exſerere, ferociſſimam gentem Freſonum aggredi conamen habuit; ut ſi quos ibi ſpurciſſimo dæmonum cultui ſubtrahere poſſet, ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubderet. Erat quippe adhuc magna ipſius gentis pars veræ Fidei extorris, fœdiſſimis paganiſmi ritibus dedita, & barbarica immanitate multimodis effera atque profana. Cum autem illuc per Rheni fluminis alveum jam proficiſceretur, contigit eum ad quemdam deveniſſe locum, in quo piorum operum commorabatur femina, quæ & ipſi grata præbuit hoſpitii commoda. Hæc etiam habuit capellam manſioni propriæ contigue adhærentem, in qua orationis penſum jugiter ſolvere conſueverat. Ibi quoddam pendebat vas fuſile, mediocris videlicet ponderis, (vulgaris hoc uſus ſcillam nominat) quod miræ ſonoritatis dulcedine audientium ſenſus afficiebat. Illud vir almus, ſi quando a propoſiti operis labore Deus ſe remeare concederet, ſibi dari a prædicta Deo dedita poſtulavit. Verum illa ſciens nil tanti viri precibus negare oportere, liberaliſſimo mentis affectu revertenti ſe præbituram fore ſpopondit.

XXIV. Miles vero Domini ſtrenuus inde profectus, ſicut animo propoſuit, Freſiam venit; ubi tenaciſſimo fidei trilice armatus ac inſuperabilis fiduciæ galea munitus, limatiſſimo evangelicæ veritatis cuſpide hoſtes acerrimos terebrandos aggreditur. Proinde ſuperus Imperator agonizanti opitulans militi, multorum cordibus infixit ſalutaris verbi ſpicula, quorum acumine ſalubriter ſaucii, lucis fomite ſucceſi, prioris nebulam deteſtantur erroris, ac intima compunctione devicti canere incipiunt: Sagittæ tuæ acutæ, Regum potentiſſime. Deinde ſiniſtræ partis abdicant conſortium, dexteræ adſciſcunt contubernium; ac in omnibus ſacri Præſulis obſequuntur dogmati. Qui eos efficiens almo Baptiſmate candidatos, perfectam Chriſtianæ Religionis obſervantiam perdocuit, pervigilique inſiſtens cura effecit, ut qui ante fuerant infeſtæ hoſtilitatis armigeri, electæ civilitatis fierent manipli.

XXV. Alii vero Freſonum, qui Babylonicæ conſpirationis caſtra deſerere noluerunt, potiuſque ſub Nembroth militare, quam Chriſti jugo ſubdi cenſuerunt, declinantes in obligationes, invidiæ ſe ſquamis armant, peſſima conſtruunt molimina, tempus opperiuntur opportunum, quo virum Dei ſibique adhærentes invadere atque obruere valeant. Conceptum itaque vipereo ſemine ſcelus, celeriter parere geſtiunt. Nam conglobato impiæ ſocietatis agmine, Antiſtitem ſanctum omni crudelitatis rabie inſequi properant. Quem pii operis execuionibus inſtare offendentes, ſine mora una cum pluribus ipſi adhærentibus trucidant. Quod ideo mira Dei diſpenſatio fieri permiſit, ut famulum ſuum inſigniret triumpho martyrii; & in die juſti examinis ſeverius puniret contemtores oblatæ ſalutis. Ille namque trucidatus in terra, limatior cœli fulget in aula. Momentaneam paſſus eſt pœnam, per quam perpetis gloriæ nactus eſt palmam. Iſti vero miſeri ignorantes ſcriptum, Matth. 26. 52. *Omnis qui accipit gladium, gladio peribit*; perpetrati ſceleris horrore omni hora

Digitized by Google

hora torquentur, commiſſi piaculi conſcientia tamdiu confunduntur, donec CIRCA AN. 758 3. Nov.
ipſius ſcripturæ ſententiam ſuis operibus interpretati ſunt. Denique hoc ex divina ultione promeruerunt, ut proprii furoris rabie converſa in ſemetipſos inſurgerent, ac ſe invicem mutuo extractis gladiis perimerent. Quibus nullus ſuperfuit, uno excepto, qui ab hujuſmodi pernicie exemtum ſe putavit: ſed alio mortis genere ulciſcentem manum non effugit. Nam morbo intercutis invaſus, totus cœpit ſcaturire vermibus, donec artubus miſerabili peſte reſolutis, digna conſummatus morte cunctis perpendere daret, quod Deus ultionum Dominus retributionem reddit ſuperbis, & quod vindictam expetit a Deo ſanguinis Sanctorum qui effuſus eſt.

Poſt hæc quicumque beati viri familiarium ſuperſtites necis exſtiterant, XXVI.
cohortabantur quos pietate poſſeſſos repererant, ut ſe benignitatis ſolatio adjuvarent Præſulis almi Reliquias componere, & ad regionem ex qua illuc venerant reportare. Ejus rei dum eos divina gratia compotes efficeret, ſacra oſſa recolligunt, feretro imponunt, hymnidicis concentibus canori, per eamdem viam qua venerant remeare cœperunt. Cumque itineris tantum exegiſſent, ut per diei unius intervallum eo venire facultas eſſet, quo Dei ancilla Beala beato viro accommodabat hoſpitium; ecce tintinnabulum quod habebat deſponſum, nulla re quæ videri poſſet impellente, ultro ſe cœpit agitare, plectrique ſui pulſu monita ſolitam ſonitus dulcedinem propinare; nec ante (mirum dictu!) reboare quievit, quam beatæ Reliquiæ in ipſum deportatæ ſunt Oratorium, in cujus cacumine fuerat appenſum. Vere Deus omnipotens angelica id agitari juſſit adminiſtratione, ut perſpicue intelligere daret, quam ſuavibus anima illa in cœlo frueretur melodiarum cantibus, cujus in terra defuncto corpori animatæ materiæ agaulizaret ſonus.

Pro tanti ergo ſigni beneficio laudibus Deo celebratis, oſſa venerandi Præ- XXVII.
ſulis Moguntiam deportabant, ad ſuæ videlicet diœceſis ſedem. Ibi adunato copioſo Cleri plebiſque cœtu, ad Wldam uſque cum omni honore tranſtulerunt: ubi, ſicut ipſe corpore vivens juſſerat, eum cum hymnis & pſalmodiis collocaverunt. Ut autem pius Dominus exprimeret meritorum Martyris ſui vigorem, multitudinem populi, qui ob prolixum iter oppido fatigatus erat, magno gratiæ ſuæ relevavit impendio. Nam rivus ibi decurrens tantam ſubito fertur eructaſſe piſcium copiam, ut quamvis innumerabilis caterva adeſſet, omnibus tamen ſatiem plenam inferret: cunctorumque corda grandi ſtupor percelluit admiratione, quod ipſe qui olim in deſerto ex duobus piſcibus ſatiavit quinque millia hominum, nunc eodem benignitatis fonte redundante, ſubito propter Antiſtitis ſui dilectionem, tantam fieri juſſit piſcium copioſitatem, quæ maximæ turbæ mederetur indigentiæ. Tanto igitur munere Dei refecti, tam vivaci Martyris interceſſione muniti, in ſua quique ſunt regreſſi. Condonantur quoque in ipſo loco extunc uſque inpræſentiarum multa beneficia quærentibus, poſcentibus & confidentibus in beati viri ſuffragia, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui perpes gloria manet in ſæcula.

Ex occaſione ſiquidem adventus S. Bonefacii ad B. Pyrminium, extra XXVIII.
inchoatæ materiæ ſemitam digreſſi ſumus. Attamen non offendet iſta digreſſio, cum ad noſtrum redeuntibus Pyrminium, occurrit referendum per ipſius declaratum merita ſimile miraculum. Wido nempe de ſtirpe ſupra memorati Werinheri progenitus, Cœnobium Horbacenſe propria tenens in ditione, devotus erga id nimium exſtitit: qui & plurima conferens donaria, Oratorii Sancti faciem ſtructuris eminentioribus ornavit, amplo auri & argenti ſplendore polivit, & ubicumque facultas ſuppeditavit, ſagaciter & ſtrenue promovit. Verum aliquando non boni conſilii vertigio actus, contra hæc agere non eſt reveritus. Quoddam itaque campanum, quod ob electæ materiæ maſſam & rite mixti metalli temperaturam, magnam ſonoritatis habuit elegantiam; Oratorio almo auferri, & ad locum qui Locusvillare nominatur, præcepit transferri. Sed quia in hoc perperam atque

CIRCA AN. 758 3. Nov. contra S. Pirminium egerit, celerius recognovit, non experientia ultionis, ſed clementi eventu ſigni mirabilis. Nam prædictum fuſile poſtquam in loco prædicto eſt ſuſpenſum, nullum omnino valuit edere ſonum, penituſque mutum manens & inhabile, perſtrinxit omnes grandi ſtupore. At ubi præfatus Wido tremore & horrore perculſus ad almum illud referre juſſit Cœnobium, juxta priſtinæ ſuavitatis dulcedinem, jocundum cunctis & delectabilem recepit & edidit ſonum. Hinc evidens viri beatiſſimi divulgata eſt ſanctitas, hinc certior ſpes & fiducia major fidelibus exorta eſt ad ejus poſcenda ſuffragia, cujus apud Deum tantum cernunt ponderare merita. Hinc ejus vegetatior tutela Cœnobio, cujus res non audent appetere, quas norunt tam robuſto protegi defenſore.

XXIX. Qui patronus eximius poſtquam ab eo receſſit B. Bonefacius, alacrius in ſancto fervebat opere; & quaſi antea nil egiſſet, quæ retro ſunt obliviſcens, in anteriora ſe extendit omni vigilantia & ſtrenuitate. Cumque jam locorum a ſe conſtructorum provectus bene vidiſſet compoſitos atque ſtabilitos, filioſque ſuos quos abſque numero genuerat, vitalium operum perpendiſſet edere fetus; tempus eſſe taxans a practicæ laboribus deſiſtere, in theoricam totam mentis convertit aciem; ac multifariam Liæ ſollicitudinem devitans, toto animi fervore in Rachelis flagrabat amore. Hujus cupitis amplexibus jam gliſcens adhærere, non noctibus, non diebus adolere ceſſabat orationis thymiama, crebræ lacrymarum effuſioni ſubjiciens alimentum ab irriguo ſuperiori. Hujuſcemodi intentioni deſerviens agone infatigabili, perpendit jam tempus imminere, quo immarceſſibile deſudationis ſuæ præmium recipere deberet.

XXX. Tunc accerſitis in unum cœtibus filiorum, nonne hac brevi videtur eos exhortari admonitione? Noſtis, Fratres dilectiſſimi, quomodo a primo mei ad vos tempore adventus, providentiam veſtræ ſalutis exſecutus fuerim, nil mei mihi reſervaverim, nil pepercerim, veſtrum meditans profectum, veſtram verſans utilitatem. Nunc igitur, quomodo opitulante Chriſto certamen bonum certavi, curſum conſummavi, fidem impertitæ gratiæ ſervavi; veſtrum decrevi commonefacere ſtudium, ut eum qui vos ad ſuam invitavit gratiam, firma fide colatis, ſpe ad ipſum certa tendatis, in ejus charitate fervida, bonorum operum exſecutione proficere ſtudeatis. Recolite, quod ad ſuſtentandos vos & in Dei ſervitio corroborandos, poſſeſſiones amplas & prædia vobis providi. Adſtitit enim mihi ſuperna gratia, & ad hæc eroganda multorum animaverat corda. Conſulite vobiſmetipſis, conſulite, ut per terrena quæ vobis præparavi commoda, æterna procuretis lucra animarum veſtrarum. Nam ſi (quod abſit) egeritis contra, credite mihi, credite, mutabitur in diſpendium, quod proficere debuit in emolumentum. Scrutamini igitur ſcripturas divinitus allegatas, in quibus conſiderare poteritis, quid facere jubeat Deus, quid prohibeat; quid ſummum ſit bonum, quid medium, quid infimum; quo uti oporteat, quo frui & delectari conveniat. Sedeat vobis animo, præcipue in humilitate verſari, patientiam amplecti; & in fraternitatis amore abſque fuco ſimulationis manere. His ſi attenderitis, erit vobis Sanctorum omnium iterceſſio præſentior, Chriſtus placabilior, optatorum proventus efficacior, donec mereamini in cœleſti regno æternæ felicitatis compotes fieri.

XXXI. His dulciter prolatis, artubus corporis jam ſe in primordia ſui reſolventibus, animam cœleſti Viatico armavit, atque omnigena virtute redimitam, ac meritorum divitiis plenam, tertio Nonas Novembris [a] ſidereis ſedibus immiſit. Cujus exitus, licet non eveniret ſanguinis effuſione, martyrii tamen non caret honore: qui ſemetipſum penitus abnegans, omni vitæ ſuæ tempore mortificationi crucis Chriſti carnem ſubigebat, ac totis ani-

[a] Incertum quo anno, quem Hermannus Contractus non ſignat, nec quivis alius veterum Auctorum. Si Pirminius S. Bonifacio ſupervixit, uti ex ſuperioribus colligitur, facile pervenit ad annum 758.

Digitized by Google

CIRCA AN. 758 3. Nov.

animi inceſſibus Chriſtum ſequebatur. Nempe ſi crudelitas perſequentium fortaſſis immineret, gaudens ſupplicia quamvis immania ſubiret. Non ergo Abraham ideo obedientia minor, neque Iſaac immolationis merito indignior, quia de cœlo veniens Angelus prohibuit effici, quod voto affectabatur impleri. Corpus autem ſanctiſſimi viri a Fidelibus eſt collectum, & in ſui Cœnobii Oratorio cum omni reverentia conditum *a*, ubi jugiter ſanitatum beneficia abſque numero impenduntur. Denique cœci lumen recipiunt, claudi greſſum, ſurdi auditum; & quocumque iniquitatis genere veniunt vitiati, compotes incolumitatis effecti redeunt læti, obtinentibus hoc Præſulis ſacratiſſimi meritis apud potentiſſimum reſtauratorem totius boni auctorem JESUM-CHRISTUM Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu-ſancto manet una Deitas, par poteſtas, incomprehenſibilis majeſtas per infinita ſæcula, Amen.

VITA SANCTI OTHMARI

AN. CHR. 759 16. Nov.

ABBATIS DURGAUGENSIS SEU SANCTI-GALLENSIS,

Auctore WALAFRIDO STRABO Augienſi Abbate ſæculo 9.

Ex Goldaſto & mſ. codice Cheſniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Othmari nomen, & Vitæ ſcriptor.

1. SANCTI OTHMARI *nomen non uno modo pingebatur apud antiquos. In chartis a Melchiore Goldaſto vulgatis in tomis 2. & 3. rerum Alamannicarum, legitur* Audemarus, Audomarus, Autmarus & Otmarus Abbas Durgaugenſis *ſeu* Monaſterii S. Galloni, *quem alii* Gallonem, *vulgo* Gallum *appellant. Utriuſque Vitam, ſanctorum ſcilicet Galli & Othmari, litteris mandavit* WALAFRIDUS STRABUS *Abbas Augienſis*, ad petitionem Gozperti Abbatis *Sancti-Gallenſis, uti Hepidannus in Annalibus teſtatur cum ipſo Vvalafrido in prologo ſuo: qui Vvalafridus* anno 849. *exceſſit e vivis, & quidem* 15. Kalend. Septemb. *ex S. Galli Necrologio apud Goldaſtum.*

Miraculorum ſcriptor.

2. *Hujus fere æqualis* ISO *Cœnobita Monaſterii S. Galli duobus libris translationes & miracula S. Othmari exaravit. Is multis laudatur ab Ekkehardo Juniore in libro de caſibus S. Galli cap. 2. ubi* Notkerum Balbulum, Tutilonem & Ratpertum diſcipulos *habuiſſe dicitur. Apud Hepidannum vero*, anno 871. Iſo Magiſter obiit prid. Id. Maji: *quem itidem annum ſignat Hermannus Contractus. Exſtant etiam hymni duo apud Caniſium in tomo 5. antiquarum lectionum pag. 757. & 767. unus a Notkero Medico, alius ab Anonymo conditus in S. Othmari honorem.*

Hymnographi.

Sanctitas declarata.

3. *Statim a ſuo ipſius obitu Othmarus* ſanctus *habitus eſt. Hinc poſt ſepulturæ annos decem corpus ipſius* e Stein *inſula revectum eſt in S. Galli Monaſterium. Non tamen ante annum 864. honoratus eſt publico cultu, quem Salomon Conſtantienſis Epiſcopus ipſi decrevit poſt ſollemnem e tumulo levationem. Ekkehardus cap. 1. de caſib. S. Galli ſcribit*, B. Othmarum auctoritate Romana in Sanctum levatum. *Quod vereor ut dixerit habita ratione ſui temporis, nimirum ſæculi 11. quo Romani Pontificis ſuffragium in levandis e terra Sanctorum corporibus ſolebat expectari: nam Iſo Monachus teſtis & hiſtoricus translationis a Salomone factæ, Romani Pontificis interceſſiſſe auctoritatem non memorat in lib. 1. cap. 2. & ſequentibus. S. Vvolfgangus Ratiſponenſis Antiſtes S. Othmarum præcipua devotione coluit, uti in Sæculo 5. Benedictino videbimus.*

Martyr dictus.

4. *Notkerus Medicus & Monachus Cœnobii S. Galli in hymno a ſe compoſito Othmarum* Martyrem *prædicat his verſibus.*

Principum ſævas doluit rapinas.
Inde raptorum ſtudiis gravatus,
Martyris palma meruit ſuperna
Scandere regna.

Nimi-

a Corpus S. Pirminii, opera Schvvicardi Comitis ab Helffenſtein, adſervatur hodie in Templo Societ. JESU Oeniponti in Bavaria, ut legitur in Baſilea ſacra pag. 94. In Ducatu Luxemburgenſi, non procul a vico Vviltz, ſacellum exſiſtit S. Pirminio ſacrum, Abbatis Monaſterienſis apud Luxemburgum poſſeſſionibus adnumeratum, quod circumpoſiti incolæ voti cauſa frequentant, præcipue pro parvulis phtiſi laborantibus, teſte Joanne Bertelio Abbate Eſternacenſi in Hiſtoria Luxemburgenſi.

Digitized by Google

AN. CHR. 759. 16. Nov.

Nimirum eo tempore familiare erat, ut homines innocentes violenta qualibet morte ab aliis affecti, Martyres appellarentur. Verum etſi pro juſtitia vitam finivit in exſilio S. Othmarus, non tamen continuo Martyr *appellandus: quem ſane titulum apud ſolum Notkerum ipſi attributum legimus.* Conradus Camerarius inſtituit lumen ante aram S. Othmari omni nocte arſurum, *ut in Necrologio Gallenſi legitur* 8. Id. Octobris.

Monaſterium S. Galli inſtruit.

5. *Monaſterium S. Galli in diœceſi Conſtantienſi ſitum ad lacum Acronium, olim dictum* Durgaugenſe, *eoquod ſitum eſſet in pago* Durgaugia, *quem etiam* Arbonenſem *vocant; iſtud, inquam, Monaſterium, fama & amplitudine hactenus celeberrimum, ſua debet primordia & incrementa Othmaro Abbati, qui Cellam exiguam a S. Gallo conditam & pene deſtitutam amplificavit, & neceſſariis inſtructam ædificiis Monachis Benedictinis adſignavit, factus & ipſe Monachus, cum antea fuiſſet Presbyter ſæcularis. Sane Pippinus Rex dum Othmaro Cellam S. Galli commendavit, ipſi conceſſit* libellum quem BENEDICTUS Pater de Cœnobitarum converſatione compoſuerat, *teſtante Vvalafrido in lib. de Mirac. S. Galli cap. 11. ubi priſcum Cellæ S. Galli ſtatum deſcribit. Nec dubium quin eo animo a Pippino id factum ſit, ut novum Monaſterium inſtitutis Benedictinis informaretur. Et* KERO *Sancti-Gallenſis Monachus, regnante Pippino Caroli Magni patre, S. Benedicti Regulam Alamannice reddidit in gratiam Monachorum imperitorum, uti apud Goldaſtum legitur in tomo 2. rerum Alamannicarum. Hinc frequens mentio* Regulæ S. Benedicti *in hiſtoria Ekkehardi Junioris, cui præivit Hartmannus ſæculo 9. ejuſdem Cœnobii Monachus, in Litania metrica tomo 5. Caniſii pag. 732. relata his verſibus.*

ad normam Regulæ S. Benedicti.

O dilecte Dei radians virtute coruſca,
Sancte Othmare Pater, junge preces pariter.
Summe Dei cultor, Monachorum Rector & Abbas,
O BENEDICTE ſacer atque benigne Pater,
Iſtud Cœnobium cœtumque tibi famulantum,
Noſtraque ſanctificans cuncta tuere ſimul.

Donationes ſancto Othmaro factæ.

6. *Variæ donationes S. Othmaro factæ leguntur apud Goldaſtum in tomis 2. & 3. rerum Alamannicarum: ubi Othmari nomen varie exprimitur, ut ſupra monuimus.*

Viri pii & illuſtres Cœnobii S. Galli.

7. *Floruere in illo Cœnobio complures viri pii & illuſtres, in his præter Othmarum ſancti* EUSEBIUS SCOTTUS *ſæculo* 9. NOTKERUS *cognomento* Balbulus *anno* 912. *mortuus;* WIBORADA *fœmina Recluſa,* FOILLANUS Scottus beatæ memoriæ *ſæculo* 10. *de quibus ſuo loco. Viri ſcientia pro temporum captu præditi* ISO Magiſter, TUTILO, RATPERTUS, EKKEHARDI ſenior & junior, HEPIDANNUS, BURCHARDUS, BERTHOLDUS, *aliique Sancti-Gallenſes Monachi, ut miſſos faciam plurimos epiſcopali & abbatiali dignitate conſpicuos, qui ex eadem palæſtra prodierunt. His adnumerandus eſt* NOTKERUS *Leodicenſis Epiſcopus, uti alias probabimus. Ibidem etiam viguerunt* ſcholæ interiores *pro Monachis,* exteriores *pro laicis, de quibus actum eſt in Præfatione. Notare juvat hoc loco,* AGINONEM venerabilem Patrem Epiſcopum & Rectorem Monaſterii S. Galloni *nominari in quadam Ruakeri charta, data* anno 24. *regni Caroli Magni apud Goldaſtum in Notis ad caput 14. Hiſtoriæ Burchardi de caſibus ejuſdem Cœnobii: quo tamen tempore Vverdo Abbas loco præfuiſſe dicitur.*

Scholæ.

INCIPIUNT CAPITULA IN VITA S. OTHMARI.

PROLOGUS *ad Fratres Monaſterii S. Galli.*

CAPUT I. QUOMODO *vir Dei* OTHMARUS *pro ſanctitate vitæ cellulæ S. Galli ſit prælatus, & regia auctoritate regularem inibi vitam inſtituerit.*
II. *Qua converſationis ſanctæ perfectione nituerit.*
III. *Quantam in pauperes miſericordiam habuerit.*
IV. *Qualiter a quibuſdam iniquis pro zelo juſtitiæ, quo fervebat, multis affectus ſit injuriis.*
V. *Quam in objectione ficti criminis modeſtiam tenuerit, & qua accuſator ejus pœna multatus ſit.*
VI. *Quomodo inter arta cuſtodiæ clauſtra vitam finierit.*
VII. *Qualiter poſt multum temporis corpus ejus ſine corruptione repertum ſit.*
VIII. *Quam mirabiliter in translatione corporis ejus tempeſtas ſedata ſit.*
IX. *De abundantia potus cœlitus ſubminiſtrati, & ubi corpus ejus poſt translationem ſit tumulatum.*
X. *Mutus & ſurdus ad ſepulcrum ejus eſt curatus.*
XI. *Quomodo lux in eodem loco cœlitus data apparuerit.*
XII. *Quidam ibidem caſu deſperatus quam facile convaluerit.*
XIII. *Contractus ſanitati reſtitutus.*
XIV. *Terra in lapidem converſa.*
XV. *Clerico cuidam manus reſtitutæ.*
XVI. *Quomodo idem ſepulcrum in deſtructione Baſilicæ illæſum permanſerit, & qualiter in altum locum Reliquiæ viri ſancti tranſlatæ ſint.*
XVII. *Quæ oſtenſio in eodem Oratorio cuidam Fratri manifeſtata ſit.*

IN-

Digitized by Google

AN.CHR. 759 16. Nov.

INCIPIT PROLOGUS.

FInitis duobus libellis quos de vita & virtutibus B. Galli Confeſſoris juxta fidem quæ vel ſcripto, vel dicto ad nos uſque pervenerat, vere potius quam lepide compoſuimus, jubentibus vobis, Fratres cariſſimi, qui in Cœnobio ejuſdem ſancti Patris conſtituti, fervoris ejus quem in Dei rebus habuit, ſancti ſtrenuitate propoſiti ſpecimen exhibetis, libet ſubnectere eam relationem, quæ de S. Patris OTHMARI ſtudiis & virtutibus per ejus merita oſtenſis veſtra adſertione & cura litteris eſt mandata veracibus: quæ cum ſit veritate plena, ratione peſpicua, non ob aliud a nobis eſt iterata, niſi quia cariſſimus Frater GOZBERTUS qui idem opuſculum edidit, cujus charitati quidquam negare nec volumus, nec debemus, id ut fieret poſtulavit, immo præcepit, quem etiam in hac occupatione inſtantiſſimum ergodiocten *a* ſine tædio læti ſuſtinuimus. Itaque Lectori credulo ſufficiat hæc abbreviatio noſtra; incredulus autem qui fuerit, ad eam conſcriptionem quam ſequimur recurrens, multiplici adſtipulatione teſtium conventus ad fidem, ſi gratus eſt, ſegnis non erit.

CAP. I.

IGitur Othmarus genere Alamannorum oriundus, in ætate puerili a fratre ſuo Rætiam *b* Curienſem perductus eſt, & in ſervitio VICTORIS earumdem partium Comitis multo tempore conſtitutus: & litterarum ſcientia ſublimatus, virtutum ſectator morumque laudabilium poſſeſſor, Sacerdotii gradum conſcendit, & a ſupradicto Comite benigne retentus, cuidam titulo S. Florini Confeſſoris prælatus eſt. Cumque morum ejus probitas & ſanctæ vitæ munditia longe lateque plurimorum aures rumore dulci reſpergeret, WALTRAMNUS quidam qui ſibi vaſtitatem eremi, in qua S. Gallus cellulam conſtruxerat, velut a parentibus hereditario ad ſe jure tranſmiſſam vindicavit, eumdem Othmarum a Victore ſupradicto ad præficiendum eidem cellulæ poſtulavit: & voti compos effectus, cellulam cum omnibus quæ ad eam pertinebant, illi ſollemniter commendavit. Atque ut ſui melius deſiderii convaleſceret utilitas, ad PIPPINUM *c* Regem profectus, eumdem Abbatem ipſi præſentavit, & locum cui eum pridem præfecerat, proprietatis jure Principi contradidit, omni inſtantia depoſcens, ut regia auctoritate ex integro Othmarus Abbas eidem præficeretur loco. Cujus peritioni jam dictus Princeps adſenſum præbens, locum ſibi traditum viro venerabili commendavit, & regularem inibi vitam inſtituere juſſit. At ille regreſſus, confeſtim boni Mandritæ ſtudium in ipſo exſecutus initio, undique verſum congrua Monachis habitacula conſtruxit, & ipſius ſacri loci ſtatum ad utilitatem divini ſervitii ſtudioſiſſime reformavit. Religioſos etiam quoſque ita liberalitate ſua ad devotionis ſtudium invitavit, ut ex quorumdam donationibus poſſeſſiones ipſius Cœnobii admodum dilataret, & infra paucos annos complures ad ſacræ militiam vitæ attractos magiſterio ſuo & cura decentiſſime gubernaret.

His prælibatis, vitæ ejus ſanctitatem liceat ſummatim perſtringere, ut liquido cunctis clareat, quibus profectuum gradibus ad hanc gloriam ſit eve- II.

---

a Græce ἐργοδιώκτην, ideſt exactorem operis, monitorem: qua voce uſus eſt Hieronymus in Epitaphio Nepotiani.

b Rætia Curienſis ſeu prima, cujus caput urbs Curia, *Chur*, ad Rhenum, Comitatum Tirolenſem complectitur: alia ſecunda dicta ab urbe Curia ad Danubium uſque porrigitur, a Bajoaria Lico fluvio diſcreta.

c Immo ad Carolum Pippini Regis patrem, ut patet tum ex ipſo Vvalafrido in lib. de Mirac. S. Galli cap. 11. tum ex Hepidanno Monacho in libro de caſibus S. Galli, & Hermanno Contracto in Chronico, ubi Othmarus *anno 720. Cellæ S. Galli primus Abbas conſtitutus, cœnobialem inibi vitam inſtituiſſe, & quadraginta per annos nobiliter rexiſſe* dicitur. Porro Victor *conſilio cujuſdam Ducis nomine Nebi perſuaſus ad præfatum Principem Carolum cum eodem Duce properavit, ipſique eamdem Cellam proprietatis jure contradidit, & ut Othmarum Presbyterum eidem loco præficeret exoravit*, inquit Vvalafridus. Quamquam ex libro 1. Iſonis de miraculis S. Othmari cap. 5. diſcimus, Othmarum per Victorem primo quidem ad Carolum, deinde Carolo mortuo ad Pippinum filium fuiſſe deductum, ut in conceſſi loci poſſeſſione confirmaretur.

Digitized by Google

AN.CHR. 759 16. Nov. vectus. Erat denique parſimoniæ ſectator eximius, creberrimo macerans jejunio corpus, ita ut in præcipuis jejuniorum diebus ex conſuetudine bidui abſtinentiam continuaret frequentius. Et his contra tentamentorum jacula clypeis præmunitus vigilias amabat, & aſſiduitate orandi ſpiritalia nequitiæ repellebat. Summæ autem humilitatis gratia præcipue præditus, in tantum voluntariam paupertatem diligebat, ut terrenam gloriam omnibus fugeret modis. Cui etiam hæc erat conſuetudo, ut ſi quoquam pro utilitate Monaſterii eum tendere neceſſitas popoſciſſet, vilis miti dorſo veheretur aſelli. Erat inter cetera tanta in eo pauperum ſollicitudo, ut eorum curam per ſe potius quam per alios exhibere ſtuderet. In eo vero miſericordiæ opere, quod eleemoſyna dicitur, vix cuiquam habebatur ſecundus. Nam ad ſuſcipiendos leproſos, qui a ceteris hominibus ſejuncti manere ſemotim conſueverunt, hoſpitiolum haud longe a Monaſterio extra eas manſiones quibus ceteri pauperes recipiebantur conſtituit, & eis curam per ſe omnimodis impendebat ita ſollicite, ut nocturnis etiam horis Monaſterio ſæpe digreſſus, curam infirmitati eorum miro devotionis adhiberet obſequio. Capita ſiquidem eorum pedeſque abluens, purulenta ſuis manibus vulnera detergebat, & victui neceſſaria miniſtrabat, illam ſemper animo revolvens ſententiam, quam juſtus miſericordibus prolaturus eſt dicens: *Quod uni ex minimis fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis.* (Matth. 25.) Sicque factum eſt, ut cunctorum qui eum noverant veneratione ſublimis, Pater pauperum appellaretur a pluribus. Quem tam pleniter miſericordiæ ſtudium poſſederat, ut ſi quem pauperum nuditatis injuria torpentem conſpiceret, plerumque ſuis exutus veſtibus, miſeri contegeret artus, ita ut interdum ſine tunica, ſola cappa *a* contectus ad Monaſterium remearet. Maluit enim per præſentis pompæ contemtum ad indumentum incorruptionis æternæ pertingere, quam per boni operis amiſſionem futuræ nuditatis opprobria ſuſtinere.

III. Quodam etiam tempore ad PIPPINUM Regem veniens, honorifice ſuſceptus eſt, & inter alia largitatis ejus beneficia, ad neceſſitates Fratrum ſuorum ſublevandas argenti libras *b* ſeptuaginta percepit. Sed mox ut ad ſua rediret, egreſſus maximam ejuſdem pecuniæ partem præ foribus palatii pauperibus erogavit. Paucos autem ſolidos vix a Fratribus qui ſecum erant compulſus retinuit, quibus poſtmodum quoddam territorium Monaſterio vicinum coemit. Dominicorum enim non immemor mandatorum, ſui cauſa de craſtino non cogitabat, ſciens Monachum victu & tegumento contentum eſſe debere: & ideo paupertatem ſibi potius ſuiſque delegit, quam rerum tranſeuntium poſſeſſionem ſuperfluam, expeditis mentibus oneroſam.

IV. Igitur cum jam Dominus meritis ejus digna rependere decreviſſet, callidus univerſæ bonitatis inimicus bonis ejus actibus invidens, ejuſque exemplis aliorum vitam dolens proficere; quietem quam in Chriſti ſervitio, licet non parum laborando poſſedit, perturbare contendit. Sed quamvis flatibus temporariæ adverſitatis pulſata, radicem petræ veritatis habens infixam, paradiſi cedrus inconvulſa permanſit. Nam WARINUS *c* & RUADHARDUS, qui tunc temporis totius Alamanniæ curam adminiſtrabant, diabolo ſuadente immaniſſimo avaritiæ morbo præventi, res Eccleſiarum ſub ſua poteſtate ſitarum magna ex parte in proprietatis ſuæ dominium per vim contraxerunt.

Qui

a Id eſt cuculla, uti diſcimus ex epiſtola Theodemari Abbatis Caſinenſis ad Carolum Magnum.

b Vvalafridus in lib. de Mirac. S. Galli cap. 2. auctor eſt, Pippinum rogatu Carolomanni fratris multa S. Othmaro donaria conceſſiſſe, in his codicem Regulæ S. Benedicti & campanum: & Cœnobii S. Galli prædia diplomate confirmaſſe.

c Litteræ Scalcomanni cujuſdam relatæ apud Goldaſtum in tomo 2. rerum Alamannicarum, ordine 45. datæ leguntur *in anno primo Carlomanni Regis ſub* ROADHARTO *Comite*: & aliæ Vviniberti ordine 43. datæ *die dominico, 6. Idus Octob. anno 10. regnante domno Pippino Rege Franc. ſub Vvarino Comite*: itidemque aliæ ordine 67 Vvarinus Comes adhuc erat *anno* 4. Caroli Magni ex charta 29. Confer caput 15. Vvalafridi de Miraculis S. Galli Sæculo 2. Stumpſius Vvarinum Hegoviæ, Ruadhardum Turgoviæ Comites facit; Goldaſtus in Notis ad Ratperti caput 2. Cameræ nuntios appellat, ex Ekkehardo de caſib. S. Galli cap. 1. ante medium.

Digitized by Google

Qui cum ſibi de poſſeſſionibus B. Galli perplura eodem violentiæ auſu vindicaſſent, vir Dei Othmarus non poſſeſſionibus terrenis inhians, ſed cœnobialis vitæ in eodem loco rerum ingruente penuria defectum præmetuens, Pippinum Regem adiit, ipſique tyrannicam eorum præſumtionem expoſuit, pariter proteſtatus grave eum crimen incurſurum, ſi eorum actibus conſentiendo faveret. Qua pro cauſa benevolus Princeps utrumque conveniens, interminatus eſt eis, gratia ſua illos omnimodis cariturοs, ſi non Eccleſiæ Dei quæ injuſte abſtulerant, abſque recraſtinatione reſtituerent. At illi patriam repetentes, vitio rapacitatis infecti & beſtiali ſævitia efferati, juſſionem regiam neglexerunt; virum etiam Dei Othmarum, cum pro hac re iterum Principem adire vellet, miſſis poſt eum clanculum militibus, vinculis injectum per vim reduci fecerunt; necnon & LAMBERTUM quemdam, qui Fratribus ejus profeſſione connumeratus erat, non vitæ ſanctitate, perſuaſerunt, ut ei ficta quadam machinatione crimen luxuriæ impingeret, id elaborantes, ut ſanctitate ejus hujuſmodi ſuſpicionibus infamata deponendi eum occaſionem invenirent. Qua cauſa plurimi tam doloſæ factionis ignari ad concilium *a* ſunt evocati. AN.CHR. 759 16. Nov.

V. Itaque vir venerabilis, caſtæ * integer vitæ ac morum maturitate grandævus, in medio concilii collocatur, & in ejus accuſationem Lambertus falſitatis miniſter coram omnibus præſentatur: acceptaque loquendi licentia veritatis oblitus, falſitatis adſertor dixit ſe quamdam feminam noſſe, quæ a viro beato vim pollutionis fuiſſet perpeſſa. Ad quod fertur nullum dediſſe reſponſum. Cumque plurimis reſpondere cogeretur objectis, hujuſmodi dicto temperavit eloquium: Fateor, inquiens, me ſupra modum pec„ caſſe in multis, de hujuſmodi autem objectione criminis ſecreti mei in„ ſpectorem Deum invoco teſtem. Illis autem ut hujus facti ſe excuſatione purgaret, attentius ei inſtantibus, mente ſecurus, conſcientia liber, tacitus perduravit. Et quia accuſandi licentiam apud Judices patere cognovit, maluit pro ſinceritate ſui pectoris divino, quam humano pro excuſatione criminis placere judicio. Mox ergo ut cunctis clareſceret ipſius caſtimoniam falſo fuiſſe infamatam, Lambertum ultio divina corripuit. Nam febrium vexatione pervaſus, paullatim reſoluto membrorum vigore contrahi cœpit. Sicque omnibus membris ſtatus ſui amittentibus rectitudinem vel formam, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non ſolum deformitate figuræ terribilis, verum etiam viva voce in Sanctum peccaſſe omni tempore fatebatur.

* al. caſtitate

VI. Conſilio autem inique inchoato & iniquius terminato, vir Dei Othmarus apud villam Potamum *b* palatio incluſus eſt. Quo cum nullus intrare vel colloqui cum eo permitteretur, aliquot dies abſque corporalis ſuſtentaculo victus tranſegit. Cumque diuturna vexatione famis laboraret, PERAGOSUS * quidam e Fratribus ejus noctu advenire ſolebat, & ei victus ſolatia miniſtrare. Poſtmodum vero GOZBERTUS *c* quidam, vir potens, dum ſibi virum Dei commendari ab iniquis Principibus impetraſſet, in quadam Rheni fluminis inſula nomine *Stein* juxta prædium ſuum cuſtodiæ illum deputavit: ubi ibidem ſanctus Pater ſpirituali tantummodo exercitio, id eſt orationibus ac jejuniis vacans, eo liberius Domino deſervivit, quo ab humana frequentatione curiſque ſæcularibus fuerat abſolutus. His & ſimilibus notæ devotionis inſiſtens operibus, exacto non multi temporis ſpa-

* Surio Pargozus

a Nempe anno 745. teſtante Hepidanno his verbis: SIDONIUS *Epiſcopus Conſtantienſis & Abbas Augiæ B. Othmarum de adulterio accuſavit, mox miſſum in exſilium.*

b Potamum olim opidum, teſte Ekkehardo infra citando, palatio regio illuſtre, (a quo Potamicus lacus nomen traxit, alias Acronius & Brigantinus dictus) deſtructum eſt ab anno 917. quo in loco poſtea ibi reædificata arx *Bodmen* ſeu *Podmen*, quam hodie incolunt nobiliſſimi Bodmeni, uti Goldaſtus in Ekkehardi caput 1. adnotavit. Hinc non longe diſtat locus *Stein*, ſitus juxta emerſum Rheni e lacu Veneto, ubi Othmarus diem ſupremum obiit.

c Apud Goldaſtum in tomo 3. rerum Alamannicarum pag. 54. & 55. legitur donatio Gautzperti facta *Audomaro Abbati Durgauginſi de Monaſterio S. Gallonis* 6. *Kalend. Novemb. anno* 3. *regnante Pippino*.

Digitized by Google

AN.CHR. ſpatio, ab his mundanæ perturbationis anguſtiis ad Cœleſtis latitudinem
759 gaudii, decimo-ſexto * Kalendarum Decembrium die commigravit *a*, &
16 Nov. * Cheſnio corpus ejus in eadem inſula tumulatum multis deinceps diebus ibidem ſi-
male 17. ne corruptione permanſit. *b*

VII. Evolutis autem poſt tranſitum ejus decem annis, Fratres illius per viſionem a Domino commoniti ſunt, ut corpus cari Patris ad Monaſterium reducerent. Hoc patefacto divinæ voluntatis conſilio, undecim ex eiſdem Fratribus noctu ad locum in quo ſancti viri exuviæ ſervabantur deveniunt, & ſepulcrum aperientes, corpus ejus ab omni corruptione illæſum reperiunt, excepto quod pars extrema pedis unius quam aqua abluebat, tantum colore mutato quaſi tabida videbatur. Et congruo ſatis miraculo prima ſanctitatis ejus indicia claruerunt, ut videlicet tam illæſum a corruptione corpus illius inveniretur, quam liber ipſe fuerat a crimine, cujus oppoſitione ſuperatus videbatur ad tempus. Hac itaque devoti Fratres rerum novitate perfectius inſtructi, corpus honorifice ſumtum rati impoſuerunt, & accendentes candelas, unam ad caput, alteram collocaverunt *c* ad pedes.

VIII. Cumque deſerto litore incertis ſe profundi viis commiſiſſent, & ſumma inſtantia remigio inſiſtentes ſub omni celeritate cuperent remeare; continuo tanta vis pluviæ & ventorum prorupit, ut vix effugium ſe crederent habituros. Sed mira omnipotentis Dei diſpenſatione & (ut credimus) ſancti viri meritis actum eſt, ut ipſa etiam elementa, quæ nobis inſenſibilia videntur, famulantia ſui Creatoris imperio, quanti viri Reliquiæ ibidem veherentur ſentirent. Nam pelagus circumquaque imbrifera tempeſtate commotum, undas in altum ſuſpendens, nihil omnino remigantibus moleſtiæ intulit, ſed in quamcumque partem navis devenit, rejectis flatibus tumentes in ſe fluctus depreſſit. Et ita omni ex parte undarum molibus, imbrium effuſionibus, ventorumque flatibus non parvo dimotis ſpatio, quaſi ſepe quamdam ſcapha cingebatur, ut ne una quidem pluviæ gutta, quæ hinc inde vehementer inundabat, in illam deſcenderet. Cerei quoque qui in beati Patris obſequium ardentes ad caput pedeſque fuerant collocati, lumen primæ accenſionis nequaquam amiſerunt, quoadufque corpus ejus ad Monaſterium deferretur.

IX. Aliud adhuc reſtat miraculum, quod in eadem ſacri corporis translatione devotis Fratribus Dominus patefecit. Nam cum ex nimia remigandi inſtantia feſſi, adveniente refectionis hora ad recuperandas alimento corporeo vires, laudibus Domini præmiſſis conſediſſent, tandemque felici convivio intermiſceri potus ſolatia commonerent; unius miniſtrorum intulit, nihil ibi jam potuum ſupereſſe, præter quod in flaſcone parvo ſervabatur, unde vix unicuique quippiam ad guſtandum potius quam ad bibendum præberi potuiſſet. Illi vero miraculorum Domini, quomodo paucis panibus multitudinem hominum paverit numeroſam, facientes mentionem; ex eodem parvo quod habebant, cunctis qui aderant cum charitate diſtribui fecerunt. Et mirum in modum cœpit in eodem vaſculo ita liquoris hauſtus creſcere, ut continua effuſione nihil minui videretur, quoadufque bibentes poculorum copia vincerentur. Ergo pro rei novitate obſtupefacti, largitori omnium bonorum Domino, qui eis tam mirabiliter ſufficientiam præbuit, debitas gratiarum actiones cum laudi-

---

a *Expletis non minus quadraginta annis regiminis ſui*, inquit Vvalafridus cap. 15. de miraculis S. Galli; & quidem *anno ſeptimo regni* Pippini, ex Iſone infra lib. 1. cap. 5. proinde anno Chriſti non 758. ut apud Albertum Stadenſem Abbatem; ſed anno 759. ut recte apud Hermannum Contractum legitur. Certe Joannem Othmari ſucceſſorem, ex Monacho Augienſi, Cœnobio S. Galli præfuiſſe anno 761. immo anno 760. patet tum ex charta 44. apud Goldaſtum, data *die dominico*, 5 *Nonas Majas regnante Pippino*, id eſt anno 761. tum ex alia charta 59. data *anno octavo Pippini Regis die* 15. *Januarii*, in gratiam Ioannis Abbatis, quod convenit anno 760.

b Omittit hoc loco Vvalafridus interitum Sidonii Conſtantienſis Epiſcopi, ob direptas res Monaſterii S. Galli, ex cap. 18. de miraculis S. Galli repetendum.

c Id factum anno 769. recte ſtatuit Hermannus Contractus.

laudibus perſolverunt. Statimque ut iter cœptum itidem aggreſſi ſunt, in vaſculo potus ceſſavit. Cumque optati litoris portum ſubiſſent, Fratribus qui obviam cum Dei laudibus venerunt, quæ geſta fuerant ex ordine retexerunt: celebratoque in commune gaudio, ſancti viri corpus magno ſumtum cum honore ad Monaſterium tranſtulerunt, & inter aram S. Joannis Baptiſtæ & parietem in ſarcophago poſuerunt. Ubi etiam poſtmodum ipſius facientibus meritis memoria digna Dominus dignatus eſt manifeſtare miracula. AN.CHR. 759 16. Nov.

Denique quodam tempore ſurdus & mutus cum quibuſdam de vicinis locis orationis cauſa Monaſterium adeuntibus venit. Et quia a primæva ætate & locutionis & auditus carebat officiis, tabellas duas collo dependentes geſtabat, quarum colliſione & ſonitu miſericordiæ opus, quod voce nequibat, precabatur. Is cum ſuis conviatoribus Eccleſiam ingreſſus, dum eos ſingulis altaribus particulas ceræ, ſicuti pauperum eſt conſuetudo, imponere conſpiceret; ad viri Dei ſepulcrum accedens, tabulas quas geſtabat deſuper poſuit, ſeſeque quaſi oraturus ante illud proſtravit: & protinus alto ſopore depreſſus, ut ipſe poſtmodum retulit, ſenem quemdam facie nitidum, monachico habitu glorioſum, quaſi e tumulo vidit procedere dicentem ſibi: O homo, cur hic ſopore deprimeris? Cumque ad interrogata nihil penitus reſpondere potuiſſet, ſenior ad eum dixit: Surge, & incommodorum, quibus hactenus laboraſti, remedium a me tibi impetratum ſcias. Ergo tabulis iſtic dimiſſis confeſtimque Monaſterio decedens, donum a Deo tibi conceſſum in hoc loco nemini pandas. Qui cum evigilans ſurrexiſſet, ſub magna feſtinatione Monaſterio digreſſus, inclinato jam die veſperi ad cuiuſdam RATGOZI potentis viri hoſpitium divertit. Cumque ab illo interrogaretur unde veniret, per ordinem expoſuit, ubi, quando & quomodo ſanitatis donum fuiſſet adeptus. At ille narrationi ejus non credens, teneri eum & cuſtodiri præcepit, ipſeque veritatem rei certius inquiſiturus, eadem nocte ad Monaſterium venit, & tabulas ſuper tumulum poſitas reperit. Conviatores quoque ſanati cum inveniſſet adhuc ejuſdem facti ignaros, diligenter ab illis inquiſivit, ſi talem hominem Monaſterium pergentes in comitatu habuiſſent: & continuo ex eorum narratione vera eſſe quæ domi audierat deprehendit. Quæ res & præſentibus citius innotuit, & ad nos uſque relatione veridica pervenit. X. NOTA.

Presbyter quidam ex ipſa congregatione nomine TANCO, dum in eadem Eccleſia cuſtodis officium gereret, nocturnæ quietis tempore pro reficiendis luminaribus Baſilicam ſolitus introire, tribus vicibus pene omnia reperit exſtincta. Ad ſancti autem viri ſepulcrum perveniens, ardentem cereum juxta illud invenit, ſcienſque luminis illius adminiſtrari cœlitus ſplendorem, exſtinguere non præſumſit. Ut vero diſceſſit, lux quæ per ſe venerat, per ſe etiam ſubtracta eſt. Ubi & ad majoris indicium miraculi, ignis quidem in candela ſolito rutilabat, ceræ vero nihil per hunc ardorem minui videbatur. Hæc idem venerabilis Presbyter ſæpius ſua relatione confirmans, omne dubitationis argumentum ab hoc facto veritatis ratione depellit. XI.

Quodam etiam tempore dum ejuſdem Eccleſiæ tecta vetuſtate dilapſa neceſſario reſtaurarentur, quidam ex ipſius Monaſterii familia tegularum quas ad faſtigia Baſilicæ deferre debuerat, onere prægravatus, de ipſa tecti altitudine ſupra viri Dei corruit ſepulcrum: moxque immenſum aliud lignorum pondus corruentis impulſum attactu in ipſo eum caſus exitio deſuper operuit. Cumque adſtantes occurrerent, ut ei quem jam exanimem crediderunt, funeris debita perſolverent; ſublato lignorum pondere aliquantiſper, nullos membrorum motus oſtendens jacuit: ac deinde per longa ſuſpiria halitum reſumens, abſque ulla læſione ſurrexit incolumis, & ad incœpti operis laborem rediit gaudens. In hoc ergo miracu- XII.

Digitized by Google

AN.CHR. 759 16. Nov. lo haud dubie ſancti Patris merita claruerunt, cum & altitudo tecti unde ſupradictus homo ceciderat, non minus quadraginta pedum menſura a terra eſſet ſuſpenſa, & pondus inſequens corruentem quod ad multorum hominum oppreſſionem ſufficeret, operire præcipitem, non conterere potuiſſet.

XIII. Alio tempore cœcus quidam adveniens, hoſpitio pauperum neceſſitatibus præparato ſuſceptus eſt: & nocte eadem cum Eccleſiam vellet adire, puerulus qui ei ducatum præbere dubuerat, ob nimiam frigoris aſperitatem officii ſui negavit juvamen. Cumque nimis doleret, quod tantæ ſollemnitati intereſſe non mereretur, (erant quippe dominicæ diei vigiliæ) adoleſcens quidam ita membris omnibus contractus, ut non aliter quoquam incedere quam manibus reptando potuiſſe; cum in eodem loco quieſceret, ejus dolori compaſſus de lecto ſe protraxit, & quali potuit ſolatio cœci veſtigia rexit. Ut ergo Eccleſiam intraverunt, utili errore ad ſepulcrum Othmari venere. Putabat etenim iſdem benivolus cœci præceſſor in ipſo angulo aliquod oſtium patere, per quod cryptam eidem loco vicinam intrare potuiſſent. Itaque ex improviſo in ſarcophagum viri Dei quia paullo altius eminebat a terra impingens, ſubito reſiliit, & ad terram protinus concidit, totiuſque Eccleſiæ ſpatia horrentibus implevit clamoribus. Cœcus vero hæc audiens, ductorem ſuum inſania æſtimans agitari, prout poterat aufugere ſtuduit. Miſericors autem Dominus totius boni auctor & amator, quia viderat debilem puerum ultra vires opus pietatis exhibere voluiſſe, beati Othmari etiam meritis id obtinentibus benevolentiam ejus dono ſanitatis remunerare dignatus eſt. Nam protinus in ſtatum ſuum membris reſtitutis, cœcum quem paullo ante manibus reptans ad Eccleſiam traxit, firmatis jam greſſibus per cetera in eodem ambitu orationis loca deduxit: & quia aliquamdiu poſtea in ipſo Monaſterio manſit, ita omnibus etiam qui huic facto minus interfuerant, idipſum declaravit, ut de eo nulli deinceps licuerit dubitare.

XIV. Quidam de numero ſcholaſticorum ab eodem beati Othmari tumulo particulam ceræ furtim ſubtraxit. Regreſſus autem ad hoſpitium cum parvipenderet quod commiſit, ſtatim manifeſta Dei correctione ſtultitiæ ſuæ errorem confuſus agnovit. Nam cum eamdem particulam de ſinu proferret, in lapidis duritiam eam reperit commutatam. Cumque temeritati obſtinationem junxiſſet, multo tempore hoc factum a cunctorum agnitione abſcondit, præter eum videlicet qui & earumdem rerum tunc erat conſcius, & hoc in tempore miraculi quod retulimus relator exſtat fideliſſimus.

XV. Alio quoque tempore Clericus quidam advenit, cui utriuſque manus officium miſerabili prorſus modo fuerat denegatum. Nam contortis in volam digitis unguibuſque ad oſſa uſque palmarum immerſis, nimis ſine intermiſſione cruciabatur miſer doloribus, ita ut etiam quædam partes manuum putrefactæ gravem longius fœtorem emitterent. Is cum non longe beati viri tumulo conſiſteret, ſubito cœperunt digiti ejus ſingulatim ex ordine erigi, & ad naturalium concordiam actionum redire. Ipſe vero qui pro conceſſo ſanitatis dono gaudere debuerat, doloris magnitudinem clamore horribili teſtabatur, & eadem hora, manibus ad integrum reſtitutis, poſtmodum ſanus abſceſſit.

XVI. Quid nuper quoque circa ejuſdem viri ſancti ſepulcrum geſtum ſit, quando Eccleſia B. Galli reædificandi cauſa deſtruebatur, arbitramur non eſſe ſilentio ſupprimendum. In eadem Baſilica juxta aram B. Joannis Baptiſtæ arca quædam parieti contigua non magnis lapidibus opere cæmenticio in quatuor lateribus conſtructa, ſuperius autem tabulis, quarum groſſitudo trium vel quatuor erat digitorum, in tranſverſum poſitis cæmentoque deſuper litis cooperta videbatur, in qua ſancti viri corpuſcu-

Digitized by Google

culum paullo altius a pavimento *a* ſublevatum tabula lignea tantum ſupposita jacebat. Æſtimantes igitur multi corpus ſancti Patris ſub terra poſitum, arcæ vero conſtructionem ad deſignandum tantummodo ſepulturæ locum cæmentatam; ideo tumulum remanere intactum poſſe credentes, muros Eccleſiæ machinis aggreſſi crebris arietum ictibus ruere compulerunt. Qui cum ex omni parte magnæ altitudinis eſſent, magnis machinarum impulſibus pariter pene corruentes, ſepulcro viri Dei ſuperferrentur, mirum in modum nullam arcæ particulam læſerunt. Quæ evectis cineribus ſic intacta ex omni parte reperta eſt, ac ſi nullo cadentium impetu parietum impetita fuiſſet. Poſtea vero dum quidam ſaxum haud grande ſuper eam incaute jeciſſet, protinus quadam ex parte confracta eſt. Tandem itaque cognito quod in ea Reliquiæ ſancti Patris haberentur, cum magno eas honore inde tranſtulerunt, & in Eccleſia B. Petri poſt altare poſuerunt *b*.

AN.CHR. 759 16. Nov.

XVII. Paucis deinde diebus exactis, quidam Frater dum nocturnas vigilias præveniens idem Oratorium orandi gratia quadam nocte fuiſſet ingreſſus, totoque affectu precibus inſiſtens ad altare direxiſſet intentum; neſcio quam a dextris altaris in angelicæ claritatis nitore vidit ſtare perſonam, ſacerdotali quidem habitu præfulgentem, facie autem ad Orientem verſa, geſtu corporis intentiſſimæ orationis ſpecimen exhibentem: veſtimenta vero ipſa tanti fuiſſe nitoris adſeruit, ut humanæ infirmitatis reverberarent obtutus. Cumque hæc diu conſpiceret, & utrum propius deberet accedere anxia mentis agitatione trutinaret; perſona quæ apparuerat ſe ſubtrahens, eum miraculo & ſtupore conſternatum reliquit. Non eſt igitur incredibile, eumdem venerabilem virum præſentiæ ſuæ viſione declarare voluiſſe, digne circa translationem ſuam fraternæ devotionis iteratam fuiſſe ſollertiam.

DE MIRACULIS S. OTHMARI

LIBRI DUO,

Scripti ab ISONE Cœnobita Sancti Galli ſæculo 9.

PRÆFATIO AUCTORIS.

HUCUSQUE virtutes & miracula ob ſanctitatem beati Othmari Abbatis cœlitus declarata WALAFRIDUS Abbas vir doctus & ſapiens, qui in litterarum ſcientia apud noſtrates illuſtris ante alios habebatur, ſeniorum in Cœnobio Sancti Galli converſantium relationibus, ſeu etiam ſcriptis veritatis ratione pleniſſimis fidem accommodans, lucu-

a Nota morem antiquum adſervandi Sanctorum Reliquias. Sic Monachi Lindisfarnenſes corpus S. Cuthberti e terra levatum, *novaque in theca reconditum*, *ſupra pavimentum Sanctuarii poſuerunt*, inquit Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 30. Legendus idem Auctor lib. 4. cap. 3. ubi deſcribit locum ſepulcri S. Ceaddæ Epiſcopi, *tumba lignea in modum domunculæ facta coopertum*, *habentem foramen in pariete*, *per quod ſolent hi qui cauſa devotionis adveniunt*, *manum mittere*, &c. Eadem fere de tumulo S. Venerandi Epiſcopi ſcribit Gregorius Turonenſis Epiſcopus in lib. de gloria Conf. cap. 37. ibidemque cap. 44. Tranquillus Epiſcopus ſepulcrum ſuper terram habuiſſe perhibetur. In hunc fere modum hactenus viſuntur monumenta S. Bernardi & S. Malachiæ apud Claramvallem. Corpus S. Othmari *ad dexteram partem altaris* fuiſſe collocatum, tradit Iſo Monachus in lib. 1. miraculorum cap. 5. quod Beda etiam de SS. Aidani & Ceaddæ Reliquiis adfirmat in Hiſt. lib. 3. cap. 17. & 23.

b Nempe anno, non 829. ut Hepidanno videtur; ſed inſequente, ut colligitur ex conſecuta Translationis hiſtoria. Certe Baſilicæ ſancti Galli inſtaurationem anno 830. fuiſſe inchoatam docet Ratpertus cap. 6. & Iſo Monachus in lib. 1. de mirac. S. Othmari cap. 5. ſcribit hanc Translationem factam fuiſſe 17. *Kalend. Maji*, *in die ſancto Paraſceves*, id eſt anno 830. quo Paſcha in 15. Kalend. Maji incidebat.

Digitized by Google

AN.CHR. 759 16. Nov. luculento ſatis ſermone veraci adſertione conſcripſit. Sed quia nos Fratres in eodem Cœnobio Deo militantes poſt harum deſcriptionem virtutum multa miraculorum inſignia circa corpus ejuſdem viri divinitus manifeſtata eſſe cognovimus, aliqua ex his ad laudem & gloriam omnipotentis Dei ſtili officio memoriæ commendare curavimus; quatinus hinc liquido ab omnibus ſanum ſapientibus colligatur, quam digne ab hominibus honorificetur in terris, qui tam manifeſta ſignorum atteſtatione quotidie glorificatur in cœlis. Non tamen ejus amore ducti aliqua in dubium venientia vel etiam falſitati obnoxia; ſed ea tantum litteris titulare diſpoſuimus, quæ & luce clarius conſtant actitata, & multorum narrationibus veraciter noſcuntur eſſe probata.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI I.

CAPUT I. *Quibus miraculis B. Othmari ſanctitas in Baſilica S. Petri claruerit.*
II. *Quomodo* SALOMON *Epiſcopus ejus ſanctimoniam in Synodo perſtringens, triduanum jejunium indixerit.*
III. *Qualiter idem Epiſcopus ſanctum corpus de ſepulcro ſuſtulerit, & Oblatas ibi illæſas repererit.*
IV. *Beati Othmari Translatio, & feſtivitatis ejus indicta celebratio.*
V. *Adbreviatio temporum in quibus commemoratæ gerebantur res.*
VI. *Incognita odoris fragrantia circa ejus corpus aſperſa.*
VII. *Lucerna vitrea coram eo cœlitus incenſa.*
VIII. *In vigilia feſtivitatis ejus alia itidem lucerna ſponte ſua irradiata.*
IX. *Opificum labor in ejus ſollemnitate fruſtratus.*
X. *Quemadmodum panis odio afflictus ejus deſiderio fuerit invaſus.*
XI. *Quidam debilis ſanitati reſtitutus.*
XII. *Mutus loquendi officio donatus.*
XIII. *Membris omnibus a nativitate contractus meritis Sancti corrigitur.*

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI II.

PRÆFATIO *de miraculis quæ poſt iteratam S. Othmari Tranſlationem in ejus Baſilica ſunt oſtenſa.*

CAPUT I. *De ipſius Eccleſiæ conſecratione, & quomodo in ipſa Tranſlatione mutus quidam loquendi munere ſit donatus.*
II. *Quod in plurimis locis circa Reliquias ejus miracula multa fiant.*
III. *Pedem ſaucius & tumefactus ſanitatem indeptus eſt apud tumulum ejus.*
IV. *Tibia ſuſpenſa protenditur.*
V. *Celebre miraculum Sanctimonialis illuminatæ.*

RELATIO ISONIS COENOBITÆ

S. Galli, de ſublevatione corporis S. OTHMARI Abbatis.

CAP. I. CUM beati viri corpuſculum, ab acceſſu popularis turbæ remotum, in Oratorio Principis Apoſtolorum per multa annorum ſpatia quieſceret, plurimis ſignorum oſtenſionibus manifeſta ſanctitatis ejus indicia circa ejus tumulum frequenter oſtenſa apparuerunt. Nam multi ex noſtræ congregationis Fratribus, qui nocturnæ celebrationis vigilias prævenire ſolebant, cauſa orationis idem Oratorium ingreſſi, cereos ardentes vitreaſque lucernas ſponte ſua incenſas frequenter ſe ibidem inveniſſe affirmabant. Angelorum etiam inter ſe choros ducentium ſuaviſſimus ibi concentus audiebatur: quorum præſentiam tanta luminis claritas proſecuta eſt, ut feneſtræ ipſius Eccleſiæ maxima ſplendoris illuſtratione clareſcerent, locaque in vicino poſita fulgoris ſui immenſitate perfunderent. Dulciſſima quoque odoris fragrantia ſæpius ibi narratur adſperſa, quæ & naribus odorantium incognita, & ſui jocunditate ſatis odorifera habebatur. Quibus

Digitized by Google

bus profecto omnibus patet vir iſte quanti apud Deum ſit meriti, juxta cujus ſepulcrum cereis atque lucernis ſponte ſua irradiatis angelicæ modulationis dulcedinem immenſa luminis magnitudo conſequitur, & incognita odoris fragrantia mortalium olfactu ſentitur. AN.CHR. 759 16. Nov.

II. Talibus igitur miraculorum indiciis vir Dei Othmarus poſt altarium S. Petri honorifice ſepultus, annis triginta *a* quatuor & centum nonaginta quatuor diebus in pace quievit. Sed cum jam omnipotens Deus lucernam lucis operibus accenſam hominumque negligentia diu in occulto poſitam ad exemplum atque illuſtrationem Fidelium ſuper candelabrum ponere, ac ſplendore ſanctitatis ejus omnibus in domo Dei manentibus luminis ſui gratiam vellet adminiſtrare; cœtus Fratrum in Cœnobio S. Galli ſub regulari cenſura Chriſto devote famulantium aſſiduas colloquiorum ſermocinationes de meritorum ejus excellentia facere cœpit. Hujuſcemodi vero colloquiis iidem Fratres ſeſe invicem cohortantes, divino, ut credimus, nutu pariter omnes deſiderare cœperunt, ut ſancti viri corpuſculum ad beati Galli *b* Eccleſiam, quæ jam Deo opitulante decenter adornata refulſit, iterato reduceretur. Dictante autem æquitatis ratione, cum hoc ſuo tantum conſilio facere non *c* præſumerent, vitæ ejus libellum qui noſtrorum ſollertia anteceſſorum multiplici teſtium adnotatione olim conſcriptus ad nos pervenerat, venerabili Epiſcopo SALOMONI legendum contradunt, ſuæque voluntatis affectum, quo omnis ejuſdem loci congregatio fervebat, aperiunt, ejus per omnia judiciis ejuſque obedire parati conſiliis. Benivolus autem Pontifex perſpectis vitæ ejus exemplis, multimodas gratiatum actiones bonorum omnium Auctori perſolvit, quod bellatorem ſuum pro zelo juſtitiæ fortiter dimicantem tam apertis miraculorum oſtenſionibus declaravit. Remoto etiam dubietatis ſcrupulo, de ſanctitate illius quamvis certus exſtiterit, nihil tamen temere nihilque de ſeipſo inordinate ſua ſola auctoritate voluit diffinire: ſed more ſuo prudenti uſus conſilio, cauſa eccleſiaſticorum dogmatum annualem Synodum ſollemniter indicit, & Presbyteros ac Diaconos diverſique ordinis Clericos apud Conſtantienſe opidum convenire præcipit. Quibus in unum collectis venerandus Pontifex in medium ſurgit, factoque ſilentio vitæ ipſius ſanctimoniam, quæ jam multos ibidem reſidentes dulci rumore aliquantulum permulſerat, ſparſim pro tempore coram omnibus recitavit. Quo facto cum maxima Clericorum copia in viri Dei laudibus acclamaret; primo Augienſis Cœnobii Abbatem, qui etiam tunc temporis cum quibuſdam Fratribus nobis valde cariſſimis illo confluxerat, ac deinde omnem illius conſilii Clerum Epiſcopus commonuit, ut triduam jejunii abſtinentiam facientes, totius boni fontem in commune precarentur, quatinus pietatis ſuæ munere his in rebus ſuæ voluntatis diſpoſitionem dignaretur perficere. Quibus dictis Epiſcopi ſententiam Synodus collaudat, ſeque libenter ita facturam eſſe conclamat.

III. Inito itaque hujus Synodi conſilio ac peracto trium dierum jejunio, venerabilis Præſul ad idem Monaſterium cum ſuis perveniens, ſeniorem noſtrum GRIMALDUM *d* Rectorem ipſius Monaſterii ac HLUDOVICI Regis Archicapellanum de hac re tractaturus aggreditur. Poſt amicæ vero ſalutationis officia cum mutuis inter ſe colloquiis vitæ illius rigorem ac miracula ob indicium ſanctitatis ejus frequenter oſtenſa commemorarent, Monachos ejuſdem Cœnobii in unum convenire præcipiunt: ſimulque cum

a Nempe a Tranſlatione anno 830. facta in Baſilicam S. Petri, ſupra cap. 16. nam quæ hoc loco refertur, anno 864. facta eſt, teſtantibus Hepidanno, Hermanno & aliis

b De novæ Baſilicæ S. Galli dedicatione ante annum 840. facta legendus Notkerus in Martyrologio 16. Kal. Nov. & Ratpertus cap. 6. a quo nonnihil de anno diſſidet Hepidannus.

c Nempe Concilium Maguntinum anno 813. ſtatuerat cap. 50. *ut deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio Principis vel* (id eſt &) *Epiſcoporum & ſanctæ Synodi licentia*. Utrumque præſtitit Vulcandus Leodicenſis Epiſcopus in S. Hucberti tranſlatione.

d Præfuit ab anno 841. per annos triginta & unum Grimaldus Abbas ſæcularis, ſub quo Harmotus Monachus Proabbatis geſſit officium, ſucceſſor poſtea factus. Lege Ratpertum cap. 8. & ſeqq.

Digitized by Google

AN.CHR. 759 16. Nov.

cum eis reſidentes, ſanctum corpus de tumulo, in quo eatenus jacebat, auferendum atque in S. Galli Eccleſia collocandum pari voto ac communi conſilio omnes unanimiter decernunt. Venerabilis etiam Abbas Grimaldus quorumdam animos metu ac formidine ſentiens eſſe permotos, confidentior ceteris effectus, infirmantium mentes conſolando roborat, & paternæ affectionis ſtudio trepidantium corda informat, adſtruens ex divinæ voluntatis diſpoſitione procedere, quod tam multi de eodem tumulo ſancti viri corpuſculum deſiderarent auferre. Præſul autem præclarus cum Abbatem tam fiducialiter in his rebus gerere conſpiceret, HARMOTUM * Decanum *a* una cum ceteris Fratribus ſecum adſumſit; & ad ſepulcrum accedens, lapidem ſuperpoſitum removere, ipſumque ſarcophagum in quo theſaurus pretioſi corporis jacebat, præcepit aperire. Quo facto membra ſanctitate plena inſpiciens, Monachos letaniam cantare, precibuſque devotis hortatur inſiſtere. Deinde venerandas ſancti Patris exuvias humiliter deoſculans, cum omni reverentia de tumulo ſublevavit, & in lectica, quæ illarum receptui paullo ante compacta fuerat, repoſuit. Sub capite autem & circa pectus viri Dei quædam panis rotulæ, quæ vulgo Oblatæ *b* dicuntur, ita illæſæ atque ab omni corruptione extraneæ ab eodem Epiſcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem vel ſpeciem ſui amittentes, adſpicientium oculis infra ſpatium ipſius hebdomadæ viderentur eſſe confectæ. Quo vero ordine quove in tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, Deo autem novimus eſſe manifeſtum. Hoc tamen omnes pro certo ſcimus, quod per triginta quinque annos nullus mortalium ejus ſepulcrum aperuit, antequam præſens Epiſcopus miniſterii ſui fretus auctoritate, ejuſdem congregationis Fratribus hoc faciendum injunxit. Idem tamen Epiſcopus venerabiliter eas adſumens ſacro corpori appoſuit, ipſumque corpus cum ſumma cautela obvolutum in lectica ſuperius dicta honorifice commendavit.

* al. Harmodum

IV. Poſt hæc igitur facto intervallo quaſi horæ unius, Præſul devotus hortatu Grimaldi Abbatis debito cum honore ſanctum virum ex eodem Oratorio jubet transferri. Tunc vero omnis illa Monachorum congregatio albis continuo veſtibus induta, dulci modulatione in Dei laudibus prorumpens, beati viri corpus lætabunda proſequitur. Sicque per numeroſæ multitudinis populos quos amor translationis ejus attraxerat, magno cum honore deductus Eccleſiam S. Galli ingreditur, ac juxta ejus altare in dextera parte deponitur. Epiſcopus autem animadvertens frequentiam populorum, qui diverſis ex partibus illo convenerant, aliquid de ſanctitate ejus velle audire, cum propter frigoris ſubreptionem faucium raucedine impeditus ipſe ad eos loqui non potuiſſet, quemdam Archipresbyterum ambonem *c* conſcendere, ac vice ſui ſermonem ad populum facere juſſit: ita videlicet ut Presbyter ipſe altiori paullulum loco conſiſtens ea tantum proferret, quæ ſibi Epiſcopus in vicino poſitus dicenda inſinuaret. Aliquantis ergo vitæ ejus exemplis ac virtutibus coram populo breviter recitatis, Miſſarum ſollemnia peraguntur, populuſque ad ſua cum gaudio revertitur: Epiſcopus vero ipſa nocte manſit in Monaſterio. Mane autem facto, Fratres in unum colligit, atque inter alia ſacræ inſtitutionis documenta de ſancti viri meritis certus exſiſtens, confidenter præcipit, ut ſuperveniente depoſitionis ejus die vigilias ac Miſſarum ſollemnia honorifice perficiant, diemque illum tam ipſi quam omnis familia infra Monaſterium inſti-

---

a Is poſtea Grimoaldo Abbati ſucceſſit anno 872. laudatus apud Ratpertum Monachum in libro de caſibus ejuſdem Monaſterii capp. 9. & 10. poſtea Incluſus, teſte Anonymo Sancti-Gallenſi in lib. 2. de Vita Caroli Magni cap. 15.

b De Oblatis ſeu Oblationibus quas hoſtias vocant, actum in Præfatione ad iſtius Sæculi tomum primum.

c Balbus in Catholico: *Ambo pulpitum, ubi ex ambabus partibus ſunt gradus, & idem dicitur Ambo, Amonis*: male Rectius ἀπὸ τοῦ ἀμβαίνειν, adſcendere. Hiſtoria Tripartita in lib. 10. cap. 4. *reſidens ſuper ambonem, ubi ſolebat prius conſuete facere ſermonem*, &c.

Digitized by Google

inſtituta in honore Beati Othmari feriando cum gaudio ſpiritalis lætitiæ feſtivum poſſideant. His omnibus ita ut retulimus peractis, Præſul benignus orationibus Fratrum ac benedictione munitus, Monaſterium lætus egreditur. AN.CHR. 759 16. Nov.

V. Quo vero temporum ſtatu, vel ſub quibus Regni Principibus hæc geſta fuerint, ſi quis pie quærendo cognoſcere cupit, in hac noſtræ conſcriptionis ſerie facile poterit invenire quod quærit. Ipſa enim temporum ſtatuta hoc in loco ideo conſcripſimus, ut & legentium fidem cuſtodiant, & majorem apud poſteros vigorem ſui adnotatione ſcriptis exhibeant. Igitur beatus Othmarus primis temporibus CAROLI Patris CARLOMANNI & PIPPINI a Waltramno nobili ac potente viro ad ejuſdem Caroli præſentiam adductus, cellulam ſancti Galli gubernandam ab illo ſuſcepit, ejuſque poſſeſſiones per multa annorum ſpatia in diverſis rebus nobiliter augmentando dilatavit. Defuncto autem Carolo, non poſt multos annos filius ejus Carlomannus divino (ut putatur) amore omiſſis ſæcularis pompæ deliciis, germano ſuo Pippino Regni gubernacula reliquit, & primo Romæ in monte Soracte apud Eccleſiam ſancti Silveſtri conſtructo Monaſterio regularis vitæ inſtitutis libera colla ſubdidit, ac deinde in Samniam Provinciam ob ſecretioris vitæ amorem ſecedens, in Monaſterio ſancti BENEDICTI, quod eſt ſitum in caſtro Caſino, reliquum vitæ tempus religioſe converſando complevit *a*. At vero Pippinus pater CAROLI Imperatoris per auctoritatem STEPHANI Romani Pontificis depoſito ac detonſo *b* Rege HILDRICO, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, Indictione ſeptima, ex Præfecto palatii Rex conſtitutus, ſolus Francis imperare cœpit. His ita geſtis præfatus vir Waltramnus, ad cujus poſſeſſionem cellula ſancti Galli quaſi hereditario jure pertinere videbatur, comperto quod Pippinus ex Francorum conſenſu in Regni ſede fuerit collocatus, virum Dei Othmarum, ſicut vitæ ejus ſuperior libellus edocet, iterato adſumens ad palatium perduxit, atque ejuſdem loci titulum ipſi Othmaro a Rege commendari poſtulavit. Quo facto ſanctus vir multis regiæ largitatis muneribus pro ejuſdem loci inſtructione ſuſceptis, gaudens & tripudians ad Monaſterium rediit. Septimo autem anno regnante Pippino WARINI & RUADHARDI potentia injuſte oppreſſus, plenus dierum; plenus etiam ſanctitate meritorum de anguſtiis hujus vitæ eripitur, & pro bonorum ſtudiis operum ad æternæ beatitudinis gaudia perducitur. Evolutis poſt hæc decem annis, a ſuis Monachis ad Monaſterium translatus inter aram ſancti Joannis Baptiſtæ & parietem Eccleſiæ in dextera altaris parte honorifice commendatur: ac deinde interpoſitis non minus ſexaginta annis, decimo-ſeptimo Kalendas Maji, in die ſancto Paraſceve Paſchæ ad Oratorium ſancti Petri deducitur. Poſt hæc autem triceſimo quinto anno, Incarnationis autem Domini octingenteſimo ſexageſimo quarto, Indictione decima tertia, ſub piiſſimo Rege LUDOVICO, Translationem quam ſupra deſcripſimus, Grimaldus Regis Archicapellanus atque ipſius Abbas Monaſterii cum Salomone Conſtantienſis Eccleſiæ Præſule, quarta feria ſub octavo Kalendarum Novembrium die peregit. Et, ut nos ſollerti ſtudio indagare potuimus, a ſeptimo Pippini anno, quo vir ſanctus de hujus ſæculi anguſtiis commigravit, uſque ad hanc Translationem, centum & quatuor *c* anni computantur. cap. 1.

VI. Deſcriptis temporibus in quibus res ſuperius memoratæ gerebantur, nunc ad miracula veniamus, quæ poſt Translationem quam retulimus, cir-

a Excepta ultima vitæ periodo, quam Viennæ in Gallia abſolvit. Lege ipſius Elogium ad ann. 755.

b Childerici dejectio ac Pippini inauguratio per Bonifacium ex conſulto Zachariæ Pontificis Romani facta fuerat ante duos annos quam a Stephano Papa cum duobus filiis Carolo & Carolomanno inungeretur.

c Immo fere centum & quinque anni: nam Othmarum anno 759. obiiſſe conſtat ex anno ſeptimo regni Pippini, cujus exordium Iſo male reponit anno 764.

Digitized by Google

AN. CHR. 759 16. Nov. circa Reliquias S. Othmari omnipotentis Dei virtute manifeſtata eſſe cognovimus. Venerandis ſancti Patris exuviis ad Baſilicam S Galli præfato ordine deportatis, continuo in ipſa nocte Epiſcopo adhuc infra Monaſterium poſito magna odoris ſuavitas in Baſilica S. Galli circumquaque diffuſa, maxime juxta B. Othmari corpus quaſi in modum nebulæ volitando redundare comperta eſt. Cujus odoris fragrantia cum continuatis tribus diebus ac noctibus ibidem duraret, non tamen ab omnibus potuit ſentiri: ſed quidam noſtræ congregationis Fratres, qui etiam religioſiores eſſe videbantur, ſuavitatem illius deguſtabant, & religionis ſuæ auctoritate hujus rei veritatem apud ceteros commendabant. Quibus etiam odor ipſe quamvis incognitus atque eatenus inexpertus exſtiterit, dulcedinem tamen balſami partim, ut adſerunt, poterat imitari.

VII. In proximo quoque ſabbato, id eſt quarto die a beati viri Translatione, ſanctum corpus poſt aram S. Joannis Baptiſtæ interim collocatur, donec nova Baſilica ſub ejus honore dedicanda ipſius habitationi ædificaretur. Eadem ergo nocte dominica, Eccleſiæ cuſtos cum nocturnæ celebritatis vigilias conſurgendo præveniret, more ſolito Baſilicam ingreſſus, cuncta ejus luminaria pene exſtincta reperit. Cujus veſtigia Presbyter quidam noſtræ congregationis latenter ſubſecutus, cancellos Baſilicæ egreditur, ibique coram ſacro corpore oraturus proſternitur. Conſurgens vero ab oratione lucernam vitream ſponte ſua inibi adſpexit incenſam. Quo viſo attentius orationi incubuit, egreſſuſque de Oratorio, nemini luminis illius adminiſtrationem tam cito indicare decrevit. De cuſtodibus quoque Eccleſiæ nullus eamdem lucernam exſtinxit, quia alius ab alio eam incenſam eſſe exiſtimavit. Illa vero clarius ceteris reſplendens, tota dominica die quaſi per ſingula horarum ſpatia majori ſemper luminis perfundebatur abundantia. Presbyter autem cui illa cœleſtis adminiſtratio luminis primitus manifeſtabatur, tanti ſigni miraculum metuens ſilentio opprimere, finita jam veſpertina ſynaxi ceteris hoc Fratribus indicavit. Tum multi noſtrorum lumen ipſum cupientes videre, propius accedunt, & prout illis viſum fuerat, ignem ipſum qui quaſi a medio noctis tempore ardere non deſtitit, nihil omnino ex liquore olei conſumſiſſe deprehendunt. Deinde cum ipſa lucerna quaſi vehementius ardere cœpiſſet, oleo paullatim decreſcente lux eadem ſemper ſe ipſa major exſiſtens, ac tota ſequenti nocte univerſam S. Galli Baſilicam fulgoris ſui immenſitate perfundens, incenſionem ſui quaſi ad octavam diei horam in ſecundam feriam protraxit. Tunc enim cuſtos Eccleſiæ cernens eam aliquantulum minorari, finita jam Miſſa funem quo lucerna dependebat incaute laxando ſubmittit, ſicque lux ipſa deceſſit. Tùm vero mirum in modum ſub plumbo cui papyrus *a* imponebatur, cerneres ignem ejus unius digiti menſuram ex oleo conſumſiſſe, & eidem plumbo ſuper ſe poſito nihil omnino diſpendii vel læſionis intuliſſe. Ubi quid ſtupendum, quidve potius ſit admirandum non facile intelligere poſſum: hoc videlicet quod lux ipſa per ſe irradiata exſiſtit, an illud quod tam diu ardens nihil ex liquore olei minoravit, vel etiam id quod ignis ipſe plumbi mollitiem ſuper ſe poſitam caloris ſui potentia non reſolvit.

VIII. Poſt hujus oſtenſionem miraculi, adveniente depoſitionis ejus feſtivitate, veſpertinæ celebritatis vigilias ſollemniter peragere ſtuduimus. Quibus rite peractis quidam de miniſtris Eccleſiæ coronam, quæ ob ejus feſtivitatis

---

a Sic antiqui vocabant elychnium in lampade vitrea adhiberi ſolitum. Paulinus in Natali 3.
Clara coronatur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Et Gregorius Magnus in lib 1. Dial. cap. 5. *Omnes lampades Eccleſiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum poſuit.* Clarius Aldhelmus in proſaico libro de Virginitate, ubi de S. Narciſſo Epiſcopo agit in hæc verba: *Tum vir Deo deditus liquidas fontium lymphas exorcizans & ſacra benedictionis ubertate ſecundans, ſtupendo virtutis ſpectaculo pingueſcere fecit: ita dumtaxat ut latex lucernarum fundibulis infuſus in olei craſſitudinem perniciter verteretur, & papyrus in centro poſitus, velut fomes arvina vel ſevo madefactus, ſolito clarius luceſceret.* Denique Gregorius Turonicus Epiſcopus in lib. 3. de miraculis S. Martini cap. 50. *reperit duas candelas ex cera & papyro formatas.*

tis gaudia coram ſancto corpore incendebatur, exſtinxit. Et cum lucernam quæ in medio ipſius coronæ pendebat iterato vellet incendere, ſponte ſua ſubito eam adſpexit eſſe irradiatam. Quod multi non ſolum ex noſtra familia, verum etiam ex ſcholaſticis atque hoſpitibus qui tunc temporis Monaſterium adierunt, ſe vidiſſe teſtati ſunt. Cujus incenſionem luminis in hoc etiam cœlitus adminiſtrari apparuit, quia cum nullus mortalium eam reficeret, tamen ante alterius noctis medietatem acceptæ lucis gratiam moderate ardendo non amiſit. AN. CHR. 759 16. Nov.

Devota quoque Fratrum congregatio juſſionibus Epiſcopi obtemperans, cum Deo laudibus inſiſtendo nocturnalis officii ſollemnia decenter perageret, diemque ipſum omnes infra Monaſterium conſtitutos in honore S. Othmari feriari decerneret; ex miniſterio Cellarii tres lignorum opifices qui in artis hujus peritia ceteris etiam videbantur eſſe præſtantiores, ex præceptoris ſui juſſu in cellam quæ eſt ſupra Monaſterium conſtructa laboraturi ſuccedunt, ibique dolium quoddam vetuſtate & incuria diſſolutum conjungere incipiunt. Collectis vero in unum tabulis cum primo fundum illius ſatis difficile coadunarent, eaſdem tabulas diligenter adſignatas in circuitu erigere cœperunt, nec ullo penitus ingenio per totam fere diem laborantes eas conſtabilire prævaluerunt: mirumque in modum ſemper a ſtationis ſuæ loco reſilire, omnemque artificioſæ manus copulationem videbantur reſpuere. Tunc ipſi opifices inclinata jam die videntes laborem ſuum in nullo proficere, injuſte ſe egiſſe cognoſcunt; & poſt veſperam ad Monaſterium redeuntes, proſtrati in Eccleſia ſuam ſibi ſtultitiam non imputari, veniam precando, depoſcunt. IX.

Adoleſcens quidam de pago qui vocatur Elizazia *a* progenitus, qui a nativitatis exortu, ſive (ut cautius loquar) a recordationis ſuæ tempore nuſquam ſe panem manducaſſe adſeruit; ad Monaſterium deveniens, neque panem manducans, neque aliquid ex eo unquam deguſtans, dimidium fere annum ibidem permanſit. In cibo quoque vel potu ſi quippiam panis etiam neſcius deglutivit, ſtatim cum admixtione ſanguinis, quod acceperat, invitus evomuit. Hic ergo a B. Othmari feſtivitate octava die Baſilicam S. Galli ingreſſus, cum orando altaria circumiret, ad S. Othmarum perveniens ejus ſuffragiis ſeſe adjuvari tota intentione precatur. Tum primo nimietate frigoris in pectore concutitur, ac deinde in modum ebrii capitis gravitate nimioque ſtupore circumdatur. Et cum ad gradus ſacro corpori contiguos per quos crypta intratur deveniret, tanto panis deſiderio anxiari cœpit, ut continuo de crypta rediens, Presbyterum quemdam in ipſo Monaſterio commorantem panem ſibi dare depoſceret. Idem vero Presbyter cum pro certo ſciret eum antea panem non manducaſſe, Baſilicam parvulam in honorem ſanctæ Dei Genitricis dedicatam ingreſſus panem benedicit, illique primo parvam fruſtulam quaſi pro benedictione manducandam porrigit. Quam cum ille ſtans juxta altare deglutiret, confeſtim cruentata de ore ejus exſiliens poſt oſtium Baſilicæ in pavimentum cecidit. Stupefactus vero Presbyter quid ſtrueret, vel cur panem eatenus ſibi denegatum manducare vellet interrogat. Et cum primitus illum juxta corpus beati Othmari ejus deſiderio invaſum perdiſceret, porrecto ſibi pane feſtinanter ait: Ad eum locum tendito, in quo primum panis cœpiſti habere deſiderium: fortaſſis enim Deus illo in loco ſuæ pietatis tibi conferre dignabitur auxilium. Cujus præceptis pauperculus obediens ad Eccleſiam rediit, & antequam illo perveniret, panem quem a Presbytero acceperat, manducando conſumſit. Ingreſſus vero Eccleſiam, celeriter miraculo divulgato, a multis noſtrorum panem accepit, & coram ſancti viri corpore ſedens ſatis avide comedit. Qui hucuſque ad nos conſtitutus, conſueto hominum more panem ſine tædio manducat: atque hoc miraculum divina pietate in ſe eſſe peractum viva voce proclamat. X.

a Goldaſto Eliſaza, id eſt Aleſatia, *l'Alſace*, pagus ſeu regio cis Rhenum, Voſago proxima.

AN.CHR. 759 16. Nov.

XI. Quidam pauperculus ex Gallorum Provincia genitus, qui ſiniſtrum genu cum pede flaccido & in ſiniſtram partem detorto contractum atque a terra ſublevatum a nativitatis ſuæ exordio, ponderi potius quam ſubſidio deportabat; duobus ſuſtentaculis inter aſcellas ſuffultus, domus Fidelium eleemoſynam quæritando circumire ſolebat. Hic itaque eodem anno tranſactis Nativitatis dominicæ ſollemniis in pago qui dicitur *Linzgovve* conſtitutus, virum quemdam venerabilem ſacerdotali ſtola indutum & vultus honeſtate præclarum ſibi in ſomnis adſiſtere, hiſque ſe vocibus affari adſeruit: Si meam, paupercule, manſionem adires, baculum tibi donarem, cujus adminiculo ſuſtentatus, per inepta viarum diſcrimina melius incedere prævaleres. Cui ille, Domine, ait, manſionem tuam neſcio, & in quibus eam partibus quærere debeam penitus ignoro. Ipſe vero: Ad eum lacum, inquit, ſtagni hujus transfretare, illiſque in locis ſollerter eam inveſtigare curato, pro certo ſciens ſi illo perveneris, quod pro baculi receptione gaudebis. Et ut facilius eam invenire valeas, noveris me in domo alterius adhuc poſitum eſſe, ac propriæ manſionis habitaculum nondum habere. Hac viſione pauper ille commotus, tranſgreſſo lacu ad cujuſdam Presbyteri domum quadam die ſero pervenit, eademque nocte prædicti habitus virum iterato ſibi adſiſtentem, & cur tamdiu in veniendo tardaret interrogantem adſpexit. Ad cujus interrogationem cum idem debilis ob ejuſdem loci ignorantiam ſuæque debilitatis incommoda antea ſe non potuiſſe venire fateretur; ille pedem ejus niſi celeriter ad eumdem locum adiret, ſeſe abſciſſurum comminabatur. Hujuſcemodi ergo juſſionibus idem pauper obedire paratus, reddita mortalibus die, Presbytero viam dictante ad Monaſterium properat, ibique nocte ipſa, quæ etiam tunc dominica habebatur, in vigiliarum celebrationibus devote pernoctat. Facto autem mane, poſt recitatum in publica [a] Miſſa Evangelium, cum ad gradus quos ſacro corpori contiguos eſſe memoravimus deveniret, nervorum atque venarum juncturæ rupta cute, ac mox ſubſequente ſanguine franguntur, & membra diu contracta divinæ operationis effectu ſubito corriguntur. Quorum tenſionem atque fracturam æger ipſe ferre non prævalens, in ipſis gradibus corruit, horrendiſque vocibus perſtrepens omnes in Eccleſia ſtantes perterruit. Quorum plurimi concurrentes eum continuo ſuſtulerunt, cognitoque miraculo omnipotenti Deo debitas gratiarum actiones retulerunt. Pauper autem ipſe eductus de Eccleſia, per temporum momenta convaluit, & poſt aliquot dies ſanus Monaſterio diſceſſit.

XII. Poſt ſanitatis hujus miraculum, exacto trium hebdomadarum ſpatio, mutus quidam in vicino territorio natus atque nutritus, quem multi noſtrorum a primæva ætate locutionis officio noverant eſſe privatum, in dominica itidem die in Monaſterium aggreſſus, ad corpus S. Othmari acceſſit, & quoddam lini globulum piæ devotionis intuitu ejus arcæ ſuperpoſuit. Quo facto, ſubitaneo quodam impulſu cum ecſtaſi mentis terratenus dejectus, diſſolutis linguæ retinaculis ſanguinis copiam ex ore profudit. Quem ſuis ipſe manibus ne in Baſilicæ pavimentum caderet ſuſcipiens, continuo extra Eccleſiam projecit. Sicque ingenti formidine atque terrore pervaſus, nemini quod ſibi evenerat innoteſcens, cum omni feſtinatione Monaſterio digreditur, & ad manſionem ſuam cito perveniens, collata ſibi loquendi facultate ſuos ibidem notos cum gaudio alloquitur: quem ut ipſi loquentem ſuiſque interrogationibus reſpondentem audierunt, non minima admiratione permoti hoc miraculum ceteris indicando celeriter divulgaverunt. Tum vero ex ejuſdem loci incolis plurimos utriuſque ſexus in unum convenire, & ob conceſſam muto loquelam obſtupeſcere, ipſumque in illorum medio poſitum quomodo ſibi contigerit, & ubi vel quando lingua ejus ſoluta fuerit, cerneres enarrare. Sequenti autem die Clericus quidam ex eodem loco illum adſumens ad Monaſterium reduxit, & hujus rei veritatem per ordinem nobis indicavit.

Eo-

[a] Conventualem ſive ſollemnem vocamus hanc Miſſam, quæ *publica* antiquis dicebatur, in lib. de mirac. S Bercharii, n. 19. Sæc. 2. privata vero *minor* nonnumquam vocabatur, in lib. de mirac. S. Columbani cap. 7.

Digitized by Google

Eodem anno vir quidam, civis Aurelianenſium, puerulum omnibus pene membrorum juncturis contractum atque conglobatum, piæ devotionis intuitu parvo vehiculo impoſitum, modo trahendo, modo coram ſe impellendo, tum etiam propriis humeris geſtando Romam perduxit. Paucis dierum curriculis ibidem exactis inde revertitur, atque (ut ex ejus ore didicimus) Alamanniam petere, & S. Galli Monaſterium adire noctu in viſione commonetur. Cui ille viſioni annuere deſiderans, laborioſo ſatis conatu juga Alpium ſuperat, & quadam die imminente jam veſpera diu deſideratum laſſus ingreditur Monaſterium. Qui etiam in ipſo itinere quot moleſtias quotve incommodorum pertulerit anguſtias, teſtes fuerunt humeri, quos vectibus ejuſdem vehiculi adeo attritos eſſe comperimus, ut multi noſtrorum callos in eis duratos eſſe perſpicerent. In primo igitur Baſilicæ ingreſſu ad corpus B. Othmari perveniens, puer ipſe tendentibus ſeſe compagum retinaculis vehiculo decidens in pavimentum provolvitur, & vocibus horrendis tecta Eccleſiæ complens, nimio ſe dolore urgeri inſolito clamoris ſtrepitu proteſtatur. Senior autem noſter Grimaldus his diebus in Monaſterio poſitus cum ipſa hora præ foribus Baſilicæ infra clauſtrum conſiſteret, audito hujuſmodi ſtrepitu Salomonem Epiſcopum una cum Augienſis Cœnobii Abbate, qui ipſo die ibidem convenerant, ſecum adſumens, Eccleſiam intrat, cauſamque tam horrendi atque inſoliti clamoris interrogat. Quid plura? Abbates cum Epiſcopo propius accedunt, flebili ululatu puerum huc illucque in pavimento volutari cernunt, ſeque ipſum propriis unguibus cogente moleſtia lacerare & quaſi diſcerpere perſpiciunt. Poſt longam hujuſcemodi vexationem ſiniſtra manus in volam contracta extenditur, incurvata cervix erigitur: ſiniſtrum quoque genu cum pede ad tibiam ſupinato laxatur, & planta pedis dextri ab ipſis natibus quibus impreſſa fuerat, fracto genu cum ſanguinis effuſione proſiliens, Epiſcopo etiam adſtante hymnumque *Te Deum laudamus* canente corrigitur. In proceſſu ergo temporis puer ipſe ambulare cœpit, & modo in Monaſterio novis utens greſſibus, hujus miraculi idoneus teſtis exſiſtit. AN.CHR. 759 16. Nov. XIII.

PRÆFATIO AD LIBRUM SECUNDUM.

Sancti Patris noſtri miracula hactenus a nobis vili ſermonum ſchemate prolata, quamquam lectoribus benevolis ad declaranda ſanctitatis ejus præconia ſufficere non dubitemus, tamen quia Baſilicæ in ejus honorem ædificandæ paullo ſuperius mentio incidit, qualiter peracta ejus conſtructione ſanctus vir in eam translatus fuerit, quibuſque miraculorum oſtenſionibus ſanctitatem ejus divina clementia ibidem poſtea manifeſtaverit, ne oblivione depereant, ſucceſſoribus noſtris breviter contradere libet, non pompoſa verborum complexione ſupervacuam laudantium gloriam aucupantes, ſed dictorum tantummodo ſimplicitate veritatem rerum quærentibus oſtendere cupientes. Neque enim noſtræ, ſed illius nos gloriæ potius ſtudere condecet, qui Electis ſuis primo bonum velle, deinde tribuit inchoare, tum etiam vires implendi ſuggerere, ac poſtremo digna eos mercede remunerans, ſanctitatem eorum virtutibns & ſignis patenter dignatur oſtendere. Quapropter ipſum per omnia totius boni fontem bonorumque omnium largitorem in beati Patris noſtri miraculis laudare deſideramus, Davidicum illud dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Pſal. 113.

Poſt Translationem igitur ſupra memoratam, evolutis trium pene annorum ſpatiis, cum beati Othmari Baſilica ſtudiis devote eam ædificantium decenter jam perfecta fuiſſet, ſenior noſter Grimaldus Ludovici Regis Archicapellanus, præfatum Conſtantienſis Eccleſiæ Præſulem ad peragenda conſecrationis ejus ſollemnia Monaſterium itidem venire rogavit. Quod dum fama vulgante populis in vicino poſitis compertum fuiſſet, videlicet quod CAP. I.

AN.CHR. 759 16. Nov.

quod ſanctus vir de Baſilica S. Galli in ſuum deportandus eſſet Oratorium, ſacris ejus exſequiis intereſſe cupientes, Monaſterium catervatim adire cœperunt. Epiſcopus autem die ſtatuto ſuperveniens, Eccleſiam ſub ipſius nomine ſollemniter dedicavit, ac deinde ſacrati corporis membra aggreſſus, quaſdam ex eo particulas pro reliquiis deinceps condonandis ſeorſum repoſuit; cetera autem manu ſua honorifice involvens, in ſarcophago novo collocavit. Illas quoque Oblatas, quas narrationi ſuperiori in ejus tumulo retulimus fuiſſe repertas, eatenus incorruptas atque omnimodis illæſas perduraſſe miratur, & quaſdam ex eis involutas ſacro itidem corpori ſuperpoſuit; alias vero pyxide recondens, ſuperventuris temporibus pro ſanctitatis ejus teſtimonio conſervare præcepit. Poſt hæc autem nobis omnibus ſacris veſtibus ſollemniter paratis, Præſul ipſe data in altum oratione Presbyteros qui adſtabant, virum Dei foras deportandum levare commonuit. Nec mora, cum crucibus & cereis atque thuribulis ſanctus vir ab Eccleſia deportatur, eademque hora mutus quidam ejus, ut credimus, meritis loquendi officio muneratur. Cujus tamen perſona, utpote vilis, quia nobis eatenus incognita exſtiterat, ideo miraculum quod in ſe patratum referebat, primo credere diſſimulavimus. Sed cum ex pago, qui vocatur *Arigevve*, *a* ſe fuiſſe adſereret, a parentibus ejus aliiſque qui eum bene noverant, noſtrorum poſtea inquiſitione verum hoc eſſe didicimus. Tum vero omnes nos laudes ac melodias canendo, comitante numeroſa populorum multitudine, debita cum veneratione corpus cari Patris proſequimur. In prato autem Orientem verſus conſtituto paullulum preſſo gradu terratenus proſtrati adoravimus, ſurgenteſque pias ejus exuvias ſingulatim ſubire, ac ſuperjecta velamina devotione humili cœpimus oſculari. Quo facto cum veneratione maxima ad Monaſterium properantes, ſanctaſque ejus Reliquias in ſuam Baſilicam introducentes, gratias Deo qui tantam nobis lætitiam conferre dignatus eſt, debita cum laude retulimus. Quanti ibi jocundantium fletus, quantique exſultantium oborti fuerint ſingultus, nequaquam enarrare valemus: quippe qui nec ipſas Dei laudes crebris ſingultibus intercepti abſque lacrymis proferre potuimus. Præcipueque venerandus Pater noſter Grimaldus tripudiantium lætitia motus a lacrymis ſe continere nequivit, agens Deo gratias quod ſuis temporibus in loco etiam ſibi commendato tantum decus taliaque omnipotentis Dei beneficia videre promeruit. Ad hujus quoque lætitiæ cumulum Augienſis Cœnobii Abbas cum quibuſdam ipſius loci Fratribus eadem hora ſupervenit; Fratreſque ex Monaſterio quod CAMPIDONA vocatur, ab Abbate ſuo miſſi, hujuſmodi exſequiis talibuſque ſe intereſſe gaudiis gratulabantur. Epiſcopus autem interea ſacras pii Patris exuvias in arca ſaxea recondens, altario *b* ſuppoſuit: ſicque Miſſarum celebratione ſollemniter peracta benedicens populum abire permiſit. Facta ſunt autem hæc anno Incarnationis dominicæ octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, ſub piiſſimo Rege LUDOVICO, ſupra memoratis Principibus paſtoralis officii functione curam Eccleſiarum Dei ſtrenue agentibus, octavo Kalendarum Octobrium die, quarta feria, Indictione prima *c*. Die vero ſequenti, ut honor beati viri latius etiam augmentaretur, memoratus Præſul ex Reliquiis ejus quas pridem hujus rei gratia ſeorſum eum poſuiſſe retulimus, primo ſibi tulit, deinde Abbati ex Augia & Fratribus de Campidona, ceteriſque religioſis utique ac venerabilibus viris aliquas ex eis particulas, prout ſibi viſum fuerat, commendavit, nobis præſentibus omnes eos ſollicite commonens, ut per omnia honorifice digneque eas tractare curarent. Quibus peractis, beati Michaelis Archangeli Eccleſiam conſecravit: multoſque ſacro chriſmate

a Goldaſto *Aragoevve*. Hoc facit Hepidannus in Vita S. Vviboradæ lib. 2. cap. 9 *in pago qui Erigovve nuncupatur, quem Araris fluvius ex uno latere præterfluit, ex altero Rhenus*. Hinc Ekkehardo dicitur *pagus Araris*, vulgo *l'Ar*, quam modo Arolam vocant Latini.

b Nota morem recondendi Sanctorum Reliquias ſub altare. Lege Præfationem ad Sæculum 2.

c Inchoata ſcilicet Indictione prima a die 24. Septembris, quo modo explicanda Indictio tertiadecima ſupra in lib. 1, cap. 5.

Digitized by Google

mate confirmans, ſalutatis Fratribus lætus cum ſuis Monaſterio diſceſſit. Altera autem die Abbatem ex Augia Fratreſque ex Campidona cum laudibus & cantilenis *a* extra Monaſterium proſequentes, poſt fraternæ dilectionis colloquia, dato pacis oſculo ad ſua cum gaudio remeare permiſimus. AN.CHR. 759 16. Nov.

II. Finita relatione qualiter vir beatus in ſuam translatus fuerit Baſilicam, ne faſtidioſo forte Lectori protractus in longum ſermo turbata mente rugam frontis ingereret, aliqua ex ſanctitatis ejus indiciis quæ ipſius clareſcentibus meritis ibidem poſtea manifeſtata fuiſſe perſpeximus, in calce hujus conſcriptionis ſtrictim ac ſuccincte ſubjungere curavimus: non utique omnia quæ vel ipſi facta vidimus, vel ab aliis veraciter patrata eſſe comperimus huic opuſculo inſerentes; ſed ex multis pauca, atque a nobis perſpecta in unum colligere volentes. Cuncta enim hæc facile enarrari poſſe non credimus, præſertim cum in locis plurimis non ad nos tantum, ſed ad alios quoque pertinentibus, quæ ſacris ejus pigneribus ditabantur, tam multa quotidie miraculorum ſigna effulſerint, ut nec verborum facundia proferri, nec ſtili inſtantia abſque labore valeant comprehendi. Quapropter his interim omiſſis, ad ea tantum nos ſcribenda convertemus, quæ & nobiſcum omnimodis facta cognovimus, & apud livoris expertes atteſtationi ſanctitatis ejus ſufficere poſſe confidimus.

III. Quidam paterfamilias multorum apud nos cognitione notiſſimus, ſervum quemdam habuit, qui operis quippiam faciens caſu pedem vulneravit. Pes vero ipſe protinus in tumorem verſus, adeo venarum contractione debilitatus eſt, ut ambulandi facultate penitus privaretur. Hanc ob cauſam ſuſtentaculum quoddam genuculo ſupponens, greſſum quem pedis infirmitas denegabat, per annum ferme integrum arte fulciendo ſublevare curabat. Is cum ad B. Othmari ſuffragia veniſſet, ante ejus altare proſtratus oravit, confeſtimque ſoluto pede relictoque ſuſtentaculo ſanus abſceſſit.

IV. Nec multo poſt alius quidam pedem cum tibia altius a terra levatum, ad poſteriora contractum, non ad ſubſidium itineris, ſed ad ponderis potius gravitudinem ferebat. Hic die quadam baculis ſuffultus Monaſterium devenit, & B. Othmari Oratorium ingreſſus coram altari ejus ſtando cum oraſſet, pes ipſe cum tibia ſolutus protenditur, ſonitumque in modum fracti cujuſdam ligni crepitando emittens corrigitur. Nec mora ſuo reſtitutus loco ferentem ſe ferebat, portantemque ſe grata mercede remunerans deportabat.

V. Sub ipſius anni ſpatio Sanctimonialis quædam de opido quod Baſula * dicitur, ante annos quatuor utriſque luminibus orbata, ſororis ſuæ ducatu ad Monaſterium tendendo pervenit, ibique tribus fere hebdomadibus cœcitatis tenebris adhuc involuta permanſit. Annuo autem curſu accedente feſtivitate, qua catholica per orbem Eccleſia ſancti Spiritus adventu lætatur, in ſabbato quod præcedens eam ipſi quoque imminet, cum multitudo populi more ſolito orationis cauſa Monaſterium adiret; Sanctimonialis ipſa inter alios qui venerant, hora diei quaſi quarta ante beati viri tumbam oratura proſternitur, ibique aliquantiſper orando lumen quod amiſerat recepit, multiſque in unum convenientibus perſpicuitate hujus miraculi magnæ admodum lætitiæ cauſa fuit. *al. Baſilea, Basle

Expliciunt miracula S. Othmari Abbatis.

VI.

---

a Sic viros pios antiquitus excipiebant deducebantque cum canticis ſacris, præcipue vero Epiſcopos Athanaſio Alexandrino ad Tabennenſium Monaſterium accedenti obviam proceſſit Pachomius cum Monachis ſuis, eumque ſuſcepit *cum pſalmis & hymnis*. Monachis etiam mos erat ſollemni pompa excipiendi Abbates ex longinquo diuturnove itinere redeuntes. In vetuſtis Corbejenſis Monaſterii Actibus: *Abbas Romam profectus, vel in alias terras, per annum moratus, cum redierit, recipitur omnibus cappis generaliter indutis cum proceſſione*. Ita fere Udalricus in lib. 3. Conſuetudinum Cluniacenſium cap. 3. a quo Corbejenſes ritus ſuos mutuati ſunt.

AN. CHR. 760
15. Januar.

DE SANCTO CEOLWLFO
REGE NORTHUMBRORUM
DEIN MONACHO LINDISFARNENSI IN BRITANNIA.

1. NORTHUMBRIA, *amplum Saxonicæ Heptarchiæ Regnum, Britanniæ inſulæ complectebatur partem illam, quæ ab Humbro fluvio verſus Scotiam porrigitur, in duo aliquando diviſum*, Deirorum & Berniciorum. *Nunc vero Northumbriæ Comitatus multo anguſtior. Eo in Regno pie vixerunt Reges* Edvvinus, Oſvvaldus, Oſvvinus, *& ipſe Oſvvini interfector* Oſvvius, *præcipue quidem* CEOLWLFUS, *qui teſte Matthæo Monacho Vveſtmonaſterinſi patrem habuit* Cutham, Cuthvvinum *avum*, Lethevvaldum *proavum*, *abavum* Egvvaldum, Aldhelmum *atavum*, *tritavum* Ogam *Idæ filium*. Anno 748. *teſte Beda in lib. 5. Hiſt. eccl. cap.* 24 mox peracto Paſcha, hoc eſt ſeptimo Iduum Majarum die, Oſric Rex Northanimbrorum vita deceſſit, cum ipſe Regni quod undecim annis gubernabat, ſucceſſorem fore Ceolvvlfum decreviſſet, fratrem illius qui ante ſe regnaverat Coenredi Regis. Cujus regni & principia & proceſſus tot ac tantis redundavere rerum adverſantium motibus, ut quid de his ſcribi debeat, quemve habitura ſint ſingula finem, necdum ſciri valeat.

Ceolvvlfus Oſrico ſuccedit.

2. *Ceolvvlfum ſtudiis ſacris delectatum fuiſſe, teſtatur Beda venerabilis, dum huic Hiſtoriam eccleſiaſticam a ſe editam nuncupavit his verbis:* Glorioſiſſimo Regi CEOLWLFO BEDA famulus Chriſti & Presbyter. Hiſtoriam gentis Anglorum eccleſiaſticam quam nuper edideram, libentiſſime tibi deſideranti, Rex, & prius ad legendum ac probandum tranſmiſi, & nunc ad tranſſcribendum ac plenius ex tempore meditandum tranſmitto: ſatiſque ſtudium tuæ ſinceritatis amplector, quo non ſolum audiendis Scripturæ ſacræ verbis aurem ſedulus accommodas; verum etiam noſcendis priorum geſtis ſive dictis, & maxime noſtræ gentis virorum illuſtrium, curam diligenter impendis. Sive enim hiſtoria de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor ſollicitus inſtigatur; ſeu mala commemoret de pravis, nihilominus religioſus ac pius auditor ſive lector, vitando quod noxium eſt ac perverſum, ſollertius ad exſequenda ea quæ bona ac Deo digna eſſe cognoverit, accenditur. Quod ipſum tu quoque vigilantiſſime deprehendens, hiſtoriam memoratam in notitiam tibi ſimul & eis quibus te regendis divina præfecit auctoritas, ob generalis curam ſalutis latius propagari deſideras. *Ex quibus diſcimus Ceolvvlfi religionem, & pium ſtudium ad procurandam commiſſi ſibi populi ſalutem. Id quod rurſus teſtatur Beda in epiſtola ad Egbertum Eboracenſem Antiſtitem, a Vvaræo nuper edita, in qua eum ad inſtaurandos Eccleſiæ mores exhortans*, Habes, *inquit*, ut credo, promtiſſimum tam juſti laboris adjutorem, Regem videlicet Ceolvvlfum, qui & pro inſita ſibi dilectione religionis, quidquid ad regulam pietatis pertinet, firma protinus intentione adjuvare curabit, & maxime illa quæ tu, cum ſis propinquus illius amantiſſimus, bona cœperis, ipſe, ut perficiantur, opitulari curabit.

Litteras ſacras amat. Subditorum ſalutem curat.

3. *Ceolvvlfum ex Bedæ hiſtoria profeciſſe*, finis beatus Regis oſtendit, *inquit Henricus Huntindonienſis. Nam ut Vvillelmus Malmesburienſis ſcribit*, citra gravitatem Chriſtianam æſtimans terrenis negotiis immori, poſt octo annos regni Regem exuens, in Lindisfarnenſi Cœnobio monachicum habitum accepit: quo loci quanta meritorum gratia converſatus ſit, teſtatur celebris juxta B. Cuthbertum ſepultura, & multa ſuperne demiſſa miracula.

Regno abdicato fit Monachus.

4. Anno ſeptingenteſimo triceſimo ſeptimo Ceolvvlfus ſua voluntate attonſus, Regnum Eadberto reliquit, *ſicuti in Bedæ Epitome continuata legitur.*

quo anno.

Unde

Unde corrigas Vvillelmum Malmesburienſem Monachum, qui regni annos octo ipſi tribuit: cum ab anno 728. *ad* 737. *principatum tenuerit Ceolvvlſus. Certe apud Simeonem Dunelmenſem in Hiſtoria de geſtis Regum Angl.* anno 737. Regnum Northanimbrorum Ceolvvulfus dimiſiſſe, & Monachus apud Lindisfarnenſem inſulam factus fuiſſe *dicitur. Corrigas etiam Ranulfum Ceſtrenſem, qui* in Monaſterio Bedæ *Ceolvvlſum Monachum factum fuiſſe adfirmat. Audi Turgotum in lib. de Eccleſia Dunelmenſi cap.* 1. Poſt dormitionem Bedæ in Chriſto anno tertio, Rex Ceolvvlfus relicto Regno & curis mundialibus, voluntaria paupertate ſecutus eſt pauperem Chriſtum, ut cum illo quandoque ditaretur in gloria, Eadberto filio patrui ſui in Regnum Northanimbrorum ei ſuccedente. Intravit autem Lindisfarnenſe Monaſterium, S. Cuthberto ſecum conferens theſauros regios & terras id eſt Bregeſne & Werevvorde cum ſuis appendiciis, ſimul & Eccleſiam quam ibidem ipſe ædificaverat. Alias quoque quatuor villas, Wndeceſtre, Huvittingaham, Eadſingham, Eaſvvlfigham. *Corrigendus denique videtur Matthæus Vveſtmonaſterienſis & alli nonnulli, qui Ceolvvulfum bello* captum, attonſum ac remiſſum in Regnum fuiſſe *tradunt. Niſi ſi bis tonſus eſt Ceolvvlfus, primo ſcilicet ab hoſtibus in bello captus; dein ſponte ſua in Monaſterium Lindisfarnenſe ingreſſus. Matthæus mox laudatus Ceolvvlſum octavum ex Rege Britanniæ Monachum fuiſſe dicit. At nonum fuiſſe probavimus in Elogio S. Inæ ad ann.* 730.

AN.CHR. 760 15. Januar.

quo in Monaſterio.

Dat prædia.

An bis tonſus.

5. Accepta tonſura, *addit Turgotus,* in præfato Monaſterio monachicam cum Monachis vitam ducere, & poſt imperium regni terreſtris cœleſti regno gaudebat militare: ubi glorioſe converſationis conſummans terminum ſepultus eſt: Sed ſuccedente tempore ab ECGFRIDO ejuſdem loci Antiſtite (ut poſt dicemus) ad Northam translatus; decurſis poſt hæc multorum annorum curriculis, caput illius Dunelmum translatum una cum aliis Sanctorum Reliquiis in Eccleſia S. Cuthberti quem ſemper amaverat, venerabiliter eſt locatum. *Hactenus Turgotus.*

Pie decedit.

Transfertur.

6. *Quamdiu in Lindisfarnenſi Monaſterio vixerit Ceolvvlfus, quove anno deceſſerit, non una eſt omnium ſententia.* Anno 739. ut quibuſdam placet, ex hac vita migravit ad Chriſtum, *teſte Matthæo Vveſtmonaſterienſi. Præferenda videtur auctoritas Chronici vulgati nomine Joannis Bromtonis, cujus hæc verba:* Ceolvvlfus Rex Northumbriæ exemplo dictorum Regum Monachus effectus religioſus, per 22. annos Creatori ſuo in vitæ munditia ſua deſervivit. *Hinc obitum ejus cum Florentio Vvigornienſi revocamus ad annum* 760. *diem* 15. *Januarii ſignant recentiora Martyrologia Anglicana & Benedictina.*

Quo anno obierit.

7. *De Ceolvvlfo Simeon Dunelmenſis in Hiſtoria de regib. Angl. ad annum* 854. *& poſt eum Rogerius Hovedenus hæc tradunt:* Hoc Rege jam Monacho facto efficiente, data eſt Lindisfarnenſis Eccleſiæ Monachis licentia bibendi vinum vel cerviſiam. Ante illud tempus nonniſi lac vel aquam bibere ſolebant, ſecundum antiquam traditionem S. Aidani primi ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitis & Monachi, qui cum illo de Scotia venientes ibidem donante Rege Oſvvaldo manſionem acceperant, & cum magna diſtrictione futuræ vitæ ſervientes degere gaudebant. *Hinc intelligas, Summatum Monachorum quantumvis pie viventium conſuetudine Religionem non raro a primaria ſeveritate degenerare. De Benedictinæ Regulæ obſervatione in Lindisfarnenſi Monaſterio diximus ad Vitam S. Cuthberti Epiſcopi in Sæculo* 2.

Lindisfarnenſibus Monachis vinum concedit.

8. *Ceolvvlfus ab antiquis Sanctus habitus & cultus eſt. Egredus ſiquidem procedente ſæculo nono Epiſcopus Lindisfarnenſis,* ædificata in Northam Eccleſia, eaque in honorem SS. Petri Apoſtoli & Cuthberti Pontificis, necnon & CEOLWLFI Regis & poſt Monachi dedicata, tranſtulit illo corpus Deo dilecti Ceolvvlfi, *inquit Turgotus in l.* 2. *de Eccleſia Dunelmenſi c.* 5. *Northam eſt Dunelmenſium opidum juxta Tuvedam fluvium ad ipſa Scotiæ confinia: quo in opido prædicta Baſilica Ceolvvlfo ſacra etiam nunc ſubſiſtit, teſte Cambdeno. Caput Sancti Dunelmum translatum diximus n.* 5. *ex Turgoto. In detectione corporis S. Cuthberti anno* 1044. *facta,* oſſa ſanctorum Bedæ & Ceolvvlfi, qui apud Lindisfarnum Monachus & Sanctus, in ſingulis ſaccis lineis reperta, *ut Vvillelmus Malmesburienſis auctor eſt in fine libri* 3. *de Pontificibus Anglorum.*

Ceolvvlfi cultus & translatio.

V I-

Digitized by Google

AN. CHR. 761 18. Dec.

VITA SANCTI WUNEBALDI

ABBATIS HEIDENHEIMENSIS PRIMI,

Auctore Sanctimoniali Heidenheimenſi, ipſius conſanguinea & æquali.

Ex tomo 4. Henrici Caniſii, & Surio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores.

1. Hujus *vitæ auctor eſt, non* S. WALPURGA, *ſanctorum Vvillibaldi Eiſtetenſis Epiſcopi & Vvunibaldi Abbatis ſoror, ut ex num. 22. compertum eſt; ſed alia* Sanctimonialis Heidenheimenſis *ipſorum* conſaguinea: *quod amplius declarabimus ad Acta S. Vvillibaldi ab eadem Sanctimoniali exarata, ad ann. 781. Ejuſdem S. Vvunebaldi geſta brevi compendio etiam excepit* ADELBERTUS *Abbas Heidenheimenſis in Relatione hiſtorica de qua infra. In Actis ſanctorum Vvillibaldi & Vvalpurgæ non pauca de fratre Vvunebaldo attexuntur. Lege Sigfridi Presbyteri Miſnenſis Epitomen in tomo 1. Hiſt. Piſtorii.*

Memoria celebris.

2. *In vetuſtis Martyrologiis nulla S. Vvunebaldi mentio. Nec mirum: ſiquidem paucos Sanctos qui medium ſæculum octavum exceſſerint, in illis habere locum reperias. Atqui S. Vvunebaldus tam exploratæ fuit ſanctitatis, ut poſt annos ab obitu ſexdecim ipſius corpus e terra levatum ſit, pluribuſque miraculis illuſtratum. Cujus rei fidem adſtruit* B. LIUDGERUS *in vita S. Gregorii Abbatis Trajectenſis, ad ann. 781. referenda, his verbis:* Necnon & germanus prædicti Willibaldi, nomine WINIBALDUS, Presbyter, magiſtro meo beato Gregorio valde carus, & ipſe locum & regionem ſuam ſancte & feliciter illuſtravit: qui poſt obitum ſuum quid vivens fecerit, magis miraculis oſtendit.

Monaſtica profeſſio.

3. *Monachum Benedictinum fuiſſe S. Vvunebaldum conſtat: at ubi monaſticam veſtem induerit, non item. Adelbertus Abbas in Relatione ſua, in Turingia id factum adfirmat his verbis:* Peractis omnibus quæ tunc in regia curia tractanda erant, ſanctus Archiepiſcopus Bonifacius valefaciens Regi, in Turingiam tranſivit, & ibi S. Wunebaldo habitum monaſticæ religionis tribuit, & ad Sacerdotii gradum promovit. *Hæc Adelbertus hauſit ex Sanctimonialis ſcriptione ſubjecta, num. 8. ubi poſt ſuum in Turingiam adventum S. Vvunebaldus* monachalis vitæ normam ſequendo, & mente & moribus adimpleviſſe *dicitur*, & ad ſacerdotalis ordinis primatum fuiſſe promotus. *Quæ verba Vvunibaldum a S. Bonifacio Monachum initiatum fuiſſe non evincunt. Certe ex aliis Sanctimonialis ipſius verbis intelligimus, id Romæ contigiſſe. Nam in ſequenti lucubratione num. 2. dicitur Vvunibaldus patriæ prætuliſſe Romanam peregrinationem, quoniam* in externis Barbarorum finibus vitam ducere monachicam deſiderabat: quod poſtea devote implevit. *Id amplius declarat in vita S. Vvillibaldi num.* 10. Ibi, *ſcilicet Romæ*, duo germani felicem monaſterialis diſciplinæ vitam ſub ſacræ legis moderamine ducebant. *Sic Coenredus Rex Merciorum dimiſſo principatu* venit Romam, ibique attonſus ac Monachus factus *eſt, teſte Beda in lib. 5. Hiſt. cap. 20. quod etiam præſtitiſſe* Sigheri Rex Orientalium Saxonum *eo loci dicitur. Iſtic* annos ſeptem *Vvunibaldus* ſuſcepta tonſura *monaſtica perſtitiſſe memoratur, in Lateranenſi Patriarchio, an in alio Monaſterio Benedictino incertum. Quidquid ſit, Benedictinis Inſtitutis, uti & frater Vvillibaldus, ſemper addictus fuit, & Heidenheimenſe Monaſterium a primordiis addixit. Nam & regulam S. P. Benedicti manu deſcriptam e Caſinenſi Monaſterio acceperat, a Canonicis uſque ad Monachorum reſtitutionem adſervatam, ut in Appendice videbimus, & S. P. Benedicti amore ſupremos vitæ dies Caſini agere ſtatuerat.*

Heidenheimenſis Monaſterii origo & ſtatus.

4. *Heidenheimenſe Monaſterium in diœceſi Eiſtetenſi*, pago Suala, *ſeu tractu* Sualefeldenſi *poſitum, præcipue S. Vvunebaldo Abbati ſuam debet originem. Iſtic Cœnobium duplex ædificatum: viris Vvunebaldus, Vvalpurga ſoror virginibus ab initio præfuerunt. Audiendus hac de re Adelbertus Abbas in Relatione hiſtorica de reſtitutione ejuſdem Monaſterii Benedictinis facta, Eugenii Papæ III. auctoritate.* B. Wunebaldus, ſicut converſationis ejus teſtatur hiſtoria, locum qui *Heidenheim* dicitur, in media Svvalaveldia ſitum, tunc temporis ſaltuarium ſilveſtremque nimium, primitus ut ibi Monaſterium faceret, inveſtigat, inveſtigatumque a vicinis quorum fundus ille erat, pretio redemit, emptumque ſpinis, tribulis, vepribuſque purgavit, primuſque omnium hominum, juxta fontem qui ibi exoritur ſaluberrimum jugiſque aquæ, domicilium habitationemque erexit. Ipſe namque paucis admodum cum Monachis juvantibus, una cum ſorore ſua ſacratiſſima virgine Walpurga, ſuis manibus tribulos & ſpinas eruebat, vepres ſecabat, locumque illum a teſquorum ſqualore emundabat, & Monaſterium quod uſque hodie ibi eſt, adniſu auxilioque B. Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi, adminiculoque fratris ſui Willibaldi Confeſſoris Chriſti & Aureacenſis Epiſcopi, illic conſtruxit, Monachoſque ex una parte ejuſdem Monaſterii congregavit: in alia vero parte ſanctiſſimam virginem Walpurgam, ſororem ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet ſuam, cum Sanctimonialibus ſibi ſubjectis Deoque devotis collocavit. Ipſe quoque a S. Bonifacio Archiepiſcopo, ſanctoque Willibaldo Epiſcopo, S. Bonifacii Suffraganeo, illic in Abbatem eſt conſecratus, Paterque Monaſterii decem poſt conſecrationem annis, magnis virtutibus claruit, Monachoſque una cum Sanctimonialibus ſibi ſubjectis in certamine Regulaque B. Benedicti pleniſſime inſtruxit. *Mortuo Vvunebaldo, ſolis Sanctimonialibus locum ceſſiſſe adfirmat idem Auctor.* B. Wunebaldo, *inquit*, de hoc mundo ad cœleſtem remunerationem evocato, Monachiſque illis qui ſub eo erant, illum ad eamdem remunerationem partim ſequentibus, partimque quaſi oves ſine paſtore errantibus, beata Walpurga ex conſultu B. Bonifacii Archiepiſcopi (*mendum: nam Bonifacio ſuperſtes fuit Vvunebaldus*) ſanctique Willibaldi fratris ſui conſenſu, hæreditarioque jure in loco eodem fratri ſuo una cum Sanctimonialibus ſucceſſit, totumque locum illum cum omnibus utenſilibus ſuis uni illi congregationi vindicavit, Regulamque eamdem quam ſub fratre ſuo prius exercuerant, uſque ad annum poſt obitum fratris ſui ſedecimum religioſiſſime excoluit. *Vvalpurga mortua, locum vertiſſe ad Canonicos ſequentia probant.* Cum vero & ipſa ad ſponſi ſui Chriſti talamum ex hujus exſilii tenebris eſſet accerſita, & virgines quas hic habuit prudentes cum lampadibus cum ea introiſſent ad nuptias; Gerhohus Epiſcopus, qui tunc Aureacenſi cathedra ſubnixus erat, qui etiam (ut dicitur) S. Willibaldi filiaſter erat, oblitus Religionis quam S. Vvunebaldus cum ſorore ſua S. Vvalpurga ex conſenſu præceptoque S. Vvillibaldi fratris ſui Epiſcopi ſanctiſſime inchoaverant, Canonicos in eodem loco conſtituit, & eorum neceſſitati pro qualitate abundantiæ illius Monaſterii, & ut ratio dictavit, providit. Religio ergo a Sanctis illis ſanctiſſime inchoata paullatim evaneſcere cœpit, Abbatiaque in Præpoſituram converſa venalis habebatur: patrimonia pauperum ad pretia conſtituta ſunt. Præpoſitura namque ad penſam libræ vendebatur, quæ vix pro 40. talentis emebatur. Cœpit ergo ſimonia illius clauſtri diſpenſare rem publicam: ſucceſſitque ſimoniæ in adjutorium, ubi minus valebat, violentia & ſupplantatio. Decania quoque in qua rigor correctionis eſſe deberet, cuiquam leviſſimo timidiſſimoque tradebatur, ne liberam corrigendi ceteros haberet vocem. *Duravit hæc malorum lues* uſque ad tempora Lotharii Imperatoris, cui Conradus Rex ſucceſſit in Regno: donec Gebehardus II. *qui Aureacenſi ſeu Eiſtetenſi Eccleſiæ ab anno 1125. ad 1149. præfuit*, cœpit de reformanda antiquitus ibi habita Religione cogitare ... Ne quid tamen irrationabile inciperet, & ſine Eccleſiaſtica auctoritate perficeret; dominum Apoſtolicum Eugenium ſuper hujus negotii qualitate conſuluit, qui tunc Remis, quæ eſt metropolis Galliæ, Concilium celebravit; Metropolitanum quoque ſuum, Heinricum ſcilicet Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopum, qui & hodie eſt, conſuluit. *Annuente Eugenio* Adelbertus *Michelſeldenſis Abbas reſtituendæ Heidenheimenſis Cœnobii primævæ diſciplinæ præponitur; Eberhardo Bambergenſi Epiſcopo poſt Gebehardi Eiſtetenſis Epiſcopi mortem in id adnitente adverſus Burchardum Gebehardi ſucceſſorem, qui ob contumaciam a Bernardo Presbytero & Gregorio Diacono, Cardinalibus ab Eugenio miſſis, e Sede exturbatus, locum fecit Conrado ſucceſſori, cujus ope Cœnobium Heidenheimenſe Adelberto Abbati & Monachis Benedictinis, omni lite ſecluſa, reſtitutum eſt, prout late commemorat Adelbertus Abbas in ſua Relatione apud Gretſerum edita in lib. 2. Commentariorum in Vitam S. Vvillibaldi. Monaſterium iſtud poſt fortunas adeo varias incidit in manus Lutheranorum una cum opido* Heidenheim, *quod hodierno Comitatui Vvittembergenſi attribuitur.*

AN.CHR. 761. 18. Dec

PRÆF.

1\. ORIGINEM vitæ exordiumque virtutum beati WUNEBALDI Chriſti Confeſſoris atque Abbatis ordinare ediſſerereque me libet: & licet opaca mentis ignavia præpedita, tamen aliqua de ejus vitæ converſatione intimando per nigros paginarum tramites pandere explanareque conamur. Et quæ nuper aliqua per ordinem glomerando de geſtis venerandi viri WILLIBALDI Epiſcopi compoſuimus, nunc ad alia fratris ſui glorioſæ vitæ colloquia properando pedem inante paſſivatim * protendendo gradiamur, non audacitati propriarum confidens virium, quod de iſtis tanti viri virtutum ſublimitatibus diſputare aliquid inciperem; ſed quia Chriſto cooperante & ſermonem confirmante propenſius ediſſerere volumus, qualiter infantialis ſeu pueritialis tranſmeatis annorum curriculis ad adoleſcentiæ nondecem annorum ætatem citatus cœlebs uſque pervenit: & tunc ille ſtrenuus ſpretis atque deſpectis puerilibus incentivorum laſciviis illecebroſiſque vitiorum petulantiis, magna diſpenſationis * clementia, acceſſioneque Epiſcopi noſtri ad celſiora vitæ æternæ meritorum provectibus inhiando properabat: & ſic ad maturam ætatem

* f. paſſuatim.

* ſupple divinæ.

AN. CHR. 761 18. Dec.

tem ſexaginta annorum calculo almis atque illuſtribus, boniſque vitæ moribus pollendo, ad felicem vitæ provectus eſt terminum.

Annos 19. natus, Romanum iter aggreditur

2. Cumque illuſter ille celeberrimuſque Chriſticola non decem annorum ætate jam grandævus, facie decorus, fide robuſtus, almi Dei adminiculo fratriſque exhortatione, propinquorum amicorumque ſuorum carnalium affectum poſtponens, præſertimque propriam hereditatis patriam cum noverca, fratrum, ſororumque ſuarum clientela contemnens, ignotas peregrinationis prædas, probare penetrareque maluit, quam præſentis vitæ hujus falſis divitiarum florere proſperitatibus: & ſic in externis * Barbarorum finibus vitam ducere monachicam magna mentis devotione quotidie anhelando deſiderabat: quod poſtea devote implevit. Poſt hæc itaque cum ſagax ille votiva voluntatis adimplere optaret deſideria, ſtatimque Domino diſpenſante adoptatum & diu deſideratum inchoaverunt iter. Et ſicut in alia fratris ejus textura ſubtilius intimando enarravimus, & nunc iterando rememoramus, ſtatim ille ſuaviter ſuorum ſociatus eſt comitatui patris & fratris: & ſic agiliter cum ſumturis atque ſtipendiis ad loca venerunt venalia, quod eſt mercimonium *a*, & ſtatim illi cum conſilio & conſulto nautarum navicularia adepti fuerant loca: & ocius * tunc illi marginem ſcandentes, navem competebant. Cæruleaque lympharum invaſerunt liquida, uſquedum tumida æquorum timida, congelida gurgitum garrula, fluctuum ſpumoſa, ſyrtium ſuperabant ſalſa. Aſt tunc plenis & proſperis ventorum flatibus arida terrarum gradiebantur gramina: & ſic ovantes & læti, voti compotes, perfectas omnipotenti Deo impendebant gratias, quod proſpere ſuper ſpumoſa undarum æquora & periculoſas ponti procellas portum videre meruerunt. Et ſic caſtra metantes ibidem, paulliſper laſſata de itinere requieſcebant membra, uſquedum vegetati ac roborati votivam cœpti itineris iterum gradiebantur viam: multiſque in itinere Sanctorum ſacris ſe commendabant patrociniis, & plures per viam cum ſociis Sanctorum petierunt Baſilicas, pia poſtulantes illorum præſidia, ut tuti alienas peragrarent barbarorum villas. Tunc illi properantes profecti ſunt: timebant enim ne autumnale ſibi deficeret tempus, & prius gelida hiems aura vitioſa * & nebuloſa horride irruens congeleſceret, antequam illi almam Apoſtoli adire ſpecularique meruerunt Baſilicam B. Petri. Et tunc illi pergentes per vaſta Gallicaniæ rura & per ſpatioſam Italiæ tellurem uſque ad urbem quæ vocatur Lucca, & ſicut alibi in alio ſcriptum libello ordine adſeruimus, patrem ſuum ægrotantem & jam ſeminecem obtulerunt illuc: & ſicut prædeſtinata iſtud fore fecerunt fata, vitam finivit illic, & terra humatus illic requieſcit ad ſanctum Frigidianum.

* al extremis

cum patre & fratre,

* al. Oceani

* al. invita & nebulata

Lucæ patrem ſepelit.

3. Cumque illi confeſtim per campeſtria camporum incerta, per denſa ſaltuum ſolitaria, per concava vallium, per innormia collium cacumina, per immenſa Alpium ardua uſque ad nivata atque nebulata rupium ſaxa deſudantes ſcandere conarentur, & protinus paſſivantes ſuper Alpium oneos *b* uſquedum Condonei * amplos militum intraverunt terminos. Nec longum poſtea quod illi cum comitatu contribulium ac collegarum cœtu clara civium cernentes urbis Romanorum mœnia, ſtatim gratulabundi glorioſam intraverunt Baſilicam S. Petri Apoſtolorum Principis, remiſſionem peccatorum Omnipotentem poſtulantes, ut illius parmati patrocinio perennem vitæ obtinerent palmam. Tunc ille herus agilis, & adhuc cœlebs, omnipotentis Altithroni magna ditatus erat prærogativa & cœleſti inſtigatus gratia, tonſuram accipere & Dei ſervitio ſe ſubjugare ſtuduit; & ſic ſollers ſaluberrimam ſapientiæ exorſus eſt auctoritatem, ut ille ſacræ lectionis ingenio aſſidue inhærendo, ſubſummatim divino ſe ſubdidit exercitio, & ſuperni roris humido irrigatus, germen in eo jam tunc fructiferum florere cœpit virtutum:

* ſic Gretſero; Caniſio idonei.

Romæ tonſura donatur.

a Nempe ad mercimonium ſeu portum vocabulo *Hambich* ſive *Hamvvich*, ex alia Vita.

b Eamdem vocem pro radicibus montis uſurpat hæc Sanctimonialis in Vita ſancti Vvillibaldi num. 18. tametſi hoc loco pro Alpium cacuminibus poſita videtur.

Digitized by Google

AN.CHR. 761 18. Dec.

tum: & ſicut nos jam prius in aliis voluminum paginis per ſcripta pandimus, ſic & nunc iterata recapitulemus.

Ibidem infirmatus, * eſſe

4. Magna correptus eſt ille corporis infirmitate: quia ſic illic fore * ſolet, congruis æſtatis temporibus quod magna febris fatigatio & flagelli purificatio advenas illuc venientes viſitare ſeu gravare ſolet. Aſt ſic per centenos & millenos morientium phalangas magna clade comprehenſas præda rapere & ad carnale perficere properat, ſcriptum eſt quod mors non tardat. Tunc illi duo germani Willibaldus & Wunebaldus infirmi inter ſe alternantes, alter ambulabat quando alter jacebat, ut adjuvaret ambos. Et tamen ille vir Dei ſenſu ſophyrus *a*, agone argutus, almi Dei adminiculo pſalterium in ægritudine tam imbecillis & tam infirmus indagando diſcebat: & ſtatim iterum cum quando vegetata illius fore cœperunt membra, & virtus in eo valeſcebat, alias Scripturarum paginas perlegendo ſcrutabatur. Aſt ita de die in diem meliorando, Deo militando, alios monendo proficiebat, ut magis jam didaſcalus quam diſcipulus eſſe poterat. Sed & ille magno mentis amore & honoris dignitate inter omnes habebatur contribulium collegas, & ambo pariter pandebant in prudenti illius pectore amoris ſuavitatem manſuetam, & zelum rectitudinis robuſtum.

Scripturas ſacras didicit.

5. Cumque tranſactis temporum intervallis, & ſeptem annorum curriculis, mens illius heri agilis Saxonicam iterum propriæ nativitatis terram viſitare volebat, & ob hoc præcipue, ut ſi ullum de ſua genealogia ad ſacram divinæ ſervitutis militiam exhortari atque ſecum ducere potuiſſet. Et cito tunc ſecundum ſuæ voluntatis arbitrium propriam hereditatis patriam viſitando intravit: & ſtatim cum magno gaudio ſuſceptus ab amicis, diligenter incipiebat illos alloquendo & docendo fratres & ſorores, & alios de ſuo genere propinquos exhortari & perſuadere, ut in recto itineris tramite ambulando de ſolida veritatis via pedem retrahendo ne deviarent, ſed de labentis mundi hujus limine ad anguſtam paradiſi portam per artam & aſperam agonithetum viam ire ſcandereque tentarent. Et ſic admonendo atque inſtigando, propinquorum atque cognatorum vicos & domos permeavit, eorumque mentes multorum de ſæcularibus negotiationum curis ad divinæ inſtitutionis formam regendo provexit.

Poſt annos 7. in patriam revertitur.

6. Et tunc iterum licentia poſtulata, cum conſilio amicorum & cum juniorum ſubſidiis, fratre *b* ſuo comite, ſacra iterum S. Petri perquirere properabat præſidia. Poſt hæc itaque electus ille Chriſti athleta ſecunda vice ad Romam ſanctique Petri Baſilicam veniebat, & illic aliquanta temporum intercapedine manens, providæ circumſpectionis gravitate ſollicitus, pudicam continentiæ vitam divinaliter ducendo, quotidie ad meliorem ſpiritualis vitæ diſciplinam & ſæcularis vitæ ſapientiam proficiebat.

Romam rurſus petit.

7. Cumque fidelis ille atque felix Chriſti famulus S. BONIFACIUS præclaram ac illuſtrem S. Petri Eccleſiam perquirebat, ſacriſque illic orationum munimentis Domino ſanctoque Petro ſe commendabat, & ſubſummatim inveſtigare cœpit, quales reperire poſſit, ut illis evangelici ſermonis conſortium commendaſſet. Statimque multos contribulium ſuorum, & nihilominus alios imbutos atque eruditos ſacerdotalis infulæ Presbyteros ſecum pergere invitabat, & ad ſacri verbi obſequium ut illi fierent cooperatores rogabat. Protinuſque tunc dum ſciſcitaretur venerandum virum Wunebaldum illic manere, ſtatim alloquendo *c* invitabat illum, ut adminiculum tanti laboris & ſolatium Epiſcopatus in divini verbi adminiſtratione illi foret: quia carnali propinquitate & ſanguinis copulatione illi fuerat ſociatus atque glutinatus. Statimque ille agilis Chriſti vernaculus S. Bonifacio reſponſum reddidit, almiſque exhortationum ejus oraculis conſenſum ſeu effectum perficere promiſit. Poſt hæc itaque non multa tranſacta temporis ſup-

Bonifacii conſanguinei hortatu,

a Ideſt ſapiens, qua voce non ſemel uſa eſt Auctor in Itinerario S. Vvillibaldi.

b Alium ſine dubio intelligit a S. Vvillibaldo, qui ad loca ſancta profectus erat. Hic frater anonymus cum Vvunebaldo in Germaniam acceſſiſſe dicitur infra num. 7.

c Id contigiſſe videtur anno, 738. quum Bonifacius ad Gregorium III. profectus eſt.

AN. CHR. 761

18. Dec. cum fratre in Turingiam accedit.

ſupputatione, ſanctus ille vir Wunebaldus petitum atque inſtigatum a S. Bonifacio tranſitum incipere properabat, confeſtimque fratrem ſuum proprium [a] ſed & alios ejus cognatos atque amicos ſobriis ſalutationum verbis compellavit atque licentiam poſtulavit. Et tunc ille cum aliquanto collegarum [a] comitatu inchoaverat iter. Cumque perrexerunt illi per ardua Alpium alta, per prærupta montium, per plana camporum, per lata Longobardorum limina, per varias Bajoariorum villas, per Germaniæ terminorum tellures uſque in Turingiam, & illic venientes paulliſper laſſata de itinere requieſcebant membra. Et ſic paullatim quando tempus evenerat congruum, ſanctum Epiſcopum alloquendo venerabiliter ſalutando compellabat. Statimque ille cum magno dignitatis honore ab eo ſuſceptus, ſalubribus verborum alternationibus illi inter ſe ſermocinabantur, & de divinis voluminum ſcripturis ſacra inter ſe indagabant myſteria.

Presbyter ordinatus,

præficitur Eccleſiis 7.

8. Cumque tranſacto aliquanti temporis ſpatio ſacer ille atque perfectus barilion [b] regularem monachalis vitæ normam ſequendo, & mente & moribus adimplevit, & ſecundum canonicam rectæ conſtitutionis formam ad ſacerdotalis ordinis primatum divinis dotatus donorum muneribus a S. Bonifacio in Preſbyteratus conſecratus eſt gradum. Et adprimitus quidem ſeptem Eccleſiarum commendatum erat illi ſacræ moderationis regimen, ut illis præeſſet, & ſaluberrimam vitæ panderet viam: & ſic diuturna meditationis ſpeculatione, & aſſidua Scripturarum recitatione; primordialia Prophetarum vaticinia, aliaſque Sanctorum expoſitiones manu aptas habere ſolebat, ut de illarum imitatione ſcripturarum aliquid exſequendo conſervaret, ac præcipue evangelicam dominicæ traditionis hiſtoriam & quotidiana ſemper habuit memoria, & illa quæ mente meditabatur, Dei gratia in ore prædicando & in opere faciendo compleverat.

Bajoariorum mores reformat,

nullo perſonarum delectu.

9. Evolutis itaque aliquantis annorum ſpatiis, cum Bajoariorum incertos probare vellet incolas, ut latiora & ſpatioſiora evangelici ſermonis ſata pullularent; non invitus, ſed ſponte OTILONEM Ducem inquiſivit, protinuſque ab illo magno ſuſceptus fuit honore, magnaque ditatus eſt ab illo donorum dignitate in regione, in poſſeſſionibus atque in alia pecuniarum opulentia. Nec longum poſtea quod ille almi Dei cultor canonicæ inſtitutionis Sacramenta renovans, multoſque potentium & divitum, ſed & alios inferioris gradus mediocres injuſtæ copulationis conjugio nuptos, & nihilominus fornicarie pollutos variiſque paganorum præſtigiis, quantum potuit, a pravitate prohibuit morum. Similiter & aliis ſuperioris gradus divitibus ac ſæculari dignitate prælatis potentibus numquam adulando cedebat, ne uſpiam oleum peccatoris impinguaret caput ejus: ſed quanto quis divitior elatus magnanimitate tumiduſque laude pompoſus erat, tanto auſterior & rigidior non parcendo, ſed ſeverus zelando, jura rectitudinis exercere non formidavit, quia ſcriptum eſt: „Qui potentis gradum accipit, & veritatem loqui paveſcit, gravi multatur culpæ ſententia. Omnibus æqualiter potentibus & pauperibus, divitibus atque egenis ſanctæ exhortationis dogma exhibuit, & per humilitatem omnibus pari modo divina partiebatur, potentes non formidando, & pauperibus compatiendo: quia omnes homines natura æquales genuit, ſed varietate meritorum disjungebantur. Tunc ille ſacer Dei famulus ſub Otilone Duce, in illa regione quæ vocatur *Nortiſiliſe* *, proprium habitationis habebat locum: & ab illo tempore quo illuc veniebat, magno mentis conamine diurnaliter deſudans, illos quos ſub ſua habebat poteſtate & ſermonem ejus audire voluerunt & capere poterant, ad meliora provexit. Sed ſecundum Evangelii vocem ubi dictum eſt: *Intrantes in domum, ſalutate eam, & ſiquidem domus digna eſt, pax veſtra ſuper eam erit; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra ad* vos

* al. Nordſiſule.

Matth. 10.

[a] SS. Vuillibaldi & Vvunebaldi comes itineris dicitur fuiſſe S. SEBALDUS, Norimbergæ Patronus, qui in eremo annos quindecim exegiſſe, & Norimbergenſibus Chriſtianam fidem perſuaſiſſe fertur. Colitur 14. Kalend. Septemb.

[b] Eadem vox infra num. 13 & in prima Vita S. Vuillibaldi num. 31. *parilion*.

Digitized by Google

vos revertetur : ſic & ille in nonnullis terrarum locis prædicando introivit, ut ſi quis dignus fuiſſet accipere ſementem ſermonis evangelici, de fructibus meteret, & centuplum acciperet vitæ præmium. AN.CHR. 761 18. Dec.

10. Poſthæc itaque tranſacto trium annorum calculo, reciprocis veſtigiorum greſſibus priorem Germaniæ intravit tellurem : & venerabiliter a ſancto Bonifacio ſuſceptus, ad urbem quæ vocatur Maguntia veniebat, & ibi manens magna prælatus erat ſæcularis vitæ dignitate, & multo majore præditus fuerat perennis vitæ prærogativa. Rumore rectæ converſationis inter omnes habebatur illos : quia multos Francorum nobiles & ignobiles, viros ac feminas, per ſaluberrimam & per divinam æterni amoris diſpenſationem, aliis diverſarum dapium dogmata & evangelici nectaris melliflua impendebat myſteria; aliis qui arcana Dei iſta per ingenium percipere non poterant, ſicut fragilibus & carnalibus lac & leniora ciborum, id eſt plana & communia compoſitionum verba dicebat, quia ſcriptum eſt : Pro qualitate morum diverſa exhortatio debet eſſe Doctorum. Quoſdam increpatio dura, quoſdam exhortatio corrigit blanda. Et tam magna diſcretionis moderatio in illo erat contra delinquentes, ut rigorem correptionis ore proferret peccanti, ſed pietatem compaſſionis clementer cuſtodiret in corde; & omnia omnibus factus eſt, ut omnes lucrifaceret Deo. Cum ille vir Dei venerandus atque perfectus magnam abſtinentiæ tolerantiam clam in occulta cordis cogitatione abſconſam tenebat, qui illius ſic utebatur ut lateret; & illam ſic in opere complevit coopertam, ut nulli, prout fore poſſit, niſi ſola ſuperni Judicis contemplationi, cujus oculis omnia nuda & aperta ſunt, nota claruiſſet. Sed mens humilis & Deo devota numquam de bonorum dignitate elata, nec jactantia extollebatur humana, nec laude lætabatur labendo, nec reprehenſione pravorum impulſus agitabatur in ira, niſi quando pernicioſa protervorum opera exſecrando emendare non poterat. Tunc zelando, iraſcendo contra perverſas peccatorum pravitates, ſicut dignus didaſcalus zelum rectitudinis gerebat in corde, & ſemper in facie peccatoribus oſtendebat per timorem : & ſemper in una ſolidatus ſecta, mentem edomando efficaciter perduravit.

Poſt annos tres ad S. Bonifacium ſe recipit.

erga ſubditos recte ſe gerit.

Greg. M. in Paſtor.

11. De vino & eſcarum dapibus multa fari non eſt opus : quia niſi ſic infirmitate cogebatur corporis, parvo vini potu uti ſolebat, ut jam pene non bibendo, ſed probando, majorem pateretur guſtando continentiam, quam alter non recipiendo. Tandem quippe tunc mens ejus magna ſollicitudinis cura in corde volutando cogitare cœpit, an uſpiam quidem locum intentioni ſuæ aptum inveſtigare poſſet, ubi ſatam Evangelici ſermonis ſegetem per laboris ſui exercitium uſque ad meſſem proferre, manipuloſque portare & in horreum congregare potuiſſet. Tum ille de urbe Magontia promtus ac paratus proficiſci cœpit : & ideo potiſſimum, quia vini ubertas illic fieri ſolet, timebat, ne ſecundum Scripturam, vini opulentia monachalis vitæ frangeret diſciplinam.

Abſtemius,

Monaſterii locum vini expertem quærit.

12. Cumque inde perrexiſſet, venit ad Monaſterium quod dicitur *Eichſtat* ad fratrem ſuum Epiſcopum WILLIBALDUM : & ibi inter ſe diſputantes, & ſollerter voluntates conſiliabantur, qualiter ſuæ voluntatis arbitrio effectum perficere atque implere potuiſſet. Tunc illi ſtrenue pergentes venerunt ad illum locum qui vocatur *Heidenheim* : atque illico requirentes locum aptum illic repererunt, quem Dominus prædeſtinavit ſancto ſuo Confeſſori Wunebaldo, ſanctumque ſuum corpus ibi requieſcere volebat. Nec mora fuit poſt hæc quod Dominus virtutem ſuæ pietatis meritaque Chriſti Confeſſoris clarere volebat, quæ uſque tunc celata coram hominibus, & clara coram Deo, pandebantur patula. Statimque tunc egregius ille almi Dei agonithetus cum conſultu atque conſilio Epiſcopi emebat agrum illum qui nominatur *Heidenheim*, in propriam poſſeſſionem ſibi, & aliam partem poſtea regionis alii homines dabant illi in

Adito fratre,

Heidenheim loco comparato,

AN. CHR. 761. 18. Dec.

* al. agreſtum

* dilatans

li in redemtionem animæ ſuæ, optantes & deſiderantes communionem temporalium cum illo partiri, ut ille in futuro perpetua illis præſtari poſtularet. Illa regio quam ille percipiebat, inculta * erat & ſilva per totum. Sed confeſtim ille Dei famulus agreſtia ſilvarum loca ſuo labore latans * arbores cædebat, vepres truncabat, tribulos ſecabat, urticas & carduos eruendo rura renovabat, & paucas adprimitus ibi habitationis caſulas inſtruendo collocavit. Aſt tunc ille ſubſummatim, ut fore poterat, Eccleſiam fabricavit &

Monaſterium conſtruxit.

Monaſterium *a* conſtruxit, & extemplo (ſicut ſupra diximus) cum ſuis junioribus ſibi ſubditis monachalem regularis vitæ diſciplinam, quam jam olim in ipſa juventutis pubertate devota mentis inſtantia adoptando ſeu deſiderando ſupernæ pietatis ſuffragio cohortatus inchoaverat, & tunc perferre ac perducere uſque ad felicem vitæ ſuæ exitum Chriſto cooperante decreverat, & ſic patrando perficiebat.

Incolas ab erroribus & flagitiis revocat,

13. Denique cum belligeroſus atque beatus barilion terram Sualaveldorum inhabitare cœpit, plurima paganicæ pravitatis præſtigia, multos diabolica fraude deceptos idololatriam colentes ibidem invenit. Alii namque aruſpicia obſervantes, alii divinationes dæmonum dicentes, alii incantationum frivola facientes, alii nigromanticas, ſed & alia multa quæ nunc longum eſt enumerare, popularie, publice, pernicioſe perficiebant profani. Et nihilominus alii qui injuſtæ copulationis conjugio conjuncti contra legem Domini vitialiter victitabant, fornicali ſpurcitia polluti. Sed & etiam nonnulli cum ſuis propriis propinquis & affinibus, & cum propria fratris ſui uxore in conjugio nupti fuerant: & (quod his adhuc pejus eſt) multi qui ſacerdotali ordinatione Presbyteri ſacro altari deſervire debuerant, immunditiæ & fornicationi magis quam divinæ ſervitutis ſollertiæ ſe ſubdiderant, refrenati ſunt: aliique laicorum & Clericorum concubinarum injuſtæ copulationis ſocietate contaminati erant. Iſtis omnibus iſte contradicendo eoſque increpando disjungebat, & cum magna laboris inſtantia die noctuque certando contra indefeſſos diaboli cooperatores conflictum habebat: & licet lugubre, tamen diſcidium & diſſenſionem inter illos faciebat qui injuſte ſociabantur. Tunc alii qui iſta ſectabantur ſacrilegia, magna dementiæ cauſa contra illum fremendo inſidias illi tendebant, & ſæpe ad occidendum ſeu ad comburendum multoties per maleficia illum perdere volebant. Sed vir Dei nec minis malignantium, nec falſis adulantium frivolis mente agitatur nec mutatur: ſed ſemper conſtans & fide robuſtus in Domino, non deſinebat docendo plebem ab erratica paganorum pravitate perſuadendo educere. Et ſic longe lateque per populos ſacra dogmata ſeminando, non parvum Domino populum adquiſivit; & juxta ſuaviſſimam Domini vocem prudentiam apprehendit ſerpentis, qui per zelum rectitudinis & vigorem correptionis opera pravorum pernicioſa corripiendo corripiebat, arguendo erudiebat, ſuadendo ſedabat. Aſtutiam arripuit ſerpentis, qui contra atroces ſatanæ inſidias ſcuto fidei & lorica juſtitiæ, lancea lectionis, gladio jejunii, clypeo continentiæ, variiſque virtutum telis contra mille nocentes diaboli artes die noctuque certando dimicabat. Simplicitate columbæ ſic fruebatur, ut ille qui prius zelo rigoris ardebat, poſtea clemens leniter laxando mitialiter demulcebat: & ſecundum ſcripturam, ſecundum qualitatem audientium formari debet ſermo doctorum; ſic faciebat ille, & multis compaſſione fuit proximus, & in neceſſitate frater, & per blandum ſuæ pietatis affectum docibiles ad rectam veritatis viam dirigendo ducebat, quia ſcriptum eſt: Non diligenter auditur qui non diligitur. Et iterum: Et diligenter auditur qui diligitur.

Simplex ac prudens.

Greg. M. in Paſt.

14. Cum-

a Nimirum *ſeptingenteſimo quinquageſimoque anno*, ut præfert rude epigramma a Gretſero relatum in lib. 1. Obſerv. cap. 7. *Crevit locus ille*, inquit Philippus Epiſcopus in Vita S. Vuillibaldi cap. 26. *per merita S. Vuunebaldi & S. Vualpurgis Virginis: & ſicut interius orationibus & divino obſequio Sanctorum eſt adornatus, ita brevi tempore in exterioribus Fidelium oblationibus eſt amplificatus. Nec immerito. Nam omne Monaſterium quod in ſpiritualibus bene regitur, in temporalibus per omnia proſperatur: quod vero in ſpiritualibus male regitur, in temporalibus peſſime gubernatur.* Egregia ſententia!

Digitized by Google

14. Cumque venerandus ille Chriſti vernaculus ſic de anno in annum proficiendo virtutibus, properando pedem inante ad ſuperiora graduum celſius & celſius conſcendebat; ſtatimque illuſter ille & prudens populi pædagogus monachalium apum apud examen quod Dominus ſub ſua tribuit poteſtate, ſine paupertate & nuditate, ſine murmuratione cum divinis tum ſæcularis vitæ alimentis ubertim alendo paſcebat, & ſub magna doctrinarum induſtria alloquendo, exhortando, catervatim ad alvearium congregavit vitæ æternæ: & non ſicut mercenarius, ſed ſicut paſtor perfectus, acribus luporum morſibus circumeundo obſtabat, & intus intra ovilia & Chriſti gregis caulas convocando atque erudiendo introducebat. O ineffabilis opificis pietas Conditoris, qui ſuper longa locorum ſtadia, ſuper gelidos aquarum latices, de occidentalis occaſus plaga ad orientalem ortum Solis ſuo gregi gubernatorem, ſuo populo Paſtorem præbere prædeſtinavit, qui populum ſibi commiſſum ſub curæ paſtoralis peritia paullatim, ut prævius Procerum pater, ad numeroſa æternæ vitæ arva præeundo perducebat! Denique poſt hæc cum ſacer ille atque perfectus prudenſque Dei famulus magiſteriali dignitatis indoli ſubditis, & non ſolum ſubditis, ſed etiam aliis quos e vicino *a* cognatos aut domeſticos habebat, præeſſet, & omnibus (ſicut ſupra diximus) ſacra paginarum patula panderet, ita ut raro aut numquam divinæ laudis in ipſo ceſſaret modulatio, aut in pſalmis, aut in lectionibus, aut in doctrinarum ſtudio differendo; ſive manducando, ſive bibendo, ſive aliud agendo, ſemper ſacra in ſuo pectore permanentia claruerunt oracula: & ſic clara cœlorum regna per artum & celeberrimum cœleſtis vitæ callem omnibus aperiendo patefecit.

AN.CHR. 761 18. Dec. Monachos ſuos bene regit & paſcit.

15. Poſt hæc itaque tranſactis temporibus & annorum curriculis venerandus ille atque beatus vir Wunebaldus magna arreptus eſt corporis infirmitate, & ægritudo jam tunc magis per membra invaleſcebat. Et non ſolum tunc, ſed etiam olim a primo juventutis flore per multa annorum ſpatia valde conſtrictos atque retentos habebat corporis artus: & jam tunc tribus annorum intervallis antequam de mundo migraret, tam infirmus, tam imbecillus habebatur, ut pergere non potuerit niſi vix ad villas quæ juxta erant ibi ſitæ. Et una vice pergebat in Francos ad MEGINGOZUM *b*, & inde veniebat ad Fuldam, ubi requieſcit S. Bonifacius: ſtatim movebat illum valde infirmitas ejus, & ibi jacebat tres hebdomadas, ita ut jam tunc obitus ſui diem imminere æſtimaret. Et poſt tres hebdomadas melius habere cœpit: & inde pergebat & venit ad villam unam, & ibi manebat una hebdomada: qui non poterat adhuc pergere inde, quia ægritudo ejus valde affligebat illum: & ibi erat una hebdomada. Et tunc, prout poterat, venit ad urbem quæ vocatur *Vvirtzburgh*, & ibi alloquebatur Epiſcopum Megingozum, & ibi manebat tres dies: & iterum tunc ad propria remeavit.

Morbo correptus triennio ante obitum,

Megingozum adit & Fuldenſes.

16. Cumque mens jam in eo devota & multo agilior quam corpus perferre poterat; magna mentis devotione cupiebat ut ad S. BENEDICTUM pergeret, & ibi vitam finiret. Et cito poſtea miſit nuntium ſuum ad S. Benedictum, & rogabat Abbatem & omnem congregationem, ut cum illis conſortium vitæ & communionem illi habere licitum foret. Et illi ſtatim cum magna dignitatis reverentia illum accipere & ſecum habere promittebant: & nihilo minus diligenter rogabant ut veniret. Et tunc ille interim venerandus vir promta mente paravit ſe, ut illuc tranſiret. Cumque iſta cogitaret ipſe, & in ſua mente volutaret, fratrem ſuum pro-

Caſinum cogitans,

conſilio habito cum ſuis,

a Huc ſpectant donationes ab eo factæ, de quibus ita Adelbertus. *Tradidit Elvvangenſi Cella, qua tunc temporis pauper & modica in divitiis erat, quadam pradia ſatis bona & famoſa, quorum unum* Kaſvvang *vocatur, & alterum nomen habet* Gunzenhauzen. *Similiter etiam eodem tempore villam qua Altheim vocatur,* SOLÆ *Confeſſori hilaris dator contradidit ... Fuitque illo tempore Heidenheimenſis Eccleſia aſylum & portus omnium laborantium*, &c. De S Sola infra ad ann. 790.

b Megingozus Vvirtziburgenſi Eccleſiæ Franciæ Orientalis poſt Burchardum præfectus eſt: de quibus ad ann. 751.

AN. CHR. 761 18. Dec.

prium & alios ſapientes atque prudentes viros qui illi in familiaritate & in divina amicitia conſocii fuerunt, illos rogabat ipſe ut ad ſe venirent & conſilium darent. Cumque congregarentur & colloquerentur adinvicem, & ille indicavit occultas cordis ſui cogitationes, ut ſecundum Scripturam in ore duorum vel trium firmum ſtaret conſilium. Tunc illi ocius cauſam infirmitatis opponentes ſic dixerunt, quod illis melius eſſe videretur propter infirmitatem & imbecillitatem corporis qua retentus conſtringebatur, ut cœptum manſionis habitaculum quod incipiebat, & per laboris laſſitudinem ſponte in agreſti adquiſierat ſilva, non relinqueret, ſed inhabitaret: & adoptivos natos quos ille per matrem Eccleſiam & ſuam induſtriam Domino adquiſivit, non orbaret; ſed ſicut inchoavit, ad felicem vitæ formam ſua proveheret norma; & tandem ille coronatus, virtutibuſque beatificatus ad vitæ æternæ perveniret bravium. Sicque illum compeſcentes, ad propria remeabant.

In ſuo Cœnobio remanere ſuadetur.

Miſſam in dies celebrat.

17. Poſt hoc non fuit longum, quod ille venerandus vir tam valde infirmus fuit, quod jam Eccleſiam adire non poterat: ſed in uno latere caminatæ *a* ejus juſſit altare componere, & ibi quando per infirmitatem poterat, ſacra Miſſarum ſollemnia celebravit: quia prius quando ægritudo illa non fuerat impedimentum, aut raro aut numquam dies tranſiit, quin Miſſam faceret. Tunc itaque laſſata jam corporis membra quæ ille ſæpe per ſecretam morum mortificationem ad inſtar martyrii affigere ſolebat, in jejunio, in oratione, in vigilia pernoctans, præſertimque in voluptatum reluctatione & in aliis pleriſque occaſionibus quarum omnium ſolus Deus eſt cognitor; jam affecta ac confecta * prope mortem manifeſtabant. Tunc tandem cum Dominus ſervum ſuum dæ ſæculi hujus ſollicitudinibus & de temporalibus vitæ hujus laboribus ad æternæ retributionis mercedem perducere ſublevareque volebat, fratrem ſuum venire rogabat ad ſe. Cumque ille Epiſcopus noſter S. Willibaldus in ſexta feria primo mane diei veniret, introivit, & ſic illum diem noviſſimum pariter in hoc ſæculo perducentes commorabantur.

* al. conſtricta

Vuillibaldum arceſſit.

Ad ſuos verba facit.

„ 18. Tunc quippe cum ille mortem prope inſtare videret, dixit: Filioli „ mei & Fratres, omnia veſtra providentes cum prudentia pariter agite. „ Vitam veſtram & mores veſtros ad Dei voluntatem componite: carita„ tem veſtram inter vos & Fidem rectam atque catholicam in omnibus „ ſervate. Monaſterialis vitæ diſciplinam quam oſtendimus & docuimus „ vos & Deo promiſiſtis, in omnibus ſervare properate. Regularis vitæ „ conſtitutionem & obedientiæ vinculum quod mihi promiſiſtis, & quo „ ego vos obligatos habebam, illo vos abſolvo; & rectæ inſtitutionis for„ mam qua vos Deo ſubdidiſtis, illo vos non abſolvo, nec meum eſt vo„ bis laxare; ſed omni modo, prout vires vobis ſufficiant, Deo reddite. „ Omnium verborum aut factorum quæ in mea obedientia aut neglexiſtis. „ aut oblivioni tradidiſtis, indulgentiam a me accipite: & quidquid vobis „ per me contrarium accidiſſet in verbo, aut in facto, aut in aliqua cauſa; „ remiſſionem nobis omnium tribuite, & Deo commendati in pace perſeve„ rate, & mihi prædeſtinatum iter ad peragendum de hoc ſæculo cum licen„ tia & reconciliatione concedite: quia nunc prope imminet dies exitus mei, „ quo anima mea de ergaſtulo corporis ad remunerationem militiæ & ad „ laborum requiem per pia Patris præſidia, ſicut ipſe mihi concedere digne„ tur, debet pervenire. Et hic ſalubribus & ſobriis verborum ſalutationi„ bus triſtem & luctuantem Fratrum multitudinem in pace compellavit; „ & ſurſum elevatis in cœlum oculis ad ſuperiora intuens dixit: In ma„ nus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum. Et ſic ſedens coram le„ ctulo ſanctum exhalavit ſpiritum.

Animam agit.

19. Tunc

a Caminata, cella cum camino. Monachus S. Galli in lib. 1. de reb. geſtis Caroli Magni cap. 33. *Expletis vero hymnis matutinalibus ad caminatam reverſus*, &c. & cap. 5. *Caminatam dormitoriam*, forte Dormitorii.

AN.CHR. 761

18. Dec. Sepelitur.

19. Tunc illi tollentes eum lavaverunt, & portaverunt ad Eccleſiam, & illic totam noctem cum pſalmis & hymnis & canticis Dominum laudabant, & divinis munerum oblationibus illius de mundo tranſitum comitabantur & Domino commendabant. Et mane facto ponebant illum in ſarcophago novo, & ſepelierunt eum in Eccleſia. Illud ſarcophagum in quo poſuerunt illum, multos annos antequam de mundo migraverat, fuerat exciſum: & ſic ſtetit intus, & exſpectaverat diem exitus ſui.

Mortis tempus & ipſius ætas.

20. Ille vir venerandus Chriſti Confeſſor diem obitus ſui antequam de mundo tranſiret, ille ipſe præſcivit & prædixit junioribus, & quomodo illum ſacerdotali indumento deberent veſtire, omnia prædixit. Et ſic requieſcebat una hebdomada ante Natalem Domini: & tunc fuit ſabbatum poſt veſperam, 14. Kalend. Januarii, & tunc erat ille 60. annorum ætate, & fuit Abbas fere decem annos.

Hujus hiſtoriæ fides.

21. Compertam atque conſcriptam atque ex brevitate tranſcurſam vitam B. Wunebaldi Chriſti Confeſſoris a ſorore *a* ejus & ab aliis venerandis viris, qui illi per familiaritatem & amicitiam conjuncti fuerant, præſertimque ab eis qui illi in diſcipulatu & magiſterio ſubditi fuerant, relatione didiceram. Iſta vero quæ nunc capitulamus atque diſputamus, oculis noſtris vidimus, & alia in noſtris temporibus facta reperimus mirabilia, quæ magna Dei diſpenſatione facta Dominus per ſuam gratiam & merita Chriſti Confeſſoris comparere, hominibuſque præparare dignatus eſt.

Miſſæ pro eo celebratæ.

22. Poſtquam ſanctum corpus ejus ſeptem diebus in terra humatum habebatur, quotidie diſcipulus ejus Presbyter, quem ipſe erudiendo docebat, atque imbutum in Presbyteratus conſecrare fecit gradum; ille & alii * Presbyteri cum eo totam ſeptimanam illam quotidie, prout illis vires ſufficiebant, Miſſarum ſollemnia celebrando cantare non deſinebant. Cumque una die valde diluculo unus intraret in Eccleſiam Miſſam facere, januam aperuit, & cito intravit. Tum magnum & mirandum ſuaviſſimi odoris nectar obviam illi quando aperuit januam veniebat, & per totam Eccleſiam quaſi fumi vapor calidus conſpergebatur. Quod cum ille ſentiret, ſtatim exivit foras videre aliquem hominem, qui cum eo teſtis & adſertor eſſet fidelis de illa cauſa. Tunc ille progrediens foras vidit ibi homines ſtantes, & indicavit illis: & illi intrantes non potuerunt cognoſcere neque fragrare, nec ullus niſi ipſe ſolus.

* al. alius Presbyter

Odor ad tumulum.

Lumen.

23. Sed & ſæpe accidebat in ipſa Eccleſia, ubi corpus jacebat Confeſſoris Chriſti, ut lumen quod intus erat, ſine manibus hominis incenderetur.

Curatio conſanguineæ.

24. Similiter & alio tempore evenerat, quod una de ſua parentela, ſui avunculi filia, quæ plus quam duos annos magno dolore conſtricta tenebatur in dextra manu & in brachio illo, ſic ut jam paralytica & pene arida fieret. Tunc illa properans venit ad illum locum ſepulturæ ejus. Nec longum fuit poſteaquam illuc veniebat, quod priſtina illi reſtituta erat ſanitas: & ſic in iſtis primum apparebat, quod poſtea Dominus majora per ipſum oſtendere volebat. *c* Multaque alia ſignorum prodigia quæ nunc longum eſt omnia per ordinem intimare, ibi oſtenſa claruerunt: quæ conſtat quod Dominus ſuæ pietatis ſolatio affectuque ſui Confeſſoris perficere dignatus eſt.

a Nimirum anno 761. qui litera dominicali D præditus erat. Conſentit vetus epigramma Heidenheimenſe, in quo Vvunibaldus dicitur *ſeptingento quinquageſimoque anno* conſtruxiſſe Monaſterium Heidenheimenſe, cui præfuit *Abbas fere decem annos*, hic Adalbertus Abbas diem obitus ſignat 15. *Kalend. Januarii*, adeo ut ipſius humatio ſequenti die, id eſt 14 *Kalend. Januar.* ut hic præfertur, facta dicenda ſit. Certe natalis ejus dies 18. Decembris in tabulis Eſtetenſibus & Benedictinis inſcribitur.

b Intelligit Vvalpurgam, cujus Acta dabimus infra ad ann 780. Hinc apparet, iſtius ſcriptionis auctorem aliam eſſe a S. Vvalpurga.

c Addit Adelbertus Abbas: *Unde & beata illa mulier pro gratiarum actione ſacrum velamen In Heidenheimenſi Cella ſuſcepit: & in ſancta converſatione temporalem vitam tranſcurrens, tranſitorium curſum feliciter in Domino conſummavit*. Hinc veri ſimile putamus eſſe ipſammet Sanctimonialem, quæ hæc Acta litteris mandavit, quæ nomen ſuum ob modeſtiam diſſimulaverit.

AN.CHR. 761 18. Dec.

Eccleſia Heidenheimenſis a Vvillibaldo aucta.

25. Poſt aliquot annos Epiſcopus noſter WILLIBALDUS cum cuncta popularis multitudinis copia, cum juniorum ſubditorum agminibus Eccleſiam fabricare componereque diſpoſuit, ubi ſanctus Chriſti Confeſſor in corpore requieſcebat, majorem quam priorem : ut ſicut ille vir virtutibus veneratus mirabilibus, magnificatus fauſtuſque fulgebat, ita jam tunc in auguſto almoque Tonantis Templo celeberrimæ creverint divinæ laudis modulationes. Tum illi congregati celeriter cum Clero civiumque cœtu definitum domui locum libraverunt. Et tunc confeſtim adprimitus illi fodientes fundaverunt lapides, locaverunt fundamenta, & cum finitimis firmando fabricaverunt. Confeſtim Chriſto cooperante, Domino Deo diſpenſante, ſanctique Confeſſoris ſuffragante patrocinio, illa glocca in Eccleſia ſine manibus hominum, ſine omnium adminiculo ſe commovere cœpit : & ſic illi attonantis ſonitum audientes nullum viderunt. Sed omnes ut viderunt & audierunt, dabant gloriam Deo. Similiterque illi fabricantes proficiebant, uſquedum fere trium annorum ſpatio almum Altiſſimo Oratorium conſtruendo conſtituerunt. Poſtquam illud ſublimatum in alto eſt erectum, ſacro ſæculorum Satori ſeu omnium Salvatori ſacratum, in ipſo die poſt anni curriculum, quo prius ſanctum Chriſti Confeſſoris corpus levatum integritate honoratum reperiebant; ipſo, inquam, die prius poſt annum unum S. Willibaldus Eccleſiam illam ſancto conſecravit ſæculorum omnium Satori.

Signum Eccleſiæ nullo movente dat ſonum.

26. Poſt hæc itaque fertur, quod alio tempore eveniret ad ipſum Monaſterium S. Wunebaldi, quod de illo vico Præfecti illius qui ibi prope Monaſterium ſitus eſt, venit una ancilla ſua molere granum domini ſui. Cumque illa veniebat ad Monaſterium, alius homo fuit adhuc molens farinam Monachorum illic prope habitantium; & illa moram faciens exſpectabat quando locum haberet. Cumque ille abiret, illa ambulabat & molere cœpit. Poſtquam illa moluit, eſuriebat tulitque de farina domini ſui, & fecit ſibi panem, & manducavit. Quod cum feciſſet, timens tremere cœpit, quia modius domini ſui diminutus plenus non erat : & furata eſt de farina Monachorum, & replevit quod prius demſit. Poſtquam autem illa molere cœpit, duorum modiorum quod intus miſit intra molam, nihil exivit foras niſi parvum aliquid. Cumque illa molendo magnas temporis inducias conſumeret, uſquedum omne granum quod habuit molæ immiſit, & nihil venit foras. Tunc illa timida & tremefacta gemere cœpit, quia neſcivit quod evenerat : & ſtatim indicavit molendinario quod acciderat. Tunc illi conſiliantes inter ſe quid facerent, prono vultu in terram ſe proſtraverunt, & orabant Dominum ſanctumque Chriſti Confeſſorem Vvunebaldum, ut ſuæ bonitatis clementia illos adjuvare dignaretur. Et confitens poſtea peccatum quod geſſerat, orationis effectum petitionumque patratum obtinere meruerunt : & poſtea ſtatim exivit farina ſecundum conſuetudinem. Ideo non eſt dubium, quod ille vir venerandus pietate Conditoris ſuæque ſanctitatis potentia facinora, quæ prius vivendo abominaverat in perverſis, tunc coronatus in cœleſtibus vetuerat in vivis prave * agentibus.

Mulier farinam Monachorum furata punitur.

* al. bene

Æquinoctio autumnali.

27. Igitur tranſactis temporis induciis & annorum curriculis, cum jam Dominus virtutem ſuæ virtutis meritaque ſui Confeſſoris clarificare pandereque procuraret, cum geminata & triplicata Spiritus-ſancti gratia præclarus atque perſpicuus auroræ ortus cum ſole prorumperet, dieſque conceptionis S. Joannis Baptiſtæ illuxiſſet, & nihilominus æquiparante dierum ſeu noctium menſura, quod æquinoctium autumnale vocatur, quod denuo in anno ſolet fieri, hoc eſt primum creſcente die & iterum decreſcente : ſed & S. Vvunebaldi Chriſti Confeſſoris atque Abbatis integritatis oſtenſio, quæ per piam & venerandam Omnipotentis prædeſtinationem clara & comperta cunctis patula pandebatur. Cum prædictus, inquam, illuſtratus atque inclytus æquinoctii dies per vitreas camporum planities oriendo illu-

Digitized by Google

illuxiſſet, intravit Epiſcopus in Eccleſiam ſuis cum Diaconibus unoque Preſbytero: ſtatimque illi tegmen tugurii ſancti venerandique viri, quod olim per 16. annorum ſpatia exceptis 13. hebdomadis in tellure tectum tenebatur, movere fodereque cœperunt. Cumque illi foderent, ſtatim properantes velamine nares ſuas tegere coopertireque tentaverunt. En fruſtra faciebant quod nares velabant: nectar neſciebant quod intus latitabat in limo. Cumque illi fodere cœpiſſent, Epiſcopus exivit foras, & alii duo intus manebant, quorum alter ſacerdotali dignitate Presbyter erat, & alter Clericus: illi ſacrum Chriſti Confeſſoris corpus inquirere inveſtigareque cœperunt. Cumque illi fodientes ad antrum veniſſent, ſtatim illum reperientes integrum atque illæſum reperiebant, & nihil ibi niſi omnia proſpera omniaque tuta in terra tumulata * comparuerunt. Tunc illi extemplo illum moventes de ſepulcro, ſuis manibus lætantes & gaudentes voti compotes leviter de terra levaverunt toto corpore integrum omnibus membris munitum, ita ut nec capillus de capite ejus minueretur. Epiſcopus autem hæc omnia ſuſtinendo foras manebat, quia multum ambiguitate timidus erat, incerta futurorum fata neſciens, ſollicitudineque ſuſpectus de ſui fratris corpore tamdiu in terra tumulato *, qualis ipſe poſt tam longa temporum intervalla hominibus apparere concederetur. Sed tu, o Epiſcope, mentis mœſtitiam triſtitiamque depone: quia ille Dominus qui quondam Lazarum quatriduanum funere fœtidum reſurgere reviviſcereque fecit, idem nunc ſolidatum atque ſanctificatum Vvunebaldum in ſepulcro ſervabat. En tuus germanus quem tu putridum putaſti, ille tutus in terra tenebatur in tumba, & ſine fine coronatus in cœlo. Tunc illo elevato Epiſcopus intravit * in Eccleſiam.

AN. CHR. 761. 18. Dec.

corpus ipſius levatum,

* al. tumata

integrum repertum,

* al. tumato

* Caniſ. addit cum ſuo Clero

28. Cumque hora diei tertia completa fuiſſet, Epiſcopus noſter Sanctus Willibaldus ſacerdotali veſtiebatur indumento, ut ſacra Miſſarum ſollemnia fidelibus finitimorum phalangibus canendo celebraret. Nec longum fuit, celebratis Miſſarum ſollemniis, ſtatim illam porticum à quâ fabricata atque parata in orientali plaga tenebatur, hoc eſt ſanctuarium, almis orationum benedictionibus Chriſto commendando ſanctum Domino conſecravit Templum. Non omnis illa Eccleſia adhuc edita ſubtiliterque in ſublime fuerat erecta: ſed una tantum porticus in orientali plaga præpropero tenebatur opere, ut illic almus Altiſſimi athleta conderetur in crypta. Poſtea Epiſcopus & cunctus ſatrapum ſenatus, & nihilominus civium cuneus intrantes tumultuabantur & lætabantur viſione, quod ſanctum Chriſti Confeſſorem viſibiliter publice coram prolatum perſpicere meruerunt. Intraverunt itaque ſuppliciter, & Sanctum ſuffragio rogabant, ſuæque ſanctitatis ſuffragio ſuas commendaverunt animas. Ecce omnibus patens & nulli erat latens, ſed omnibus ad videndum ſeu ad palpandum paratus, corpore integro, crine firmato, eum nunc orate interceſſorem ac patronum, quem olim habuiſtis doctorem atque diſpenſatorem. Intelligite & almum honorate Vvunebaldum, ſanctum & cum Deo veneratum. Tunc ille venerandus atque plus populi ſpeculator intravit, & Sanctum ſalutavit, ſignum atque pacis proprio porrigebat fratri, oſculando, gratulando, Dominumque glorificando. Oſculabatur ergo fratrem ipſe Epiſcopus & ſoror ejus *, quæ poſt obitum beati viri Monaſterium habebat: ſed & aliæ amicæ ejus atque juniores, quas ille * erudiendo docebat, omnes illum oſculabantur ovanteſque compellabant. Tunc illi extollentes levaverunt illud corpus, & poſuerunt eum in tumba, & portabant ad monumentum novum. Cumque ſurſum levatus fuiſſet in excelſum, Presbyteri atque Diaconi ſeu Monachi tumultuantes circa tumbam condenſabantur: & qui non poterat ad eum contingere, conabatur, ut ſaltem una manu ad eum pertingendo perveniret. Cum-

Sanctuario dedicato;

ab omnibus honoratum,

* Walpurgis

* illa

novo loculo,

* Hic *porticus* improprie ſumitur pro *ſanctuario* ſeu orientali baſilicæ parte, in qua majus altare erigi ſolet.

AN.CHR. 761 18. Dec.

Cumque illi pſallentes cœleſtiaque modulantes portarent eum ad ſepulcrum, omnis plebs cantantes Kyrieeleizabant, qui conſonantes canentium vocibus, qui jocundis juvenum modulationibus, qui ſuavibus Sanctorum ſempiternis modulationibus garrule concinendo crepitabant eleganter, clangentes clamabant, multiſque vocibus quaſi uno ore pſallentes glorificabant Deum. Tunc omnis plebs cum magno honore portabant S. Vvunebaldum, & poſuerunt eum in monumento novo, in illa porticu de qua ſupra diximus: & ſtatim poſtea Miſſam cantavit Epiſcopus ad ſuum caput. Cumque Miſſa eſſet peracta, & ſancta ſollemnia celebrata, omniaque venerabiliter completa; gratias agentes Deo & S. Wunebaldo, remeabant unuſquiſque ad * propria.

in crypta reconditur.

* al. ad ſuas macellas.

Mulier paralytica ſanatur.

29. Craſtina die eadem fere hora qua pridie portabatur Sanctus ad ſepulcrum, una femina veniebat illuc, cujus alterum latus totum aridum torpebat. Cumque illa veniſſet & ſediſſet ad ſepulcrum ſancti Confeſſoris Chriſti, ſubito ſaucia ejus membra crepitare cœperunt & reviviſcere: & ſic paullatim gelidi atque ſemineces ejus artus calefiebant, atque morbo funditus excluſo ſtatim priſtinæ reſtituta ſanitati, in eodem loco ſacrum velamen adſumſit.

Reus catenatus ſolvitur.

30. Alio quoque tempore evenit, ut unus homo vinctus duceretur, qui pro ſuis ſceleribus erat puniendus. A duobus ducebatur, & ambulabant juxta Monaſterium illud. Tunc ille miſer mente mœſtus, corpore ligatus, pia ſuffragia Sancti illius petere deſiderabat, licentiamque ſuos deprecabatur ductores Eccleſiam intrare. Tum ille ingrediens flebilis & ſupplex Dominum deprecabatur per ſanctum Confeſſorem ſuum, opem ferre feſſo ſuoſque ſolvere nexus. Confeſtim Chriſti Confeſſor eum orantem atque flentem erigere jubebat, & ſtatim vincula quibus erat ligatus, ſine manibus hominum, Dei gratia & S. Vvunebaldi, de manibus ejus cadebant: & ſic ille ſolutus geminis manibus ſancto crucis ſigno ſuam ſignabat faciem. Tum ille lætus & hilaris Dominum laudabat, & gaudens pergebat qui triſtis venerat. *

*Hucuſque exemplar Gretſeri.

31. Sed & alii multi qui ex primævo primordio contracti atque curvati morboque laſſati illic portabantur, ſtatim erecti ad ſtatumque firmati ſuis plantis progradiebantur foras qui intus portabantur. Sed & alii multi qui variis corporum infirmitatibus comprematі * ſanctum quæſierunt corpus .·. tunc priſtinæ reſtituti fuerunt ſaluti, & deinceps divinis redundabant donorum remediis, & lætantes laudabant late Tonantem, qui S. Vvunebaldum ſibi Confeſſorem conſecravit, miracula monſtravit, virtutibus beavit. Ideo gaudet nunc ſancta Eccleſia, mater miranda, talem adoptans adoptivum natum; quæ nova conſtructa novo honorata eſt Patrono.

* f. conſternati

32. Lætare nunc tu Epiſcopus *a* omniſque tua populatio tecum, qui talem, meruerunt præmittere interceſſorem. En nunc vos divini verbi interpretes ſacrique doctores, Sanctum ſectate, vita & moribus & exemplo imitate, qui ſacerdotalis infulæ prudens ac pius, ſimplex ac ſobrius Chriſti athletus, magno Regi militans nunc donativum accepturus eſt.

A P-

a Hinc ſuſpicari quis poſſet, Vitam iſtam a Sanctimoniali ſcriptam eſſe vivente etiam tunc Willibaldo, quem hoc loco alloquitur. Quod tamen ſecus ſe habere conſtat ex Præfatione in hanc Vitam, quam ad Gretſeri varias lectiones correxi.

Digitized by Google

AN.CHR. 761 18. Dec.

APPENDIX

De S. Wunebaldi Reliquiis, Tranſlationibus, & Oratoriis.

1. POST *primariam illam S. Vvunebaldi Tranſlationem a S. Vvillibaldo factam, ipſius Vvunebaldi Reliquiæ in Eccleſia Heidenheimenſi religioſe adſervatæ ſunt ad ſæculum uſque 12. quo* ipſum Monaſterium & (quod ſine lacrymis effari non poſſumus) *inquit Adelbertus in præcitata Relatione*, ipſam tumbam S. Wunebaldi auro & argento pretioſam & artificioſo opere decoratam, & altaria infra Monaſterium poſita, ignis conflagratione & turbine Deus minui & deleri permiſit. *Quam deſolationem ipſe Adelbertus tum temporis Abbas reſarcire ſtuduit.*

2. Anno Domini 1358. *ut ex Henrico Rebdorffenſi Freberus refert in tomo 1. Scriptorum Germaniæ*, in octava Pentecoſtes S. Wunibaldi Confeſſoris in Heidenheim facta eſt tranſlatio in novum chorum, *&c.*

3. *Aliam Reliquiarum S. Vvunebaldi tranſlationem referam ipſiſmet Gretſeri verbis.* In „ Chronico Conſtantienſi quod clariſſimus vir D. Joannes Piſtorius evulgavit, S. Wu„ nebaldi ex Franconia Scheram (quod illuſtriſſimi Chriſtophori Truckſeſſii in Wald„ purg opidum eſt) importatæ ab eodem Barone Reliquiæ, ideſt totum corpus, ubi „ jam miraculis inclareſcunt. Ego vero, *reponit Gretſerus*, tantum de ſacro D. Wunibaldi capite ex hæreticorum faucibus erepto Scheramque tranſlato audieram, teſtante illud etiam R. P. Carolo Stengelio Auguſtæ ad D. Udalricum Ord. D. BENEDICTI Profeſſo, qui rogatu generoſi illius Baronis elegantem commentariolum de S. Wunibaldo conſcripſit, tametſi Baro ille prius ad S. Wunibaldum adiit, quam commentariolus lucem adſpiceret. Utinam miracula Scheræ per S. Wunibaldi Reliquias edita, autentice confirmata, aliquando ad laudem cum primis Dei, tum etiam S. Vvunibaldi publicentur. *Hæc Gretſerus Obſervationum in Vitam S. Vvillibaldi lib. 2. cap. 2. Nobis Stengelii ſcriptionem videre non licuit. Aliquot item S. Vvunebaldi Reliquiæ Furnos Flandriæ opidum delatæ.*

4. *Adelbertus Abbas etiam teſtatur*, Virgam paſtoralem S. Vvunebaldi argento circumtectam in teſtimonium primæ inſtitutionis in ſinu altaris uſque ad ſuum ævum fuiſſe reſervatam. Sed & Regula S. BENEDICTI, *inquit*, a Caſino monte deportata, & alii libri eccleſiaſticæ ædificationi neceſſarii, quos pius Confeſſor in aſino ſuo ad Heidenheimenſem Cellam advexerat, licet propter vetuſtatem inutiles, tamen propter reverentiam prædicti Patris uſque adhuc apud nos habentur.

5. *Ad Oratoria S. Vvunebaldo ſacra quod attinet, Conradus Eiſtetenſis Epiſcopus, quo agente Heidenheimenſis Monaſterii reſtitutio Benedictinis perfecta eſt*, dolens vicem S. Vvunebaldi, quod in loco fratris, *ideſt in urbe Eiſteto*, nullam ædiculam, nullam aram ſui tituli haberet; Capellam in proprio domate fabricavit, & eam ſupradicto Confeſſori S. Vvunebaldo intitulavit & conſecravit, *uti Adelbertus Abbas refert.*

HISTORIA TRANSLATIONIS

AN.CHR. 764 1. Febr.

S. STREMONII EPISCOPI ARVERNENSIS IN MONASTERIA MAUZIACENSE ET ICIODORENSE.

1. ICIODORUM* *locus apud Arvernos ad confluentes Beſſæ* amnis in Elaverem* fluvium, ſexto miliari ſupra civitatem Arvernorum, illuſtratus eſt paſſione ac ſepultura ſancti* STREMONII *ſeu* Aſtremonii, *recentioribus* Auſtremonii*, *primi Arvernorum Epiſcopi*; vicus *primum teſte Gregorio Turonenſi Epiſcopo, dein opidum Monaſterio S. Stremonii inſignitum. Eo loci Stremonius ab Urbico Epiſcopo ſepultus; erecta in ipſius honorem Oratoria, a Vvandalis poſtea ſæculo 5. ineunte deſtructa, tum a Theodorici Regis copiis procedente ſæculo 6. Neglectum inde Sancti ſepulchrum, cui reſtituta per Cautinum Diaconum, poſtea Epiſcopum reverentia. Accedente demum clade tertia, quæ* per Vvandalos *neſcio quos facta dicitur, cum incultus reſideret locus, S. Stremonii corpus in Cœnobium Volvicenſe ſeu Vulvicenſe ab Avito Epiſcopo tranſlatum eſt: tandem vero per Pippinum in Mauziacenſe Monaſterium, excepto capite, quod Iciodorenſi inſtaurationi occaſionem dedit. Hæc uno conſpectu ob oculos poſita excepimus tum ex Gregorio Turonico Epiſcopo in libro de gloria Confeſſorum cap. 30. ubi* Stremonium *vocat; tum ex narratione tranſlationum ejuſdem Sancti, quæ apud Labbeum edita eſt in tomo 2. Bibliothecæ novæ. Nunc vero fuſius agendum eſt de tranſlationibus factis Mauziacum & Iciodorum, poſtea quam de tranſlatione Volvicenſi pauca præmiſerimus.*

Iciodori ſepultus Stremonius.

* Iſſoire
* le Beſſe
* l'Allier
* S. Auſtremoine

2. Cum

Digitized by Google

AN. CHR. 764. 1. Febr.

Volvicum Reliquiæ translatæ. * Volvic

2. *Cum Præjectus Arvernorum Epiſcopus*, *qui* in Iciodorenſi ſchola *inſtitutus dicitur*, *cæſus ab æmulis fuiſſet*, *ita ut vidimus Sæculo 2. ad annum 674. in ipſo loco*, *qui* Volvicus * ſeu Vvlvicus *appellabatur*, *erectum eſt ab Avito ipſius ſucceſſore Monaſterium*, *præfecto* GODONE *Abbate Præjecti conſanguineo. Atque ut Volvico ſplendorem adderet Avitus*, *eo plures Sanctorum Reliquias invexit*, *in his S. Stremonii corpus Iciodoro acceptum. Iſtius translationis narrationem rudi minerva exponit Anonymus apud Labbeum. Nimirum Avitus*, *id nominis ſecundus Arvernorum Epiſcopus*, *cœleſti* (*ut fertur*) *monitu* adiit locum quo ſanctiſſimum corpus quieſcebat: *urna aperta illud inde levavit. Monachorum & Clericorum turma comitante effertur quidquid in tumulo repertum eſt Reliquiarum*, *pervenitur que* in quoddam puellarum, immo pullarum Monaſterium, in honorem Mariæ & Marthæ ſororum conſtructum: *cujus loci Monachæ in Sanctum irreligioſiores cœlitus punitæ. Dehinc Avitus præcepit Clericis & laicis*, ut ſancti Martyris glebam ad locum qui vocatur Vvlvicus deferrent. Vigilata igitur nocte una & vigiliis ex more celebratis, cum gaudio & tripudio corpus ſancti Martyris auferentes, adduxerunt ad Cœnobium quod vocatur Vvlvicus, ubi ſanctus Martyr & Pontifex Præjectus jacet humatus: & juxta ipſius buſtum S. Auſtremonium locandum decernunt. *Volvicus Abbatia quondam nunc prioratus Mauziaco ſubjectus*, *medio fere itinere jacet inter Clarum-montem Arvernorum caput & Mauziacum Monaſterium*, *quod a prædicta urbe decem millibus diſtat in Septemtrionem. Eo poſtea regnante Pippino invectæ S. Stremonii Reliquiæ*, *cujus translationis hiſtoria ex Labbeana Bibliotheca repetenda eſt.*

Mauziaci primordia.

3. Eſt locus antiqua nobilitate valde eximius & religione præclariſſimus, ab Arvernica urbe decem diſtans millibus, vocabulo Mauziacus: quem locum antiquis in temporibus CALMINIUS conſtruxit, Romuleæ urbis Senator egregius, quemque beati Petri Apoſtolorum Principis pariterque almi Martyris Capraſii inſignivit pigneribus, auxitque muneribus, & amplificavit agrorum poſſeſſionibus, datis ſimul & præclaris prædiis cum ſervorum mancipiis. Quem locum præfatorum Patrum ſub honore ſacrari juſſit, ſcilicet ut quorum ſacroſancta continebat pignera, ipſorum interventu & auxilio ſuffragaretur per ſæcula.

Stremonii Reliquiæ eo allatæ.

4. Sed poſtquam almus Martyr Auſtremonius illuc favente Domino eſt delatus, tranſiit ad gloriam ipſius ſancti nominis & vocabulum ejuſdem Cœnobii. Cujus ſacri Archiſterii inerat Rector æternæ & felicis memoriæ LANTFRIDUS cognomine, qui tam Deo quamque hominibus omnimodis ſtudebat placere: ſicque imitari ſatagebat Martham, ut nequaquam negligeret Mariam. Ejus cordi omnipotens Deus immiſit ſalubre conſilium, ut cum ſibi credito Monachorum grege adiret Regem ſereniſſimum, domnum utique PIPPINUM, ſuppliciter exorans eum, quatenus ei aliquem ex primoribus ſanctorum Martyrum Arvernæ civitatis ad ſuum ei liceret transferre Monaſterium. Præfatus autem Rex tunc temporis Arvernis civitate morabatur, magna ſuorum Procerum comitatus caterva, & tam Germanorum quamque Arvernorum ſtipatus frequentia. *Et poſt nonnulla interpoſita de quodam viſo Pippini*: Rex audita petitione Abbatis alacer effectus, cum omni illa regia magnificentia, Epiſcoporum quoque & Abbatum ac Clericorum haud exiguo numero, Vvlvico advenit, & de Sanctorum corporibus illic tumulatis ſciſcitatus, didicit beatum Auſtremonium doctorem & magiſtrum Arverniæ ruris extitiſſe, & ejus incolas ad Fidei rudimenta convertiſſe, & ab Iciodorenſe Cœnobio huc delatum fuiſſe. Qui ſtatim gaudio magno repletus divinoque ſpiramine tactus, ſtatim jubet Abbati, ut celerem nuntium Fratribus dirigat; ut quantocius properent, & cum Dei juvamine beatum ſibi deferant Martyrem. Qui ſtatim cum ingenti exſultatione feſtinantes, & ad indicium regiæ auctoritatis JOSEPH ipſius Regis Apocriſiarium, qui poſt ejus diſceſſum Abba exſtitit Tiernenſis Cœnobii, ſecum habentes, noctem illam pervigilem ducunt: & ſanctiſſimi Martyris thecam reſerantes, ipſius ſacratiſſimum corpus ad transferendum educunt. Cum ergo illud aperiretur mauſoleum, tanta exinde fragrantia eſt exorta, ut omnium aromatum excederet ſuavitatem. In craſtinum Rex inclytus diademate inſignitus, & nobiliſſimo oſtro tectus, cum ſuo illo magnifico comitatu lætus adcurrit, totaque protinus regio obviam venit: adferenteſque inde ſanctum Martyrem, cum plauſu & nimia alacritate populorum deferunt. Auguſtiſſimus vero Rex, ad inſtar David Regis qui olim ante Arcam Domini ludebat, oblita regali purpura, præ gaudio omnem illam inſignem veſtem lacrymis perfundebat, & ante ſancti Martyris exſequias exſultabat, ipſiuſque ſacratiſſima membra propriis humeris evehebat. Erat autem hiems. Janus quippe tunc Februo locum dabat, & alterno tunc ſucceſſu vicem ipſe ſumebat. Cumque læti & alacres iter carperent, ſubito tantæ denſitatis nix cœpit elabi, ut totum rus Arvernicum operiret: &, quod eſt mirabile dictu, per omne illud itineris ſpatium quo ſanctum corpus portabatur, nil omnino nivis cecidit. Credo, ut oſtenderet Dei gratia, ſalutem illi evenire regioni beati meritis Martyris, & non ut impedimentum generaret populis. Cuncti ergo ægroti, & hi quibus natura negaverat lumen, ut ſancti Martyris loculum tangere meruerunt, ſalutem priſtinam receperunt. Denique ventum eſt ad Cœnobium, cui vetuſtus conditor Mauziaco nomen indidit, eo quod inter aquas conditus ſit. Eſt namque idem locus in tantum fertilis & amœnus, ut pene nullius rei videatur indigus. Ibi

ergo

Digitized by Google

ergo Deo favente tunc beatus Auſtremonius cum magno eſt honore locatus: in quo loco hactenus tanta ejus vigent beneficia, quanta nullus mortalium explicare valet lingua: quæ ſi ſcriberentur per ſingula, forſan reor quod a pluribus ducerentur apocrypha. Anno ab Incarnatione Domini noſtri JESU-CHRISTI 764. Indict. II. regnante vero domno Pippino anno 24. acta eſt hæc Translatio. Eodem tempore imperabat Romanis Conſtantinus, filius Leonis Imperatoris. *Dies translationis prima Februarii fuiſſe videtur, ex ſuperioribus, qui dies hactenus in Monaſteriis Mauziacenſi, & Iciodorenſi celebratur Annus Regni Pippini 24. a morte Caroli Tuditis ejus patris numerari debet.* AN.CHR. 764 1. Febr. anno 764.

5. *Anonymus alter qui eamdem translationem memoriæ prodidit, nonnulla addit haud ſpernenda: nempe* ADEBERTUM *Arvernorum Epiſcopum ſollemnis pompæ auctorem fuiſſe, & ſancti Stremonii caput* ROTGERIO *Duci conceſſum, aliaque lectu non indigna, quæ ipſius Auctoris verbis huc attexere juvat.*

6. Notiſſimum manet univerſis, beatum Auſtremonium primum Arvernorum Epiſcopum, apud vicum qui dicitur Iciodorus, vitam illuſtri conſummaſſe martyrio. Gens autem Wandalica ipſum poſt longum temporis deſtruxit locum. Poſt cujus deſtructionem beatus Avitus Claromontenſis Epiſcopus oraculo inſtructus angelico, corpus beati Auſtremonii ab Iciodoro tranſtulit Vulvicum: a quo loco PIPPINUS inclytus Rex Francorum ad petitionem LANTFREDI Abbatis Mauziacenſis, ADEBERTO Claromontano Epiſcopo præſente, poſtea deportavit Mauziacum: ubi pro reverentia beati Martyris plurima reliquit inſignia, ſcilicet cachos * cryſtallinos & lapides pretioſos & auri plurimum, de quo fieret vas, in quo corpus beati Auſtremonii reconderetur. Itaque Adebertus Epiſcopus Claromontanus, qui cum Lantfredo Abbate corpus ejuſdem Martyris Mauziacum tranſtulerat, in ultimis agens, credens ſe apud Deum ejuſdem Martyris meritis juvari, in Eccleſia Mauziacenſi tumulari voluit in teſtimonium veritatis. * an ſcacos

7. *Conditionis Mauziacenſis* a Calminio Senatore Romanorum, *hoc eſt Gallorum Transligeranorum, &* Namadia *ejus conjuge factæ principatu Theoderici Regis Chlodovei junioris filii; necnon Translationis prædictæ fidem faciunt litteræ Pippini Regis editæ in auctiori Gallia Chriſtiana.*

8. De capite vero ejuſdem glorioſi Martyris hoc certiſſimum habemus, quod eo tempore quo domnus Rex Pippinus corpus ſæpe fati Martyris ex Vulvico ad Mauziacum transferebat, ROGERIUS Aquitaniæ Dux ab eodem Pippino Rege caput ejuſdem Martyris loco maximi muneris extorſit, & ad caſtrum ſui juris, quod Petra-inciſa * dicitur, tranſtulit. Qualiter vero ipſum caput apud Iciodorum delatum ſit, breviter pandimus. Caput Rotgario Duci conceſſum. * Pierre-encise

9. Præfatus Dux Roggerius Monaſterium maximum in honore Domini Salvatoris conſtruxit, quod Karrofulum * ob honorem Karoli nuncupatum: cui loco caſtrum ſupradictum, quod Petra-inciſa dicebatur, in quod caput beati Auſtremonii tranſtulerat, in perpetuum poſſidendum conceſſit. Denique irrumpentibus paganis apud Pictavorum pagum, delati ſunt theſauri Monaſterii ſancti Salvatoris Karrofenſis ab ejuſdem Monaſterii Monachis apud Arvernos ad caſtrum quod Petra-inciſa dicebatur, eoquod munitus eſſet locus, & ſuæ propriæ poſſeſſionis. Petræ-inciſæ repoſitum. * Charoux

10. Rotharium Comitem *Carrofenſis Monaſterii conditorem, ejuſque* conjugem Eufraſiam *laudat Theodulfus Aurelianorum Epiſcopus in Carminum lib. 3. cap. 8. cujus Monaſterii origo fuſe deſcribitur in auctiori Gallia Chriſtiana. Hactenus in ſolo Pictavenſi ſubſiſtit iſta Abbatia, cui Andrenſe Monaſterium a Balduino Morinorum Comite ſubditum eſt, uti legitur in Chronico Andrenſi, tomo 9. Spicilegii. Anonymum proſequentem iterum audiamus.*

11. Evolutis vero multis annorum ſpatiis, Monachi, qui pro cuſtodia theſaurorum miſſi fuerant, inierunt conſilium, ut ex filiis pagenſium qui ſibi viciniores erant monacharent: quatinus ſibi ſuccedentes in eodem caſtro Monaſteria in perpetuum haberent. Tranſacto longo temporis ſpatio Monachi ſupradicti de hoc mundo migraverunt, uno tantum ſuperſtite GISLEBERTO nomine. Tunc Bernardus, unus de iis quos monachaverant & enutrierant, adeptus eſt theſaurorum cuſtodiam. Exinde cœperunt tractare, quomodo ſe & ſuos ſodales a ſubjectione Abbatis & Monachorum Carrofenſium poſſent abſtrahere. Igitur ſupervenit feſtivitas beati Auſtremonii: & præfati Monachi inierunt conſilium, ut ſi poſſent, præfatum caſtrum everterent, & Monaſterium Iciodorum olim a ſancto Auſtremonio conſtructum reædificarent, & ſupra dictos theſauros cum iis quæ ad ipſum caſtrum pertinebant, ſub ditionis ſuæ poteſtate redigerent. Rogaverunt autem præfatum Giſlebertum, quem ſibi Abbatem præfecerunt, ut adirent viſitandi gratia locum, in quo olim inclytus Martyr Auſtremonius jacuerat humatus; & caput ipſius ferrent, ut cum honore diem feſtum celebrarent: quod & factum eſt. Tunc ergo pretioſi Martyris caput, quod Dux Roggerius in caput aureum miro opere fabricatum recondiderat, a prædicto caſtro, quod nunc ſanctus Ivonius * appellatur, apud Iciodorum delatum eſt cum ſupradictis theſauris. *Dein recitato quodam viſo, quod* in libro miraculorum plenius reperiri *ait Auctor, ſubdit:* Iciodoro illatum. * S. Ivoine

12. Igitur peracta ſollemnitatis die præfatus Bernardus petiit a Giſleberto Abbate, ut in eodem loco baſilicam miræ magnitudinis in honore præfati Martyris reædificarent. Poſt paucos dies Giſlebertus prædictus Abbas cum Bernardo & ceteris Monachis caſtrum ſupradictum cœpit deſtruere, & ex lapidibus ipſius caſtri Monaſterium ædifi- Iciodorenſe Monaſterium reſtituitur.

Digitized by Google

AN.CHR. 764 1. Febr. ædificare. Quo ædificato petierunt a domno BERNARDO Epiſcopo, qui tunc Eccleſiæ Claromontis præerat, ut ipſam baſilicam in honore ſancti Auſtremonii & ſancti Petri dedicaret: quod & factum eſt, *nimirum anno circa 950*.

Abbates primi. 13. His ita geſtis non multum poſt tempus Gisleberto Abbate defuncto BERNARDUS ſucceſſit, poſt Bernardum GIRARDUS, quem interfecerunt Monachi ejuſdem loci, & in turre quam ipſe conſtruxerat ſepelierunt: cui Girardo ſucceſſit ROBERTUS Abbas Cantinobenſis. Hujus tempore Hugo Decanus Iciodorenſis ſupra dictum caſtrum cœpit reædificare. Defuncto Roberto adeptus eſt Abbatiam HUGO: quo migrante GAUBERTUS qui apud Mauziacum in ſchola fuerat educatus, ejuſdem Iciodorenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepit. Hujus tempore error Iciodorenſium Monachorum, qui beati Auſtremonii corpus ſe habere inaniter garrivit, pullulavit: quod quomodo & quare acciderit, huic inſerere ſcripto operæ pretium duximus,

Lis de corpore S. Stremonii. 14. Iſte Gaubertus, ſicut diximus, apud Mauſiacum nutritus & educatus fuit. Sed quia poſt domnum MANCIONEM Abbatem Mauſiacenſem eidem Eccleſiæ Mauſiacenſi Abbas ſubſtitui voluit, nec valuit; ſpe ſua fruſtratus, poſtea Monaſterii Iciodorenſis Abbas fuit. Et quia ab Eccleſia Mauſiacenſi repulſam paſſus fuerat, ad ſe ulciſcendum totius nequitiæ ſuæ arma convertit. Nam cum certiſſime ſciret, beatum Auſtremonium olim a domno Pippino Rege Mauſiacum translatum & ibi contineri; non eſt veritus quorumdam Sanctorum corporibus titulos in nomine beati Auſtremonii imponere, & mendacium ſuum quibuſdam fictitiis & falſis memorabilibus adſtruere &c. Hoc rumore Mauſiacenſes omnes tam Monachi quam Clerici quamque laici permoti, & hoc ad opprobrium Eccleſiæ Mauſiacenſis fieri arbitrantes; quamvis de gleba beatiſſimi Auſtremonii certiſſimi ſint, & hoc omnes pene Arvernorum Eccleſiæ teſtentur, quæ in antiquiſſimis ſcriptis translationem olim a domno Pippino Rege factam continent; verentes tamen Eccleſiam Mauſiacenſem glorioſo Patroni ſui nomine & beata ipſius fama, quæ ubique venerabilis habetur, privari; præfatis Iciodorenſium fallaciis obviare decreverunt, & quantus theſaurus de corpore beati Auſtremonii apud ipſos maneat, palam oſtendere.

Mauziaci oſtenſum corpus. 15. Exinde domnum ROBERTUM Claromontenſem Epiſcopum humili poſtulatione rogaverunt, ut ad ipſorum Eccleſiam accedere dignaretur, & quantus theſaurus de corpore beati Auſtremonii penes ipſos abſconditus maneret, diligenti oculo non refugeret intueri. Quorum precibus præfatus Epiſcopus annuens, locum Mauſiacenſem petiit, & vas in quo corpus beati Martyris Auſtremonii poſitum erat, aperiri juſſit: & ipſum corpus (ſicut ab inclyto Rege Francorum Pippino lineis & ſericeis linteaminibus involutum & reconditum fuerat, & deſuper corrigiis ſtudioſiſſime ligatum, ne ſolvi de facili poſſet; inſuper ipſas corrigias impreſſione ſigilli Pippini Regis & aliorum duorum ſigillorum munitas, ut tanti Regis opus authenticum permaneret) in rei certitudine invenit. Epiſcopus vero ut vidit a parte ſigillorum fiſcellam illam, in qua beati Auſtremonii corpus continebatur, non ſine damno ſigillorum poſſe reſerari; ab altera parte corrigias ſcindi juſſit, ut oſſa beata intus latentia ſuo circumſtantiumque conſpectui oculo ad oculum apparerent: quod & ita factum eſt. Epiſcopus itaque ipſa beati Auſtremonii oſſa pretioſa oculis inſpexit; manibus tetigit, & digitis attrectavit. Huic tam præclaræ oſtenſioni corporis beati Auſtremonii adfuit W. Præpoſitus Claromontenſis avunculus dicti Epiſcopi, & W. Abbas Eccleſiæ Mauſiacenſis, & ARNALDUS Abbas ſancti Illidii *, & DURANTIUS Abbas ſancti Andreæ, & AMBLARDUS Abbas Riomenſis *. Adfuerunt etiam de præcipuis Monachis Eccleſiæ Mauſiacenſis quamplures, & cum ipſis etiam Clericorum, militum & laicorum nonnulli. Hæc demonſtratio facta fuit ſubtus majus altare in inferiori crypta, quæ vocatur Confeſſio. Igitur oſſa glorioſi Martyris Auſtremonii dictus Epiſcopus & Abbates prænominati in vas illud, unde fuerat adſumpta, ſagaci ſtudio repoſuerunt honorifice, & illud vas diligentiſſime fuit reconſignatum, quouſque in aliud vas multo pretioſius tempore opportuno venerabiliter tranſponatur.

* S. Allire

* de Riom

anno 1197. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini 1197. 4. Idus Aprilis, Luna 19. feria 5. ſeptimanæ paſchalis ſollemnitatis, CAELESTINO Romanæ ſedis exſiſtente Pontifice, ROBERTO Arvernorum Præſule, PHILIPPO Francorum Rege, WILLELMO Mauſiaci Abbate. Erubeſcant igitur & ſileant omnes ſugillatores & adverſarii Mauſiacenſis Eccleſiæ: quia quidquid ſtuduerunt doli vel fraudis contra ipſam machinari ſuper corpus beati Auſtremonii, velint, nolint, ipſum venerabile corpus habet, poſſidet & veneratur: quod evidentiſſimis veritatis præconiis ad laudem & gloriam beati Auſtremonii & ſalutem populi Chriſtus diſpoſuit ſic fieri, cui honor & gloria cum Patre & Spiritu-ſancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Iciodori & Mauziaci ſtatus. *16. Iciodorum Monaſterium hactenus perſeverat ſub Ordine S. P. Benedicti, recens Congregationi S. Mauri unitum: in quo ſancti Stremonii caput adſervatum eſt uſque ad annum 1562. quo ab hæreticis ſublatum eſt; corpus vero Mauziaci. Hæc Abbatia etiam in hunc diem perſiſtit, a Philippo primo Francorum Rege commiſſa ſancto Hugoni Abbati Cluniacenſi rogatu Rotberti Comitis anno 1095. Iſti Abbatiæ præter* LANTFREDUM *Abbatem primum Tranſlationis ſancti Stremonii auctorem, præfuit & alius* LANTFREDUS *ſæculo 9. ut patet ex ſubjectis litteris Chartarii Brivatenſis, quod V. C. Antonius Herovallius nobis liberaliter communicavit.*

Lantfredus alter Abbas Mauziacenſis.

Digitized by Google

AN. CHR. 764 1. Febr.

Commutatio facta inter Bernardum Comitem & Lantfredum Abbatem.

INTER quos charitas illibata permanſerit, pars parti beneficia opportuna præſtat: quia nihil ſibi de rebus propriis cenſuit minuendum, quod econtra recipit in augmentum. Ideoque placuit pro utilitate utrarumque partium, venerabilem BERNARDUM gratia Dei Comitem, necnon & uxorem ſuam ERMENGARDEM, ſeu LANTFREDO Abbate ex Cœnobio Mauciaco, qui eſt in patria Arvernica in aice * Riomenſe conſtructus in honore B. Petri Apoſtolorum principis & S. Caprafii Martyris, ubi moderno tempore B. STREMONIUS Martyr, primus Arvernorum Epiſcopus & prædicator corpore requieſcit, una per conſenſum Monachorum ibi conſiſtentium, ut res congruas tam eccleſiaſticas, quam exalodes * una cum conſenſu & præceptione glorioſiſſimi ac excellentiſſimi Regis KAROLI & RODULFI Epiſcopi inter ſe commutare, & concambire debuiſſent: quod ita & fecerunt. Prior namque dedit Lantfredus Abbas cunctaque ejus congregatio partibus Bernardo Comiti & uxori ſuæ Ermengardi ex rebus S. Petri & S. Caprafii in Comitatu Brivatenſi in vico Brivate * cellulam unam in honore S. Præjecti dedicatam, ipſam cellulam cum curtis & manſis & ortis & exiis & prata 2. & campum 1. ipſi Eccleſiæ adhærentem & aratria 1. vel quantumcumque ad ipſam caſam Dei aſpicit vel aſpicere videtur; & in alio loco ubi dicitur villa Maceriaco manſos 4. & vineam 1. cum aratriis, cum ortis & campis & pratis cultum ſive incultum, quæſitum vel quicquid adinquirendum eſt, vel quantumcumque ad ipſos manſos aſpicit vel aſpicere videtur, hoc eſt ab ipſo vico uſque ad caſtellum, vel quicquid ex ratione præſcripti Monaſterii legaliter obtinetur; totum & cum omni integritate dederunt Lantfredus ſupra nominatus Abbas ſuique Monachi Bernardo Comiti & uxori ſuæ Ermengardi. Similiter in compenſationem hujus rei meriti ſupradictus Bernardus Comes & uxor ejus Ermengardis pariter conſentientes dederunt partibus Lantfredi Abbatis ſuiſque Monachis ad opus S. Petri & S. Caprafii, Eccleſiam quæ eſt in honore S. Mariæ conſtructa Juſſiaco villa, cum manſis & ortis & pratis & vineis & aratriis. Similiter & in villa Lubiriaco manſum & ortum cum aratria 1. & pratellos 2. item & in villa Dignaciaco campos 2. hæc omnia ſuperius nominata, quantumcumque ad Eccleſiam ipſam aſpicit, vel quantumcumque DONATUS quondam Clericus viſus fuit habere, vel quidquid Bernardus Comes & uxor ejus viſi ſunt per attractum ibi adquiſiviſſe; totum & cum omni integritate dederunt prædicto Monaſterio ſuiſque Rectoribus: ita tamen ut unuſquiſque de hoc quod recipit, poſt hac die faciat jure eccleſiaſtico quicquid voluerit. Et eſt præſcripta Eccleſia in eadem patria Arvernica in vicaria Randanenſe. De repetitionibus vero in commutationibus pene inſerere neceſſe non eſt: ſed tamen per ſtudii firmitatem, ſi unquam tempore par contra parem ſuum præſentium ſive futurorum de eiſdem duabus commutationibus uno tramite conſcriptis ullam calumniam generare præſumpſerit, ſua petitio nullum habeat effectum: ſed inſuper componat duplum tantum, quantum ipſa res meliorare valuerint, & hæ commutationes omni tempore inviolabiles permaneant cum omni integritate. Factæ fuerunt commutationes iſtæ die ſabbato in menſe Januario anno 24. regnante glorioſiſſimo KAROLO Rege Francorum ſive Aquitanorum. ſig. Lantfredo Abbate, ſig. Ingilbertus præpoſitus.

* Sic paſſim in illo chartario aice pro pago

* f. & alodes

* Brioude

17. BERNARDUS *iſte erat Arvernorum Comes tempore* CAROLI *Regis cognomento Calvi, &* RODULFI *Bituricenſis Archiepiſcopi, qui in his litteris laudatur.* DONATUS *vero Clericus is mihi eſſe videtur, de quo mentio fit in Actis S. Benedicti Abbatis Anianenſis Sæculo inſequenti.*

VITA SANCTI WALFRIDI

ABBATIS PALATIOLI

IN TUSCIA PRIMI,

CIRCA AN. 765 15. Febr.

Auctore ANDREA ejuſdem Monaſterii Abbate tertio,

Ex Februarii Bollandiani tomo 2.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ACTA S.* WALFRIDI *ſeu* WALTFREDI, *Abbatis Palatioli in Etruria ſeu Tuſcia primi, litteris mandavit* ANDREAS *ejus diſcipulus, & poſt Gimiſium Wvalfridi filium ſucceſſor: ea vero ex mſ. codice Cœnobii S. Maximini apud Treviros eruit & Notis illuſtravit Godefridus Henſchenius in tomo 2. Februarii Bollandiani, ex quo eadem huc retulimus. Andreas filius fuit* GUNDUALDI, *civis Lucenſis, cognati ac ſocii ipſius Vvalfridi, ex Vitæ num. 3. idemque* beatus *prædicatur in titulo Vitæ præfixo.* Vita.

2. *Vvalfridi mentionem faciunt Regino Abbas Prumienſis in Chronico, & ex eo Chronographus Saxonicus ſeu Magadaburgenſis ad annum 752. in hæc verba:* WALTFREDUS Abbas claruit in Italia: *& Tritbemius in lib. 3. de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti cap. 281.* Walefridus Monachus & Abbas Cœnobii Palatioli, quod dudum eſſe deſiit, vir ſanctus & Deo dilectus, fertur ſanctitatis magnifica reliquiſſe indicia, quæ ſtudioſi lectores poſſunt inquirere: cujus feſtum agitur 15. Kal. Maji: *immo 15. Kal. Martii, qui dies notatur infra num. 7.* Memoria.

CIRCA AN. 765 15. Febr. *Unde corrigenda Martyrologia Benedictina, in quibus idem erratum ac apud Tritbemium: ſi tamen bic Vitæ locus ſanus eſt. Kalendarium mſ. Uſuardo adnexum, quod eſt de Sanctis Ordinis S. Benedicti apud Bollandum, eumdem ſignat diem, nempe* 15. Kal. Martii.

Monaſteria. 3. *Vvalfridus cum ſociis ædificavit Monaſteria duo, virorum & puellarum, ex Vitæ num.* 4. *&* 14. *ubi utriuſque ſitus deſignatur. Palatiolum virorum jam* dudum eſſe deſiit *teſte Tritbemio, uti & aliud Sanctimonialium. De neutro quidquam reſcire non potui ex Ughello. Cave ne confundas Palatiolum iſtud cum alio Palatiolo Parthenone apud Treviros, de quo ad annum* 731. *In mſ. codice Maximiniano ſubjectæ Vitæ præfigitur bic titulus:* Incipit Vita vel obitus beatiſſimi Walfridi Abbatis, qui fuit oriundus de civitate Piſa, moderno tempore inſtituta a beato Andrea venerabili Abbate Monaſterii ſiti in Monte-viridi.

Prologus. 1. MUltis ſiquidem relationibus fateor me per experimentum cognoviſſe hujus ſancti viri miracula vel acta, quæ geſta ſunt nuper in Monaſterio meo, & a multis relata ſunt Fratribus; nos vero ſub brevitate, juvante Domino, exponere conamur. Igitur illo tempore, regnante HAISTOLFO Rege in Italia, hoc primum miraculum relatum eſt nobis. Multi quidem diſcipuli poſt Patres vel ſuorum magiſtrorum obitum remanentes, vitam illorum vel ſancta miracula ad ſupernum amorem deſcribere conati ſunt: quia ſæpe bona audientes, vel nova miracula ad amorem Dei humana corda accendere ſolent. Et quoſdam de multis legimus, quia talia audientes, de ſæculo exierunt, & Chriſti ſervitio ſe mancipaverunt. Sicut Antonius adhuc puer cum eſſet, & Eccleſiam ingreſſus fuiſſet, audiens ſanctum Evangelium
Luc. 14. 33. legi, dicente Domino diſcipulis ſuis: *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus;* ipſe hoc audiens, non ſolum res, ſed ſemetipſum relinquens, ſecutus eſt Chriſtum. Porro iſta audiens, majora horum intelle-
Matth. 19. 29. xit ab ipſo promiſſa, qui ſupra hæc mandaverat, ut eſt illud: *Et omnis qui reliquerit patrem, matrem, fratres, ſorores, uxorem aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Iſte amor illum trahit ad vitam, qui diligit vitam.

2. Namque illo in tempore Rex magnus HAISTULFUS Italiæ, Tuſciæ, Spoletanæ, Beneventanæ provinciæ principabatur, anno regni ipſius fere plus minus quarto, antequam Regnum ipſum in manibus magnorum Regum Galliarum vel Francorum, Domino permittente, traderetur; fuit illis diebus qui-
Vvalfridus illuſtris Tuſcus, dam vir illuſtris WALFRIDUS, ſæcularis habitu, ſed vir chriſtianiſſimus & timens Deum. Qualiter autem ad ſummæ ſanctitatis gratiam pertigiſſet, ſubſequamur; vel unde ortus fuerit, plenius indicemus. Igitur ex Tuſcia provincia ortus, de civitate quæ tunc Piſa nominatur, quæ antiquitus Alphæa dicta erat, pro eo quod urbs ipſa in typo literæ poſita fuiſſet, quæ apud Græcos alpha [a] nominatur. Quamquam ſæcularis & magnus in vita, & ſua perſona decorus, mente purus, fide rectus, ſermone nitidus & ſuavis, divitiis locuples, in pauperibus largus, in ſuis miſericors, in proximos fidelis, in charitate
in conjugio caſtus, perfectus, dilectione plenus, ad juſtitiam rectus, in judicio verax, ſapiens in verbis, litteris imbutus, conjugem diligens, in ea dominicum complens præ-
Epheſ. 5. 25. ceptum, quemadmodum Apoſtolus dicit: *Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Quæ mulier ſic ab eo dilecta eſt, ut præter ipſam ſo-
habuit filios quinque. lam conjugem, numquam eum aliam feminam noviſſe manifeſtum ſit. Cui ex ea Dominus quinque filios dedit, qui toti perfecti, & ad ſummum ſunt ſtudium perducti. Nam pater ubi pompas hujus ſæculi adſpexit ſuum nauſeare animum, mutuo inter ſe ſua cum conjuge quærere cœperunt, ut iſtud triſte desererent ſæculum, & Deum poſſent ſequi. Sed ille pius & miſericors Deus qui iſta in cordibus illorum accenderat, ipſe ſuum per hominem ad eos miſit Angelum, qui talia & horum ſimilia in ſuo gerebat pectore.

De ſæculo fugiendo tractat cum aliis. 3. Nam erat quidam vir ſanctiſſimus nomine & opere FORTIS, de inſula quæ Cyrnus dicitur, quæque vulgariter Corſica nominatur, & ipſe nimis dives in rebus & in famulis famulabuſque, qui ad eum charitatis amore ſedulo venire con-

[a] Alii malunt ab Alphæis, qui e Piſa Achaiæ caſtello, quod Alphæo alluitur fluvio, profecti, Piſanæ civitati originem dederint; quod Ferdinandus Ughellus conjicit ex Virgilii libro 10. & Henſchenius poſt eum. Laurentius Veronenſis, Piſanæ Eccleſiæ Diaconus, aperte ſuffragatur in lib. 1. carminum de rebus geſtis in Majorica per Piſanos, apud Ughellum in fine tomi tertii.

Digitized by Google

conſueverat : & inter ſe invicem de regno Dei diſputantes, qualiter ſe in Monaſterio collocarent, tractabant, ſecuti illum qui dixit : *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum*. Tunc adſumto ſecum & tertio viro perfecto, cognato ipſius Walfridi, qui GUNDUALDUS dicebatur, de urbe Luca, qui & ipſe erat dives in multis facultatibus, cui unicus erat filius, nomine ANDREAS, qui tertius in regimen Monaſterii Paſtor ſucceſſit. Hi tres charitate conjuncti, firmati fide, cœperunt anxie quærere, huc illucque pergere, ubi pro divino amore colla ſua ſubmitterent, atque alienæ ſe ſubjicerent poteſtati Domino ſervituri. Sed Dominus qui tres illos conjunxit amore, illorum conſpexit devotionem : quique ſe ſolos ſalvare ſciebant, a Domino erat futurum, ut ab eis plurimi ſalvarentur. CIRCA AN. 765 15. Febr. Matth. 18. 20.

4. Ecce autem talia in ſuis cordibus tractantes, factum eſt ut quadam nocte dormiens ſupradictus *a* Epiſcopus, magnopere ducens per viſionem, quaſi avis volans ad locum deductus eſt, qui nunc uſque hodie Palatiolus, ſecus Viridem-montem poſitus, dicitur, qui in prædio ſupradictæ perſonæ pertinens erat : in quo loco fontem qui Sanctus dicebatur reperit, qui miræ magnitudinis emanabat aquas, qui & hactenus ad Fratrum officium ibi profluit : ſed illo in tempore inter frutecta *b* & magnis condendis ſiſtebatur locis. Sed poſt hæc expergefactus Epiſcopus, omnia per ordinem retulit ad ſuos, qui confeſtim equos aſcendentes ad locum quantocius potuerunt, feſtinantes venerunt : qui locus a ſupradicta urbe ſexaginta fere diſtat miliariis : quo cum veniſſent, viſo loco gaudio ſunt repleti. In quo loco Oraculum conſtruxerunt ad honorem B. Petri Apoſtolorum Principis : ejuſque ibidem recondentes Reliquias, ſimul & multorum Sanctorum pariter ſunt ibi honorifice tumulatæ : quo in loco de die in diem magnum ædificaverunt Monaſterium ſibi ipſis ad habitandum. Nam & aliud ſimili modo conſtruxerunt Oraculum in loco qui dicitur Pytiliano, ſitum ſecus fluvium Verſiliam *c*, in honore Domini Salvatoris, necnon & beatæ MARIÆ ſemper virginis & ſancti Petri Apoſtoli ; & aliorum multorum Sanctorum Reliquias ibidem pariter recondentes ſimiliter in ſuo prædio, longe ab altero ſupradicto non minus quam octodecies *d* miliaria aut quinque ſupra. In quo Monaſterio ſuas conjuges devotiſſime cum aliis nobiliſſimis feminis intromiſerunt : quæ ſacras ac religioſas veſtes per manus Sanctorum accipientes, capita ſua ſancto velamini ſubmiſerunt ; & data ſibi Regula, colla regulari diſciplinæ manciparunt. Et hi ſupradicti viri cum ſupra-memorato Epiſcopo de ſuis facultatibus ſua Monaſteria mirifice dotaverunt : e quibus relictis ſuis conjugibus revertentes ad priorem cum gaudio refeſtinant locum. Hæc videntes de ſuis parentibus multi ſæculum cœperunt relinquere, & Monaſterio ſe ſociare.

Monaſterium in Viridi monte conſtruunt.

aliud pro uxoribus ſuis.

5. Factus eſt prædictus Walfridus Abbas, habens ſecum ſanctam Regulam, ſeu & MAGNUM peregrinum Monachum ex Monaſterio S. Vincentii *e*, doctum & miræ converſationis virum, qui ei & Fratribus diſciplinæ magnum præbuit exemplum. Cœpit prædictus Abbas miræ vitæ curſum peragere, ſanctæ converſationis habitum cuſtodire, curam Monaſterii gerere, ſuam & Fratrum animas cuſtodire. Et quidem non poſt multum tempus tanta de illorum converſatione ſanctitatis exiit opinio, ut pene infra paucos annos non minus quam fere ſexaginta efficerentur Monachi. Sed cum ipſe ſanctiſſimus Pater in multis ſe affligeret jejuniis & orationibus ſeu vigiliis ; malignus ſpiritus adfuit, & eum magnis impugnationibus de ſpiritu fornicationis ſtimulare cœpit. Sed

Vvalfridus Abbas factus regit Monachos ſexaginta.

Carnis impugnationem vincit.

a Forſan legendum, *ſupradictæ urbis Epiſcopus*, Piſanæ an Lucanæ? potius dixerim Lucanæ : nam urbs hoc loco deſignata a Cœnobio puellarum diſtabat viginti miliaribus, ex notandis infra. Atqui Lucæ tum præerat Vvalprandus Epiſcopus, apud Ughellum in tomo 1. Italiæ ſacræ.

b Hunc ſcribendi modum probant manu deſcripti codices omnes. Nempe a *frutex fruticetum*, per ſyncopen *frutectum*, recentioribus *frutetum*. In verbis ſubſequentibus, *& magnis condendis*, menda eſt.

c In mare Tirrhenum influit Verſilia prope Cerviam paludem, quam inter & Verſiliam interjacet arx Motronis in ditione Lucenſi. Verſidiam vocat Cluverius in lib. 2. Italiæ antiquæ cap. 1.

d Id eſt octoginta quinque. Eumdem enim loquendi modum uſurpat Auctor infra num 14. Ergo a Cœnobio puellarum ea urbs quam hic deſignare vult Auctor, diſtabat miliariis amplius viginti : (nam ſexaginta a Monaſterio virorum aberat) quæ diſtantia Lucæ reſpectu Verſiliæ fluvii competit, non Piſis.

e An S. Vincentii ad Vulturnum fluvium in Samnitium provincia, de quo in Actis S. Paldonis ad num 720. & iterum infra in Actis S. Ambroſii Autperti ad annum 779.

CIRCA AN. 765 15 Febr. Sed miles Chriſti qui hæc patiebatur, amplius pugnare cœpit, & ſuis ſpiritualibus Fratribus confiteri. Hæc agens Deum fortiter rogabat, ut a ſe impugnationem hanc repelleret, & vitium pollutionis a ſua carne abſcinderet: & ecce quadam nocte Angelum ad ſe venire conſpiciens, confeſtimque pugna ab eo receſſit, & ultra ſuæ carnis pollutio nulla fuit, uſque dum ſervus Dei vitam finiret: qui dum pene ſex annis vixiſſet, hoc teſtatus eſt: ſed in vita ſua patefacere noluit, cavens ne vana gloria in ejus corde adſcenderet, & cauſam ſui certaminis perderet. Veniens itaque ad exitum vitæ, diſcipulis narravit miraculum; ut tali in Patre facto ſigno eſſe firmi deberent diſcipuli in Domino.

Gimfridi filii apoſtatæ reditum a Deo impetrat. 6. Jam, ut cœpimus fateri, juvante Domino, in ſuo ſervo facta miracula uſque ad finem, ut valemus, integre fatebimur, dicente Domino per Prophetam: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*. Jam dictus Pater non minus ſecum quam ſexaginta fere habens Monachos prudentes & perfectos in Dei ſervitio, contigit una cum Fratrum conſilio, ut unus ex filiis plus a patre dilectus, GIMFRIDUS nomine, qui ſupra adhuc infantulus a parentibus Hieronymus vocabatur, ad Diaconatus honorem perduceretur: quo perductus aliquamdiu manſit: deinde ad Presbyterii pervenit honorem. Cui grave cum eſſet onus portare, inſtigante diabolo, fugam petiit. Monaſterio egreſſus, ſecum homines, caballos, chartas Monaſterii abſtulit. Pater vero more ſolito ad vigiſias ſurgens, filium requirens, ut ſolitum ſibi fuerat obſequium præſtare, non invenit. Intelligens autem quod fecerat, expletis vigiliis matutiniſque laudibus, jam clara die, orto jam ſole cum Fratribus reſidens, more ſolito ſanctam lectionem legit, & verbum prædicationis ſuis diſcipulis fecit. Inter hæc quid de filio eadem nocte contigiſſet aperuit. Nam electos de Fratribus viros prudentes poſt filium miſit, ut ſi poſſent, eum ad Monaſterium reducere deberent: qui pater plus animam quam affectum filii ſitiebat: & filium deplorans orationemque faciens, ut ſuum ſibi Dominus filium redderet precabatur. Nam factum eſt, ut ipſe die tertio inter Fratres reſidens, irato animo dixiſſet filio nominatim: Quia turbaſti me, fili Gimfride, & te Dominus turbet; & tale in te ſignum ponat, quod quoadusque vixeris, ante oculos habeas. Et tunc eadem die, eadem hora a militibus comprehenſus, ſecundus ejus digitus manus dexteræ fere medius ei amputatus eſt: qui quamdiu vixit, ità permanſit. Et ipſe quidem cum Fratribus, qui eum ſunt perſecuti, domum rediens, colligenteſque diem vel horam, factum eſſe repererunt, quando pater per commotionem animi contra filium iraſcebatur. Et tamen ipſe poſt patrem magnus & egregius Paſtor effulſit, & regimen Monaſterii triginta annis peregit. Et hoc Dei pietas fulſit, ut in ſe ipſe cognoſceret, qualiter in aliis ſibi commiſſis miſereri debuiſſet, ſicut de Petri Apoſtoli legimus negatione, qui Paſtor Eccleſiæ futurus erat: *& reliqua*.

Mortis præſcius. 7. Sed quando voluit Deus ſervum ſuum a labore quieſcere, ſicut ipſe promiſit dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam;* ei de ſuo obitu voluit indicare. Nam cuidam de ſuis Patribus per Angelum contigit, ut quaſi in exceſſu mentis ad paradiſum deductus ſit, ſedes aureas vel gemmatas multas ibidem adſpiciens; alias vacuas, & alias in ſe ſeſſores habentes. Sed de una quidem, quam inter vacuas ſedes plus omnibus ſpecioſe fabricatam eſſe conſpexerat, Angelus ait: Vides hanc ſedem præ ceteris ſpecioſam? Abbati tuo Walfrido debetur: & in Paſcha præſenti veniens, ipſe ſuper eam ſedere debet. Sed cum hæc Pater audiſſet, expavit dicens: Et quis mihi hanc rem credere poteſt? Et Angelus ait ad eum: Hoc erit ſignum, quia Monachum talem in Corſicam direxiſtis, & Clericus ille quem ſecum habuit, defunctus eſt, & damnum maximum pertulit, quia ipſe in aquis interiit. Et Presbyter in ſe rediens omnia Abbati ſuo retulit: & infra paucos dies nuntius venit, & ſicut Presbytero per viſum revelatum fuerat, de Clerico contigit: nam menſe Auguſto hanc viſionem Presbyter vidit:

Ab-

Digitized by Google

Abbas vero menſe Februario, quinto-decimo Kalendas Martii vitam finivit, ut ſedem acciperet quæ per Angelum in Presbytero ei fuerat revelata. CIRCA AN. 765 15. Febr.

8. Factum quippe eſt, ut decimo veniens in anno, poſtquam erudierat Monachorum agmen non minus quam ſexies decem Monachos; ipſe vero dolore lateris attactus, die ſeptima ad ſe Fratres convocans, & eos docens de verbo vitæ & regno Dei, & in ſe factum miraculum narrans, quod in vita latuit, in morte aperuit; ut de morte magiſtri ſiſi in Domino eſſent diſcipuli, & Fratribus præcepit dicens: In medio clauſtro Monaſterii ibi me ſepelite. Nam tabulam inſertam cera ferri ſibi juſſit: in qua tabula ipſe ſuis manibus ſepulcrum deſignans, & ſuper ſepulcrum modicum cœnaculum, in quo cœnaculo in utraſque partes arcus haberentur: ut tranſeuntes Fratres ſui memoriam feciſſent. Hæc explens & Fratres ſingillatim exoſculans, benedicens juſſit ſibi corpus Domini noſtri Jeſu-Chriſti adferri: quo accepto gaudens & gratias agens, orationem fudit, Fratribuſque benedicens, ſancta illa anima carne ſoluta eſt *a*. Factumque ſtatim eſt, ut ſpiritum emiſit, tanta eadem hora angelica pſalmodia pſallentium audita eſt, ut non ſolum a Fratribus audiretur, verum etiam a paſtoribus ipſius Monaſterii animantia foris paſcentibus audiretur. Sed & nobiles homines non minus longius a Monaſterio poſiti quam pene triginta miliaria, ſe has laudes audiſſe teſtati ſunt. Et tamdiu illa pſalmodia permanſit, donec penitus corpus ſancti hominis ſepulturæ traderetur. Nam completo a Fratribus funeris officio pſalmodia receſſit. Sed quid ad ejus ſepulcrum, Domino annuente, poſt evenerit, indicemus.

[Margin: quæ accidit 15. Febr. deſignato ſepulturæ loco, — ſumto Viatico moritur. — Angelica pſalmodia audita.]

9. Monachus quidam erat, nomine ADHELMUS, magnus vita, qui nimium dolorem dentium ſuorum patiebatur, qui dormire nec cibo aliquo veſci poterat: ad ſepulcrum Sancti veniens, ibique corruens eum rogare cœpit, ut ſibi remedium præſtaret. Inter hæc ſopori deditus Monachus, & prædictus Pater apparens dixit: Herbam quam primitus foris ſepulcrum meum repereris, eam carpe & bibe; & ſanus efficieris. Ipſe evigilans, extra exiens, herbam invenit, quæ verbago appellatur, quæ a multis ſeptemnervia vocatur: eamque colligens & in mortariolo terens, vino mixto bibit: qui ſtatim ut eam accepit, ab eo dolor receſſit, & molaris in ſuo permanſit loco.

[Margin: Adhelmo dentium dolor herba levatus.]

10. Contigit etiam & alia vice, ut quidam vir juvenculus Monachus, quem nomine & facie ſcimus, nam NUNCIUS dicebatur, vexaretur acriter a febribus, qui pene ardere in ſuo corpore putabatur. Sed nocte ſurgens, ut potuit ad ſepulcrum hominis Dei venit, cumque cum juramento rogabat dicens, ut ſi ſanctus Dei eſſet, ſibi auxilium præſtaret. Qui diu in terra proſtratus & ſepulcrum exoſculans, de terra ſurgens ambulare cœpit, jam ad lectum ſanus rediens, nec ulterius illa febris eum invadere præſumſit. Qui mane ſurgens, ſibi quid contigiſſet, Fratribus omnibus indicavit. Igitur Abbas, qui tunc Monaſterio præerat, cujus ſuperius mentionem fecimus, dilectiſſimus inter ſancti hominis filios GIMFREDUS, magnus vita, & ſapientia doctus, cum hæc tanta miracula de Patre agnoviſſet ſuo, cognoſcenſque ex Deo eſſe, conatus eſt aliquos philoſophice factos verſiculos, ad laudem ipſius ſuperius ſepulcrum in pariete deſcribere: ſed mox ut gradus adſcendit, & ſcribere cœpit, illico a febribus correptus receſſit. Sed a febre liberatus, iterum reſcribere voluit: ſed tunc majores in eum febres expreſſæ ſunt. Intelligens ergo quia Pater in hac vita vanam fugit gloriam, ita poſt mortem non ſibi placere: ita ab eo correptus eſt ſcriptor, & poſt hæc ulterius ſcribere non præſumſit. Sed ipſe Pater habens apud Deum meritum, virtutes operari non ceſſat.

[Margin: Nuncius febre liberatus. — Verſus his de miraculis ſcripti, a Sancto rejecti.]

11. Frater quidam erat vir religioſus, qui gravem renum dolorem patiebatur: qui ut potuit ad ſepulcrum hominis Dei venit, pſallere cœpit, eumque anxie rogare, ut ſibi adjutorium præſtaret, & a renum dolore quem patiebatur liberaret. Qui ſtans in oratione defixus, in terram ſe dejiciens; ſurſum deinde ſe elevans, jam ſanus & abſque ullo dolore a ſepulcro egreſſus eſt.

[Margin: Alii renum dolor ablatus.]

a Nimirum anno circa 765. ſiquidem Vualfridus Cœnobii fundamenta poſuit anno fere quarto Haiſtulfi Regis ex num. 2. illudque rexit annis decem. Porro Haiſtulfus anno 750. in annos ſex Langobardis imperavit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 765 15. Febr.

Monachus extra cucullam dormiens caeſus.

* Bollando verius

12. Præterea Frater quidam erat, qui ſuæ negligentiæ uſu ducebatur, & nocturnis vel meridianis temporibus extra cucullam *a* illicite jacere præſumſit, eique per viſum apparens fortiter increpavit: & ubi ſuam haberet cucullam inquirebat. Et dum ipſe per ſomnium ubique quaſi anguſtians cucullam quæreret, ab eo ferula quam tenebat manibus cæditur, & ſic fortiter, ac ſi nervis * ab aliquo cæderetur. Nam mane ſurgens Fratribus narravit, Abbatem qui præerat veniam petiit, cum juramento adfirmans, quod ſic omnia ſui corporis membra dolerent, quaſi nervis acriter verberatus fuiſſet: & a die illo hoc vitium Monachus penitus ultra non incurrit, ut Pater qui vivens eorum curam gerebat, mortuus apud Deum ſemper de eorum ſalute curam haberet.

Monachus a Purgatorio liberatus.

13. Nam verum hoc eſſe ſanctiſſimo de Patre quod narramus, ut curam animarum Fratrum tam mortuus quam vivens haberet, vel de ſanctitate & merito apud Deum non dubitet quiſquam. Monachus quidam ex ejus Monaſterio defunctus eſt: ſed negligentem quia duxit vitam, pœnalibus deputatus eſt locis. Infra paucos itaque dies quidam ſæcularis homo, vicinus Monaſterio, qui etiam ejuſdem pertinens erat, ſed ſimplex & ruſticus, contigit ut moreretur: qui de corpore exiens ad paradiſum deductus veniens, ſanctiſſimum Abbatem cum Monacho tranſire velocius conſpexit: qui ſe ducentes interrogans, dixit, ut quis ille eſſet ſibi innoteſcerent: eique aiunt: Iſte eſt Abbas Walfredus ſanctus. His verbis inter ſe conferentibus, ipſe jam rediit hilari vultu gaudens. Cum hæc ſæcularis ille adſpiceret, dixit ubi fuiſſet, & quid feciſſet inquiſivit: cui ſupradicti ſui ductores dixerunt: Monachus ille qui modo ex ejus Monaſterio defunctus eſt, pro ſuis delictis inter tormenta eſt deputatus. Pro hoc ſanctus Abbas Dominum deprecatus eſt, ut ſibi eum concederet, a pœnalibus locis erueret, & ad ſanctorum conſortium Monachorum ſuorum ſecum in paradiſo ſociaret. Pro hoc ipſe Pater lætus regreditur: quia ſecum Monachus qui perierat reducitur. Et ſæcularis ille ad corpus rediens, hæc omnia ad quoſdam Monachos retulit, adfirmans quod ſic certius vidiſſet: & quamdiu vixit, ita tenebatur.

Monaſterii utriuſque ſtatus.

14. Manent uſque hodie duo Cœnobia ab eo constructa, puellarum atque virorum: in quibus quotidie ampliatur numerus Fratrum atque Sororum ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI. Sed qualiter amplietur numerus Fratrum & Sororum, & ſalva conſiſtant ipſa Monaſteria, vel cujus ſint meriti apud Deum omnipotentem; crebrius eſt revelatum a Domino quibuſdam Fratribus. Nam de numero Fratrum & Sororum quod ſint ampliati narrabimus. Sex decies, ut ſupra legimus, fuiſſe in tempore primi Abbatis, homines ſanctos: interito vero Abbate, cujus ſuperius mentionem fecimus, non minorem ibidem manere numerum Monachorum, quorum bis octo decies numerum eſſe cognovimus. Et in alio ſupra dicto Monaſterio feminarum non minus quam novem fere decies, & ſupra illas quæ illic effectæ ſunt Monachæ, ſimiliter & tertia * manens in Abbatiſſæ officio. Nam, ut præfati ſumus ſuperius, ſalvationem de prædictis Monaſteriis narremus. Monaſterium illud virorum poſitum quidem longius a mari videtur pene miliaria triginta a portu, qui Populonius dicitur, ubi corpus quieſcit humatum Sancti Cervonii *b* Confeſſoris atque Pontificis; & de alia parte longe a mari fere plus minus miliaria *c* duodecim:

* ſ. Ætheria

a In Actis S. Bernardi Abbatis Clarevallenſis lib. 2. cap. 8. id de Eugenio Papa III. ejus diſcipulo obſervatur, quod Pontifex factus numquam ſine cuculla ibat & cubabat. Varia fuit apud veteres cucullæ ſignificatio, primaria quidem pro capitis operimento, apud Menardum in cap. 62. Concordiæ Regularum; traducta dein ad id omne quod κουκούλλιον ſeu capitis tegumentum habet adnexum, ut ad cappam ſeu veſtem ſuperiorem; & ad ſcapulare apud Smaragdum in Regulæ cap. 55 Lege epiſtolam Theodemari ad Carolum Magnum. Hinc obſerva nefas etiam olim Monacho fuiſſe in lecto reſidere ſine cuculla, ſive id ſcapulare fuerit cum caputio, ſive id quod Rochetum vocant.

b Populonio urbe quondam epiſcopali exciſa corpus S. Cerbonii ſeu Cervonii, ſecundi Populonienſis Epiſcopi, una cum ſede Maſſam tranſlatum eſt, ex Ughelli tomo 3.

c Hæc ſi conferas cum numero 4. ubi Monaſterium virorum a Cœnobio virginum miliariis octoginta quinque, a Luca urbe ſexaginta ſummotum fuiſſe dicitur; intelliges Palatiolum non longe a Maſſæ urbis agro & Umbrone fluvio ſitum fuiſſe.

Digitized by Google

cim : in quo nullus reperitur portus, in quo ſe naves ſalvare poſſint. Et ipſa via quæ adſcendit ad Monaſterium, arta & anguſta nimis videtur. Et illud aliud Monaſterium non plus a mari longius videtur manere quam duo miliaria, ad radicem montis poſitum, eminens ſupra fluvium Verſiliæ. Sed ſic clauſæ manent ipſæ Sorores hactenus, ut nec una ex illis poſtquàm intraverit poſſit exire : ſed illic in clauſtro ſui Monaſterii ut defuncta fuerit ſepelitur.

CIRCA AN. 765 15. Febr.

Utrumque a Mauris ſervatum illæſum.

15 Contigit autem tempore KAROLI Cæſaris Auguſti, necnon & Pontificis LEONIS urbis Romæ, quod gens nefandiſſima Maurorum ex Mauritania cum claſſe multa exiret, & per marinas aquas iter habens huc illucque per inſulas pergeret. Eccleſias & aras Dei ſuffoderunt, & igni cremaverunt, & captivos multos deduxerunt : ſed & de illis Francis & Langobardis multi interierunt. Sed nec ſic erubeſcebant filii ſcelerati, & inſonuerat illorum terror & malitia in longinquis regionibus in tantum, ut prædicti Fratres & Sorores de Monaſteriis egredi debuiſſent. Sed omnipotens Deus qui ſalvat confidentes in ſe, ipſe cuidam Fratri de ipſo Monaſterio voluit per ſuum Angelum revelare, quid Abbas agere cum Fratribus debuiſſet. Erat quidam Frater, qui in obedientia ſibi injuncta extra Monaſterium manebat longius non minus quam decem miliaria, ad Eccleſiam beati Jacobi fratris Domini : cui per viſum quidam ſenex ſplendidiſſimus, vultu præclarus, ante ſpatium noctis mediæ ad lectum ſtetit, eique dixit : Surge & quantocius potes ad Monaſterium perge, quia Abbas cum Fratribus magnam pro Mauris illic ducit triſtitiam. Et ad hæc Frater ille reſpondens ait : Certe, Domine, verum eſt. Et iterum Angelus ad eum ait : Vade, dic Abbati tuo & Fratribus, ut cuncti pariter cum letaniis pergant ad ſepulcrum Walfridi Abbatis, & ipſum deprecentur, ut pro vobis apud omnipotentem Dominum intercedat : quia tale ejus eſt meritum apud Deum, ut ſi ipſe pro vobis interceſſerit, nullus vobis Maurus nocebit. Hæc dicens diſparuit. Monachus vero ſurgens Eccleſiam ingreſſus eſt, & prout potuit, ſuum officium fecit. Quod complens mox equum adſcendit, & quam cito potuit ad Monaſterium venit, Abbati ſuo omnia retulit per ordinem. Abbas vero hæc audiens flere cœpit præ gaudio, & Fratribus præcepit ſtatim letanias agere, ſanctum Evangelium, cruces cum reliquiis ſanctis ſecum omnes deducere, & ad ſepulcrum hominis Dei venire, & diutiſſime illuc cum fletibus Dominum deprecari, & ipſum ſanctiſſimum Patrem inter Sanctos invocare, ut interceſſor pro illis exſiſteret, quatenus a ſupradicta tribulatione fierent ſecuri. Peracto itaque die illo officio, alio die compleverunt ſimiliter : tertio vero die fecerunt ſimiliter.

16. Sed cum omnes primo mane ad ſepulcrum hominis Dei venirent, letanias facerent, de cœlis emiſſa tonitrua conſpexerunt, & cœlum contemplantes arcum eadem hora apparuiſſe viderunt : ſed quid hæc ſigna ſignificarent neſciebant. Completa letania, eadem die & eadem hora nuntius venit, qualiter Mauri illi, qui ſe Monaſterium prædaturos cenſuerant, interfecti ſunt. Nam ter quaternas naves plenas hominum numero ſexcentorum ſeptuaginta, qui ad portum venerunt Populonium *a*, Deo contrario ſibi, volentes venire Monaſterium deſtruere. Sed omnipotens Deus qui ſervis ſuis pridie antequam quid facere deberent innotuerat, ut ſcriptum eſt : *Et in ſervis ſuis conſolabitur ;* ſic a Deo electi non plus quam quadraginta pugnatores homines inventi ſunt, qui illis nefandiſſimis reſiſterent, ne venire poſſent ad Monaſterium. Sed eodem die quo ipſi ad prœlium procedere debuerant, Fratres omnes ad ſepulcrum Walfridi venerunt,

Mauri cæſi.

a Id factum anno 809. ex Annalibus Francorum Eginhardi, Bertinianis, aliiſque, ubi *Populonium Tuſcia civitas magna a Græcis*, *qui* Οροβιῶται *vocantur*, *deprædata* fuiſſe memoratur, & *Mauri de Hiſpania Corſicam ingreſſi, in ipſo ſancto paſchali ſabbato civitatem quamdam diripuiſſe, & præter Epiſcopum ac paucos ſenes atque infirmos nihil in ea reliquiſſe*. Ita Eginhardus, cui illuſtrando conducit Andreæ auctoritas.

CIRCA AN. 765 15. Febr.

runt, cœperuntque omnes letanias facere, & ipſum inter Sanctos Dei attentius invocare: videruntque ſubito de cœlis emiſſa tonitrua, & arcum apparuiſſe ſuper eos, qui in certamine ſteterant contra eos. Pugnaverunt enim ipſi a prima hora diei uſque fere ſeptimam: & ceciderunt ex paganis vulnerati non minus quadringenti octoginta, & reliqui qui in navibus remanſerant fugerunt; etiam & de ipſis cum navibus plurimi perierunt. De Chriſtianis autem hominibus nec unus quidem cecidit, nec læſus fuit: ſed omnes ovantes de triumpho, cum illorum ſpoliis & armis ad ſuas redierunt domos, agentes Chriſto gratias, qui ſuis cultoribus talem dignatus eſt dare victoriam, & ſuorum famulorum, Monachorum videlicet Monacharumque animos a timore impiorum liberare meritis & interceſſionibus beatiſſimi Walfridi, ſicut Fratri illi per ſuum Angelum revelare dignatus eſt JESUS CHRISTUS Dominus noſter, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu-Sancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

AN. CHR. 765 11. Martii.

HISTORIA TRANSLATIONIS
S. GORGONII MARTYRIS
IN MONASTERIUM GORZIENSE,

a Monacho Gorzienſi anonymo deſcripta medio ſæculo x.

Ex mſ. cod. Bibliothecæ Remigianæ apud Remos.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Gorze

Auctor hiſtoriæ.

1. GORZIA, * *inclytum quondam Ordinis Benedictini Cœnobium in Gallia, ad amnem cognominem haud procul a Moſella fluvio, ſexto miliari ſupra Mediomatricum civitatem, ſua debet primordia S.* CHRODEGANGO *Mettenſi Epiſcopo; incrementa vero S.* GORGONII *Martyris Reliquiis, iſtuc Roma per eumdem Pontificem advectis. Translationis narrationem anonymus quidam Monachus Gorzienſis compoſuit pontificatu Adalberonis Mettenſis Epiſcopi eo nomine primi, id eſt medio ſæculo x., ut patet ex cap. 8. & ſequentibus, in quibus miracula auctoris tempore patrata recitantur. Hiſtoriam hanc e mſ. codice Abbatiæ S. Remigii apud Remos accepi beneficio R. P. D. Claudii* Bretagne *Prioris mihi colendiſſimi, qui in multis auxiliares copias operi noſtro ſuppeditavit.*

Translationis memoria.

2. *Translationis iſtius mentionem faciunt HRabanus & Notkerus in Martyrologiis pridie* Idus Junii. *HRabanus quidem his verbis:* Romæ via Aurelia miliario v., paſſio Martyris Cyrini, Naboris & Nazarii, quorum Naborem ſimul cum Gorgone Martyre tranſtulit, a Roma in Galliam HRUOTGANGUS Mettenſis Epiſcopus permittente Paulo Papa Romano, anno dominicæ Incarnationis 765., & collocavit prædictus Epiſcopus S. Gorgonem in Monaſterio quod dicitur Gorzia; ſanctum vero Naborem in Monaſterio alio quod dicitur Nova-cella, ſanctum quoque Nazarium in Monaſterio quod dicitur Lauresham: ubi ſigna & miracula in ſanitate infirmorum & debilium ſæpius fiunt. *Eumdem annum ſignant Notkerus, Marianus Scotus, Annales Fuldenſes, Auctor iſtius hiſtoriæ. & monumenta Gorzienſia, in quibus Translatio facta dicitur* IV. Idus Martii. *Fuit is S.*

Gorgonii duo.

Gorgonius Martyr Nicomedienſis, Gorziæ cultus v. *Idus Septembris, alius a S. Gorgonio itidem Martyre, cujus Reliquias Turonos in Majus-monaſterium Roma tranſtulit Rainaldus Abbas anno 846., ut ſuo loco dicemus.*

Reliquiarum pars Mindæ.

3. *Procedente tempore pars Reliquiarum S. Gorgonii in Saxoniam translata eſt in Eccleſiam Mindonenſem: cujus urbis Epiſcopus* MILO *Vitam S. Gorgonii a ſe repertam Gorzienſibus Monachis direxit cum ſubjecta epiſtola, quam e mſ. codice Uticenſis Monaſterii a me aliquando exſcriptam huc referre juvat.*

Epiſtola Milonis.

SANCTAE *Gorgienſis Eccleſiæ venerabili Abbati & cuncto Monachorum Cœnobio ſibi commiſſo* MILO *Epiſcopus, ſervorum Dei famulus.* Quod me quidem olim veſtræ regionis fines ingreſſum non ſolum honorifice ſuſcepiſtis, verum etiam omnem humanitatem ſpeciali dilectione mihi generaliter exhibuiſtis; ſi opere, ſicut volo, dignas grates vobis rependere nequeo, ſolum id quod valeo eo ſtudioſius devota mente facere deſidero, quo me iu aliquo hujuſcemodi negotio defeciſſe cognoſcor. Nam licet in divina pagina legatur, quod exhibitio operis probatio ſit veræ dilectionis; tamen cogente neceſſitate quandoque facultas bonæ operationis defecerit, ſi voluntas integræ devotionis perman-

Digitized by Google

AN.CHR. 765. 11. Martii.

manſerit, nullum ex hoc detrimentum charitas habebit: quia ſi quid defuerit ex operatione, id totum implet charitas pro bona voluntate. Igitur ut præfatus ſum, non meis meritis, ſed gratia fraternæ charitatis honorabiliter a vobis ſuſceptus, tanta detentus ſum familiaritate, ut omnino me non hoſpitem, ſed quaſi unum ex ipſis Fratribus eſſe putarem. Unde inter ipſa ſacra eloquia veſtra, quæ mihi videbantur quodammodo afflatu Spiritus-ſancti ignita, & quaſi ex ipſo fonte ſalutaris ſcientiæ ſalientia; paſſionem, & miracula ſanctiſſimi ac beatiſſimi communis Patris noſtri Gorgonii vos non habere cordetenus doleretis, idque, ſicut dignum erat, gravibus ſuſpiriis ægre toleraretis: ego quoque ſuper hoc non minori cura ſollicitus, mecum tacitus cogitavi, quid de hac re fieri potuiſſet. Et cum adhuc prædictam S. Martyris Paſſionem non haberem, pro communi noſtra utilitate quærere propoſui, ſicubi potuiſſet inveniri; idque ne deleretur oblivione, tenaci memoriæ commendavi. Poſt hæc itaque cum reverſus veniſſem ad patriam, plurimas librorum percucurri paginas, & favente Domino quaſi ex optato citius reperi, quod prius me non habere vehementer extimui; ſcilicet V. Idus Septemb. ſanctorum Martyrum Gorgonii & Dorothei ſollemnitatem per ſingulos annos fuiſſe natalem: quorum quoque Paſſionem ſub eodem Kalendarum numero inventam, brevi quidem ſermone ſuccinctam, ſed a me avidius acceptam veſtræ charitati dirigere deſtinavi: ut eo tenacius vera dilectio quaſi glutine fidei ad unguem uſque perducta inter nos jugiter valeat permanere, quo ego vobis ſanctæ charitatis dulcedine copulatus, ſed & ſingularis amicitiæ fœdere complexus, gratum quid vobis & amicabile videar obtuliſſe.

Paſſionis libellus iſtic inventus.

4. *Deinde ſequebatur initium Vitæ S. Gorgonii in hæc verba:* Magnum ſummopere ſtudium nobis eſſe debet, *&c. Et in fine Vitæ & Tranſlationis ex urbe Nicomedia Romam factæ, hæc ſequebantur.* Poſt hæc iterum longo intervallo temporum Reliquiæ S. Gorgonii per Rodegangum venerabilem Eccleſiæ Mettenſis Epiſcopum transferuntur ad Gorgienſe Cœnobium. Inde poſtea creſcente in Saxoniæ partibus Chriſtiana Religione, pars earumdem Reliquiarum in Saxonia attribuitur: ubi iiſdem S. Gorgonius genti Saxonum & Eccleſiæ Mindonenſi patrocinatur. *Huc ſpectat iſtius hiſtoriæ caput 13. infra. Milo Mindonenſi ſeu Mindenſi Eccleſiæ præfuit ab anno 974. ad 96.*

5. *De S. Nazarii in Laureshamenſi Monaſterio, & S. Naboris Reliquiis in Hilariacenſi collocatis, nihil hic dicendum occurrit, niſi quod Theodulfus Aurelianorum Epiſcopus verſus quoſdam compoſuit de ſepulcro S. Nazarii in Monaſterio Laureshamenſi, quod ipſe inviſit, ex lib. 3. carmine 10. Laureshamenſe Monaſterium anno 764. condere cœpit* CANCOR illuſtris Rhenenſis pagi Comes cum matre ſua WILLISUINDA, vidua Ruperti Comitis, in inſula quæ appellatur Aldenmunſter, *non procul a Vvormatia civitate, illudque* Rutgango Mettenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ad inſtituendam inibi monaſticæ profeſſionis militiam tradiderunt. *Illic præfectus* GUNDELANDUS *Abbas Chrodegangi frater germanus, qui amplificata baſilica corpus S. Nazarii decentiori loco repoſuit anno 777. ut in Chronico Laureshamenſi legitur: quo tempore plurima facta dicuntur miracula, de quibus* libellus *exſtare fertur*, a majoribus proſaico & metrico ſtilo compoſitus. *Iſtic ſepulti Ludovicus Germaniæ Rex, & filius ejus cognominis. Iſtud Monaſterium tandem Præmonſtratenſibus Canonicis ceſſit* anno 1237. *ut ſcribit Trithemius in Hiſtoria Hirſaugienſi. Monaſterium vero S. Naboris, vulgo* Saint Avol, *Mettenſis diœceſis, hactenus ſubſiſtit, Benedictinæ S. Vitoni Congregationi unitum. De eo exſtat Alcvvini epigramma 164.*

Gorziæ conditio & ſtatus.

6. *Gorzienſis Monaſterii fundamenta Chrodegangus* in pago Scarponenſi *poſuiſſe fertur* anno VI. Childerici Regis, *id eſt anno Chriſti 748. Eccleſia in honorem S. Petri & S. Stephani primum dedicata, poſtea S. Gorgonii dicta eſt. Floruerunt illo in Cœnobio quamplures viri pii & illuſtres, de quibus agendum in Actis B. Johannis Abbatis Gorzienſis Sæculo quinto Benedictino. Scriptor libelli de geſtis B. Adalberonis II. Mettenſis Epiſcopi ibidem educati*, Gorziam *vocat* felicem locum, non minus, *inquit*, ex eo qui inpræſentiarum præeſt, & ſanctiſſime dulciſſimeque prodeſt, IMMONEM *ſcilicet Abbatem piiſſimum*; quam ex his qui jam beati ad cœleſtia tranſmigrarunt: quorum vita inclyta & glorioſa proprios libros expetunt, & geſta vere memoranda otium ſatis longum ad ſcribendum requirunt. *Alii alias laudes Gorziæ tribuunt, quos inter Sigebertus Monachus Cœnobii Gemmelacenſis, quod ex Gorzienſi per S. Vvigbertum Abbatem originem ſumſit. Floruiſſe eo in loco ſtudia litterarum docet inter alios Baldericus in Chronici Cameracenſis lib. 1. cap. 101. Tandem ut ſe habent res humanæ, Abbatia illa Gorzienſis, quæ ſanctorum Monachorum ſeminarium fuerat, in ſuperioris ſæculi motibus primum quidem ab hæreticis infeſſa anno 1542. tum anno inſequenti a Theodonis-villæ præſidiariis militibus direpta & cremata; dein anno 1552. ab Henrici II. Francorum Regis copiis ad ſolum pene ſubverſa, demum anno 1580. in collegium duodecim Canonicorum redacta eſt, S. Gorgonii Reliquiis, quæ Muſſipontem theca ſpoliata delatæ fuerant, Gorziæ reſtitutis anno 1595. uti fuſius in Chronicis Benedictinis refertur ad annum 752.* Gurgitenſe *Monaſterium appellatur in libro de vita S. Adalberonis Epiſcopi Mettenſis.*

Sigeb. in Vita S. Vvigberti.

Chrodegangi memoria.

7. *Chrodegandus vir ſanctus laudatur a Paulo Vvarnefridi in libro de geſtis Pontificum Mettenſium, ubi duo Monaſteria*, Gorzienſe *ſcilicet & aliud* in pago Moſellenſi, *ædificaſſe dicitur* ſub Regula S. P. BENEDICTI, *cui maxime addictus fuit, ut probant tum ipſa Monaſteria, tum Regula Canonicorum ab eo ex Regula ipſa majori ex parte collecta. Sunt qui*

CIRCA AN. 765 15. Febr.

runt, cœperuntque omnes letanias facere, & ipſum inter Sanctos Dei attentius invocare: videruntque ſubito de cœlis emiſſa tonitrua, & arcum apparuiſſe ſuper eos, qui in certamine ſteterant contra eos. Pugnaverunt enim ipſi a prima hora diei uſque fere ſeptimam: & ceciderunt ex paganis vulnerati non minus quadringenti octoginta, & reliqui qui in navibus remanſerant fugerunt; etiam & de ipſis cum navibus plurimi perierunt. De Chriſtianis autem hominibus nec unus quidem cecidit, nec læſus fuit: ſed omnes ovantes de triumpho, cum illorum ſpoliis & armis ad ſuas redierunt domos, agentes Chriſto gratias, qui ſuis cultoribus talem dignatus eſt dare victoriam, & ſuorum famulorum, Monachorum videlicet Monacharumque animos a timore impiorum liberare meritis & interceſſionibus beatiſſimi Walfridi, ſicut Fratri illi per ſuum Angelum revelare dignatus eſt JESUS CHRISTUS Dominus noſter, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu-Sancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

AN.CHR. 765 11. Martii.

HISTORIA TRANSLATIONIS
S. GORGONII MARTYRIS
IN MONASTERIUM GORZIENSE,

a Monacho Gorzienſi anonymo deſcripta medio ſæculo x.

Ex mſ. cod. Bibliothecæ Remigianæ apud Remos.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Gorze. Auctor hiſtoriæ.

1. GORZIA, * *inclytum quondam Ordinis Benedictini Cœnobium in Gallia, ad amnem cognominem haud procul a Moſella fluvio, ſexto miliari ſupra Mediomatricum civitatem, ſua debet primordia S.* CHRODEGANGO *Mettenſi Epiſcopo; incrementa vero S.* GORGONII *Martyris Reliquiis, iſtuc Roma per eumdem Pontificem advectis. Translationis narrationem anonymus quidam Monachus Gorzienſis compoſuit pontificatu Adalberonis Mettenſis Epiſcopi eo nomine primi, id eſt medio ſæculo x., ut patet ex cap. 8. & ſequentibus, in quibus miracula auctoris tempore patrata recitantur. Hiſtoriam hanc e mſ. codice Abbatiæ S. Remigii apud Remos accepi beneficio R. P. D. Claudii* Bretagne *Prioris mihi colendiſſimi, qui in multis auxiliares copias operi noſtro ſuppeditavit.*

Translationis memoria.

2. *Translationis iſtius mentionem faciunt HRabanus & Notkerus in Martyrologiis* pridie Idus Junii. *HRabanus quidem his verbis:* Romæ via Aurelia miliario v., paſſio Martyris Cyrini, Naboris & Nazarii, quorum Naborem ſimul cum Gorgone Martyre tranſtulit, a Roma in Galliam HRUOTGANGUS Mettenſis Epiſcopus permittente Paulo Papa Romano, anno dominicæ Incarnationis 765., & collocavit prædictus Epiſcopus S. Gorgonem in Monaſterio quod dicitur Gorzia; ſanctum vero Naborem in Monaſterio alio quod dicitur Nova-cella, ſanctum quoque Nazarium in Monaſterio quod dicitur Laureſham: ubi ſigna & miracula in ſanitate infirmorum & debilium ſæpius fiunt. *Eumdem annum ſignant Notkerus, Marianus Scotus, Annales Fuldenſes, Auctor iſtius hiſtoriæ. & monumenta Gorzienſia, in quibus Translatio facta dicitur* IV. Idus Martii. *Fuit is S. Gorgonius Martyr Nicomedienſis, Gorziæ cultus* v. *Idus Septembris, alius a S. Gorgonio itidem Martyre, cujus Reliquias Turonos in Majus-monaſterium Roma tranſtulit Rainaldus Abbas anno 846., ut ſuo loco dicemus.*

Gorgonii duo.

Reliquiarum pars Mindæ.

3. *Procedente tempore pars Reliquiarum S. Gorgonii in Saxoniam translata eſt in Eccleſiam Mindonenſem: cujus urbis Epiſcopus* MILO *Vitam S. Gorgonii a ſe repertam Gorzienſibus Monachis direxit cum ſubjecta epiſtola, quam e mſ. codice Uticenſis Monaſterii a me aliquando exſcriptam huc referre juvat.*

Epiſtola Milonis.

SANCTAE *Gorgienſis Eccleſiæ venerabili Abbati & cuncto Monachorum Cœnobio ſibi commiſſo* MILO *Epiſcopus, ſervorum Dei famulus.* Quod me quidem olim veſtræ regionis fines ingreſſum non ſolum honorifice ſuſcepiſtis, verum etiam omnem humanitatem ſpeciali dilectione mihi generaliter exhibuiſtis; ſi opere, ſicut volo, dignas grates vobis rependere nequeo, ſolum id quod valeo eo ſtudioſius devota mente facere deſidero, quo me iu aliquo hujuſcemodi negotio defeciſſe cognoſcor. Nam licet in divina pagina legatur, quod exhibitio operis probatio ſit veræ dilectionis; tamen cogente neceſſitate quandoque facultas bonæ operationis defecerit, ſi voluntas integræ devotionis perman-

Digitized by Google

AN.CHR. 765. 11. Martii.

manſerit, nullum ex hoc detrimentum charitas habebit: quia ſi quid defuerit ex operatione, id totum implet charitas pro bona voluntate. Igitur ut præfatus ſum, non meis meritis, ſed gratia fraternæ charitatis honorabiliter a vobis ſuſceptus, tanta detentus ſum familiaritate, ut omnino me non hoſpitem, ſed quaſi unum ex ipſis Fratribus eſſe putarem. Unde inter ipſa ſacra eloquia veſtra, quæ mihi videbantur quodammodo afflatu Spiritus-ſancti ignita, & quaſi ex ipſo fonte ſalutaris ſcientiæ ſalientia; paſſionem, & miracula ſanctiſſimi ac beatiſſimi communis Patris noſtri Gorgonii vos non habere cordetenus doleretis, idque, ſicut dignum erat, gravibus ſuſpiriis ægre toleraretis: ego quoque ſuper hoc non minori cura ſollicitus, mecum tacitus cogitavi, quid de hac re fieri potuiſſet. Et cum adhuc prædictam S. Martyris Paſſionem non haberem, pro communi noſtra utilitate quærere propoſui, ſicubi potuiſſet inveniri; idque ne deleretur oblivione, tenaci memoriæ commendavi. Poſt hæc itaque cum reverſus veniſſem ad patriam, plurimas librorum percucurri paginas, & favente Domino quaſi ex optato citius reperi, quod prius me non habere vehementer extimui; ſcilicet v. Idus Septemb. ſanctorum Martyrum Gorgonii & Dorothei ſollemnitatem per ſingulos annos fuiſſe natalem: quorum quoque Paſſionem ſub eodem Kalendarum numero inventam, brevi quidem ſermone ſuccinctam, ſed a me avidius acceptam veſtræ charitati dirigere deſtinavi: ut eo tenacius vera dilectio quaſi glutine fidei ad unguem uſque perducta inter nos jugiter valeat permanere, quo ego vobis ſanctæ charitatis dulcedine copulatus, ſed & ſingularis amicitiæ fœdere complexus, gratum quid vobis & amicabile videar obtuliſſe.

Paſſionis libellus iſtic inventus.

4. *Deinde ſequebatur initium Vitæ S. Gorgonii in hæc verba:* Magnum ſummopere ſtudium nobis eſſe debet, *&c. Et in fine Vitæ & Translationis ex urbe Nicomedia Romam facta, hæc ſequebantur.* Poſt hæc iterum longo intervallo temporum Reliquiæ S. Gorgonii per Rodegangum venerabilem Eccleſiæ Mettenſis Epiſcopum transferuntur ad Gorgienſe Cœnobium. Inde poſtea creſcente in Saxoniæ partibus Chriſtiana Religione, pars earumdem Reliquiarum in Saxonia attribuitur: ubi iſdem S. Gorgonius genti Saxonum & Eccleſiæ Mindonenſi patrocinatur. *Huc ſpectat iſtius hiſtoriæ caput 13. infra. Milo Mindonenſi ſeu Mindenſi Eccleſia præfuit ab anno 974. ad 96.*

5. *De S. Nazarii in Laureshamenſi Monaſterio, & S. Naboris Reliquiis in Hilariacenſi collocatis, nihil hic dicendum occurrit, niſi quod Theodulfus Aurelianorum Epiſcopus verſus quoſdam compoſuit de ſepulcro S. Nazarii in Monaſterio Laureshamenſi, quod ipſe inviſit, ex lib. 3. carmine 10. Laureshamenſe Monaſterium anno 764. condere cœpit* CANCOR illuſtris Rhenenſis pagi Comes cum matre ſua WILLISUINDA, vidua Ruperti Comitis, in inſula quæ appellatur Aldenmunſter, *non procul a Vvarmatia civitate, illudque* Rutgango Mettenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ad inſtituendam inibi monaſticæ profeſſionis militiam tradiderunt. *Illic præfectus* GUNDELANDUS *Abbas Chrodegangi frater germanus, qui amplificata baſilica corpus S. Nazarii decentiori loco repoſuit anno 777., ut in Chronico Laureshamenſi legitur: quo tempore plurima facta dicuntur miracula, de quibus* libellus *exſtare fertur*, a majoribus proſaico & metrino ſtilo compoſitus. *Iſtic ſepulti Ludovicus Germaniæ Rex, & filius ejus cognominis. Iſtud Monaſterium tandem Præmonſtratenſibus Canonicis ceſſit* anno 1237., *ut ſcribit Tritbemius in Hiſtoria Hirſaugienſi. Monaſterium vero S. Naboris, vulgo* Saint Avol, *Mettenſis diœceſis, hactenus ſubſiſtit, Benedictinæ S. Vitoni Congregationi unitum. De eo exſtat Alcvvini epigramma 164.*

6. *Gorzienſis Monaſterii fundamenta Chrodegangus* in pago Scarponenſi *poſuiſſe fertur* anno VI. Childerici Regis, *id eſt anno Chriſti 748. Eccleſia in honorem S. Petri & S. Stephani primum dedicata, poſtea S. Gorgonii dicta eſt. Floruerunt illo in Cœnobio quamplures viri pii & illuſtres, de quibus agendum in Actis B. Johannis Abbatis Gorzienſis Sæculo quinto Benedictino. Scriptor libelli de geſtis B. Adalberonis II. Mettenſis Epiſcopi ibidem educati,* Gorziam *vocat* felicem locum, non minus, *inquit*, ex eo qui inpræſentiarum præeſt, & ſanctiſſime dulciſſimeque prodeſt, IMMONEM *ſcilicet Abbatem piiſſimum*; quam ex his qui jam beati ad cœleſtia tranſmigrarunt: quorum vita inclyta & glorioſa proprios libros expetunt, & geſta vere memoranda otium ſatis longum ad ſcribendum requirunt. *Alii alias laudes Gorziæ tribuunt, quos inter Sigebertus Monachus Cœnobii Gemmelacenſis, quod ex Gorzienſi per S. Vvigbertum Abbatem originem ſumſit. Floruiſſe eo in loco ſtudia litterarum docet inter alios Baldericus in Chronici Cameracenſis lib. 1. cap. 101. Tandem ut ſe habent res humanæ, Abbatia illa Gorzienſis, quæ ſanctorum Monachorum ſeminarium fuerat, in ſuperioris ſæculi motibus primum quidem ab hæreticis infeſſa anno 1542.; tum anno inſequenti a Theodonis-villæ præſidiariis militibus direpta & cremata; dein anno 1552. ab Henrici II. Francorum Regis copiis ad ſolum pene ſubverſa, demum anno 1580. in collegium duodecim Canonicorum redacta eſt, S. Gorgonii Reliquiis, quæ Muſſipontem theca ſpoliata delatæ fuerant, Gorziæ reſtitutis anno 1595., uti fuſius in Chronicis Benedictinis refertur ad annum 752.* Gurgitenſe *Monaſterium appellatur in libro de vita S. Adalberonis Epiſcopi Mettenſis.*

Gorziæ conditio & ſtatus.

Sigeb. in Vita S. Vvigberti.

7. *Chrodegandus vir ſanctus laudatur a Paulo Vvarnefridi in libro de geſtis Pontificum Mettenſium, ubi duo Monaſteria,* Gorzienſe *ſcilicet & aliud* in pago Moſellenſi, *ædificaſſe dicitur* ſub Regula S. P. BENEDICTI, *cui maxime addictus fuit, ut probant tum ipſa Monaſteria, tum Regula Canonicorum ab eo ex Regula ipſa majori ex parte collecta. Sunt qui*

Chrodegangi memoria.

AN.CHR. 765 11. Martii.

eum in Trudoniano Monaſterio a puero eductum fuiſſe exiſtimant : tametſi Paulus ait eum in aula majoris Caroli, *Tuditis ſcilicet*, educatum *fuiſſe*. Obiit prid. Nonas Martias, *inquit Paulus*, in diebus Pippini Regis : requieſcit in Gorzia Monaſterio, quod ipſe a fundamentis exſtruxit. *In brevibus Annalibus Cheſnianis tomo 2. Hiſt. Franc. pag. 8., anno 766.*, domnus Frotgandus *ſeu HRotgangus* Epiſcopus obiiſſe *dicitur . Colitur pridie Nonas Martii, ad quem diem exſtat ejus Elogium apud Bollandum. Laudatur ab Alcuvino in epigrammate 176.*

PROLOGUS AUCTORIS.

DESCRIPTURUS miracula Patroni noſtri beati GORGONII, quæ viſu & auditu comperi, ineffabilem Dei omnipotentis clementiam mecum hortor ut exorent, qui ſuaſores hujuſcemodi extiterunt rei, ut ſcilicet ipſe qui linguas infantium facit diſertas, & per Prophetam dicit, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud*; aperiat cordis mei plenarium intellectum, & repleat ſecundum jam memoratum Prophetam omnia interiora mea ſuæ dono affluentiæ. Quod me conſequi non diffido tam meritis eximii Patroni noſtri, quam precibus eorum quos præfatus ſum : quoniam, ut ait beatus Ambroſius, difficile eſt multorum preces non exaudiri. Nemo ergo captus lepore ſæcularis eloquentiæ huc adeat ob hoc, ut hic quid ſimile quæſiret, quoniam non inveniet, eoquod ignorem eam : & ſi utique ad plenum illam comprehendiſſem, hic inſerere detrectaſſem ; pro eo quod a Domino improbetur dicente Scriptura : *Perdam prudentiam prudentium ; & ſapientiam ſapientium reprobabo* : itemque beatus Paulus Apoſtolus hoc ipſum comprobavit : *Si quis vult*, inquiens, *inter vos ſapiens eſſe ; ſtultus fiat ut ſit ſapiens*. Solum ille accedat, qui ferventi corde Patronum noſtrum collaudare ſatagit, ac velut apis prudentiſſima floſculos virtutum quibus proficere queat, ad augmentationem animæ ſuæ colligere curat. Si quis igitur quidpiam utilitatis repererit, meritis ſancti Gorgonii adſcribat : ſi quid ignaviæ, errori meo ignoſcat. Non enim exorſus ſum opus hoc animo temerario, ſed ferventi in ejus amore laudis præconio, cujus pia interceſſio ſit apud Dominum omnium noſtrorum optata remiſſio peccaminum. Amen.

Pſal. 80. 11.

1. Cor. 1. 19.

Ibid. 3. 19.

CAP. I.

Chrodegangus Gorziæ conditor.

AGGREDIAR ergo tandem cum Dei adjutorio, atque ipſius prece evolvere quædam ejus geſta, quæ nobis oſtendere dignatus eſt mirifica. Temporibus CHILDERICI Regis, extitit quidam Mediomatricæ civitatis Epiſcopus, nomine CHRODEGANGUS. Hic repletus amore illo, de quo dicit beatus Gregorius, Numquam eſt amor Dei otioſus, operatur enim magna ſi eſt; plurima & laudabilia patravit opera, quæ ſcire qui cupit, geſta Pontificum legat Mettenſium, ibique plenius inſtruetur. Ut ergo illud Pſalmiſtæ compleret, *Adjiciam Deus ſuper omnem laudem tuam*, Monaſterium conſtruxit in loco qui vocatur Gorzia : prædiiſque quamplurimis non modici pretii ditavit ob remiſſionem ſuorum criminum, ut idem in apologiis ſuis ſcribit, quæ penes nos hactenus diligenti cuſtodia *a* ſervantur. In quibus non ſolum laicis, verum & fratribus ſuis Coepiſcopis omnem prorſus abſtulit facultatem ſub horribili omnipotentis Dei interminatione, quidquam Monachis Gorzienſibus auferendi eorum quæ ipſe dederat, vel in futurum prædicti Monachi valerent adquirere, ſeu Fideles pro remedio animarum ſuarum illuc collaturi erant ; quique quietem eorum in Dei ſervitio perturbare molirentur. Dixit quoque illos qui contrarii ejus ſententiæ eſſent, dummodo neminem vellet aut deberet maledicere, invitandos ante tribunal metuendi Judicis, ut ſibi conqueratur cum beato Petro Apoſtolorum Principe ac ſancto Gorgonio de his, qui dehoneſtantes Deum ac Sanctos ejus præfatos, in quorum tutela eumdem dedit locum, perturbatores atque deſtructores ſanctæ Religionis fuere. Quod ſucceſſores ejus Præſules aliqui parum, pro dolor, caverunt, qui exſtirpatores (ut ita dixerim) totius Religionis exſtiterunt. Qui pœnas quidem in oculis hominum partim luere; qualiter vero in futuro ſint ſæculo, novit ſupernus Arbiter : de quorum miſerrima converſatione melius eſt ſilere quam loqui. Sed redeamus, hoc triſte deponentes, ad priorem piæ recordationis virum.

Pſal. 70. 14.

litteris ſuis res Monaſterii firmat.

II.

S. Gorgonii corpus iſtuc transfert.

Cum omnia impleſſet memoratus Chrodegangus Antiſtes erga Religionis opera, quæ ſancto ejus volvebantur deſiderio; cupiens ſæpe dictum locum abundantius cœleſtibus ditare theſauris, quem affluenter terrenis repleverat; Romanum adiit *b* Apoſtolicum PAULUM nomine, poſcens ſibi dari pignora aliqua Sanctorum, quæ has inſignirent partes regionis. Qui concitus volente Deo ejus annuens precibus, tradidit ei tria corpora ſanctorum Martyrum, GORGONII, NABORIS, & NAZARII. Sanctum Naborem Martyrem Hilariaco delegavit Monaſterio ; ſanctum autem Nazarium cuidam religioſæ feminæ tradidit, quæ in prædio ſuo ultra Rhenum quod dicitur *Lorſam* collocavit, eo-

quod

a Has Chrodegangi litteras refert Meuriſſius, quibuſdam in locis depravatas.

b In Chronico Laureshamenſi dicitur id poſtulaſſe *per Legatos* Chrodegangus : Paulus vero ei tranſmiſiſſe Nazarium, Naborem & Gorgonium *per Vuillibarium Sedunenſem Epiſcopum*.

Digitized by Google

AN. CHR. 765.

quod idem prædium ſuum una cum filio ſuo, ſancto Stephano tradidiſſet; beatum vero Gorgonium penes ſe ſtatuit in loco qui dicitur Gorzia, anno ab Incarnatione Domini 765. *a*, ubi ſe quoque, cum vocaretur a Domino ex hac ærumnoſa vita, ſepeliri fecit.

11. Març. anno 765.

III. Ab Agaunenſibus furtim ſubductum.

Igitur B. Gorgonius miraculorum quid egiſſet priſcis temporibus ignotum eſt, eo quod ſimus juniores tempore: ſed hoc ſolum nobis volans fama detulit, quia cum deferretur a ſancto Pontifice Chrodegango, tranſita Auſonia, per quam eum Dominus multis virtutum glorificaverat portentis, in qua etiam villas prædiaque adquiſierat quamplurima; cives acciti fama deſiderioque ejus accenſi qui hæc illi contulerant, venerit plebs Fidelium cum comitantium ad S. Mauricii collegium. Quo cum hoſpitarentur, Clerici fama ſublimi quæ longe lateque prolata erat Martyris Chriſti inretiti, acceſſerunt clanculo ad ſcrinium quo tegebantur pretioſa oſſa: aperienteſque eum, ſigillum cum omni diligentia ingenioſe ne perdendi poſſet inciderunt, furantes eum, ſigillumque ipſum continuo reſtituerunt in loco ſuo. Igitur poſtquam requieverant, advertentes quantum ſibi viſum fuerat, ſublatis pignoribus ſacris diſceſſum eſt. Confecto itinere diei unius nihil miraculi accidit, ſimiliter ſecundo addito & tertio. Archicapellanus hoc videns dixit ſociis: Quid eſt, fratres, quod agitur? forte Deum una cum Patrono noſtro offendimus, qui lætificabat nos aſſidue ſuis jocundis miraculis. Redeamus ſubtiliter noſtras ad conſcientias, confiteamur alterutrum humiliter, ſi quid deliquimus negligenter, pro quo beneficiis ſuetis forſan caremus. Diligenter autem exquirentes ſe mutuo, minime invenerunt accidiſſe culpæ ſuæ nævo. Accedentes igitur, aperto ſcrinio ſigillum mox diſſiliit haud ab aliis tactum, ſuoque ſe invenerunt fraudatos peculio. Indicantur lacrymabiliter Epiſcopo quæ acciderant: at ille graviter gemens, PIPPINUM Regem tunc temporis mœſtus adiit, auribus regiæ majeſtatis ingerens quæ ſibi accidiſſent non ſperata incommoda. Cui Rex ait: Nunc hiems horrida imminens reptare quid prohibet: tranſacta hieme, ſumtis Fratribus veſtris Coepiſcopis, Virdunenſe, Tullenſe, ac Duce Regni, adite præfatum locum, jubendo vobis reddi quæ veſtra ſunt: ſi contemſerint, ſumite ſanctum Mauricium cum ſociis ſuis, ac repedate in patriam ovantes habendo eos. Factum eſt ut Rex juſſerat, reditumque eſt ad ſanctum Mauricium cum manu valida. Panduntur edicta Regis, inquiſitum eſt diligenter, negatum fortiter. Tunc venerabilis Præſul ſic concionatus eſt ad eos: Quia intuliſtis nimis prolixe diſpendium viæ confectæ, inſuper ſancita Regis contemnitis; faceſſo quæ mihi idem Rex imperavit. Continuoque arrepta ſecuri, cum ſociis qui ſecum venerant pavimentum Eccleſiæ cœpit conſtringere, quod illi minime autumabant eos audere agere. Cernentes vero hoc, ſummiſſis vocibus humiliter petiere inducias ſe licere inquirere. Votis autem eorum devotus Pontifex promoto annuens animo, intermiſit quod cœperat. Mane facto reddunt theſaurum furatum: quem ſuſcipiens Præſul, cum grandi tripudio ab eadem egreditur Eccleſia. Mox igitur ut valvas Eccleſiæ attigit, cœco oculos amiſſos reddidit.

dein juſſu Pippini reſtitutum.

IV. Vvaringiſi in villa nocte diſpoſitum, ubi Eccleſia erecta.

Hinc multis emenſis terrarum ſpatiis perveniunt ad villam Waringiſi nomine nuncupatam. Cumque adveniſſet tempus ſomnii, locaverunt ſancti Martyris glebam in medio campo, ubi ad caput ejus una tantum ſpina menſura cubiti erat, in quo lignum Domini quod Clerus ſecum vehebat ſuſpenderunt. Quæ ſpina tantæ altitudinis una eademque nocte excrevit, ut revertentes Clerici ob lignum Domini quod ibidem obliti fuerant, nullo modo valerent ſtantis ad terram culmen altitudinis ejus attingere, ſed potius quibuſdam machinis factis ad ipſam ſcanderent. Cujus miraculi devotione in eodem loco Eccleſiam conſtruunt, atque ex nomine ſancti Gorgonii ædificatam dedicant: ubi virtutes ipſius hactenus pollent. Nec dubitandum eſt cum pluribus his effulſiſſe prodigiis per tot annorum curricula, qui tam brevi ſpatio temporis diebus noſtris tot enituit ſignis: ſed vecordia eorum & incuria, ut reor, qui, pro dolor, ingrati fuere tam Deo quam proprio Patrono, receſſit a memoria poſterorum: adeo ut nec veſtigium alicujus indicii poſſit inveniri. At nos imitatores illorum eſſe formidantes, quædam audemus licet inculto eloquio.

V. Tum delatum in montem Vironis.

Igitur poſt hæc dum delata fuiſſent ejuſdem beatiſſimi Martyris Gorgonii reverenda oſſa in prædium duorum fratrum inluſtrium, vocitatum Mons-Vironis, locata ſunt in prato quod tunc temporis exſtiterat, in quo nunc eſt Eccleſia fundata ob pretioſam memoriam ipſius. Itaque ſacræ excubiæ celebratæ ſunt nocte, ut decebat, devote. Caſu vero acciderat, & magis (ut credi poteſt) diſponente Deo, fratres adeſſe utroſque. Laborabatur ut ſurgeret, ſed potens non erat levari illum. Quod prudenter advertens unus fratrum: Hereditarius, inquit, iſte vir ſocius Dei noſter vult eſſe; & ego libens adſentio ac auctoritate mea confirmo. Interim quidem dum vivo, honore prædii mei fruar; poſt mortem vero meam portionis meæ hereditarius feliciter exſtet. Reſpondens alter dixit: Quamdiu vult jaceat ſibi, * meus numquam particeps erit. Vix verba finierat, moxque a dæmone tamdiu tortus in terram volutatus eſt, quouſque

* f ibid.

a Eumdem annum præferunt illius temporis Auctores, ut ſuperius obſervatum: quamquam breves Annales Cheſniani in tomo 2. Hiſt. Franc. pag. 8., tranſlationem quidem referunt anno 765., depoſitinem vero Gorziæ anno 768.

Digitized by Google

AN.CHR. 765 11. Mart.

que invitus daret, quod prius ſponte dare detrectaverat. Tunc demum liberato eo a dæmonio, illico levi motu etiam Martyr Chriſti elevatus eſt, gaudentium humeris ad locum deſtinatum vehendus.

VI. deinde Nomantum,

Erat equidem ſæpe fatus vir Dei immitium & duricordium caſtigator citiſſimus, ac poſt correctionem reparator eximius. In eodem ſiquidem itinere, quod ſubnectimus, ſtupendum accidit miraculum. Dum devenirent latores ſancti pignoris ad locum Nomantum nomine, depoſuerunt ibidem onus pretioſum. Inerat autem huic ſancto Martyri moris, ut quemcumque affectaſſet locum, non prius poſſet levari venerabile corpus ejus, quouſque idem locus cum omnibus appendiciis ejus ditioni ſubjiceretur. Igitur advenientes mane quo cœptum carperent iter, glebam levare ſatagebant ſancti Martyris: ſed nullius ſequebatur efficacia conaminis. Gnari autem hujus difficultatis, protinus adeunt loci dominum, qui forte illis diebus ibidem morabatur: morem pandunt; voluntatem propalant, quid tali recubitu ſuo beatus Martyr portenderet inſtruunt. At ille vento ſuperbiæ turgidus, reſpondit ſe nihili pendere quamdiu jaceret, nec hac occaſione quidquam illi ullo modo cedendum eorum quæ ſui juris erant. Continuo effrenatum os ultio divina inſequitur. Nam ut hæc verba finivit, os ipſius horribiliter ac turpiter diſtortum eſt, adeo ut auribus ejus videretur proximare. Sentit tunc miſer quem concitaſſet ad perniciem ſui. Statim autem beluina mens ejus propriam reſumens conſcientiam, humiliter obtulit pretioſo Martyri, quæ prius inani gloria elatus pertinaciter negaverat: moxque incolumitati priſtinæ reſtitutus, gratiarum rependit actiones, Sanctuſque cum omni facultate adſumtus ad deſtinatum perfertur Cœnobium. Hæc ſunt jocunda & mirifica omnipotentis Dei opera, per quæ dignatur glorificare ſervos ſuos in hujus vitæ politia, comprehendendo ſapientes in aſtutia eorum. Vir enim iſte putavit ſe ſervo Dei, utpote defuncto, poſſe reſiſtere; ſed vigil de cœlo cuſtos ejus, immo omnium Fidelium, verbere proprii corporis hunc non ſolum multavit, verum etiam bonum quod ſponte non curavit impendere, coactive compulit gerere.

tandem Gorziæ depoſitum.

VII. Hungarorum tempore Mettas delatum.

Ea tempeſtate qua Ungari *a* pervagabantur has regiones, Wigerico Præſule civitati Mettenſi præſidente, fugerunt Monachi ad civitatem eamdem, ſua omnia ſecum tollentes: inter quæ pretioſiſſimum pignus ſancti Gorgonii evehentes, locaverunt in Eccleſia S. Salvatoris, eoquod ſeptione murorum necdum munitus eſſet ambitus Monaſterii. Erat tunc temporis quidam venerabilis ac religioſus Sacerdos, rector & cuſtos ejuſdem Eccleſiæ. Hic accenſus ſancto deſiderio, aggreſſus eſt quendam Monachum, quem ego ipſe puerulus valde ſenem vidi centenarium, ut ferebatur, poſcens ſibi dari reliquias de eodem corpore, quo dignus mereretur fieri benedictione tam grandi: quod illico ſpondere illi non diſtulit. Venientes autem ſimul ambo conſtituta die, quo pactionem mutuo firmatam clanculo gererent; confeſtim ut glebam attigerant ſancti Martyris, quaſi exanimes effecti ceciderunt in terram pene mortui, nullum penitus ſenſum aut calorem aliquem habentes. Cumque poſt trium vel quatuor horarum ſpatium in ſe reverſi fuiſſent, experti ſunt in ſe virtutem Martyris. Iterum autem poſt paullum cum jam convaluiſſent, quaſi immemores priſtinæ caſtigationis, rurſus venerabilis Presbyter ait ad præfatum Monachum: Ecce ſacrorum membrorum ejus benedictione perfrui dignus non fui: ſaltem omne vel aliquam portionem ſcrinii quo ejus ſacra continentur oſſa, dare non differas. At ille, ut reor, vile æſtimans fore quod petebatur, rurſus idem adiit ſcrinium, admovenſque manus tangere jam dictum ſcrinium, eodem modo ut prius in terram ceciderunt, & facti ſunt velut mortui. Quo facto ſanctus Martyr talem ceteris incuſſit terrorem, ut nullus deinceps eum inquietare præſumeret.

Reliquiæ Presbytero petenti cœlitus negatæ.

VIII. Adelbero pro loci reſtitutione Deum rogat.

Temporibus itidem memorati Præſulis Mettenſium, cum domnus Adelbero *b* juvenili adhuc vernaret ætate, tactus divino inſtinctu nudis pedibus ab civitate Monaſterium Gorzienſe gratia orandi adiit: qui altaria cuncta perluſtrans, ſagaci induſtria invenit fimum tam aſinorum quam reliquorum animalium in circuitu altarium. Tunc ſuſpirans graviter & ingemiſcens amare, cum lacrymis pergit ad tumulum beati Martyris Gorgonii, proſtratuſque in terram oravit cum lacrymis diutiſſime, inter quas orationes hanc ultimam dixit: Deus omnipotens, ſi unquam promeritus fuero habere Pontificatus honorem, hunc locum deſertum & horribiliter profanatum reparare in priſtinum tentabo ſtatum. Quod fidelis ſponſor ac verax qualiter impleverit, facilius eſt oculis deprehendere, quam lingua perſtringere. Exaudivit enim has preces omnipotens Deus, & ſuffragantibus meritis prædicti Martyris adeptus eſt cathedram epiſcopalem. *c*

IX. Cœco lumen reſtituitur.

Poſt non multum autem temporis erat anniverſaria ſollemnitas ejuſdem Martyris, & ipſe domnus Adelbero favente Deo jam Præſul venit intereſſe ſacris ſollemniis.

a Galliam Hungari infeſtarunt non ſemel *Anno* 919. *Italiam partemque Franciæ, Regnum ſcilicet Lotharii deprædantur*: quo ſpectat iſte locus: nam eo tempore Vvigericus ex Abbate Benedictino Epiſcopus Mettenſem Eccleſiam regebat.

b Idem in Actis B. Joannis Abbatis Gorzienſis graviter ab Auctore æquali deſcriptis refertur de Adelberone ſeu Adalberone primo, qui Gorziæ inſtaurator fuit.

c Nimium anno 929. expulſo Bennone Vvigerici ſucceſſore, uti Frodoardus in Chronico teſtatur; qui Adalbero vixit ad annum 964.

Digitized by Google

niis. Surgentibus vero Monachis ut laudes perſolverent nocturnales, quidam cæcus qui lumine oculorum caruerat jam duodecim annis, ſanctum poſcebat Gorgonium miſereri ſibi. Et ecce dum ſumitur antiphona ad Invitatorium canendum, cæco reparantur lumina diu negata. Quod cernens Epiſcopus, in gaudium attollitur maximum, laudes Deo perſolvens ac ſancto Gorgonio: ſumenſque pallium quod ſecum detulerat, ſancto ſuperponit tumulo. AN.CHR. 765 11. Mart.

X. Adelbero divinitus correptus, tandem prædium quoddam Gorziæ reſtituit.

Inſtigante humani generis inimico qui felicibus omnium invidet actibus, maxime bonorum; accendit ex ira gravi præfatum Præſulem Adelberonem adverſus locum Gorzienſem: dolebat enim ſe quammaxime a loco diu poſſeſſo ac prævalide ſibi ſociato eminus fugari. Unde ſatagebat verſipellis, cunctarum perſecutor virtutum, multipliciter tenerarum plantas arborum, antequam radicarentur profundius, radicitus evellere: fuiſſetque voti ſui compos effectus, ni clementiſſimus Dominus bonorum omnium dator & fautor manum ereptionis ſuæ quamprimum ſibi ſervientibus porrexiſſet. Jam enim tranſactis tribus ferme annis, ex quo exoſum habere cœperat eumdem locum, adeo ut Monaſterium ſaltim videre ac ipſos Fratres faſtidiret; deliberaverant iidem ipſi relicto loco Treverum uſque maturaturum iri: quod illico contigiſſet, niſi eiſdem omnipotens Deus ſæculum fugientibus portamque Monaſterii tutum quærentibus reſtitiſſet, atque ad famulandum ſibi ſanctoque Gorgonio habilem concederet facultatem. Odii autem ac diſcidii hæc cauſa fuit. Petierant ſæpedicti Monachi reddi ſibi villam Waringiſi dictam cum appendiciis ejus, quam olim ſibi famulantibus ſanctus adquiſierat Gorgonius. Prædones enim & vaſtatores ſanctæ Dei Eccleſiæ locum eumdem, velut crudeles lupi ovem arreptam in fruſta; ſic ipſi omnia Monachis a ſanctis Dei viris pro fructu animarum ſuarum collatis in varia ſciderant. Tenebat igitur villam illam unus fratrum ejus carior ceteris: quapropter audire non poterat ut quis eam requireret. Hujuſcemodi ergo dum agitantur perturbationibus, ecce intempeſtæ noctis ſilentio quidam eum adiit vir venerando habitu, pulcherrimo adſpectu, ſplendore mirifico, & talibus aggreditur dictis: Bonum quidem bene cœpiſti, ſed laſſus prope defeciſti. Sit ergo tibi ſollers cura emendandi, ne ſit tui cauſa excidii. Profecto niſi te correxeris, in lapſus alios unde te eximere non poteris inveheris. His dictis evanuit. At ille cœpit paveſcere, palleſcere, tremere. Convocato itaque Camerario *a* ſibi fidiſſimo, orto die ait ad eum vultu mœſtiſſimo: I fidentiſſime feſtinantiſſimus Gorziam, & adſciſce Abbatem citiſſime: qui dictis ſenioris ſui parens, celerrime adſcenſo equo properare volebat verſus Gorziam; cum repente invenit eum & quoſdam Fratrum ad portam civitatis, præſtolantes exitum civitatis, eoquod claves detinerentur adhuc penes cuſtodem urbis. Qui lætus admodum factus: Eja, inquit, congratulor vobis, quia laborem meum qui mihi nunc contingeret revelaſtis: debebam enim verſus vos tendere: ergo adite ſeniorem meum citiſſime, quia vos exſpectat, deſiderans vos videre cupide. Mandatum igitur ſibi deſtinatum cum impleſſet Camerarius, ſtudioſiſſime rediit Abbas. Illo introgreſſo ruens Epiſcopus ad pedes ejus, ſe reum, ſe culpabilem proclamans, Deum offendiſſe, patronorum iram liberaliſſimorum, ſanctorum videlicet Petri, Pauli, Gorgonii incurriſſe, cum fletibus ingeminabat. Poſt hæc inquit: Præcedite iter meum quod abſque ſcrupulo hora diei tertia ſubſequetur, præſtolantes me communiter cum omni Fratrum agmine. Nolite, Abbas inquit, iter arripere, quia dies jejuniorum ſunt præcipui, quos violare non eſt poſſibile. Qui reſpondens: Nequaquam, ait, retardari valet mea ſubſecutio, quia divina urguet * juſſio. Proficiſcitur ergo ad Monaſterium, ut ſtatutum fuerat. Veniens autem uſque ad locum qui Crucis dicitur, diſcalciatus venit uſque ad locum nudis pedibus incedens, atque in conventu Fratrum pedibus cunctorum provolutus, pro obſtinatione ſua ſe culpabilem reddidit. Statimque baculo ſuo villam cum omnibus appendiciis ſuis reddidit: ac continuo advocans miniſterialem ſuam ſub interminatione divinæ animadverſionis obſtrinxit, ut ſi non vellet percelli maledictione & ultione Dathan & Abiron, Ananiæ quoque & Saphiræ, omnimodis tangere non præſumeret quidquid ibidem collectum fuerat uſibus diverſis profuturum: quod juſtum ipſe fideliter complevit. Denique impleta eſt ſententia ſapientis Salomonis dicentis: *Cum placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* Vere enim ſeniorum illorum viæ Domino complacuerant, qui precibus crebris Deum ſic pulſabant, ut inimicos eorum converteret ad pacem tam perfectam, ut qui prius nec reddere quæ illorum erant voluerant, neque audire ſaltim ſi quis eos neceſſitatis ſuæ cauſa interpellare præſumeret; ipſis jam diffiſis utrumque Domino imperante abſque dilatione annuerent.

* urget

Prov. 16. 7.

XI. Item aliud.

Alia item vice importuni valde crebro inſtabant præfato Epiſcopo ſeniores Monaſterii ſæpedicti, quoniam urguebat eos penuria ſibi inſita, poſcentes obnixis precibus reddi ſibi Langei-villam, ac ea quæ *Molins* ſui juris erant. At ille, ut ſilex duriſſimus, nullis movebatur ſermocinationibus. Videntes ergo ſe nihil proficere, reliquerunt eum, ſuam omnem querelam commendantes Altiſſimo. Aliquantulum temporis fluxerat, & acerſiens Abbatem ac quoſdam primores Fratrum, Tenete inquit, quod diu requiſiſtis attentius ſine ulla efficacia: gratias mihi nullas rependite, ſed S. Petro qui

a Mattilinum Cubicularium vocat ſcriptor Vitæ B. Joannis Abbatis Gorzienſis, Abbatem vero Einoldum.

Digitized by Google

AN CHR. 765 11. Mart. qui mihi hac nocte cum horrore vehementi hæc ingeſſit dicta: Bonum quidem cœpiſti ſed minime perfeciſti: ideoque divina ultione, ſi te non proficue correxeris, citiſſime ferieris. Iſta vobis indicavi, ut ſciatis cui rependere gratias debeatis. Hic finem loquendi fecit. Vere Dominus memor promiſſorum ſuorum compleverat quod dixit: *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Luc. 12. 31.

XII. Idem accidit in Boſone Comite. Comes quidam B o s o nomine, ampla perſona, nobilis genere, villam noſtram in Campania nomine *Vvaſnau* invaſerat: ad quem quidam ſeniorum noſtrorum ierat in *Vitry* [a] caſtello conſtitutum pro eadem cauſa interpellandum. Deductus igitur in ejus præſentia, expoſuit indigentiam quam patiebantur Fratres maximam putans compati illum debere. Sed ille econtrario obduruit intrinſecus, factus velut lapideus. Dixit itaque legatus Comiti: Si nobis non reddideritis, clamabimus nos. At ille reſpondit: Ad quem? num ad Regem? in veritate mihi Rex pro minimo eſt: Dux G i l l e b e r t u s ſic mihi eſt, acſi ſervus meus viliſſimus. Cui ſenior: Si caremus terreno auxilio, convertemur ad majus ſupplementum. Qui ait: Quod eſt illud? reſpondit ſenior: Deus omnipotens factor, & refactor meus ut veſter, atque accipiens perſonam veſtram ut meam. At ille ſubjunxit: Tace & feſtina ocius repedare, ne cum magno dedecore faciam te vitam tuam tranſigere. Reſpondens autem uxor illius: Abſit, ait, abſit, ut hanc unquam incurras infamiam, & generi veſtro hoc dedecus inuratis, ut aliquam ſervo Dei injuriam inferatis: quin potius ſinite eum ſalvum & incolumen ut venit diſcedere. Ergo his dictis diſceſſum eſt. Ille utraque gravi infirmitate invaſus eſt per octo dies continuos, ſublata ei omni facultate manducandi, bibendi, dormiendi. Fecit autem ſe deferri Lingonas medendi gratia: ſed infirmitas divinitus immiſſa non minuebatur, quinimmo augebatur Tunc pro legato ſibi nuper directo dirigit ocius ut ad ſe accelerare feſtinet: qui ſtatim miſſus eſt addito ſibi ſocio alio ſeniore. Cumque veniſſent coram, dixit ad legatum prius miſſum: In proximo cum me adiſſes, minime credere poteram petitionem tuam tam citius adfuturam. Tene ergo (porrigens illi baculum) ſine cunctatione quod nuper tantoties te expetente expetitum pro humilibus ac votis ſupplicibus contumelioſa verba rependimus, immo injurioſa inferre facta machinati ſumus. Dixit, & illos gratulabundos reddidit, ſibi autem invaletudinem pedetentim allevari gaviſus eſt: ac redeunte ſalutifera eſurie, qua diebus octo mœſtus (ut ſupra diximus) caruerat, cibos ſibi deferri petiit: quibus aliquantulum refectus, cubitum ſe collocavit, atque ſomno diu negato aliquantiſper incubuit, mane quoque uſque in horam ferme tertiam ſomnum protelavit. Cumque excitatus requiſiſſet ſi Monachi jam veniſſent, reſponſum eſt amare præſtolari utroſque: & ille abſque retardatione juſſit eos pariter introduci: quibus introductis ſic eos prior alloquitur: In veritate comperi ſanctum Gorgonium apud Deum majoris eſſe potentiæ, quam mei in terris faſtus ſuperbiæ. Unde deinceps me Advocatum habetote, ſi placet, fidiſſimum, quem hactenus habuiſtis pervaſorem atrociſſimum; & quidquid perdideritis, ego cocto auro reſtaurabo. Dixit veraciter, & adimplevit uſque in diem obitus ſui valenter, adimpleta Pſalmiſtæ ſententia dicentis: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi.*

XIII. S. Gorgonii corpus an integrum exploraturi, cœlitus prohibentur. Fama volans populos ſermone replebat, quod ſanctus Gorgonius hic minime totus haberetur, ſed potius ultra Rhenum in Epiſcopio, ſuo [b] nomine decentiſſime inſignito medietas haberetur. Qua ſollicitudine ſtimulati, Præſul videlicet A d e l b e r o, Abbas loci aliique ſeniores quamplurimi, quærebant ſi Deo forſitan placitum eſſet dignoſcere veritatem. Quapropter pariter conglobati communi decreverunt conſilio, quatinus triduano jejunio panis & aquæ affligentes corpora ſua, notitiam abditæ ſibi rei explorarent, ſtatuentes inſuper tempus & diem quo hæc adorirentur. Factumque eſt veniente tempore conſtituto poſt Completorium, recedentibus omnibus aliis, nominatæ tantum perſonæ conveniunt, albis ſe induunt: poſt hæc omnibus ſeris diligenter obſtructis, luminaribus toto Monaſterio accenſis altario appropiant: deinde incipientes ſumma cum devotione litanias ad finem uſque explent. Omnibus rite completis accedens Epiſcopus ad ſcrinium, primum extulit illud, ſecundo autem admovens manus prædicto ſcrinio quo tegebantur pretioſa pignora, quodque ſigillis plurimis (ut audivimus) inſignitur; cum ſumſiſſet cultellum, ac primum incideret ſigillum, tantus pavor omnes invaſit ac tremor, ut putarent ſe illico mori. Receſſit ab illis omnis fortitudo, conſilium, fiducia: nec poterat quiſquam alii dare audaciam præſumendi, cum penitus cunctos pariter involveret calamitatis formido & anxietudinis. Sigillum ut fuerat ex parte diſſolutum præ timore, ut dictum eſt, ſic dimittentes, ocius ſtuduerunt reſignare ut invenerant, putantes ſe continuo ibidem exanimari. Fugerunt ergo minime valentes ſcire quod Deo placuit eſſe occultum [c].

Hoc

---

a *Victoriacum Campaniæ caſtrum* nominatur in Vita Joannis Abbatis Gorzienſis, in qua iſtud factum etiam a Joanne patratum fuſius refertur: & in Chronico Frodoardi *Heribertus Comes Victoriacum Boſonis* caſtellum cepiſſe memoratur anno 929. Nunc vetere in vicum redacto Victoriacum opidum novum, vulgo *Vitry le Francois* exſtructum cernitur haud procul a Matrona in pago Perticenſi, *le Partois*. De clavo dominico Vitriaci quondam adſervato legeſis librum de miraculis Sancti Bercharii Abbatis num. 13. in Sæculo 2.

b Nempe in Eccleſia Mindonenſi, ut dictum eſt in præviis Obſervationibus num. 4.

c Poſtea tamen Henricus Abbas idem ſcrinium reſeravit anno 188. in eoque invenit S. Gorgonii caput & præcipuas corporis ejus partes, quas in pretioſiorem thecam recondidit.

Hoc tantum deprehenderunt, depoſitum ibi theſaurum Chriſto carum, quem humanus oculus non eſt dignus habere intuitu. Verum etiam recognoverunt ſuæ miſeriæ imbecillitatem, attendentes illud quod beatus Gregorius dicit, in tanta nos dejectione heu dirutos, ut hoc ad quod creati ſumus, nec cernere ſaltem valeamus. Sed utinam ſuccurrant, ſicut expedit, merita & preces ejus miſeriæ noſtræ, quem nobis Deus dare dignatus eſt in hoc ærumnoſo ſæculo patronum ac defenſorem, Amen. AN.CHR. 765 11. Mart.

XIV. Muto vox reddita.

Exſtitit quidam ab ineunte ætate mutus de Auguſtodunenſi civitate, qui ſæpiſſime Sanctorum perluſtraverat loca multorum, poſcens ſuffragiis illorum & meritis tandem jam ſibi opitulari. Inter quæ ad ultimum venit ad ſanctum Gingulfum: cui nocte indicatum eſt, ut ad ſanctum Gorgonium properaret: qui mane facto ſciſcitando, ut moris eſt ignaris viarum, iter acceleravit verſus Gorziam, quemadmodum fuerat ei revelatum. Quo demorans aliquantis diebus, cuſtodi religioſo viro plurimum cotidianis diebus importunus exſtitit, ut valebat, nutibus ſignorum, quo ſibi liceret aliqua nocte jacere in Eccleſia: qui tandem tædio victus permiſit eum jacere ſub gradibus, quibus ad altare adſcenditur. Ecce autem intempeſtæ noctis ſilentio dormientibus, cunctis inſonuit fragore miro ſcrinium beati Martyris, adeo ut idem cuſtos a ſonitu illo timore perculſus expergefactus fuerit. Tum, ſicut poſt mutus retulit, videbatur ei, quaſi quidam tirunculus a lecto beati Martyris veniens mitteret in ore ejus digitum indicis, atque linguam ſcinderet a palato: cui plurimum ſanguinis profluxit ab ore ſuper eoſdem gradus, videntibus cunctis Fratribus: ac deinceps Deum glorificans & patronum noſtrum ſanctum Gorgonium, liberam habuit loquendi facultatem. Qui cum redire vellet in propria, veniens ad Arnoldi-villam, iræ ſtimulis accenſus ſervum ſuum neſcio qua de cauſa dure verberibus afflixit. Confeſtim igitur ut prius poteſtate loquendi privatus eſt: ſed cito ſalubri conſilio reperto rediit ad miſericordiam præfati Martyris, & denuo reddita eſt ei loquela. Deinde gratanter ad ſua revertens, nobis poſtea viſus non eſt.

XV. Prædium Gorziæ ab Adelberone ægre reſtitutum.

Sub eiſdem ferme temporibus erat quidam veteranus miles *a* ſenioris noſtri domni Adelberonis Præſulis, infeſtus valde Religioni noſtræ, eoquod teneret plurimum terræ de Abbatia noſtra. Accidit ergo ut appropinquante vitæ ejus termino migraret ex hoc mundo. Caſu autem accidente, quin potius, ut credimus, Deo volente, erat tunc penes nos idem ſenior noſter. Erat vero jam veſpera cum ei nuntiata fuerat mors militis, cœnaque ejus jam parata: quem illico adiit quidam ſeniorum noſtrorum pro quadam villa noſtra optima, quam inter alia plurima etiam idem miles tenuerat. Sed ille mirifice iratus, mireque præ ira (ut ſibi moris erat) in nigredinem verſus, (ſicut enim plerique ab ira rubent, ita plerique nigreſcunt) non ſolum nullum petenti dedit reſponſum, verum etiam omnibus ſenioribus petentibus, ut poſtpoſita ira dignaretur aliquid guſtare; ita contra omnes poſcentes obduruit, ut nullum prorſus audire vellet, ſed incœnatus frendens ira dormitum iret. Contriſtatis igitur omnibus nobis de ejus triſtitia; (mallemus enim diſpendium habere maximum quam ejus contriſtatum videre ſpiritum, timentes ne forte ob hoc odio haberet locum, quem multum ante dilexerat) S. Gorgonius ſolita ſibi pietate nos abſque meritis noſtris conſolatus eſt. Nam ſenior noſter tota nocte in lecto decubans neutrum facere poterat, nec vigilare bene, nec dormire. Torquebatur, anxiabatur phantaſmaticis viſionibus, inquietabatur in lecto, huc illucque vertebatur, repauſationis quies nulla dabatur. Tandem in ſe reverſus ſurrexit a lecto, adſumtoque baculo ſuo perrexit in Monaſterium, reddens villam per eumdem baculum ſancto Gorgonio: & procidens in terram, veniam poſtulabat a Sancto ut ſibi ignoſceret, quod tam obſtinato animo petentibus reſtitiſſet. Dimiſſo ergo baculo ad caput Sancti Gorgonii, ad proprium rediit ſtratum: deinde reliquum noctis in ſumma quiete peregit dormiendo, nulla re penitus inquietante. Facto itaque mane, accito eodem ſeniore qui prius eum de præfata villa interpellaverat una cum Abbate, juſſit ſibi deferri baculum ſuum quem ad caput ſancti Gorgonii poſuerat: qui cum delatus fuiſſet, accipiens illum dedit Abbati Monaſterii dicens: Ecce habetote villam, pro qua ſero petieratis: gratiaſque rependite ſancto Martyri, non mihi, quoniam non ſponte mea, ſed ipſius cogente impulſu hoc ago. Itaque præfatus ſenior qui plurimis verborum contumeliis ſe arbitrabatur impeti, talem dumtaxat audivit contumeliam. In tantum denique noſtrum dilexit locum, ut cum omnis pene civitas infeſta ei eſſet pro nobis, ipſum tamen meritis Patroni noſtri ſuffragantibus a propoſito charitatis amore numquam ſolverit, ſed inſuper omnibus invincibilem præbuit: cui, ut petimus, die ac nocte tribuat Dominus ſummæ gaudia vitæ, Amen.

XVI. Dæmoniacus liberatur. Epheſ. 4. 13.

Quidam juvenis de Monte falconis atrociſſimo vexabatur dæmonio. Hic per loca Sanctorum diverſa deductus minime liberatus eſt: non quod merita Juſtorum impetrare hoc digna non eſſent; ſed potius illi ſervabatur cui Dominus annuerat, juxta illud Apoſtoli: *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*, ita ſancto Gorgonio hoc peculiarius datum eſt ſignum. Venerat quidem diebus Quadrageſimæ ad Memoriam Martyris Chriſti a dæmone terribiliter tortus, hebdomada ferme integra penes nos immorans. Tollebat voces, quin potius clamores ad cœlum truces, horrendos, confuſos diebus ac noctibus: Deum non reverebatur nec in Ec-

a Amedeus is eſt, in eadem B. Joannis Vita memoratus.

Digitized by Google

AN.CHR. 765 11. Mart. Eccleſia dum ſolvere debitum Fratres conveniebant penſum: quin immo augebat clamores vocum, fremere dentibus, quoſque mordere, dilaniare, ferire, & ſpuere contra ipſa verenda altaria non ceſſabat. Proſtratus toto in terram corpore verrebat tam fortiter pavimentum Eccleſiæ manibus propriis, quaſi eſſent lapideæ. Surgente eo a terra, debacchante in ſe maligno ſpiritu confringebatur & convolvebatur, quaſi anguilla vel murænula, adeo ut plerumque videretur quaſi cervix natibus illius adhærere. Erat miſeriæ videre, quomodo furiis infeſtantis inimici repletus, cruciamenta quæ corpori ſuo miſer ingerebat, minime quaſi ſentiret. An ſentiebat, qui dolores plurimos corpori ſuo inrogans, ut alterius delirans repudiabat augendo. Quid multa? replentur in his cruciatibus dies hebdomadæ reſtante uno: tandem miſertus Dominus orationibus ſancti Gorgonii annuendo ſanavit miſerum. Nam die quadam Miſſa celebrata, Fratribus aliquibus abeuntibus, pleriſque reſtantibus, ille veſanus hac illacque bacchando per Eccleſiam dum diſcurreret, pervenit demum ad ſtationem Abbatis, ubi ex more dependebat coronula argentea cum candela: quam arripiens, rupta catenula argentea inter manus ſuas acſi plumbum complicavit, pedibuſque ſuis conculcandam projecit, quouſque eidem manibus vi auferretur: ſtatimque ſanctus Martyr quaſi diceret, Reddam bona pro malis, qui ſi non dixit verbis, factis comprobavit, adimplens juſſa Domni dicentis, *Orate pro perſecutoribus*, *benefacite his qui oderunt vos*, reſtituit eum integræ incolumitati. Liberatus dæmone, dolores corporeos quos illi contrahere hoſtis humani generis impulerat, acerrime ſentiebat: unde & plantus tantos emittebat, qui proderent incommoditatis quam pertulerat immanitatem. Gratias ergo liberatori rependens, reverſus in ſua, nobis ulterius minime paruit.

Matth. 5. 44.

XVII. Item alius.

Alius idem dæmoniacus a proviſoribus ſuis Monaſterio ſæpe dicto deductus eſt, qui ſibilis diebus ac noctibus perſtrepebat horrificis, illum nimirum imitans ſerpentem lubricum, qui Adam protoplaſtum in paradiſo devicit, atque corporeæ mortis ſententiam cum omni ſtirpe ſuo Domino juſte inferente ſuſcepit. Hic poſt biduum curatus eſt. Non immemor itaque ſui, corrigia diſcinctus collum ſuum circumdedit, atque per eumdem ſe ſancto Gorgonio famulum contradidit, multo ſuavius jugum Domini fore ſentiens quam ſatanæ atrociſſimi, qui prius eum cruciaverat tortionibus fortiſſimis. Hic ergo ſedule, quamdiu in hac carne deguit, debitum tot annis penſum ſuo exſolvit benigniſſimo adjutori.

XVIII. Monachus febricitans convaleſcit.

Duo hic adnecto exemplaria, ut manifeſtem quantam ſollicitudinis largitatem circa clientes ſuos exercuerunt ſancti Dei viri, beatus videlicet Petrus Apoſtolorum Princeps ac ſanctus Martyr Gorgonius, unum mulcendo devotos, aliud terrendo reprobos. Quidam Fratrum ejuſdem Cœnobii gravi torquebatur febrium æſtu. Deficiens autem tam ſomno quam ægritudine, in terram procidit ante gradus altaris, omnipotentem Dominum pro ſua infirmitate ſupplicaturus, tum quoque interceſſorem ſanctum advocans Martyrem: qui inter ipſa verba orationis dum obdormiſſet, vidit in ſomnis quaſi urſum ab ore ſuo egredientem. Illico expergefactus viſum Fratribus indicavit, ſe autem ardore illo febrium carere gaviſus eſt.

XIX. Alius loco fugere volens divinitus retinetur.

Alius item Frater machinamenta fugæ diu meditans iter aggreſſus eſt, duo damna Monaſterio inferens, primum quod Deo ſe ſubducens apoſtatavit ab ipſo; ſecundum quod equum optimum ſecum abduxit: qui aliquamdiu foris moratus, ignoratur utrum inſpirante Deo an neceſſitate cogente, ad Monaſterium repedavit. Receptus igitur juxta præceptum Regulæ, non ex animo, ut adverti poterat atque poſt patuit, de priori tranſgreſſione, ac irritæ ſponſionis pœnitudinem gerebat: verum laſſitudine refocillatus, iterum argumenta fugæ cum amaritudine animæ ſuæ diutiſſima, ut perpendebatur, nutibus illius diverſis confabulatus moliebatur. His factionibus pravis diebus ac noctibus cogitationum ſuarum cumulos augmentabat; cum ecce fluxerant dies ſollemnitatis Martyris Chriſti. Tertia vero die jam tranſacta, una noctium cum ſe ſopori dediſſet, videbatur ei quaſi ſtaret in Eccleſia ſancti Petri in choro: & repente vidit per principalem feneſtram quaſi introeuntem ſenem venerandi vultus, quem antecedebat juvenili ætate florens quidam quaſi miniſter: quem adorſus prior ſenex: Tu, inquit, ſerve nequam, id nunc fraudulenta iterum machinaris conamina? jam pridem hinc fugiſti & tibi peperci: & nunc iterum eadem meditaris? abſit, abſit ut tibi nunc impune ignoſcatur. At ille reſpondit: Non, ſenior, non iſta tractavi nec volui patrare: quid mihi imputatur unde inculpabilis ſum? At ille ſubjunxit: Quid infelix verba mendoſa proſequeris? nonne intuitus meus cordis tui ſecreta videt & rimatur? Hæc enim nunc corde volutas, ut fugere valeas: ſed nequaquam tibi cedet in proſperum: unde terræ provolutus, lue tibi pœnas pro hoc flagitio inrogandas, quoniam non poteſt remanere inultum: prius enim tibi indulſi, ſed modo nequaquam parco: Hæc dicens præcepit ſibi adſtanti ſcuticam accipere, quod eſt verber ex corio factum: atque illo proſtrato plagas multas inferre. Illo fortiter clamante ſe numquam amplius talia cogitare aut opere patrare, in his clamoribus viſio diſceſſit: & quæ putabatur phantaſma eſſe, vera inventa eſt. Facto mane advocans Theſaurarium: Audite, inquit, qualia ludibria hac nocte paſſus ſum. Et incipiens omnem revelationis viſum ex ordine prodidit, ut ſupra texuimus, ſubnectens ad ſingula irriſorie: O qualia deliramenta

menta

AN.CHR. 765. 11. Mart.

menta phantaſmatum, quæ nobis communis ingerit inimicus. His dictis eum languor pariter & mors invaſit: tribulatus enim quatuor menſibus, in fine quarti menſis, cum jam imminere cerneret diem obitus ſui, neceſſitate compulſus indicavit Abbati omnia: tandemque finem vitæ fecit. Hæc dixi pro his qui Dominum curare & appendere cogitationes noſtras omnes aut non credunt, aut minime pavent.

XX. Hungari a loci directione coelitus arcentur.

Orta aliquando tempeſtate ſeditionum inter Principes hujus Regni, quidam contra fidem ſuam, id eſt Chriſtiani nominis agens, miſit legatos, & adduxit Hungarorum gentem: quæ gens perfida dum regiones circumquaque ſitas pervagaretur, devenit tandem noſtrum ad locum *a*. Erat enim forte muri tertia pars diruta, pro eo quod caſtelli exiguitas a ſenioribus ampliabatur: altitudo muri novi paullulum ſurrexerat, interruptio tamen murorum vaſta patebat aliquibus in locis, adeo ut equitando uſque ad fores Monaſterii abſque obſtaculo aliquo currere valerent. Hebdomada fere integra perſpicaciter ab illis in circuitu cotidie luſtrabatur mane, meridie, veſpere: ſed tamquam grande piaculum, ſi proxime accederent, peractum cavebant, aut quaſi columnam ardentem in qua ipſi arderentur continuo, ſi approximarent, vitabant. Dubium nullo modo erat, quia ſi venirent, & litem ponere vellent, abſque recraſtinatione illud caperent, ni impediret ejus oratio, cujus & illa fuit repulſio. Abbas loci torquebatur, anxiabatur, pavebat, manibus plaudebat, mœſtus querebatur dicendo: Perdidi omnes Fratres juvenes quos Deo nutrivi: utinam pridem induxiſſem illos ſeptionibus murorum Metenſium, ut remanerent poſt nos Chriſto ſervientes! Si nos ſenes ſoli trucidaremur, nihil eſſet diſpendii. Exaudivit omnipotens Deus has voces lacrymabiles, & nos a communibus hoſtibus eripuit non aliter, quam ſi eſſemus in medio campo locati, ut illi in circuitu noſtro minime nobis auderent propinquare. Hæc dixi, ut oſtenderem orationes defenſionum ſancti Gorgonii præſtantiores eſſe ullis munitionibus maceriarum, etiamſi ferreæ eſſent. Et revera prævius illorum deducens eos, Dux *b* videlicet LOTHARII Regni illius temporis, infeſtiſſimus nobis erat: qui nullatenus nos impune reliquiſſet, ſi non eum divina manus intercedentibus Patroni noſtri Martyris Chriſti meritis a nobis eum arceret. Recedentibus illis, ut Dominus propalaret & Ducis illius in nos odium, & defenſionem noſtram ſpiculis orationum S. Gorgonii; tertio exercitum ſuum omnem adunari fecit, ut ſuper nos repente inſciis nobis irrueret: qui quoties veſperi talia videbat, ut ſine cunctatione diluculo nos obſidendos noſſent, veniente mane acrior illum adeo cura coercebat, ut funditus noſtri obliviſceretur. Quod nos vitæ tempore ipſius latuit, ſed Deus occultorum cognitor perpetuo incognitum eſſe noluit. Nam unus militum ipſius præ ceteris dilectus eidem nos adiens, cum ſuffragia peteret tam ſpiritualia quam carnalia, hæc eadem confeſſus eſt, pronuntians vere quod Deus illo in loco eſſet, ubi tantum defenſionis tutamen requieſceret. Quod, ut dixi, omnino antea neſciebatur: & ſi ſciretur, non facile crederetur.

XXI. Item alius miles.

In eiſdem quoque diebus exſtitit alius quidam miles præfati Ducis inſidiari nobis ſatagens: cujus nequitiam tutamina ſancti Martyris more ſolito repulerunt. Nam poſthabita murorum cuſtodia qua jam bene munitum erat, & aliquantulum ſeditione frigente, præſertim etiam cum de præfato milite nulla ſuſpicio haberetur, nec de aliquibus aliis; venit ipſe clanculo intempeſtæ noctis ſilentio nullo penitus in muro ſtante, nec uno ſaltim puerulo, ut per ſcalas conſcenderet murum, facturus mala quæ corde volutaverat perverſo, ſi Dominus ſineret. Cumque medium valli tranſſcenderet, vidit equus & eques tale, quod inantea ire nec valeret, nec vellet. Nam equus calcaribus vehementer exagitatus moveri loco non poterat. Ipſe quoque feſtinavit retro repedare velociter, quia illud ſolum poterat, qui muro propinquare nequibat: eoquod videretur ei quaſi deſuper a muro ſaxa crepitantia minitaret: quo pavore perterritus ſub omni feſtinatione Venderas *c* fugit, & languore correptus in lectum decidit, atque humiliter petiit propter Dominum mitti ſibi, cui ſua panderet. Miſſus eſt continuo unus e Fratribus, cui omnia quæ ſupra retulimus confeſſus eſt, quæ penitus nos latebant: ſubjungens manifeſta ſibi revelatione indicatum, quia niſi benedictionem ex parte Monaſterii ſumeret, ſanitatem omnino promereri nequiret: quod & factum eſt. Mox enim ut benedictio miſſa eſt, panis videlicet, caſei ac vini; confeſtim cibo ſumto, recuperatis viribus, languore diſcedente in priſtinum robur convaluit, ac deinceps profeſſus eſt illi loco fidelem perpetuo ſe futurum.

XXII. Exemplum ex hiſtoria eccleſiaſtica.

Eccleſiaſtica refert hiſtoria res his pene ſimillimas. Refert enim, quod in confinio Perſidis Romanique Imperii civitas inſignis haberetur. Erat tunc diſcidium inter Romanos & Perſas pro eo, quod ſubjici Perſæ Romanis vitabant. Cives illius urbis Dominus omnipotens mirabiliter perculit, & mirabilius extemplo lætificavit. Convenerant Perſæ Romanis tandem urbem auferre, ſuæque ditioni ſubjugare. Facto itaque veſpere quo mane obſidenda erat, murus omnis civitatis corruit; quo periculo

a Id factum videtur anno 937. Lege Frodoardi Chronicum. Auctoris ætatem hinc diſce.

b Giſlebertus ſcilicet, de quo ſupra cap. 12. Frodoardus ad annum 939, & ſcriptor Vitæ S. Johannis Gorzinenſis Abbatis.

c Vinderia, *villa regia in territorio partim Mettenſi, partim Tullenſi*, ex qua ortus B. Johannes Abbas Gorzienſis, de quo in Sæculo quinto Benedictino.

AN. CHR. riculo viſo cunctus populus, una cum Epiſcopo preces ad Dominum cum lacrymis
765 fudit. Poſtquam diu clamatum eſt, adveniente nocte, recedente plebium multitudine,
11. Martii. toto ſe corde ad Deum ſupplicandum contulit: & ecce diluculo ſurgentes repererunt omnem muri ambitum reſtitutum. Gaviſi ergo plurimum, omnipotentem Dominum pro impenſa miſericordia glorificaverunt. Phalanx igitur hoſtium quantocius ad obſidendam urbem properabat: qua per gyrum obſeſſa cunctipotens Chriſtus, qui miſericordiæ ſuæ donum illis ſtillare cœperat, perfecit uſque ad ultimum. Nam elephantorum nares tanta culicum replevit copioſitas, ut omnino ſtare ibidem nequirent, ſed potius fugarentur hac & illac. Ipſi etiam Regi Perſarum viſus eſt homo armis aureis terribiliter fulgens ſuper murum ſtare, urbemque defendere. Erat enim nuntius ſummi Dei ad tuitionem miſſus fidelis populi. Ille autem Rex contrariæ partis Romanum ratus eſſe Principem: Fugiamus, inquit commilitonibus ſuis, quia conduxerunt adverſum nos Imperatorem Romanum. Quibus hoc modo fugatis, Dominus ſuos mirabiliter ac miſericorditer ab angoribus exemit. Illos ergo ſine muri obſtaculo dum libuit protexit. Nos etiam ſimiliter vallo precum ſancti Gorgonii abſque lapideis parietibus potenter ſepſit. Nonne ſatis ſine muro, qui tertia illius parte carebamus, præſertim quoque interruptionibus apertis bipatentibus maximis? Elephantos illos agitatione culicum fugavit: equitem inſidiari nobis cupientem non diſſimili modo repulit, cum videretur ei quaſi conquaſſaretur a muro injectis lapidibus, cum, ut ſupra diximus, nec unus ſaltem in muro ſtaret puerulus. Mirabilis prorſus Dominus in Sanctis ſuis, miſericordiſſimus in peccatoribus mihi ſimillimis!

XXIII. Contractus erigitur. Alio tempore exſtitit quidam contractus, qui non aliter ire poterat, niſi cum ſcamellis, quæ uſque nunc in teſtimonium miraculi foribus appendent Monaſterii adfixi. Advenerat feſtivitas ſenioris noſtri, & præfatus contractus cum reliqua vulgi multitudine confluxerat, Dominum pro ſui incommoditate interventu beati Martyris ſupplicaturus. Factumque eſt: & ecce Fratribus nocturnalem ſynaxim inchoantibus jam dictus æger magnis cœpit vocibus clamare. Sciſcitantur Fratres nutu ſignorum, quid ſibi vellet illa ipſius tam gravis exclamatio. Reſpondit: Nonne videtis, quomodo mihi nervi extenduntur, qui gravem nimis, & pene intolerabilem mihi ingerunt cruciatum? Nec mirum: priori enim ſtatui reparandi nervi abſque tortionibus ipſius fieri nequibant, quoniam diutina curvatione fuerant marcidi. Quem amore factæ in ſe virtutis Abbas aliquandiu tenuit, eumque acſi conſanguineum fovit proprium: qui infelix loco adſuefactus, horrea Fratrum noctibus ingreſſus, furtum continuare maturavit. Quod audiens Abbas eum abjecit cum magno dedecore, quem prius tenuerat & aluerat paterno amo-
Pſal 48. 13. re. Adimpletum eſt in eo Pſalmiſtæ præconium dicentis: *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Hæc ergo ideo inſerui, ut ſignificarem in quantam humanum genus heu devolutum eſt fecem. Cum enim beneficiis reſpondere debuiſſet divinis, quæ tam per ſe quam per famulos ſuos dignatur exhibere, hoc miſerabilis non facit: ſed potius pro benevolentia malitiam exhibet, inobedientiam ſcilicet, contemptum & ſuperbiam. Cinis quoque ac pulvis viliſſimi irritare Dominum altiſſimum, ac magnitudine immenſum minime formidant, molibus ſuorum inretiti criminum: quin potius augent contemptum in Dominum, ut & hic qui pro ſanitate ſibi reddita latrocinii intulit diſpendium. Quapropter omnes hortamur ca-
Prov. 5. 7. veant illud Sapientiſſimi: *Qui reddunt mala pro bonis, non recedet malum a domo eorum*.

XXIV. Dux Franc. ſanatus. Recenti præterea tempore Dux *a* Francorum validam incurrit ægritudinem. Hebdomada enim integra & eo amplius graviter febri vexatus ac dyſenteria, omnem amiſerat facultatem alicujus ſumendi edulii, mortem ſibi imminere pavitans. Hac neceſſitate urgente, diebus Epiphaniorum merita ſancti adiit Gorgonii, petens humiliter ſibi ſubveniri. Votis his ſanctus Gorgonius aurem accommodans, interventu ſuo dedit ei veſperi poſſe cibum cum delectatione ſumere, quod prius multis poſſe diebus deſtiterat, ut dictum eſt: & continuo repletus cibo, quod ſubſequens eſt complevit, ſcilicet dormiendi copiam. Cum ſubito mane conſurgens totus validus ac incolumis, gratias reddidit omnipotenti Domino: quin etiam non ſui oblitus, pallium ſancto tradidit Gorgonio conſpicuum ob memoriam præſtitæ ſibi ſanitatis: alacer denique & incolumis in craſtino ad domum propriam repedavit.

XXV. Varia miracula ab Auctore omiſſa. Longum eſt per ſingula diſſerere, quæ & quanta Dominus per Patronum noſtrum virtutum propalavit prodigia. Hoc tantum ſubnectimus, quia nobis cernentibus cœcis pluri-mis viſum reddidit, claudis greſſum, mancis manuum reſtaurationem, dæmoniacis liberationem; phreneticis, caducis, ſenſu fraudatis priſtinam ſanitatem ac celerem morborum omnium curationem: quam prolixitatem faſtidii cauſa devitamus, cum eadem eodem modo toties repetere nauſeæ ſit legentibus & audientibus, licet ſanatis ſit exhilarationis tripudium. Sed etſi nihil horum feciſſet athleta Domini Gorgonius, ſufficeret ſuperque abundaret, quæ potior & carior Domino eſt, curatio videlicet animarum, quam hic perſtringere pro tempore ratum duximus: ut qui aliqua medicamina carnalia enodavimus, ſaltem aliqua ſpiritualia ſuccincte tranſcurrere non differamus.

Cum

a Fortaſſis Everardus, qui eo tempore *Franciæ, Auſtraſiæ, & quorumdam trans Rhenum locorum Ducatum tenuiſſe* fertur in Vita S. Joannis jam citata.

Cum enim hic locus eſſet ſpoliatus omnibus ſubſidiis tam ſpiritualibus quam corporalibus, & cum exterminaret aper ferus, ac ſingularis depaſceret; Dominus virtutum omnium converſus reſpexit de cœlo, & vidit, & viſitavit vineam iſtam, atque de omnibus ſæculis iſtuc congregavit, de Græcia videlicet, Burgundia, ac de penitus totis diviſis orbe Britannis, Mettenſibus, Tullenſibus, Verdunenſibus: atque unam Fidelium turmam conſocians, fecit fratres non ſolum carne, ſed & ſpiritu; cor unum & animam unam retinentes in Domino. Cum eſſent pauci numero, pauca eis ſuffecerunt quæ & pauca habuerunt: quando vero crevit multitudo, auxit etiam Dominus meritis S. Petri atque Gorgonii facultates non ſolum in poſſeſſionibus extrinſecus, verum etiam in theſauris diverſis intrinſecus. Altaria quæ diu profanata fuerant aſinorum porcorumque ſtabulis, muri quoque fictiles abſque coopertura, inſigniti ſunt venuſtate & honore, prout Domino placuit. Viri pauperes Dominum pauperem ſequentes, ſimpliciter ambulantes ditati ſunt virtutibus, quod Dominus magis acceptat, ſpiritualibus. Plerique etiam curationes corporum in meritis ſuſceperunt: qui autem fraudulenter incedentes depravaverunt vias ſuas, nec ſancto Domini famulo Gorgonio condignam exhibuerunt ſervitutem, diverſis multati ſunt flagellis. Alii dæmonibus coerciti, alii inteſtinis ruptis, alii ſanitate medii corporis amiſſa, alii a lumbis deorſum incenſi igne incorporali. Bonitatis vero ſectatores ante diem ſui exitus promeruerunt a Domino vocari, audientibus illis Fratribus qui digni inventi ſunt audire: alii vero in ſecreto mentis ſuæ didicerunt, quando ex hoc carnis ergaſtulo educerentur. Vidimus eos vere ſolum Dominum deſiderantes, æterna vocibus moribuſque inquirere, diebus ac noctibus illo ſuſpirare, caduca omnia nihili pendere; viliſſima quæque, & quæ nos modo reſpicere vix (ut ita dicam) volumus, illi pro magno ſuſcipere, veneranter adimplere, acſi ipſe Dominus viſibiliter conſignaret, illud fideliter memoriæ commendantes ac opere exercentes: *Qui ſe humiliat exaltabitur*: & illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Domino invenies requiem*. At nos, pro dolor, interius tumentes, magnoſque nos arbitrantes, volumus in futuro exaltari a Domino, cum nolimus pro eo vel ad modicum humiliari. Sed caveamus illud nobis tempore uniuſcujuſque vocationis noſtræ a Domino dici: Non feciſti quod juſſi, quid imprudenti fronte requiris quod promiſi? Locus enim hic, ſicut & alia loca, humilitate crevit; nec deſtruetur niſi ſuperbia: quia revera per eamdem prius deſtructus eſt. Ergo Domini omnipotentis clementiam, interventu Sanctorum atque omnium Fidelium Chriſto famulantium humiliter imploremus, ut qui ſtillam inenarrabilis miſericordiæ ſuæ ſuper hunc irroravit locum, tam gratuito ſuæ affluentiæ dono, quam labore prædeceſſorum noſtrorum, nec molibus depereat noſtrorum peccaminum, ſed magis augeat, & dilatet in dies terrenis affluentiis, quodque optabilius ſpiritualibus deliciis, ſicut ſcit ipſe: nec provocatus malis noſtris ſe ſubtrahat nobis fons miſericordiæ Dominus noſter JESUS-CHRISTUS in ablutione peccatoris & menſtruæ: ut continens in ira miſericordias ſuas, quidquid delinquimus deleat & extergat flagello diſciplinæ paternæ: neque ut nequiſſimos ſervos perpetuam tradat ad pœnam, ſed miſereatur ut filiis, de quibus ipſe per ſcripturas ſuas dignatus eſt dicere: *Quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit*. Ita nos quoque in hac ærumnoſa vita Dominus corripiat flagellando, ut excuſſis ab anima noſtra omnium nævis ſordium, velut ſecernuntur grana, cum excutiuntur fortiter ariſtæ, & quaſi aurum in fornace probatum & purgatum facti, mereamur in illo deſiderabili Beatorum collegio ovantes adſciſci, ubi abſterſis omnibus lachrymis, mors clamor & luctus ultra non erunt; ſed pax perpetua, lux indeficiens, gaudium ineffabile de perpeti contemplationis piiſſimi Redemptoris noſtri JESU-CHRISTI & ſanctorum Angelorum atque omnium Electorum, qui ab initio mundi creati ſunt. Ad quod nos citius perducere dignetur Dominus omnipotens, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

AN. CHR. 765. 11. Martii.

XXVI. Gorziæ florens ſtatus, unde.

Luc. 14. 11. Eccli. 3. 20.

Auctoris egregia apoſtrophe.

Hebr. 12. 6.

VITA SANCTI ALTONIS

ABBATIS IN BAJOARIA SUPERIORE,

CIRCA AN. 770. 9. Febr.

Auctore Monacho Altomonaſterienſi anonymo, ſæculo 9. ex num. 9. & 11.

Ex tomo 2. Metrop. Saliſb. & Februario Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

SANCTUS ALTO *Scottus in Hibernia natus, in Bajoaria ſuperiore ædificavit Cœnobium ex ſuo ipſius nomine dictum* Altenmunſter, *ſitum in diœceſi Friſingenſi, inter auguſtam Vindelicorum & Monachium: de cujus Cœnobii ſtatu leges adnotata infra.*

Digitized by Google

770
9. Febr.
Alto Scottus prænobilis.

1. BEatus igitur ALTO nobiliſſima Scottorum ſtirpe progenitus, juxta Teutonicam nominis ſui etymologiam ab ipſa puerili ætate ſeniles maturoſque annos agebat; poſtponens ſcilicet breviſſimam affectuum carnalium voluptatem, & attendens jugiter ad perpetuam ſpiritualis vitæ jucunditatem. Non illum amplæ poſſeſſionis gloria, non parentum vel propinquorum gratia ab intentione retraxerat incœpta: ſed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditatus eſt die ac nocte. Cumque maturitate hac in propoſito ſuo magis proficeret, & evangelicæ perfectionis ardor in animo ferveſceret; admonitus a Domino per viſionem, Abrahæ Patriarchæ exemplum ſecutus, ut relinqueret terram ſuam & cognationem, tranſiretque in longinquam Germanorum regionem. Hanc igitur dominicam admonitionem implere feſtinans, patriæ terrenæ relinquens habitationem, ut aliquam percipere mereretur cœleſtium manſionum, de quibus Dominus noſter in Evangelio dixit: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt*. Progrediens itaque, ut dictum eſt, vir Dei ex patria venit in Bavariam infra auſtralem plagam Germaniæ poſitam: ubi in ſilvam quamdam ingreſſus, cœpit illic fieri colonus, victum ſibi inde adquirens, ne quem gravaret, circumquaque diſcurrens, memor Apoſtoli dicentis: *Non manducavimus panem gratis ab aliquo, ne quem veſtrum gravaremus;* & Pſalmiſtæ qui dicit: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.*

Dei monitu venit in Bajoariam.

Joan. 14. 2.

2. Theſ. 3. 8.
Pſal. 127.

Silvam a Pippino conceſſam exſtirpat.

2. Cum autem ibidem converſatus, multorum aures dulci reſpergens fama, ad PIPPINUM etiam Francorum Regem CAROLI Magni genitorem, qui eo tempore regnans provincias quamplures ſuo ſubjugavit Regno, deferebatur notitia. Qui quoniam peregrinorum pauperum Deoque famulantium curam geſſit, magnam ſilvæ illius partem, in qua S. Alto habitavit, ſibi poteſtate habita tradidit. Unde factum eſt, ut, quem Rex tanta donatione venerabatur, a plurimis tam longe quam prope poſitis honoraretur: certarentque Fideles & religioſi quilibet de Alemanniæ & Bavariæ partibus, in quarum confinio ſitus eſt ipſe locus, qualiter ipſum viſitarent, eique de ſubſtantiis ſuis ac facultatibus miniſtrarent. Hujuſmodi ergo beneficiis undique ſuffultus, maximam ſilvæ traditæ portionem exſtirpavit, & in planitiem frugiferaque jugera coæquavit.

ubi Monaſterium conſtituit.

3. Deinde cum poſt aliquot annos ex manuum ſuarum labore aliorumque ſibi ſubvenientium ſupplemento terra exculta meſſem copioſam edidiſſet, pariterque ex oblatione Fidelium quotidie ad eum confluentium ſubſtantia rerum victualium feliciter excreviſſet; cœpit vir Dei ſollicito corde tractare, qualiter hæc omnia ad honorem illius, a quo ſibi noverat attributa, poſſet retribuere. Hæc eo tractante, conſtruxit habitacula ſervitio divino apta, necnon Monaſterium Religioſorum, & ſpiritualis vitæ amatores adſumſit, ſecumque habitare fecit. Quapropter uſque in diem hodiernum locus ipſe dicitur ALTONIS-MONASTERIUM.

S. Bonifacius dedicat Eccleſiam,

4. Quo conſtructo ſanctus Præſul BONIFACIUS, qui eo tempore in Germania verbi divini propagator eximius habebatur, viſionis divinæ nutu quodam admonebatur, ut S. Altonis Monaſterium *a* celeriter pergeret conſecrandum. Cumque ille adveniens, more ſolito vellet ita conſecrare, ut mulier nulla deberet illud intrare; poſtulavit B. Alto ne tali pacto ſuum Oratorium conſecraret: dixit maxime opus viris ſæpius ad opera varia procul egreſſis, ut uxores eorum domi remanentes orent pro ſe ſuiſque viris. Cujus petitioni conſentiens mox S. Bonifacius, Eccleſiam quidem conſecrando tam feminis quam viris fecit eſſe communem; ſed fontem quemdam in eodem loco juxta Eccleſiam poſitum ea benedixit ratione, ut mulie-

feminis & viris communem, fonte excepto.

a Id eſt Eccleſiam ſeu baſilicam, ut ex ſequentibus conſtat. Ita ſæpe Monaſterii nomen uſurpatum advertimus, & feminis in Monachorum Oratoria paſſim negatum ingreſſum more ſolito, hic.

Digitized by Google

CIRCA AN. 770 9. Febr.

mulieri nulli liceret ad eum accedere & haurire. Quæ nimirum utraque uſque ad noſtræ ætatis perſeverabant tempora. Sed quomodo ſub temporibus noſtris horum quædam imminuta fuerint, ſubſequens ratio declarabit.

S. Alto moritur.

5. Oratorio ergo conſtructo, ut dictum eſt, atque conſecrato, ſub incœpto ſanctæ converſationis propoſito permanſit, & obiit *a* ibidem S. Alto multis refulgens virtutibus atque ſignis: quæ referuntur litteris tradita, ſed poſtmodum (pro dolor!) furtive ablata. Unde & nemo debet mirari, cum paucula virtutum inſignia deprehenderit hic enarrari.

Liber de ipſius geſtis perditus.

Monaſterium a Comite Guelfo direptum,

6. Poſt obitum vero B. Altonis, præpotens quidam ex Alemannia, parens videlicet illius Comitis, qui vulgo nomen quoddam eſt ſortitus, quod Latine exprimitur CATULUS *b*, neſcio qua traditione quave lege vindicantes ſibi ejus Monaſterium, omniaque quæ ad hoc pertinebant, pro hereditario jure poſſidebant. Qua de re accidit, ut cum tanti loci poſſeſſores pompæ ſæcularis & curæ familiaris ſtudioſi fuiſſent magis quam divinæ ſervitutis, locum eumdem paterentur annullari, nullaque venditione congrua viſitari.

Altonis monitu bis terque iterato,

7. Hoc igitur modo, hac negligentia S. Altonis Monaſterium per multa habebatur curricula annorum: donec ſub Comitis prædicti Catuli tempore cuidam venerabili viro per viſionem apparuit idem S. Alto dicens ei: Vade, & dic illis ſenioribus, ſub quorum corporaliter requieſco poteſtate, (ego ſum Alto) quoniam valde moleſtum eſt mihi, quod ſub negligentia corporis mei locus jam diu habetur, quodque nulla ſervitutis divinæ cura ibi exercetur. Si ergo hæc emendaverint, magnum exinde præmium ſe percepturos noverint: ſi autem neglexerint, noverint procul dubio, quoniam ſuper eos ventura erit magna ultio. Facta igitur viſione tali, continuo ſurgens is cui revelata eſt, ſuæ intimat uxori. At illa una de ſtultis mulieribus, parum curans de cœleſtibus præceptis, reſpondit ei dicens: Non mihi videtur utile, talia tantæ dignitatis hominibus indicare, quoniam nihil aliud quam odium exinde conſecuturus eris. Cujus obtemperans vir conſilio, ſiluit de injuncto ſibi mandato. Poſt paucos vero dies iterum in viſione S. Alto eidem viro dixit: Quare juſſionem meam contemſiſti? vade modo & adnuntia quæ tibi præceperam: alioquin aliqua paſſurus es aſpera. Verumtamen, ſicut antea, eadem diſtulit juſſa.

8. Tertia autem vice Monachus quidam viſus eſt adſtare eidem homini, dicens illi: Dominus meus miſit me ad te, ut interrogarem quare toties ejus ſpreviſſes mandata? At ille, Quis eſt, inquit, dominus tuus? Reſpondit Monachus dicens: S. Alto dominus meus eſt, & ipſe me miſit ad te. Et ut ita agnoſcas eſſe flagella quæ tibi ipſe minando vicibus duabus prædixit ventura, modo ſenties illa. Moxque inter hæc increpationis verba ferire incipiens, verberibus nimiis afflixit. Deinde ei dixit: Si igitur ideo hactenus diſtuliſti S. Altonis implere mandata, quia non habuiſti ſigna, quibus fides eſſet adhibenda; fidei jam ſigna tene, & mandata ejus concitus imple.

instauratur a Comite,

9. Quibus viſis evigilans homo, nihilque ultra hæſitans de præcepto, perrexit, & Comiti prædicto hæc omnia ſibi indicta denuntiavit. Qui ſtatim credens, & obediens viſionis hujus mandato, niſibus totis illud adimplere curavit, adeo ut prædiis nonnullis donatione publica traditis, Mo-

a Nimirum 5. Idus Februarii, ut ex tabulis Altomonaſterienſibus probat Raderus in Hiſtoria Bojorum, quo die in Eccleſia Friſingenſi fit S. Altonis commemoratio. Annum mortis certis indiciis deſtitutum reponimus ad annum Chriſti 770.

b Canum, luporum, & vulpium catulos Teutonice appellant *Guelfones* ſeu *Vvelfones*: unde nomen accepit prænobilis familia Guelfonum ab auſpicio rei militaris, quod prædicta animalia ſint Marti dicata. Guelfonum originem deducunt a Bajoariæ Ducibus Regibuſque. Vvelfus, Judithæ Auguſtæ Ludovici Auguſti uxoris frater, Eticonem filium genuit, Etico Henricum, qui S. Altonis Monaſterium reſtituit. Henrico filii fuere Conradus Conſtantienſis Epiſcopus. Etico II. & Rudolfus: ex quo natus Guelfo, quem Guelfonem primum vocant Bajoarii, auctor inſtaurationis hoc loco recitatæ; vel potius (ut aliis placet) Guelfo alter, hujus ex filio Rodulfo nominis ſecundo nepos, labente ſæculo 10.

CIRCA AN. 770 9. Febr. Abbate conſtituto.

nachiſque etiam congregatis Abbatem venerandum nomine RUDOLFUM his omnibus regulariter prælatum efficeret. Sed poſtquam idem Rudolfus S. Altonis Monaſterium annis plurimis ſtrenue gubernans, ex hac adſumtus eſt vita, ſucceſſerunt ei tantummodo duo Abbates, EBERCHARDUS videlicet probitate rara inſignitus, necnon HENRICUS Abbas etiam Monaſterii hujus, cui & adhuc ſagaciter præeſt *a*, præſenti vita potitus. Horum autem memoriam idcirco hic inſerui, ut omnia quæ de S. Altonis revelatione ſuper Monaſterii ſui renovatione facta retuli, tam præſentium quam futurorum notitiæ pateant, magiſque credibilia fiant.

Auctoris ætas.

Ithæ Monaſterio favet,

10. Inter hæc etiam pariter commemorandum eſt, quod venerabilis ITHA, ſcilicet mater prænominati, pro inſtitutione tali, devotione tanta apud ipſum intercedendo laboravit, ut pro divini officii augmento ſuas delicias ſuamque familiam minui gauderet, & in eodem S. Altonis Monaſterio ſepulturam ſuam fieri decerneret: dixiſſe quoque fertur: Quia ideo forſitan genus omne parentum & propinquorum noſtrorum inſtabile minuſque longævum hactenus fuit, quod S. Altonis Monaſterium ſub tanta negligentia relinqueretur. Emendemus ergo in melius, quod ignoranter peccavimus.

& Irmentrudis.

11. Eadem vero Itha defuncta, ibique quo decreverat ſepulta; defuncto quoque viro filioque eorum Catulo prædicto, veneranda matrona IRMENDRUT dicta, parentibus nobiliſſimis orta, ejuſdem ſcilicet Catuli per annos jam multos vidua, adhuc diſponente Deo in vita præſenti poſita, (qua etiam optamus ut perfruatur, mundoque periclitante per eamdem Deus ſuccurrendo miſereatur) hæc, inquam, matrona cum viro filiiſque ſuis defunctis, ad ſolius hereditatem atque potentiam omnis eorum poſſeſſio devenerit, tali devotione, tantaque humilitate Chriſto ſe ſubjecit, ut non ſolum ea quæ ab anteceſſoribus ſuis ad S. Altonis Monaſterium donata ſunt, non minueret, ſed etiam plurimum augeret. *b*

CIRCA AN. 770 22. Apr.

VITA SANCTÆ OPPORTUNÆ
VIRGINIS ET ABBATISSÆ MONASTERIOLI IN NEUSTRIA,

Ab ADELHELMO Sagienſi Epiſcopo ſcripta vertente ſæculo 9.

Ex Surio & mſ. cod. Eccleſiæ collegiatæ Sanctæ Opportunæ Pariſienſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ & mirac. ſcriptor Adelhelmus.

1. LIBELLOS *duos, alterum de vita, alterum de miraculis* S. OPPORTUNAE *ſeu* Oportunæ *Virginis, condidit* ADELHELMUS *Sagienſis Epiſcopus; utrumque edidit Laurentius Surius contracto libro ſecundo; nos utrumque integrum reſtituimus ad exemplar manu deſcriptum Eccleſiæ collegiatæ Sanctæ Opportunæ, quod nobis vir humaniſſimus Jacobus Grillardus, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus communicavit.* Adelhelmus *ſeu* Adalhelmus, *vir pius,*

---

a Hinc Auctoris ætatem diſce & ex num. ultimo, ubi vixiſſe ſe teſtatur ſuperſtite adhuc Irmentrude Vvelſonis relicta, ejus qui Monaſterium inſtauravit.

b Sic deſinit codex apud Hundium in Metropoli. Paulo poſt prædicta, Monachi Altomonaſterienſes in Parthenona Altorfium, Monachæ Altorfium incolentes in Altonis Monaſterium translatæ ſunt. Dein Guelfo tertius in arce ſua, quam ſub annum 1053. conflagraſſe tradunt Cruſius & Bruſchius, Monaſterium condidit, quod *Vinearum* ſeu *Vveingarten* appellavit, inque illud tranſtulit Monachos ex Altorfio Cœnobio, quod in parochialem Eccleſiam mutavit. Demum anno Chriſti 1487. Sancti Altonis Monaſterium quod eatenus cum Monachis, tum Sanctimonialibus Benedictinis paruerat, rurſum vetuſtate collapſum reſtituit Princeps Bojorum, & in illo *viginti quinque Monachos & ſexaginta Moniales Ordinis S. Birgittæ* collocavit, ut fidem faciunt litteræ Innocentii VIII. in Metropoli Salisburgenſi èditæ.

Digitized by Google

CIRCA AN. 770 22. Apr.

pius, quem alii corrupte Adelinum *vocant, floruit ſub finem ſeculi 9. & Sagienſi Eccleſiæ præfuit poſt* Hildebrandum, *quem non ſemel in miraculorum deſcriptione laudat. Porro Hildebrandus Concilio Sueſſionenſi interfuit anno 853. Pontigonenſi ſubſcripſit anno 876. iſque ipſe eſt, qui ſævientibus in Gallia Nortmannis S. Chrodegangi Sagienſis Epiſcopi & S. Opportunæ ejus ſororis translationes curavit, ut poſtea dicemus. Hinc corrigas Catalogum Sanctorum, Beatorum, ac Piorum, Martyrologio Gallicano ſubjectum: in quo S. A-*delinus S. Opportunam viſitaſſe, divinoque corporis Domini Sacramento refocillaſſe *dicitur*.

qua occaſione.

2. *Qua occaſione huic ſcriptioni operam dederit Adelhelmus, exponit ipſe in Prologo miraculis præfixo. Quippe cum æmulos pateretur ſuæ ipſius epiſcopali conſecrationi adverſantes, voto ſe obſtrinxit, ſcripturum ſe vitam & miracula S. Opportunæ, ſi Epiſcopus tandem ordinari victis adverſariis poſſet. Tum rei compos, at promiſſi immemor, a Nortmannis venditus & exſilio in Britanniam inſulam deportatus, voto redintegrato patriæ & ſedi ſuæ reſtitutus id demum præſtitit. In quodam mſ. codice Thuaneæ Bibliothecæ ſignato n. 63. legi* Benedictiones quaſdam *in Dominicis poſt Natale Domini, quas* jubente glorioſiſſimo Archiepiſcopo domno Francone Adelhelmus captivus Epiſcopus ſtuduit componere. *Fortaſſis Adelhelmus noſter, jubente Francone Rotomagenſi Archiepiſcopo, qui ſedere cœpit circiter annum 910. Quod ſi ita eſt, Adelhelmus Hildebrando proxime non ſucceſſit, aut certe bis exſilium paſſus eſt, nempe anno primo ſuæ ordinationis, & aliquot poſt annis.*

S. Opportunæ memoria.

3. *In antiquis Martyrologiis mentio Sanctæ Opportunæ nulla. Hæc laudatur in Actis Sancti Chrodegangi Sagienſis Epiſcopi ipſius fratris, quæ Herardus Turonenſis Pontifex Hildebrando Sagienſi Antiſtiti direxit. Nam in mſ. codice Uticenſi poſt Acta iſta & libellum de miraculis ipſius Chrodegangi, deque translatione tum ex Monaſteriolo in Eccleſiam Sagienſem, tum ex ea Eccleſia in cellam S. Serenici Paniciarias uſque ſubjunguntur hi verſus:*

Hæc carus caro dona tranſmittit amicus.
Suſcipe gratanter, cum ſint felicia votis,
HILDEBRANDE ſodes. Præſul Turonenſis HERARDUS
Perpetuo vigeas valeaſqve poſcit in ævum.

Monaſteriolum aliud ab Almaniſcis.

4. *Sancta Opportuna Monaſteriolum illuſtravit meritis ſuis vivens, mortua Montiacum & Lutetiam Pariſiorum miraculis. De Montiaco & Lutetia in libro miraculorum, hic de Monaſteriolo paucis agendum. Monaſteriolum Parthenium agri Sagienſis in Neuſtria hodierna, nobis ignotæ eſt originis. Veri ſimile, id excitatum fuiſſe ab S. Ebrulfo Abbate Uticenſi, qui* quindecim Monaſteria virorum ſeu mulierum regulariter inſtituiſſe *fertur in Actis propriis Sæculo 2. Benedictino. Eo in numero etiam reponendum videtur Almaniſcenſe, in quo hactenus S. Ebrulfi ædicula oſtenditur. Exciſum eſt Monaſteriolum a tempore Nortmannorum, adeo ut vix ulla ejus veſtigia, immo nec fere ſitus deprehendi poſſit. In his Actis num. 7. dicitur fuiſſe* Sagienſi urbi vicinum, in ſaltu Algiæ * ſitum. *Et Sanctus Chrodegangus Opportunæ frater Roma reverſus*, ad quoddam Cœnobiolum eidem urbi vicinum Monaſteriolum dictum ſeceſſiſſe perhibetur, quo reverenda cohors ejuſdem ſancti viri ſalutaribus inſtituta doctrinis degebat Sanctimonialium: *indeque* Almaniſcas Cœnobium viſitare diſponens, *in via cæſus fuiſſe. Hinc manifeſte intelligitur, Monaſteriolum diſtinctum quondam fuiſſe a Parthenone Almaniſcenſi. Adde, quod Monaſteriolum hoc loco non eſt nomen appellativum, ſed proprium, ut patet ex num. 7. & utrique ſua erat Abbatiſſa, Monaſteriolo Opportuna, Almaniſcis Lanthildis. Quamquam utrumque in Almaniſcas traduci ac confundi video ab recentioribus: quibus ut ne ſubſcribam, cogit Adelhelmi & Scriptoris Vitæ S. Chrodegangi auctoritas. Illud tamen movet, quod* Pratum ſalſum, *de quo infra poſt librum de miraculis ab Adelhelmo ſcriptum, vix ducentis paſſibus ab Almaniſcis diſtare dicitur. Ex quo intelligitur, Monaſteriolum fuiſſe vicinum Almaniſcenſi * Parthenoni, qui hodie quoque in aditu Algiæ ſupereſt, aut certe Almaniſcenſe Cœnobium poſt Nortmannorum tempeſtatem reſtitutum fuiſſe eo in loco, ubi quondam Monaſteriolum ſitum erat. Id confirmatur auctoritate Roberti de Monte in Tractatu de Abbatiis cap. 23. in hæc verba:* Fecit etiam, immo reſtauravit prædictus Comes ROGERIUS, *Vicecomes Oximenſis*, Monaſterium feminarum apud Almanachias, ubi olim ſancta Opportuna fuerat Abbatiſſa, antequam Nortmanni in Regnum Francorum venirent.

* la foreſt d'Auge

* Almaneches.

CIRCA AN. 770
22. Apr.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. GLorioſæ ac Deo dilectæ virginis OPPORTUNÆ hodie feſtivitatem celebrantes, Redemtorem noſtrum JESUM-CHRISTUM collaudemus, qui in Sanctis ſuis ſemper mirabilis eſſe dinoſcitur: & non ſolum per viros viam juſtitiæ nobis patefecit, verum etiam per feminas & juvenilis ætatis puellas exempla religionis & bonæ imitationis cunctis ſe amantibus oſtendit. Deo enim noſtro ſemper cura eſt de omnibus, & neminem horum vult perire, quos redemit proprio ſanguine. Nam ſanctos in ſanctitate hortatur permanere, & peccatores a malis operibus diſcedere, & bonis actibus inhærere, ut ad cœleſtem patriam valeant pervenire. Quod virgo ſacratiſſima intelligens Opportuna, divina gratia inſpirante, ab ipſa infantia Domino ſervire conſtituit, ut mereretur cum electis & prudentibus virginibus in cœlo regnare. Quæ poſita in hujus terræ peregrinatione, ſemper plus cœleſtia quam terrena ſtuduit diligere. Ejuſdem igitur dominæ noſtræ Opportunæ interceſſionem unanimiter deprecari debemus, antequam de vita & converſatione morum ejus aliquid tractemus, ſive antequam quidquam de miraculis quæ per merita ejus Dominus operatus eſt, diſputemus: ut CHRISTI adjutorio & ejus aſſiduis precibus ab omnibus malis eruamur, videlicet ab inſidiis diaboli & a laqueis ac variis hujus ſæculi impedimentis: & vita noſtra, intercedente B. Opportuna, maneat ſecura inter proſpera hujus vitæ & adverſa, quæ affligitur gravium peccatorum conſcientia. Concedat etiam nobis Domini noſtri pietas, actus jam dictæ dominæ noſtræ Opportunæ & virtutum ejus magnificentiam ſcribendi facultatem, ad præſentium & futurorum utilitatem: qui aperit os mutorum, & facit diſertas infantium linguas. Quique temporibus Balaam ad loquendum, angelicis terroribus os aperuit tremefactæ aſinæ, repleat parvitatem noſtram eloquio miſerationis ſuæ, & donet mihi indigno ſuo famulo aliquid digne narrare in laudem dilectæ ſuæ, dominæ noſtræ Opportunæ. Et ſi non pro meis meritis, tamen pro utilitate diem feſtum B. Opportunæ celebrantium, diſtillet in nobis vel parviſſimam ſui roris guttam, qui temporibus Moyſi de petra juſſit exire largiſſimam aquam: ut ſicut tunc populus ſitiens ſatiabatur aquis illius petræ, ita & hæc plebs, quæ modo huc advenit pro amore dominæ noſtræ Opportunæ, gaudens recedat cum ſua jocunditate, audita virtutum ejus revelatione.

2. Nunc vobis, dilectiſſimi filii, prout Dominus miniſtraverit, narraturi ſumus, quanta divina gratia in famula ſua, virgine Opportuna, operari dignata eſt mirabilia. Sed vos non pigeat audire, quod in ea Dominus perficere voluit: quia dum ancillam ſuam glorificat, nos ad ejus invitat exempla; ut operum illius imitatores effecti, ei mereamur in cœleſtibus ſociari, & veſtigia virginis imitando, atque præcepta dominica obſervando, poſſimus cum illa cœleſtis regni perfrui gaudio. In paucis quæ dicuntur, majora intelligite: quia quibus pauca non ſufficiunt, plura prodeſſe non poſſunt. Majora enim de domina noſtra Opportuna oportet credere, quam poſſit noſtra locutio demonſtrare.

INCIPIT VITA.

Opportuna Oximenſis,

3. SAncta igitur OPPORTUNA, meritis & nomine digna, vitam diligens ſervare angelicam, Domino Deo vovit virginitatem ſuam: atque ut liberius Domino deſerviret, & ab omnibus ſæculi curis vacare poſſet, pompas & divitias mundi abjiciens, quarumdam Sanctimonialium feminarum collegio, tali quo infra dicturi ſumus, juvante Domino, ſociata eſt modo. Non parentes ejus nobilitatis genere pollentes, & regalis proſapiæ apice florentes, inclyti Oximenſis pagi ſuper omnes qui ibidem mora-

morabantur homines, duo luminaria mundo genuerunt, beatum videlicet CHRODEGANDUM, Sagienſis Eccleſiæ (cui ego Domino diſponente deſervio) Epiſcopum, & dominam noſtram OPPORTUNAM, cujus hodie patrocinia veneramur, ſororem ejus almifluam. Sed beata Opportuna, in annis puellaribus conſtituta, nobilis erat genere, ſed nobilior fide: decora & pulcra facie, ſed pulcrior mente & operatione: caſtiſſimum ſemper retinens vultum, habitu manebat pudica ſupra omnes coævas, quæ tunc morabantur in terra. CIRCA AN. 770 22. Apr. * al. Grodograndum

4. Cumque eſſet mentis & corporis elegantia adornata & omnibus gratiſſima, multi præpotentes viri, divitiis & variis opibus referti, in matrimonium eam ſibi conjungere ſatagebant. Promittebant ei auri & argenti immenſa pondera, demonſtrabant delectabilia mulierum ornamenta, gemmis & margaritis redimita: offerebant ſervos & ancillas, & diverſæ facultatis prædia, quæ illicere potuiſſent animum puellæ, niſi illuſtrata fuiſſet cœleſti gratia. Has omnes proviſiones ipſa ceu quiſquilias quaſdam & purgamenta contemſit mundi, ut munda & caſta poſſet pervenire ad talamum cœleſtis Sponſi. Nam quanto majora illi promittebant dona, tanto magis animus puellæ ab amore illorum recedebat: conſiderans in Deo pretioſiora eſſe munera, quæ ſummo ſtudio quandoque obtinere deſiderabat. nuptias detrectat.

5. Enimvero in tantum fixa in obſequio divini amoris manebat, & paullatim adeo in bonorum operum creſcebat exercitiis, ut ſi adfuiſſet gladius perſecutoris, ſponte pro Domino bibitura fuerit calicem paſſionis. Quia vero duo ſunt martyrii genera, unum in occulto, & alterum in publico; non deerat illi corona martyrii, quæ quotidie in corpore crucem perferens Chriſti, ſapienter devicit oblectamenta carnis, mundi & diaboli. Fortis enim bellatrix Chriſti, armis dominicis munita incedens, videlicet ſcuto fidei & lorica juſtitiæ & gladio Spiritus-ſancti, noluit aliquando ea deponere, donec virtute divini adjutorii omnes hoſtis antiqui inſidias devinceret, & cum triumpho victoriæ, laureata ſerto juſtitiæ, Deum deorum in cœleſti Sion videre. Noluit apparere inermis, ne ſauciaretur diabolicis ſagittis. Numquam in ea diabolus quod voluit invenit: quia Rex fortis & potens in prœlio Dominus, cui toto corde ſervivit, & quem totis viſceribus dilexit, ab omnibus inimici inſidiis eam illæſam cuſtodivit: quia a mandatis ejus numquam receſſit, frequenter cum Pſalmiſta decantans: *Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, &c.* Martyr affectu. Pſal. 34.

6. Quadam autem die ipſa dilecta Dei Opportuna cum multa Fidelium turba, patre quoque & matre ſecum pergentibus, Eccleſiam intrans, audivit Dominum in Evangelio dicentem: *Vade, vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus: & veni, ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo.* Quæ omnia diligenter auſcultans, & ſecum velut mundum animal ruminando pertractans, ad genua patris & matris provoluta, in hæc verba prorupit: Eja, mi dulcis pater & amabilis mater, per tremendum & amandum ejus nomen, cujus verba modo ſonuerunt in auribus noſtris, atteſtor, ne mihi amplius quæratis ſponſum in terris, quia jam ſponſum habere cupio Dominum meum JESUM CHRISTUM in cœlis: ſequar jam veſtigia dominæ meæ beatæ MARIÆ Dei genitricis, nec ullius filii admittam copulam, niſi illius quem virgo concepit, virgo peperit, & virgo permanſit. Hujus ego matris deprecabor gratiam, ut me ancillam ſuam nuptiis Filii ſui faciat dignam, ut cum filio ſuo conjuncta fuero, matri & filio, ſponſo & Domino meo ſine alicujus perturbationis obſtaculo ſerviam in æternum. Multum pater & mater beatæ Opportunæ ſuper his mirantes, & tandem pro conſtantia filiæ ſuæ læti exſiſtentes, Deo omnipotenti gratias egerunt immenſas, qui in filia ipſorum radicem hujus bonæ voluntatis plantare dignatus eſt, deprecantes unanimiter, ut his quæ plantavit, incrementa boni operis condonaret. Cumque fideles qui aderant, reſpondiſſent, Amen, beata Opportuna ab oratione ere- Chriſtum ſponſum eligit annuentibus parentibus Matth. 19.

CIRCA AN. 770 22. Apr. cta, læta patrem reſpiciens, dixit: Jam filia Chriſti facta audiam vocem ejus, & inclinabo aurem meam ad eum, & oblivifcar populum meum & domum patris mei, quia concupivit rex ſpeciem meam, & ipſe eſt Dominus Deus meus, & adorabo eum.

Velum & monaſticum habitum ſuſcipit. 7. Interea appropinquat dies, quo B. Opportuna epiſcopali benedictione velamen conſecratum capiti ſuo imponat, & abjectis jucunditatis & ſæcularibus ornamentis, induatur veſtibus ſacræ Religionis. Itaque depoſita regia purpura, multum lætatur vili circumamicta tunica. Tunc ſtipata multitudine parentum & frequentia ſequentium hominum, pervenit ad quoddam Cœnobium, Sagienſi urbi vicinum, quod eſt in ſaltu Algiæ ſitum, & vulgo viſitato nomine nuncupatum Monaſteriolum. In eo itaque loco digna Deo puella Opportuna omnibus ſæculi rebus vale faciens, & ſoli Deo vacare cupiens, accepto ſanctæ converſationis habitu, cœtui ſanctarum cunjuncta eſt feminarum Domino ibidem famulantium. Viſum eſt etiam quibuſdam Sanctimonialibus, quod dum beata Opportuna idem Cœnobium ingrederetur, Angelus Domini eam cuſtodiens præcederet. Dignum quippe erat, ut quorum vitam imitari diſpoſuerat, ab eis cuſtodiretur. Habitans autem inter ſacratas virgines, non ſicut rudis, ſed ut perfecta converſabatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ talis fuit converſatio illius, ut a nemine poſſet reprehendi. Virtutibus ſtudet. Brevi autem tempore repleta eſt Scripturæ ſacræ doctrina, quia die ac nocte meditabatur in lege Domini. Humilitatis & obedientiæ gratia ſuper omnes eminebat, quia majoribus ſerviebat ut matribus, minores diligebat ut ſorores. Erga omnes erat obediens & mitis, ſecum revolvens divinum Matth. 11. præceptum: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*. Quanto enim clarior erat nobilitate generis, tanto magis ſe cunctis ſubdebat humilitate, Eccleſ. 3. ſciens ſcriptum: *Quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*.

Abbatiſſa creatur. 8. Cumque his & aliis abundaret virtutibus; accidit ut Mater, quæ ceteris præerat Sororibus, migraret ad Chriſtum. Tunc Sanctimoniales omnes uno conſenſu & pari voluntate elegerunt dominam noſtram Opportunam, ut inter eas culmen prælationis obtineret. At illa cum multum contradicere vellet, ſed pro veneratione obedientiæ non valeret; petiit trium dierum inducias, ut pro hac re Dominum deprecaretur. Quod cum factum fuiſſet, revelatum eſt illis, quod B. Opportuna digna eſſet honore prælationis. Deinde Mater & Abbatiſſa ſuper omnes conſtituta, majori corpus ſuum cœpit Rigide vivit & pie. domare abſtinentia. Nam frequenter tota nocte in Dei laudibus vigilabat, & ſæpe in die a cibis omnino abſtinebat. Feria quarta & ſexta nihil manducabat; aliis diebus ad veſperum panem hordeaceum cum aqua & aliquo cibo viliſſimo ſumebat. Die dominico parviſſimis piſciculis veſcebatur, non propter ventris ingluviem, ſed propter diei dominici venerationem. Nec tamen ipſos ſumebat uſque ad ſatietatem, ſed tantum ad corporis recreationem. Si quando quæpiam ex Sororibus eam interrogaret, dicens: O dulcis Mater, quare tam frequenter abſtinendo corpus maceras? ſic reſpondebat: Adam de paradiſo ejectus eſt, quia pomum vetitum manducavit; & nos illuc redire debemus jejunando. De potu vini & eſu carnium quadrupedum non oportet nos quidquam dicere, quæ ipſa nolebat attingere. Et tamen cum ab his ipſa abſtineret, Sanctimonialibus omnia ſufficienter miniſtrabat: ipſas enim & ſpiritualibus & corporalibus cibis decenter alebat. Super omnia infirmos & pauperes diligebat, & eis tamquam Matth. 25. Chriſto miniſtrabat, reminiſcens verbi evangelici: *Infirmus fui, & viſitaſtis me*: &, *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. Balneis non utebatur, cilicium ſemper abſconſe ferebat. Ita erat veſtita hieme, ſicut æſtate: nec pro frigore adjiciebat, nec pro calore detrahebat. In lecto quando jacebat, unum ſagum tantum habebat, & illud cilicinum: ſed in die, propter frequentiam hoſpitum ſupervenientium, pretioſo tegebatur opertorio lectulus ejus. Pſal. 6. Fluxu madebat lacrymarum, dicens cum Pſalmiſta: *Lavabo per ſingulas noctes le-*

lectum meum, *&c.* Nullus eam vidit iratam, ſed ſemper tranquillam & blandam. Delinquentes Sorores verborum caſtigatione emendabat. Quod ſi aliqua in duritia mentis permaneret, tamdiu pro ipſa Dominum deprecabatur, donec ad emendationem adduceretur. Neminem cædebat, ſed dulciter omnes regebat, & clementiam ſui pectoris declarabat ſuavitate ſermonis. Ipſa enim quæ proferebat verba, ſale ſapientiæ videres eſſe condita.

CIRCA AN. 770 22. Apr.

Suas regit prudenter.

9. Non eſt æquum audientibus longa narratione adferre faſtidium. Nam ſi bona omnia & virtutes quas B. Opportunæ divina pietas conferre dignata eſt, dicere voluerimus, ante dies iſte quam oratio noſtra finem habebit. Inter cetera vero talem illam habebat conſuetudinem, ut ſi quid impetrare voluiſſet, orando apud Dominum obtineret: & ſi ab aliquo lædebatur, aut aliquis ei moleſtiam feciſſet, orando cuncta mitigaret. Quod ſi latro de ditione vel rebus ejus aliquid furtim abſtuliſſet, tamdiu eum oratione ſua ligabat, donec ablata reſtitueret. Si autem lupus, aut vulpecula ſive aquila aliquam beſtiarum raperet, ſola juſſione reſtitui faciebat. Et quod tunc manens in corpore operabatur, hoc nunc vivens cum Chriſto eodem favente operatur: quod multis modis experiens, modo cognoſcit & narrat Gallicana & Neuſtria terra, quæ gaudent mirantes virtutum ejus inſignia, quæ per famulam ſuam operatur divina clementia.

Precibus omnia obtinet.

10. Porro cum eſſet in jam dicto Monaſterio, & præeſſet ibi Sanctimonialibus, factum eſt ut venerabilis frater ejus Chrodegandus, Sagienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ob amorem cœleſtis patriæ, Romam ad limina beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli & diverſa loca Sanctorum cauſa orationis vellet peragrando circumire. Cumque ſecum diſponeret hoc agere, velletque tali in opere ſeptem annorum curricula tranſigere, ut laborando, peregrinando & orando poſſet delictorum veniam & gaudia æterna obtinere; diſpoſita Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione, cœpit miſericordiam Dei invocare, ut cuſtos ejus eſſe dignaretur in concepto itinere. Accerſito itaque quodam viro, diaboli amico, pleno totius nequitiæ dolo, qui priſtinus amicus eſſe ſimulabatur, & erat ei affinitate conjunctus, & præſes erat Oximenſis pagi, & vocabatur CHRODOBERTUS *, videntibus cunctis qui aderant, commendavit ei defendendum omnem locum & Epiſcopium ſuum, ita cum eo loquens: O dulcis amice Chrodoberte, committo fidei & amicitiæ tuæ omne officium Eccleſiæ meæ, & omnem facultatem & ſupellectilem ſubſtantiæ meæ, donec Domino volente redire potero, ut Domini miſeratione & mea oratione ſimulque tua defenſione grex mihi commiſſus ab inimicorum hominum ſervetur incurſione. Benedicens deinde dominus Chrodegandus omnem plebem, & exhortans ut in mandatis divinis perſiſteret, valedicens etiam ſimulatori Chrodoberto, perfuſus lacrymis, cœpit iter agere longæ peregrinationis.

Chrodegandus Romam iturus,

Eccleſiam ſuam commendat Chrodoberto,

* al. Godobertus

11. Sed quia ſcriptum eſt, *Simulatores & callidi provocant iram Dei;* &, *Simulator ore decipit amicum ſuum*; poſt receſſum domini Chrodegandi noluit prædictus Chrodobertus eſſe defenſor loci, ſed magis invaſor & deprædator populi. More namque luporum cœpit commendatas ſibi oves non defendere, ſed dilaniare cœpit, ſubſtantiam earum auferre, & neminem ſinebat quiete vivere. Poſtponens itaque omnem amicitiam, & pro nihilo ducens affinitatem, poſtquam res Eccleſiæ cunctas crudeliter diripuit, contra decreta antiquorum Patrum & inſtituta omnium canonum, dum adhuc dominus noſter Chrodegandus viveret, & Domino in peregrinatione deſerviret, eidem Eccleſiæ Sagienſi fecit ſe Epiſcopum ordinari. Tum vero non accepta juſta benedictione, ſed repletus divina maledictione, non ſicut paſtor agebat, ſed ut mercenarius iniquus; ſola lucra terrena quærens, animarum ſalutem parvipendens: ardentius enim mammonæ, quam Domino ſerviebat.

qui homo rapaciſſimus & ſedis invaſor.

12. Cum hæc agerentur, ſoror beati Antiſtitis, miſeriis & calamitatibus afflictæ Eccleſiæ condolens, aſſidue Dominum deprecabatur, ut ab hac op-

Poſt annos ſeptem reverſus,

CIRCA AN. 770 22. Apr.

oppreſſione Sagienſem familiam liberaret, & fratrem ſuum ei ſanum videre concederet. Superna itaque pietas quæ clamantes ad ſe exaudit, cito quod ſancta Opportuna precabatur, ad effectum perduxit. Nam vertente anno ſeptimo peregrinationis domni Chrodegandi, & incolumem ſorori ſuæ eum oſtendit, & ab omni peccatorum contagio mundatum per martyrii palmam ad cœleſtia regna evexit, & de manu tyranni Chrodoberti plebem ſuam liberavit. Nempe cum rediret B. Chrodegandus, multorum relatione didicit tyrannidem ſcelerati Chrodoberti. Cognita igitur illius nimia cupiditate & crudelitate, memor dominici præcepti, dicentis: *Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*; obnixe Dominum precatus eſt, ut peccatis Chrodoberti parcendo veniam daret. Poſtea vero eumdem per nuntios blande admonuit, ut a nequiſſima invaſione & inaudito ſcelere animum revocaret. Noluit enim primum ad Sagienſem Eccleſiam pergere, ſed ne locum daret diabolo, divertit ad jam dictum Monaſteriolum; ubi ſoror ejus ſollerter Domino deſerviebat. Cum veniſſet autem nuntius digni Deo Præſulis ad jam dictum tyrannum, ille ſimulans ſe gaudere de reverſione amici, fraudulenter talia remiſit ei mandata: Noveris, dulciſſime Pater, quoniam viri de longinquis patriis advenientes te ab hac luce migraſſe dixerunt. Sed quia ſoſpes reverſus es, omni tuæ ſedis & pontificatus poteſtate recepta, utere ea longo tempore feliciter. Non enim in uno Epiſcopio decet duos Epiſcopos reſidere. Precamur itaque, ut ſimul loquentes priſtinis utamur amicitiis, ſicut expetit ordo charitatis & mutuæ dilectionis. Feſtinabat nuntius dicta impii Chrodoberti nuntiare auribus domini Chrodegandi. Sed ubi Epiſcopus cum ſorore ſua verba audivit fraudulenta, talem B. Opportuna, ſpiritu prophetiæ repleta, reſponſionem dedit: Scias, frater, quia molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. Cognoſcentibus autem illis, quia appropinquabat tempus vocationis B. Chrodegandi, & quia Deus vellet eum numero ſanctorum Martyrum & Epiſcoporum per effuſionem ſanguinis conjungi; cœpit tamquam pius paſtor iter arripere, ut animam ſuam pro ovibus ſibi a Domino commendatis poſſet ponere.

Marginal notes: invaſorem monet de reſtituenda ſede, — cui ille annuere ſimulans,

13. Sed lupus rapax Chrodobertus ſecum pertractans, quia ſi paſtorem interficeret, ſecure poſtea oviculas dilaniaret; cœpit more Phariſæorum & Judæorum qui Dominum crucifixerunt, intra ſe quærere, quomodo ſanctum Epiſcopum poſſet ſic interficere, ut immunis populo videretur ab ejus ſanguine. Nec defuit ei conſilium traditoris Judæ: quia ut Judas, plenus erat diabolicæ perſuaſionis ſuggeſtione. Habebat ſiquidem ſecum virum malignum, qui fuerat B. Chrodegandi filius ſpiritualis, quem de unda baptiſmatis ſacri levaverat, & loculos ipſius, ſicut Judas Domini, deferebat: & eumdem ſceleſtum virum divitiis & honoribus alliciebat, ut ſi beatum Chrodegandum interficeret, majorem gratiam præ ceteris ſibi adſtantibus obtineret. Acceptis itaque auri & argenti, terrarum equorumque muneribus, jurando promiſit, ſe B. Chrodegandum interfecturum. Hoc ergo Chrodoberto magnum peperit gaudium.

Marginal note: de Chrodegandi nece tractat cum ejus filiolo,

14. Quadam igitur die cum B. Chrodegandus vellet Alamanniſcas [a] Cœnobium pergere, ut cum venerabili LANTHILDE * ſibi affinitate conjuncta de divinis ſermonibus colloqueretur; dum tranſiret per Nonantum prædium, vidit eum filius diaboli Chrodobertus per feneſtram cœnaculi. Tunc advocato ſancti Chrodegandi filiolo præcepit; ut ad necem ſancti Pontificis properaret, ſi dicta munera obtinere vellet. Qui ſponte properans, ad ſanctum Chrodegandum acceſſit, & repletus diri draconis aſtutia, torvis & crudelibus oculis ſanctum virum adſpiciens, mortiferum venenum ſub lingua aſpidea & antro cordis retinebat. Quod videns B. Crodegandus,

Marginal notes: a quo ſecuri percutitur Chrodegandus. — * al. Lanhilde, Lanchilde

[a] Alamanniſcæ, Parthenon agri Sagienſis, vulgo *Almeneſches*, hactenus exſiſtit ſub Regula S.P. Benedicti, ad rivulum in Ornam influentem ſitus, a quo non longe diſtat Nonantum opidulum, vernacule *Nonant*.

Digitized by Google

dus, & calliditatem animadvertens, ſereno vultu dixit: Quid eſt hoc, fili ? ut quid peſtiferæ cogitationes virulentum animum tuum conturbant ? an ignoras, quia ego ſum ſpiritualis pater tuus Chrodegandus ? quid moraris? fiat quod permittit Domini voluntas. Ipſe autem truculentus & audax, oſculari ſe ab Epiſcopo petiit. Tunc glorioſus Chrodegandus elevans oculos in cœlum, & ſciens jam imminere horam mortis, oravit ad Dominum, & dixit: Domine Jesu, piiſſime Redemtor, ſuſcipe ſpiritum meum quem dediſti, & cuſtodi gregem quem commendaſti mihi peccatori. Utinam merear cum eis regnare in cœlis, pro quibus non dubito ſuſtinere paſſionem in terris. Cumque de cœlis exauditam eſſe deprecationem ſuam audiret, mox percuſſori ſuo in ſimplicitate cordis oſculum dabat libentiſſime. Ille autem evaginato gladio, ſanctum Dei Pontificem bis in ſincipite percuſſit. Cujus venerandi capitis percuſſionum cicatrices, quaſi a Medicis ſanatæ, modo nobiſcum Domino donante manent & apparent. Sic dilectus Deo Pontifex & Paſtor bonus noſter Chrodegandus vitam in terris finivit, & angelicis cœtibus ſpiritus ejus in cœlis conjunctus eſt tertio Nonas Septembris. Quia in modico fidelis fuit, nunc in gaudium Domini ingreſſus, ſupra multa eſt conſtitutus. Qui autem eum interfecit, in eodem loco a dæmone arreptus, nec data munera obtinuit, & ad inferna, heu pro dolor ! celeriter deſcendit. Chrodobertus quoque auctor miſeræ calamitatis, divinæ percuſſionis ultione turpiter & quidem brevi vitam finivit: quia non poteſt bene mori, qui male vixerit.

CIRCA AN. 770 22. Apr.

NOTA.

Cædis auctores puniti.

15. Quidam autem hæc videntes religioſi viri & vicini, cum pſalmis & cereis conati ſunt corpus ſancti Chrodegandi proprii Epiſcopi de terra erigere, ut juxta conſuetudinem eccleſiaſticam illud mandarent ſepulturæ. Sed tanto pondere hæſit in terra *a*, ut a nemine illorum poſſet moveri. Quo comperto, ſancta Lanthildis cum Sanctimonialium agmine acriter lugendo & flendo cœpit illuc pergere: cui ſimiliter contigit: nam nulla ratione, corpus ſanctum potuerunt de terra levare. Relatio igitur tanti doloris ad B. Opportunam pervenit, quod ſcilicet frater ejus injuſta factione Chrodoberti jugulatus jaceret in terra, & a nullo poſſet inde levari. Quæ in Eccleſia exſiſtens, cum omnibus Sanctimonialibus ſibi ſubditis Domino commendabat animam fratris: & a Sacerdotibus Miſſarum officiis celebratis, Deo obtulit ſacrificia ſinceriſſimæ orationis. Didicerat enim Spiritu-ſancto ſibi revelante, jam fratrem ſuum ad cœlum migraſſe cum palma martyrii. In ipſa quoque divina revelatione Dominum deprecata fuerat, ut corpus fratris ſui tamdiu immobile in terra jaceret, donec pro ejus anima congruas Domino preces funderet, & dehinc propriis ulnis in Eccleſiam ad locum ſepulcri deportaret. Orabat amita ſancta Lanthildis, ut corpus ſancti Chrodegandi Epiſcopi & Martyris a terra elevaretur *b*; precabatur neptis B. Opportuna, ne corpus fratris moveretur. In ambabus erat ſanctitas, ſed in domina noſtra Opportuna fervebat charitas fraterna. Vicit itaque S. Opportunæ orationis aſſiduitas, ut ſciamus, quoniam omnia præcellit charitas. Dignum namque erat, ut B. Opportuna, quæ fraternæ mortis dolore torquebatur, gratia exauditæ deprecationis a Domino conſolaretur. Suſcepto itaque nuntio tanti doloris, mortem fratris referentibus amariſſimis B. Opportuna perfuſa lacrymis dixit: Domine mi Jesu-Christe amator & diſpenſator fraternitatis, permitte me ſimul gaudere cum fratre meo in cœleſtibus regnis. Bonum eſt enim & jucundum habitare

Corpus primo immobile,

---

a Nihil hoc de miraculo legitur in Vita S. Chrodegangi ab Herardo Turonenſi Archiepiſcopo ſcripta: ſed recitata ipſius nece hæc ſubinferuntur: *Tanta de abſente Paſtore mœſtitia, quanta fuerat de præſente lætitia, beata Opportuna ſorore antefata ſtudente ad antedictum Monaſteriolum defertur: ibique corpus Beatiſſimi tumulo novo, competenti honore reconditur, & juxta ſanctum altare ejuſdem Eccleſiæ tumulatur.*

b Nulla fuiſſet contentio inter amitam & neptem, ſi utraque in eodem Cœnobio vixiſſet.

CIRCA AN. 770 22. Apr.

tare fratres in unum. Precor, Domine, ut quos conjunxit in terris fraterna nativitas, tua nos in cœlis conjungat benigniſſima pietas.

per S. Opportunam mœrentem fertur Monaſteriolum.

16. Denique oratione completa, ad fraterna perrexit funera. Et reſpiciens exanimum fratrem, ſemiviva cecidit in terram, & ſanctis manibus creberrime pectus percutiens dicebat: Circumdant me ex omni parte inæſtimabiles anguſtiæ, quia deſtituta ſum fraterno ſolamine. Heu me, quid modo faciam? Heu me peccatricem, quo me vertam, aut quid dicam? Subveni, Chriſte: ubi erit deinceps conſolatio mea? Nimirum ipſe mihi frater, ipſe pater & mater & dominus meus exſiſtebat, & in omnibus adjutor meus erat. Inter acerbos dolores & luctus varios venerabilis Lanthildis & omnes qui aderant, ſanctam Opportunam mœrentem dulcibus verbis conſolari ſtudebant, dicentes: Ceſſa, dilecta Deo Opportuna, deſine jam Martyrem Chriſti, fratrem tuum flere, quem citiſſime, ſicut deſideras, videbis cum Chriſto feliciter regnare. Intermitte modo pro illo lacrymas fundere, cujus ſacra interceſſio nobis poterit apud Deum prodeſſe. Nulli enim dubium, quia qui pro inimicis & interfectoribus ſuis oravit, noſtri quoque memoriam habebit. Quanto enim Chriſto plus adhæſit, tanto majora nobis beneficia præſtabit: quia licet ſit nobis abſens corpore, tamen ſuis amatoribus non deeſt ſancta interceſſione. Hæc Beata Opportuna audiens, corpus fratris inter ulnas ſuſcepit, & quem multi & fortiſſimi viri nequiverunt a terra levare, ipſa cœpit ſola ſine labore portare. Igitur Beati Chrodegandi corpus cum multitudine populi, diverſi ordinis Clericis & lamentantibus Virginibus, cum cereis & reſonantibus pſalmis, perducitur ad jam dictum Monaſteriolum, ibique debito honore, agente Beata Opportuna conditum ſepelitur *a*: ubi etiam per multa annorum curricula per ejus merita multa virtutum inſignia operata eſt divina clementia, cui eſt laus & honor per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

Opportuna miraculis potens,

17. Poſt obitum igitur ſancti Martyris & Pontificis Chrodegandi, Dominus noſter JESUS CHRISTUS cœpit famulam ſuam Opportunam inſignibus virtutum miraculis glorificare. Quis enim digne valeat explicare, qualis & quam fervens demum in Dei ſervitio permanſerit? Nam in lege Domini ſine fatigatione quieſcebat, & nulla turpi converſatione inquinabat corpus ſuum. Et quia a conſuetudine peccandi omnimodis ſe retrahebat, maximam a Domino in curandis infirmis eſt gratiam adepta. Nam multi ad eam variis modis oppreſſi venientes, per orationes ejus a Domino ſanitatem recipiebant. Claudis per invocationem greſſus reſtituebat, cœcis viſum reformabat, & ab obſeſſis corporibus dæmonia ejiciebat. Cum flentibus flebat, & omnibus, quibuſcumque poterat, conſolationem adhibebat. Omnes quippe qui ad eam aliqua oppreſſi calamitate aut gravati adverſa valetudine, vel furis aut raptoris damno afflicti veniebant, gaudentes, deſideriorum ſuorum vota conſecuti, revertebantur. In ipſa ſemper erat jugis oratio & aſſiduus gemitus. Corpore integra perſiſtens, mente & operatione ſemper cœlum intendens, beati Pauli Doctoris gentium imitatrix effecta, dicentis: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Tota mentis virtute ſpernebat gaudia hujus vitæ & cuncta delectamenta ſæcularium voluptatum, modis omnibus deſiderans conjungi agminibus cœleſtium virtutum. Orabat namque, ut poſſet diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Antequam autem anniverſarius dies obitus fratris ſui appropinquaret, nimiis vigiliis & jejuniis corpus affligens, ſuppliciter Dominum deprecabatur, dicens: Redemtor mundi, cui ab infantia deſervivi, quique me hucuſque cuſtodiſti, fac me ancillam tuam cum Martyre tuo fratre meo Chrodegando velociter in cœlum ſuſcipi, ut tecum gaudeamus in æter-

optat diſſolvi. Philipp. 3.

a S. Chrodegangus ſeu Chrodegandus ibi jacuit per annos fere centum, donec per Hildebrandum Sagienſem Epiſcopum, graſſantibus Nortmannis, in Eccleſiam Sagienſem, deinde in alias translatus eſt, uti in ejus Actis ab Herardo Turonenſi Epiſcopo ſcriptis legitur.

Digitized by Google

æternum, cui ſervivimus in hac mortali peregrinatione. Intelligens autem ſe a Domino exauditam, & ſciens imminere diem optatæ vocationis ſuæ, convocavit Sorores, quibus non tantum præerat, quantum proderat, & talibus eas allocuta eſt verbis: Dulciſſimæ Sorores & amantiſſimæ filiæ, ſatis dignum & congruum videtis, ut pro conceſſis nobis a Domino beneficiis gratias illi ſecundum virium noſtrarum quantitatem referamus; & pro negligentiis & multimodis peccatis noſtris veniam ab eo & indulgentiam implorare ſatagamus. Quidquid enim boni in nobis eſt, ab illo accepimus: quia ſine ipſo nihil boni facere aut cogitare poſſumus. In illo namque vivimus, movemur, & ſumus. Quid enim nos ſumus, niſi corruptibiles creaturæ? & quid poſt mortem erimus, niſi pulvis & cinis? Certe caro noſtra quam modo nimis diligimus, & cui quantum poſſumus divitias & delicias præbemus, cum in terra ſepulta fuerit, a vermibus conſumetur. Jam floremus & ſuperbimus in mundo: poſt mortem erimus putredo & vermis. Et quod cum dolore nimio profiteor, impiis erit in inferno perpetua damnatio. Hæc, dilectiſſimæ filiæ, convenit omnibus Chriſti ſanguine redemtis in memoria habere, quia exhortatur nos Scriptura dicens: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima sua, & in æternum non peccabis*. Deinde ante pedes filiarum proſternens ſe, ream ſe & peccatricem confeſſa eſt, dicens: Noveritis, Sorores, quia appropinquat hora temporalis mortis meæ: & ideo cum omni humilitate benignitatem veſtram deprecor, ut mihi pro amore Dei dimittatis, ſi aliquam ex vobis læſi, aut ſi vobis moleſta fui, & ſi aliquid indecenter contra Regulam de rebus veſtris, quas mihi commendaſtis, egi. In his enim & aliis multis me peccaſſe agnoſco. Et idcirco pro illius amore parcite mihi, qui dixit: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cœleſtis peccata veſtra*. Talia beatæ Opportunæ adſtantes Sorores audientes verba, diutiſſime præ repentino dolore conticuerunt: & deinde eam a terra levantes, & ſermoni ſingultus varios & lacrymas intermiſcentes: Mater, inquiunt, dulcis Opportuna, nobis multa bona præſtitiſti, & nos numquam læſiſti: ſi autem in aliquo deliquiſti, parcat tibi & indulgeat pietas Chriſti, quem ſemper amaſti.

CIRCA AN. 770 22. Apr.

Ad ſuas verba facit.

Eccleſ. 7.

Veniam ab eis petit.

18. Poſtquam autem illa cunctis Sororibus ſecundum petitionem earum indulſit, taliter reſidens inter illas cœpit loqui: O Sorores cariſſimæ, diligenter attendite verba exhortationis meæ noviſſimæ. Sicut duo ſunt opera, bonorum ſcilicet & malorum: ita duo ſunt retributionum loca, juſtorum & impiorum. Attendite ergo, ut bona operantes & a malis caventes, in retributione juſtorum inveniamini: cujus bonæ operationis radices tres ſunt præclaræ & magis inſignes, fides, ſpes & charitas, *&c.* Precor ut cum ab hac luce poſt diem duodecimum migravero, ſepeliatis me juxta ſepulcrum Martyris Chriſti domni Chrodegandi Epiſcopi.

Eas ad bona opera hortatur.

19. His & aliis ſanctis alloquiis confortans Sorores, cœpit Beata Opportuna gravi corporis infirmitate detineri, & febris moleſtia prægravari. Cumque membra corporis lectulo dediſſet, & omnes artus ejus vir morbi infeſtaret, tamen ab ore ejus laus Dei nullatenus recedebat. Exacta autem quadam nocte, dum jam aurora diei ſequentis inciperet, in domo ubi quieſcebat, maximi luminis ſplendor apparuit, & ſuaviſſimi odoris mira fragrantia efferbuit. Tunc dilecta Deo Virgo vidit beatam Cæciliam & ſanctam Luciam cauſa viſitationis ad ſe venire: quas cum vidiſſet, blando ſermone ita ſalutavit: Avete, ſorores, Cæcilia & Lucia: quid præcepit ancillæ ſuæ glorioſa virgo Maria, cœleſtis regina, & omnium virginum domina? Reſpondentes ſacræ virgines Cæcilia & Lucia, dixerunt: O ſplendidiſſima ſponſa Chriſti Opportuna, exſpectat adventum tuum intacta virgo Maria, ut filio ejus conjungaris in cœlo, quem totis viſceribus dilexiſti in mundo. Ornata corona gloriæ tuæ & accenſa lampade, debes ire obviam Sponſo & Sponſæ. Poſt lætitiam autem tam præ-

Morbo correpta, viſitatur a SS. Cæcilia & Lucia.

CIRCA AN. 770 22. Apr. Dæmonem videt interrita. præclaræ viſiônis & viſitationis, ecce in ſiniſtro angulo domus adſtitit terribilis dæmon & nimis ferox, in ſpecie nigerrimi Æthiopis, cujus capilli & barba diſtillabant quaſi picem calidam & liquidam. Oculi ejus erant quaſi ferrum ignitum, quod de fornace multis ſcintillis emicans producitur. De ore & naribus ejus flamma exierat & vapor ſulphureus. Quem videns B. Opportuna, imperterrita dixit : Præcipio tibi, diabole, auctor totius malignitatis, ne ab hoc loco movearis. Tunc omnes Sanctimoniales advocans, & denuntians eis, quam terribilis ibi adeſt inimicus, dixit eis : Ecce ſpiritus immundus & totius malitiæ repertor, qui omnibus diebus nos impugnabat, Domino adjuvante ab ancilla Chriſti victus confunditur. Precor itaque, amantiſſimæ Sorores, ne ejus ſuggeſtionibus & incentivis cogitationibus adquieſcatis. Tunc converſa ad eum, dixit : In nomine Domini recede a me, ferox & truculente inimice Chriſti, quia non me ancillam Chriſti ſuperabis, ſicut Evam primam feminam ſuperaſti. Ex hac ergo viſione & S. Opportunæ admonitione de cetero Sanctimoniales ferventiores in Dei ſervitio exſtiterunt.

Viatico munita, 20. Cumque jam prægravante corporis infirmitate duodecimo die, ſicut ipſa domina noſtra Opportuna prædixerat, ſciret adeſſe horam vocationis ſuæ, præcepit Sacerdotibus pro animæ ſuæ commendatione Miſſarum ſollemnia celebrare : juſſit etiam, ut omnes Sanctimoniales a majore uſque ad minorem Domino offerrent libamina : quod cum factum eſſet, juſſit dominicum corpus adferri & ſibi dari. Quo accepto, dixit : Corpus tuum, Domine, proficiat mihi ad ſalvationem animæ meæ. Et dum Clerus in exitu ſanctæ illius animæ, & adſtantes Sanctimoniales pſalmos decantarent, & ipſa cum eis decantaret; reſpiciens ad oſtium domus, dixit his qui pſalmos decantabant : Ecce advenit domina mea B. Virgo MARIA, cui vos commendo, quos in hoc ſæculo amplius non videbo. Extendente autem ea brachia, quaſi Matrem Dei vellet amplexari, ſancta ejus anima carne eſt ſoluta *a*, & vivit cum Chriſto per æterna ſæcula. Cumque omnes unanimiter quaſi propriam deflerent matrem, ſepelierunt eam juxta ſepulcrum fratris ſui, ſicut ipſa vivens deprecata fuerat : ibique Dominus noſter JESUS-CHRISTUS per merita amborum multa miracula operatus eſt longo tempore, quamdiu corpora eorum ibidem quievere. Poſteaquam vero corpus beatæ & admirandæ Opportunæ ab eo loco a fidelibus viris tranſlatum eſt, quocumque acceſſit, & quocumque in loco, prædio, caſtello aut villa depoſitum fuit, permultæ virtutes per ejus interceſſionem effectæ ſunt, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt laus, honor, virtus & poteſtas cum Patre & Spiritu ſancto per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

[Margin: viſa B. Maria obiit. Sepulta juxta fratrem.]

*Hæc apud Surium. * Ego humilis ADELMUS, Sagienſem ſupra plebem Epiſcopus, adjuvante Domino deſcripſi Vitam beatæ Opportunæ.

L I.

a De anno certa non poteſt ferri ſententia. Chrodegangus ejus frater ſediſſe dicitur circiter annum 765. cui uno dumtaxat anno ſupervixit Opportuna, cujus obitum reponimus anno 770.

LIBER MIRACULORUM

CIRCA AN. 770
22. Apr.

Ad mſ. cod. Eccleſiæ collegiatæ ſanctæ Opportunæ reſtitutus.

PROLOGUS ADALHELMI.

1. DOMINO *miſerante* ADALHELMUS, *Sagienſium plebium humilis Epiſcopus*, *nec non B. Karileſi* a *Monachus & ſervus*, *omnibus Chriſti ſanguine redemtis gaudium vitæ præſentis & gloriam æternæ beatitudinis*. Adjuvante Domino deſcripſi Vitam dominæ noſtræ Opportunæ & converſationem & obitum ejus: nunc vero per auxilium S. Trinitatis narrare cupimus miracula, quæ in diverſis locis per eam operata eſt pietas ſuperna. Partim ergo de iis ſcribemus ſicut vidimus, & partim quæ ab aliis audivimus. Vivebant * enim adhuc multi, qui cœci & claudi, muti & dæmoniaci, per interceſſionem & merita ejus a Domino curati ſunt: quorum narrationi ſatis fidem credulitatis adhibere poſſumus: quia cicatrices infirmitatis oſtendunt ſigna ſanitatis. Sciat autem omnis Lector, quia non ſequemur ordinem narrationum in expoſitione virtutum: ſed prius ea quæ vidimus, & quæ in eodem loco ubi nunc ſanctum corpus ejus veneratur, qui vulgo dicitur Monciacus *b*, operata eſt narrare diſponimus. Quare itaque ego hebes & inſipiens, auſus ſum incipere: ſi placet, audite.

Auctor viſa & audita narrat.
* al. vivunt

2. Antequam Epiſcopatum hujus Eccleſiæ obtinerem, narrabantur miracula ejus, & a nullo ſcribebantur. Vocatus autem Epiſcopus & nondum effectus, cum quidam offerrent munera, ut decus oſtenſæ benedictionis a me auferrent, & locum honoris ſibi vindicarent; humiliter votum vovi eidem dominæ ſanctæ Opportunæ, quod ſtuderem miraculorum & vitæ ejus piſticus * ſcriptor exſiſtere, ſi mihi dignaretur auxilium impendere, quo poſſem inſurgentes æmulos devincere. Dominæ itaque Opportunæ interceſſionis auxilio, potitus ſum optatæ benedictionis privilegio: ſed gemens fateor, & pœnitens confiteor peccatum negligentiæ meæ. Accepta namque benedictione, pro nihilo duxi votum promiſſionis meæ. Quia vero omnipotens Deus peccata noſtra aut in præſenti punit, aut futuro reſervat punienda; propter peccatum commemoratæ negligentiæ meæ, in ipſo anno ordinationis meæ traditus ſum manibus crudeliſſimæ gentis Nortmannicæ: qui me captivum ligantes quaſi vile mancipium, vendiderunt trans marinas regiones. Hoc igitur factum eſt exigentibus peccatis meis, ut ſcirem quia non debet ſuperbire terra & cinis; & quia melius eſt non vovere, quam vota non reddere. Poſt multa itaque Nortmannorum ludibria, & quæ mihi intulerunt creberrima verbera; poſt diverſa maris fluctuantis & procelloſi pericula, poſt nimii frigoris & nuditatis & diræ famis, necnon longioris itineris impedimenta, cum placuiſſet pietati & miſericordiæ Domini & Redemtoris noſtri, quæ peccatores ſolita eſt confortare, ut mihi concederet redire in terram nativitatis meæ; ſcire convenit fraternitati veſtræ, quantum mihi profuit interceſſio beatæ Op-

Narrat cauſam ſuſcepti operis.
* fidelis

Nortmannis venditus exſulat.

E naufragio per Sanctam ereptus.

a Aniſolenſe S. Karileſi Monaſterium apud Cenomannos antiqui appellabant. Lege Vitam S. Siviardi Abb. ſupra ad ann. 729. & Acta vetuſta Epiſcoporum Cenomannenſium, in quibus *domnus* ALBANUS *ejuſdem Monaſterii Abbas* Eccleſiam S. Karileſi *a fundamento renovaſſe*, & in eam *corpus domni Karileſi* per FRANCONEM ſecundum, Cenomannicum Epiſcopum, principatu Ludovici Auguſti tranſtuliſſe fertur.

b Monciacus, vulgo *Moncby le neuf*, diœceſeos Pariſienſis, Silvanectum verſus, vicus eſt habens Prioratum S. Opportunæ Monaſterio S. Martini a Campis Ordinis Cluniacenſis ſubjectum: quem in locum S. Opportunæ Reliquiæ primum ex Monaſteriolo translatæ ſunt infra num. 8. poſt Lutetiam, excepto capite, quod Monciaci hactenus adſervatur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 770 22. Apr.

portunæ. Super fluvium Somenæ ad opidum quod dicitur S. Valerici *a*, cum voluiſſemus devenire, violentia marinæ acceſſionis anticipati & oppreſſi qui mecum erant, in jam dictum fluvium Somenæ de equis ceciderunt, inter quos & ego miſerulus cecidi. Cumque mihi jam nulla ſpes eſſet vivendi, taliter clamare cœpi: Sancta Opportuna & beate Karileſi, liberate pereuntem ſervum veſtrum. Quorum adjutorio, cum non haberem peritiam natandi, ad ripam fluminis adjutrice ipſa beata Opportuna, ut mihi viſum eſt, deveni. Hujus itaque ſanctæ Opportunæ inſigne miraculum dignum judico ſcribere primum.

INCIPIUNT MIRACULA.

Contracta erigitur.

3. DEINDE aliud quod mecum multi viderunt, ſcribere non tardo. Quidam vir nomine Adalbodus, uxorem ſuam debilem ad Eccleſiam beatæ Opportunæ deportabat: cujus miſeræ feminæ genuum poplites greſſus ambulandi denegabant, quia nervis ſiccatis crura coxis adhæſerant, & extendere tibias ad uſum eundi nullatenus poterat. Quodam die cum inundatio pluviarum fecit magnum lutum platearum, & miniſtri Eccleſiæ depulſarent ſigna ad officium veſpertinale; illa miſerabilis femina quaſi reptando & genua vix trahendo per medium lutum ad Eccleſiam, ut poterat, feſtinabat: quam qui aderant videntes taliter incedere, lacrymas cœperunt pro illa fundere. Cumque eam vellent inter brachia ad Eccleſiam deferre, dixit eis: Sinite me ita incedere, ut domina mea videat Opportuna afflictionem ancillæ ſuæ. Quæ ingreſſa Eccleſiam, in ipſa nocte per virtutem ſanctæ Opportunæ a Domino recepit ſanitatem: tamen diutiſſime decucurrit a capite ejus immenſitas ſudoris, oſtendens eam habuiſſe acerbitatem graviſſimam doloris. Statimque concurſus factus eſt populorum Dei laudantium miſericordiam, qui ſic magnificare dignatus eſt virginem ſuam Opportunam. Vocatur autem eadem femina Aldecudis quæ nunc recte ambulat & glorificat Deum.

Impotens vegetatur.

4. In villa quæ dicitur Vituriacus, erat vir quidam nomine Otolgrinus, qui ita erat omnium membrorum officio deſtitutus, ut neque manus poſſet ad eos ducere, neque etiam ſalivam de ore ſine adjutorio alterius projicere. Qui cum rogaret ſe perduci a parentibus & amicis ad beatæ Opportunæ Oratorium, videntibus cunctis qui ad celebrationem Miſſæ dominica die convenerant, quaſi ſemivivus in Eccleſia eſt poſitus. Præcepimus autem ut pro recuperanda ejus ſanitate Domini miſericordiam deprecari ſtuderent. Poſt paucos autem dies ſanus effectus orationibus ſanctæ Opportunæ adjutus, gratias egit deferens vota ſua devotus.

Arreptitia liberatur.

5. Illud quoque ſignum non debemus tacere, quod per eamdem dominam noſtram Opportunam JESUS-CHRISTUS nobis præſentibus dignatus eſt perpetrare. Hoſtis generis humani diabolus quamdam feminam invaſit, cujus membra per ſingula diei & noctis momenta diverſis modis, heu, pro dolor! torquendo dilaniabat. Vir autem ipſius feminæ eam valde diligens ſollerter cuſtodiebat, & per multa Sanctorum loca eam deducebat, ut per deprecationem Electorum Dei ab oppreſſione inimici mereretur liberari. Cum diutius inimicus jamjamque quaſi hereditarium vas poſſideret, & variis cruciatibus miſerrimam feminam turpiter (quod dici dolendum eſt) affligeret; vir ejus audita opinione glorioſæ virginis Opportunæ, ſcilicet quod interceſſio vim ſoleret effugare dæmoniorum; devotus cum prædicta uxore auxilium virtutis ejus expetiit: quo perducta cum eſſet, ſentiens diabolus quod per merita beatæ Opportunæ Dominus vellet nequitias ejus conterere; per os illius feminæ taliter cœpit clamare: Væ, væ, Opportuna, væ mihi, inveterata Opportuna; quæ mihi in Gallia & in Neuſtria ſemper fuiſti contraria: ſæpe oratio tua deſtruxit machinamenta mea:

a Ita reponit Surius. In mſ. codice legitur *Vacria*: an *Valeriacum?* opidum S. Vualarici, vulgo *ſaint Valery*, ad oſtia Suminæ in Oceanum. Lege Acta S. Vualarici Abbatis, in Sæculo 2.

CIRCA AN. 770 22. Apr. teſte Auctore,

mea : inſidiabaris enim mihi, & prius vivens, & nunc mortua. Mihi quoque qui inter ceteros dolens & orans adſtabam, per os ipſius mulieris multa convicia dicebat. Noli ſperare, rudis & neophyte Epiſcope, quod tua virtute ab hac mea egrediar poteſtate. Nihil enim te timeo, ſed virtutem adverſatricis meæ Opportunæ formido, & te inutilem ſervum eſſe ejus cognoſco. Adſtantes autem Sacerdotes & Clerici & vulgaris populus qui ad hoc lugendum ſpectaculum convenerant, nullatenus ab oratione ceſſabant : ſed ſine intermiſſione cum lacrymis Dominum deprecabantur, ut precibus placatus famulæ ſuæ Opportunæ, cum virtute ſuæ potentiæ elideret apertas inimicitias fraudis diabolicæ. Infuſa autem ipſa femina benedictę aquę adſperſione, & ſignata ſigno crucis dominicę, cum legerentur ſuper eam orationes huic opeſi congruentes, & perventum fuiſſet ad locum ubi dicitur, *Adjuro te, draco, in nomine Agni qui ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem & draconem ;* mox ſpiritus immundus crudeliter eam vexans, ita ut ungulis & dentibus propria dilaniaret membra, terribili voce clamat : Scias, vetula Opportuna, quia nunc egrediar, ſed cito revertar. Quod cum dictum fuiſſet, ipſa femina pacifice reſedit, & oculos cum manibus ad cœlum erexit, & ad cornua altaris accedens ſe in ſervitium beatę Opportunę permanere promiſit, ſumtoque benedictionis pane ad hoſpitium perrexit. Evolutis autem aliquibus diebus vir ejus eam optans perfrui ſanitate, gaudio repletus voluit ad propria redire. Cumque jam a villa exiret, & cœptum iter carperet ; ecce diabolus cum multitudine ſatellitum in ſpecie luporum atque canum ſuper prędictam feminam irruit. Ipſa autem clamans : Domina Opportuna, libera ancillam tuam ; & uſque ſubtus altare fugit, & dicebat, quia uſque ad oſtium Eccleſię lupi & canes eam ſequebantur : ibique diutius nobiſcum orans, ſine lęſione reverſa eſt. In tali itaque proſperitate quindecim dies permanſit, & ſine aliqua turbatione ubicumque voluit, abſque vexatione perrexit. Cumque hoc vir ejus videret, obtulit *a* pecunias Clericis Eccleſię, ut licentiam haberet ſociandi ſe uxori ſuę. Quod ego audiens nec promiſi, nec prohibui : ne ſi permitterem, viderer voluntati ſanctæ Opportunæ contraire : ſi autem contradicerem, arguerer a neſcientibus, quod cauſa cupiditatis humanæ vellem disjungere amorem nuptialis copulæ. Ipſe autem vir more ſolito volens ad eam ingredi, cognovit eam nequius quam prius a dęmonio vexari. Nam urgente diabolo, manus & brachia turpiter agitabat : tuncque lingua a faucibus exſiliens, ita ut terminum oris & labiorum clauſtra nimis excederet, & nuda tota ab hominibus videretur, inauditam contra Omnipotentem loquebatur blaſphemiam. Cum vero vir ejus non poſſet eam ſolus adducere ad conſuetum Oratorium beatæ Opportunæ virginis, cives condolentes afflictionibus mulieris & ejus mariti doloribus, inter ulnas proprias quaſi pene mortuam projecerunt ante dominę noſtræ Opportunæ Eccleſiam : ibique terræ diutius inhęrens, neque vox in ea audiebatur, neque halitus ſentiebatur, ſed defunctam eſſe proteſtabantur. Lectis ergo orationibus quæ energumenis conveniunt, & poſtea inchoatis pſalmis a quibuſdam, qui pſalluntur in agenda oratione mortuorum ; poſt longa horarum ſpatia illa femina quæ putabatur mortua, quia illa morietur quæ peccaverit anima ; tunc magnas dare cœpit voces in Eccleſia clamans : Domina Opportuna, adjuva me ancillam tuam, quia ero de cetero tua devotiſſima famula, reſuſcita me a morte corporis & animæ. Cum vir ejus blandis ſermonibus eam deliniret, & interrogaret quid ei viſum fuiſſet, reſpondit dicens : Domine mi Helberte, (ſic enim vocabatur vir ille) modo a maximo & truculento lupo devorata fui : & cum me vellent integram homines per pannos cum ignitis tridentibus in foveam ſulphuream projicere, per Dei gratiam liberata ſum adjutorio dominæ meæ ſanctæ Op-

præmiſſis exorciſmis,

voto continentiæ facto.

A dæmone rurſus impetita, ſed non læſa,

tertio ob fractum votum correpta,

denuo liberatur,

voto iterum facto.

a Nota voti reatum pretio dato a Clericis remiſſum diſſimulante Epiſcopo.

CIRCA AN. 770 22. Apr. portunæ. Qualem vis uxorem, quia amplius me non poteris habere? Hæc autem femina Olbiregis vocatur: quæ quamdiu vixit, Domino cum omni devotione corporis & mentis puritate famulabatur, & longo tempore poſt ſuperfuere multi, qui ea quæ narrare volumus ſe vidiſſe teſtabantur.

Sagienſes a Nortmannis vexati, 6. Plebs Sagienſis Eccleſiæ, exigentibus peccatis, a crudeliſſima gente Nortmannorum miſerabiliter affligebatur. Ipſa enim ferocitas paganorum aſſiduis deprædationibus & flammarum incendiis, virorum ac mulierum, pupillorum ac viduarum, infantium & ſenum jugulationibus cunctam regionem devaſtabat. Jam itaque inclytus Rex LUDOVICUS *a*, frater glorioſi & magni domini CAROLI noſtri Imperatoris, Regis ſereniſſimi, (cujus be- *NOTA.* neficiis ſumus quidquid ſumus; cujus vita ſemper a Domino gubernetur) auditis inſignibus beatæ Opportunæ virtutibus, cauſa refugii ſupradictum prædium Moniacum condonaverat eidem dominæ Opportunæ & illuſtriſſimo viro HILDEBRANDO, Sagienſis Eccleſiæ Epiſcopo ſanctiſſimo. Idem ergo Hildebrandus timore prædictæ perſecutionis Nortmannicæ partem Clericorum in Moniacum villam venire juſſit cum ſanctiſſimo corpore dominæ Opportunæ. *Monciacum deferunt corpus S. Opportunæ.* Cumque Clerici victui neceſſaria non haberent, panem enim & vinum parumper habebant; timore famis & nuditatis triſtabantur. Juſſis itaque Pontificis obedientes, cum corpuſculo ſanctæ Opportunæ cœperunt pergere. Quod audientes diverſorum habitatores locorum, virorum ac mulierum, occurrerunt Clericis deprecantes, ut ſanctum corpus mererentur ferre propriis ulnis. Nondum ergo in prædicto Moniaco Eccleſia erat conſtructa, ſed in cujuſdam hominis domo Gozlini quondam beatiſſimum corpus poſuerunt. *Ibi cœcus lumen recipit.* In ipſo ergo die quidam homo cœcus adveniens, per orationem beatæ Opportunæ viſum recepit. Quo etiam die ex diverſis partibus infirmi advenientes, omnes ſanitatem corporum receperunt. Nam quiſquis ejus feretrum eo die potuit tangere, per merita beatæ Opportunæ ſanus effectus eſt a quacumque teneretur infirmitate. *Plures alii ſanati.* Tradunt etiam multi qui tunc vivebant, quia a ſexta hora illius diei uſque dum ſol occumberet, inter claudos & dæmoniacos, mutos & ſurdos pluſquam ſexdecim homines ſanitatem recepiſſent. Quod videntes habitatores vicinorum locorum, prædictum locum venerari cœperunt. Et *Eccleſia iſtic conſtructa.* quanto magis virtutes per interceſſionem beatæ Opportunæ exercebantur, tanto majora dona a fidelibus viris in eodem loco offerebantur. Quorum ſumtibus in honorem ſacræ Virginis Eccleſiam conſtruxerunt, ubi nunc beatæ Opportunæ merita multi venerantur: quia præſtante Domino quidquid ibi cum recta fide quæritur, invenitur. Ægri ſanitatem recipiunt, & peccatores veniam conſequuntur.

7. Prætereundum quoque non eſt, qualiter beata Opportuna quamdam feminam ſuperbiæ & levitatis ſpiritu repletam ad humilitatis viam & divini timoris convertit notitiam: ſiquidem ad laudem Dei pertinet quid- *Pſal.67. 36.* quid in Sanctis ſuis operatur: ſcriptum eſt enim: *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis*. *Matrona ancillis piis injuria plectitur.* Erat quædam matrona nomine Altrudis, cujus ancillæ cum audiſſent a multis virtutes quas Dominus per beatam Opportunam operabatur; quodam die ſabbato hora diei nona tranſacta ad Oratorium ejus pervenerunt. Cum eas domina illarum perquirens didiciſſet quo abiſſent, ſtimulis iracundiæ percita taliter fertur dixiſſe: Quia vacant otio ancillæ meæ, ideo vadunt perquirere oſſa mortuæ neſcio cujuſdam feminæ. Cum eas redire in domum ſuam feciſſet, & verberare voluiſſet; ut oſtenderet Dominus, quantum beatæ Opportunæ meritum apud eum valeret,

---

a Is eſt Ludovicus Germaniæ Rex, Caroli Calvi Imperatoris frater, mortuus anno 876. Carolus Romæ 8. Kalend. Januarii ejus anni coronatus eſt Imperator, & ipſe anno inſequente exſtinctus prid. Non. Octob. Carolo Adelelmus hoc loco fauſtos dies adprecatur. Hic videri quibuſdam poſſit, libellum iſtum ab auctore jam Epiſcopo fuiſſe compoſitum anno 877. ante obitum Imperatoris. Id ſi probatur, Hildebrandus Adelelmi anteceſſor obiiſſe dicendus eſt paullo poſt Concilium Pontigonenſe, menſe Julio anni 776. habitum: quamquam nonnulla infra huic calculo obſtare videntur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 770 22. Apr.

ret, cito ancillis ſupradictæ Altrudis adjutorium præbere dignatus eſt. Nam immenſus dolor viſcerum Altrudem ita invaſit, ut flagellum de manu ejus ceciderit, & tamdiu torqueretur, donec ad Eccleſiam B. Opportunæ ſe portare fecit, ubi ſe culpabilem reddidit, & ſanitate recepta multum poſtea Clericis Eccleſiæ illius profuit, quia quæ neceſſaria illis fuerunt adminiſtravit. Hæc videntes circa manentes feminæ, promtiores fuerunt in ſervitio B. Opportunæ. Cum enim ea quæ dicimus vera ſint, omnia credimus, quia neque noſtra inſipiens, neque alterius docilis lingua enarrare valet omnia, quæ per B. Opportunam Dominus operatus eſt miracula. *tum ſanatur.*

8. Audite ſi placet, qualis B. Opportuna contra odientem locum ſuum exſtiterit. Quia enim in hoc ſæculo mali permixti ſunt bonis, ipſique mali ſemper invident bonis; cum quidam vir, nomine Anaſtaſius, videret Eccleſiam in honore S. Opportunæ eſſe conſtructam, dolens poteſtatem ejus creſcere, diabolica invidia promotus cœpit familiam affligere. Cumque religioſi una ei dicerent, ut pro amore S. Opportunæ ceſſaret ab hac levitatis præſumtione, cum juramento teſtatus eſt dicens: Sciatis omnes qui in hac habitatis villa, quia antequam moriar, illic ubi nunc eſt Eccleſia S. Opportunæ conſtructa, ibi faciam fabarum ſata, & erit ibi leguminum copia. Hujus blaſphemiæ celeriter adfuit vindex interceſſio S. Opportunæ. Statim enim ut a domo exiit, cum quodam juvene nomine Helboldo rixari cœpit: qui Helboldus inermis erat, ſed tantum baculum, quem vulgus furcam vocat, in manu portabat. Cumque Anaſtaſius in armis confideret, & his eum interficere voluiſſet; ab eodem juvene percuſſus cum ipſo die moreretur, omnibus qui aderant dixit, quod ultione B. Opportunæ interierit, & ipſa eum vulneraverat. Moriens itaque confeſſus eſt quod non bene fecerit, quod vivens electam Dei virginem, familiam ejus affligens, deſpexit. *Blaſphemus punitus.*

9. Sæpius placet B. Opportunæ miracula referre, ut oſtendamus, qualiter fideles ſuos & devotos & ſervientes ſibi eadem domina noſtra ſtudet defendere in præſenti vita, ut unanimes ejus laudanda beneficia deprecemur, ut hæc quæ manens & regnans cum Chriſto fidelium ſuorum non obliviſcitur, in hac terra adjutorium nobis præſtare dignetur, ut cum illa eſſe mereamur in æternæ beatitudinis gloria: & omnes qui ejus miracula diligenter audierint & firmiter crediderint, ſive ſcribere juſſerint, & ejus vitam ſecum ſcriptam habuerint, defendat eos omnipotens Deus ab incurſione cunctorum periculorum, & ab inſidiis viſibilium & inviſibilium inimicorum. Eo tempore quo exercitus fortiſſimi Regis BOSONIS *a* circumquaque deprædationes faceret, contigit ut quidam miles ejus Monciacum villam ad prædandum invaderet, dum vixit ille S. Opportunæ ſervulus, ad cujus domum primum devenit prædator rapaciſſimus: & ipſe famulus vocabatur ERCHENTEUS. Cumque prædator qui ceteris præerat, ad januam ejus veniſſet; interrogavit cujus conditionis homo erat. Erchenteus reſpondit: Servus ſum dominæ meæ Opportunæ virginis. Tunc juſſit prædator omnem domum ejus perquirere, & ſubſtantiam ejus auferre. Cumque diceret Erchenteus: Noli, domine mi, familiam S. Opportunæ deprædari; percuſſit eum prædator telo, quod in manu portabat. Cumque ſanguis a capite ejus flueret, & Erchenteus auxilium dominæ noſtræ Opportunæ invocaſſet, dicens: S. Opportuna, ſi non me adjuveris, de cetero ſervus tuus non ero; ſtatim prædator cœcus effectus cecidit de caballo in terram. Poſtea manibus fidelium ſuorum ad Eccleſiam deportatus eſt, & ſe peccaſſe humiliter confeſſus eſt. Donavit quoque equum ſuum Clericis Eccleſiæ & duas libras denariorum; & Erchenteo, ſicut ipſe dixit, ſolidos decem. Et poſt paullulum cum Miſſa celebraretur, ſubtus altare *b* jacens viſum recepit, adhuc *Alius hoſpiti ſanctæ injurius lumen amittit, poſtea recipit.*

a Is eſt Boſo cui Carolus Imperator, cognomento Calvus, Romam ſecundo profecturus anno 877. Provinciam dedit, & corona capiti impoſita Regem appellari juſſit, teſtante Reginone: quique in conventu Mantalenſi Rex Burgundiæ dici voluit anno 879. Lege acta iſtius conventus apud Sirmondum.

b Hinc patet, ſub altaribus loca fuiſſe camerata, ſeu cryptas, in quibus Fideles orationi vacabant. Lege Præfationem hujus Sæculi tomo 1. præfixam.

CIRCA AN. 770 22. Apr.

adhuc tamen virtutem corporis non recepit. Tamen poſtquam promiſit, quia ab omnibus ſociis defenderet familiam ſanctæ Opportunæ, & de circumpoſitis villis omnes prædatores juſſit exire; tota corporis virtute recepta ſanus & lætus reverſus eſt ad propria. Factus eſt itaque fortiſſimus defenſor Eccleſiæ ſanctæ Opportunæ, qui prius exſtiterat prædator & afflictor ipſius familiæ.

Alii homini boves reſtituuntur.

10. De parvis etiam rebus dicenda ſunt miracula, ut de minimis laudetur divina potentia. Quodam tempore furatus eſt latro boves hominis cujuſdam ruſtici. Cumque ruſticus boves ſuos quæreret, & minime reperiſſet, cum loris detulit boum juga in beatæ Opportunæ Eccleſiam. Poſtquam vero vovit, quod ſi aliquando ipſos boves haberet, medietatem beatæ Opportunæ daret, & medietatem retineret; egreſſus de Eccleſia vidit boves ſuos accurrere cum ruptis vinculis ligneis, unde fuerant ligati: & donans quæ promiſerat, reverſus eſt lætus ſicut deſiderabat.

Aliis alia.

11. Dicunt etiam, quod ſi aliquis aliquod pecus ibi voviſſet, illud pecus ſponte veniat frequenter ſine ductore ad Eccleſiam beatæ Opportunæ. Quibus diebus & iſto tempore multi quod perdiderant, promiſſis votis & equos & boves & veſtimenta ſua invenerunt. Hujus rei gratia multa a fidelibus viris ad prædictum locum deferebantur munera.

Pariſiis claudus erigitur.

12. Nec illud oporteret ſilere, quæ Pariſius civitate per eam Dominus dignatus eſt perpetrare. Erat quidam homo nomine ADALARDUS, jam per triginta annos claudus effectus. Hic cum fuiſſet nobilis genere, longa occupatus membrorum debilitate pauper efficitur pecuniæ. Cumque Pariſiaca plebs in nativitate beatæ Opportunæ ad Eccleſiam ejus de nocte conveniret, inter alios prædictus Adalardus adfuit. Quem cum multitudo populi non ſineret Eccleſiam ingredi, virtute qua potuit ante altare pervenit. Qui poſtquam aliquamdiu oravit, ſanus effectus divinam in beata Opportuna virtutem collaudavit. Quo viſo LUDOVICUS Rex cum ſupra ſcriptis donis prata juxta Montem-Martyrum & campellos inſuper prope portam ejuſdem civitatis Eccleſiæ attribuit. Quæ ſuſcipiens bonæ memoriæ HILDEBRANDUS Sagienſis Epiſcopus Eccleſiæ, qui eo tempore Eccleſiæ beatæ Opportunæ Pariſienſis regimen habebat, præfati Regis nutu in ſuſtentamentum Canonicorum præfatæ Eccleſiæ *a* ſervientium ſtabilivit.

Mulieri cœcæ reſtituitur viſus.

13. Revoluto anno cum rurſus nativitas beatæ Opportunæ Pariſius devotiſſime a fidelibus viris coleretur, omnipotens Deus evidens & clarum eſt dignatus perficere miraculum. Namque cum craſtina die Miſſa ſollemniter celebraretur, inter plurimos infirmorum cuneos qui per merita beatæ Opportunæ auxilium divinum exſpectabant in recuperanda ſanitate, adſtabat ibi quædam femina quæ jam longo tempore oculorum lumen amiſerat. Cumque adſtantes homines ſecundum conſuetudinem Chriſtianitatis inter ſe pacis oſcula darent, prædicta femina cœca quemdam hominem quem palpando propius contingere potuit, oſculata eſt. Poſt oſculum autem ſtatim viſum recepit, & eidem homini cui oſculum dederat, dixit: Rurſum mihi præbe, frater, quia nunc quando me oſculatus es, eram cœca, & modo video per beatæ Opportunæ merita. Quo etiam die multi variis infirmitatibus oppreſſi adjuvante Domino ſanitatem receperunt.

NOTA.

Alia offert aviculam mire captam.

14. Quodam igitur die multi congregati deferentes vota ſua, veniebant ad Oratorium ſanctæ Opportunæ: inter quos pauperrima femina ambulans cum nihil haberet quod ſecum ad Eccleſiam deferret, vidit aviculam nomine Acredulam, quam vulgus vocavit Alaudam: quam videns ple-

---

a Pariſiacæ ſcilicet, in qua proinde jam tum erant Canonici. Hanc donationem Eccleſiæ ſanctæ Opportunæ factam confirmavit Ludovicus VII. infra, num. 17 Hoc in articulo duo notanda: unum, montem illum qui Pariſiacæ urbi ab aquilone imminet, Montem-Martyrum fuiſſe appellatum ſæculo 9. alterum, Pariſiis eodem tempore jam S. Opportunæ exſtitiſſe Eccleſiam, cujus regimen Hildebrandus Sagienſis Epiſcopus habuerit.

Digitized by Google

plena fide dixit : Domina Opportuna, ſi tibi placet, veniat hæc avis ad me, ut habeam quod tibi poſſim deferre. Statim avicula ſuper eam reſedit, & ipſa femina eam ſuper altare poſuit. CIRCA AN. 770 22. Apr.

15. Cum jam finem narrandi facere voluimus in ſacræ virginis Opportunæ mirabilibus, a multis narrare audivimus, qualiter ſe vindicaverit de quodam Presbytero nomine ALIMARO, ſpiritu blaſphemiæ repleto, in Silvanectenſi caſtro. Nam cum per merita beatæ Opportunæ innumerabiles infirmi in caſtro Silvanectico tempore UBOLDI glorioſi Comitis reciperent ſanitatem, omnes Silvanectenſes habitatores locum ubi requieſcebat corpus ejus, cœperunt venerari. Tunc quidam Sacerdos Alimarus zelo invidiæ ſtimulatus, dixit hominibus ad eumdem locum venientibus : Sciatis quia in hoc loco nullum ſanctitatis corpus virginis habetur, ſed illuſio & phantaſma eſt hoc quod colitur. Quod audiens Deo religioſus & carus nunc factus Epiſcopus ROBERTUS *a*, dixit: Eia infelix, qua temeritate talia dicens præſumſiſti? ſcias proculdubio quod in proximo tibi a Domino monſtrabitur, ſcilicet quod hoc loco vere corpus Deo amabilis Opportunæ colitur. Ipſo die ſecundum verba domini Epiſcopi Roberti divina ultio ſubſecuta eſt. Nam cum idem blaſphemator quoddam cœnaculum vellet adſcendere, fractis cervicibus ipſo die eſt mortuus. Nam ſpiritum ultimum trahens, deportatus ante altare, profeſſus eſt ſe propter verba blaſphemiæ animam reddere, ut oſtenderetur a Domino meritum ſanctæ Opportunæ.

A L I A   M I R A C U L A.

Ex mſ. cod. Eccleſiæ collegiatæ S. Opportunæ.

16. EO tempore quo domina noſtra Opportuna Sanctimonialibus præerat Abbatiſſa, contigit quadam die famulum cum aſino qui ejuſdem loci negotiis deſerviebat, ſilvam quæ ipſi Abbatiæ & circumjacentium & vicinorum opidorum incolis ad ligna dumtaxat igni deputanda quotquot quique volebant communis erat, aggredi. Qui cum ſolito more aſino onuſto regredi vellet, quia (ut vulgo dicitur) ſemper bonis nocere mali nituntur; ecce ipſius ſilvæ cuſtos, quem lucarium vocant, advenit, qui invidiæ & præſumtionis ſpiritu : aut certe turpis lucri cupiditate agitatus, eumdem aſinum inique comprehenſum incarcerat, & per aliquot dies cuſtodiri mandat. Quo comperto beata virgo Opportuna ad eum feſtinavit : quem in quodam prato ad eumdem pertinente, ipſiuſque Abbatiæ proximo repertum humillime (ut ei conſuetudinis ſemper erat) his verbis affata eſt : Cum nihili obnoxius in lignis uſui noſtro deferendis noſter aſellus cenſeatur, non eſt æquum eum carcerali cuſtodia mancipatum teneri : quamobrem obſecto, ut liberum illum digneris nobis reddere. Ad quam ipſe ſtolidus ridiculoſe reſpondit : Cum pratum iſtud ſale in ſuperficie undique fuerit reſperſum, reddetur vobis. Quod audiens beata Virgo, aliquantiſper propter injuſtitiam commota rediit. Non tamen ſolitum in talibus auxilium, divinum ſcilicet, oblita eſt invocare, in quo fiduciam habuit, & non in homine : ſed aures Dei illico precibus cœpit pulſare. Et quia ſcriptum eſt : *Si quis fecerit voluntatem Dei, hunc exaudit Deus;* quod prius ut impoſſibile illuſio negaverat, veritas ipſa ad exitum perduxit : etenim idem pratum divinitus ſale adſperſum eſt. Itaque ut in craſtino qui hoc ſpectaculum viderant, ipſi lucario retulerunt, non adquievit dictis eorum : ſed rem ipſam viſurus, pratum uſque perrexit, ibique quod audierat oculis conſpexit. Stupore quoque territus

Ob aſinum raptum,

pratum ſale divinitus reſpergitur.

Joan. 9. 31.

a Si iſtud miraculum ab alio Auctore adjectum non eſt, legendum videtur *Adebertus* ſeu *Autbertus*, qui Conciliis Pintigonenſi & Trecenſi ſubſcripſit annis 876. & 77. Nullus enim Rotbertus adnumeratur Epiſcopis Silvanectenſibus ante principatum Rotberti Regis, qui annis fere centum poſt Adalelmum horum miraculorum ſcriptorem regnare cœpit : niſi ſi Rotbertus alius in Epiſcoporum Silvanectenſium indice omiſſus eſt.

CIRCA AN. 770 22. Apr. cogitabat, qualis eſſet iſta viſio. Tandem vero animadvertit quod dixerat beatæ virgini Opportunæ ſe pro aſino roganti : & illico ſe reum iniquæ detentionis ipſius aſini cognovit, atque ſatisfacere quamprimum ſtuduit. Aſinum enim mox ad Cœnobium remiſit, & pratum quod ſale coopertum viderat, Sororibus ipſius Cœnobii in jure hereditario perpetuo legavit, veniamque pro præſumtione ſua humiliter poſtulavit. In hujus autem rei memoriam ipſum pratum ab incolis uſque hodie apud nos Pratum-ſalſum [a] vocatum eſt.

Pratum-ſalſum hinc dictum.

Hic omiſſum miraculum de ave reſuſcitata & aliis claudis effectis.

Anno 1154. S. Opportunæ cenſus dati ab Ludovico Rege, 17. Nec oblivioni tradendum eſt, qualiter anno gratiæ milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto LUDOVICUS Rex Francorum Chriſtianiſſimus & Dux Aquitaniæ, Eccleſiæ ſanctiſſimæ virginis Opportunæ in urbe Pariſiorum ſitæ cenſus & decimas campellorum & pratorum juxta Montem-Martyrum & portam ipſius civitatis, quos vulgus Mareſia vocat, eidem domino pertinentes contulit. Ipſi enim campelli ob aliud inſigne (ut viſum eſt *) ipſi Eccleſiæ fuerant donati. Quod ita contigiſſe narratur. Quidam ſiquidem illis diebus peregrinationis cauſa ſimul ad præſentem Eccleſiam venerant. Dum autem redire ad propria concito greſſu optarent, & breviori via uti quærerent, per loca in ipſis campellis ſeu mareſiis hominibus invia deſcenderunt. Sed prout ſcriptum eſt, *Cor hominis diſponit viam, Domini autem eſt dirigere greſſus;* cum brevius iter quærerent, in longum incommodum inciderunt. In ipſius namque montis declivo baſiliſco obviaverunt, qui alterum eorum ſolo viſu, ut ſuæ naturæ congruit, occidit. Quem ad jamdictæ Virginis ſubſidium deferentes, atque pro eo vota cum precibus fundentes, vitam eidem reddi obtinuerunt. Cujus rei relatione Rex præfatus inductus, eoſdem campellos ipſi Eccleſiæ libere poſſidendos dereliquit.

* num. 12.

Prov. 16. 9.

ob mortuum ſuſcitatum.

DE RELIQUIIS S. OPPORTUNÆ.

Ex Officio eccleſiaſtico collegiatæ ejus Eccleſiæ Pariſ.

Pariſiis ſuſceptio brachii, 1. CArolo quinto Francorum Rege, coruſcantibus in dies ſacræ virginis Opportunæ virtutibus, omnes illius opem in infirmitatibus implorabant, ſacraque pignora poſſidere magis ac magis deſiderabant. Qua pietate ductus vir venerabilis Hugo de caſtro-Girardi, ejuſdem S. Opportunæ Eccleſiæ Pariſiis Capicerius, brachium illius dextrum a Joanne de Puteo Abbate Cluniacenſi impetravit : quod Aimericus de Magniaco Pariſienſis Epiſcopus e Regis baſilica ſeu turriculis, ut vocant, ubi modo regalis platea viſitur, Rege comitante, ſollemni ſupplicatione in præfatam Eccleſiam die dominica infra Octavam Epiphaniæ Domini anno milleſimo (trecenteſimo) ſeptuageſimo quarto devote adportavit : in cujus memoriam ſtatuit, ut quotannis dies feſtus duplex de B. Opportuna virgine cum ſollemni brachii ſupplicatione in perpetuum fieret.

anno 1374.

Aliæ ejus Reliquiæ. 2. Sacrum illius caput in Prioratu de Moniaco quieſcit, demta cranii aliquantula portione, quam Sanctimoniales Almanniſcæ cum brachio ſiniſtro poſſident. Altera maxilla colitur apud Inſulam-Adami in Prioratu S. Godegrandi fratris ſui. Lutetia Pariſiorum coſtam ejus miraculoſam cum brachio dextro & alia portione capſæ incluſa veneratur : reliquum vero corpus apud caſtrum Vindocinenſe * in S. Georgii ſacra æde quieſcit, illuc refugii cauſa Anglis Neuſtriam devaſtantibus exportatum.

* Vendoſme

DE

[a] Vocabulum haſtenus loco hæſit, quo ſacra ſupplicatio quotannis die feſto ſanctiſſimæ Trinitatis cum Reliquiis S. Opportunæ dirigitur, ut me monuit venerabilis vir Mauricius Marcus, Eccleſiæ Sagienſis Canonicus.

Digitized by Google

DE S. AMALBERGA VIRGINE, ET DE RODINO EJUS FRATRE, MONACHO CASINENSI.

AN.CHR. 772. 10. Julii.

1. LIbrum *de geſtis S.* AMALBERGÆ *virginis novem & viginti capitulis a quodam Anonymo deſcriptum exhibuit nobis mſ. codex Bibliothecæ Bigotianæ; ſed cum tot fabulis reſperſum incertiſque narrationibus, ut ſatius viſum ſit quædam ex eo decerpere, quam librum integrum exhibere. Auctoris anonymi ætatem nullo indicio conjicere licuit. Sequebatur in codice Bigotiano* tomellus domni RADBOUDI * ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopi, de vita & meritis paradoxæ virginis Amalbergæ, *una cum hiſtoria de* adventu *ejus Reliquiarum in Gandavenſe Monaſterium S. Petri, & officio Virginis proprio: de quibus poſtea, quam Anonymi lucubrationem expenderimus.* Vita cur omiſſa.

*al. Ratbodi ſeu Ratboldi

2. *In capite* 1. *Anonymus agit* de nativitate & infantia beatæ Virginis, *qua* vitæ ſumſit exordia in pago Ardenna, in patrimonio villa Rodingi nuncupato, tempore quo divæ memoriæ PIPPINUS una cum fratre CARLOMANNO honeſte agebat in ſceptris. *Ejus* pater CHRISTIANUS, mater vero EVA *nuncupati dicuntur*, a ſanguine magnorum Regum Regnique Principibus originem ducentes. *Fabuloſa videntur ea quæ refert Auctor iſte de conſanguineis Amalbergæ, quæ* beatiſſimis Gertrudi, Aldegundi, atque Waldetrudi propinquitatis agnatione proxima *fuiſſe, &* Beggam amitam *habuiſſe fertur cap.* 10. *Fuit quidem Amalaberga, filia ſororis Pippini Majoris-domus, cognomento Landinenſis, conſobrina beatæ Gertrudis Abbatiſſæ Nivialenſis & ſanctæ Beggæ; mater vero ſanctæ Gudilæ: at Amalaberga illa, quæ forſan huic fabulæ dedit locum, annis centum vixit ante Pippini & Carolomanni principatum.* Amalbergæ patria & parentes.

3. *In capite* 2. *Amalberga noſtra* adhuc puella propriis manibus Oratoriolum in viridario parentum conſtruxiſſe *perhibetur; & capite inſequenti, puero ob furtum contracto ſanitatem reſtituiſſe. Dein ſanctus Vvillebrordus dum* Aſternacum Monaſterium *a ſe conditum viſitatum iret; per Ardennam iter agens*, ad illuſtris Chriſtiani domum divertiſſe, *& Amalbergam optimis monitis inſtruxiſſe memoratur capite* 4. *quibus accenſa Virgo tradita eſt* beatæ LANDRADÆ, quatenus eam ſacris erudiret litteris, virtutumque informaret exemplis. *Præerat autem Landrada Cœnobio virginum, quod ipſa in* Beila regio ſaltu *conſtruxerat, in loco* Beſilia *dicto, unde nomen Cœnobio Beliſienſi, ex capite* 5. *Landrada virgo & Abbatiſſa Beliſienſis prima & auctor ea eſt, cujus res geſtas Theodoricus Abbas Trudonianus amplificavit apud Surium, & ipſa annis amplius quinquaginta Caroli ætate ſuperior. Capitis ſexti argumentum eſt*, quod ab inclyto Rege Pippino in conjugium filio ſuo ſit adoptata Amalberga, *in Cœnobio licet Beliſienſi degens: quam renitentem Carolus ipſe*, adſumto ſecum RODINO fratre beatæ Virginis, *inviſerit, & ad conjugii copulam fruſtra pellexerit. Sed ille cum immanem beſtiam* in contigua villa Gersbellia *prætereuntibus infeſtam interemiſſet, virginem ad conſenſum ſui pertrahere tanto molimine aggreſſus eſt, ut ea* in Oratorium Dei Genitricis confugerit, Carolo fores Eccleſiæ confringere volente. *Carolo in patris aulam reverſo, Amalberga ſibi conſulere volens, cœpit* Andanam pergere ad beatam Beggam, *potius ad Monaſterium S. Beggæ, quæ falſo ejus* amita *dicitur hic capite* 10. *Sed* parentibus almæ Virginis e medio factis, HUNDORUS quidam in aula Regis inter nobiliſſimos primus *hoc prænoſcens, eam intercepit, &* relictam orphanam, quaſi ex jure propinquitatis in ſubſtitutione pupillari ſuſcipiens in ſua, in domum genitricis ſuæ nomine RIQUERÆ invitam atque reluctantem traduxit, ut Geſta ejus quædam.

Digitized by Google

AN.CHR. 772. 10. Julii. opportune filio Regis eam traderet. *Pippino mortuo, Francorum Principes de nuptiis Caroli cum Amalberga conſilium iniiſſe dicuntur capite* 12. *Sed ipſa a Rodino fratre ſubmonita venit* ad locum cui Achoius vocabulum eſt, ubi venerabilis ſoror ejus tunc morabatur *: & velo capiti ſuo impoſito, fugam capeſſivit. Miraculis variis in itinere patratis, quæ Auctor a capite* 14. *ad caput* 21. *deſcribit, Carolus capite inſequenti ex Aquitanico adverſus Hunoldum prœlio reverſus,* Tornacum caſtrum *tetendiſſe, & Amalbergam trans mare fugere meditantem,* in villa Materna pagi Bracbatenſis *deliteſcentem conveniſſe fertur. Verum illa a* WALDULFO *Presbytero, qui in ejus comitatu erat, præmonita, in loci Oratorium S. Martino ab ſe poſitum confugiſſe : quo Carolus* temere irruperit, eique martyrium, *hoc eſt brachii luxationem,* intulerit : *ſed mox a Domino ſanatam. His geſtis Carolo* Valentianas caſtrum *profecto in facti pœnam inflicta febris : qui per Fulradum Abbatem Virgini* in villa Tempſeca *degenti cum muneribus miſſum ſanitatem impetravit. Denique Amalberga e vita* migravit anno incarnati Verbi ſeptingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Indictione decima, 6. Idus Julii, anno ætatis trigeſimo primo. *Sepulta* in Eccleſia, quam ipſa in honore Dei Genitricis conſtruxit apud ſui juris villam Tempſecam, poſitaque ad dexteram altaris.

4. *Quæ hactenus de Caroli cupitis cum Amalberga nuptiis relata ſunt, nullo Scriptorum veterum nituntur teſtimonio. Ratbodus quidem Trajecti ad Rhenum Epiſcopus, anno uno ante initium ſæculi decimi mortuus, conſimilia refert de Amalberga : ſed Regem ejus procum haud nominat in homilia de hac Virgine compoſita, quæ ſic ſe habet, paucis reſecatis.*

Ratbodi homilia de ea. QUotieſcumque, dilectiſſimi Fratres, Sanctorum Dei memoriam ad laudem & gloriam nominis ipſius agimus, toties a peccatorum noſtrorum ſepulcris reſurgimus. Reviviſcit enim tunc quodam modo fides noſtra, & rediviva innovatur dulcedine vox noſtra per officia labiorum noſtrorum . . . . Ecce autem occurrit nobis hodierna die hujus rei aptiſſimum tempus, in quo paradoxæ virginis AMALBERGÆ memorabilem vitam annua feſtivitate recolimus : quæ in hac peregrinatione Deo & hominibus gratiſſima exſtitit, cum ſplendore geminæ pulcritudinis, tum etiam merito pudicitiæ virginalis. Hæc cum eſſet primis orta natalibus, & propter nimium corporis decorem omnibus amabilis, elegit ſe ornare virtutum gemmis potius, quam veſtibus pretioſis; vilemque ſe & deſpicabilem ſtatuit humanis oſtendere oculis, quo pretioſa atque honeſtiſſima conſpectibus appareret divinis. Non auro utebatur & margaritis, quia ſciebat Chriſtum ſponſum ſuum non his fuiſſe uſum in terris. Non purpuram diligebat aut byſſum, quoniam non ignorabat propter hujuſmodi multos demergi in abyſſum. Non delectabatur rumuſculis frequentiæ popularis, quia ſecretum locum noverat eſſe amicum mœroris. Porro autem his contemtis, longe aliter factitabat. Nam pro cognatis & amicis ſæculi, diligebat pauperes Chriſti : pro auro atque margaritis, ornabatur ſententiis doctrinæ ſpiritualis : pro byſſinis purpureiſque veſtibus; cinere & cilicio utebatur : pro frequentia populari quam penitus reſpuebat, in excubiis templorum Domini circa ſacra altaria orando, vigilando jugiter morabatur. Verum quo modo aut quali ordine ad tantam diſciplinæ cœleſtis pervenerit ſummam, non eſt ſilentio tranſeundum propter exemplum bonum & propter meritorum ejus dignum narratione præconium. Erat hæc pudiciſſima puella in hereditate patrum ſuorum temporibus Francorum Principum, quos quidem a CAROLO MAGNO Carolidas poſſumus appellare, qui ob multiplices victorias & admiranda in Chriſtiana Religione ſtudia, hic ſolus inter ceteros vocabulum promeruit, ut merito Magnus & Optimus diceretur. Horum (ut dictum eſt) in diebus ſancta & Deo placita virgo AMALBERGA, defunctis jam parentibus, in poſſeſſione quæ ei ſecus Scaldem * fluvium lætiſſima ex progenitorum ſucceſſione provene-

* l'Eſcaut

nerat, cum unico fratre ſuo religioſiſſime commanebat, jejuniis & orationibus ſerviens die ac nocte, eleemoſynaſque plurimas & largiſſimas faciens cum maxima hilaritate, habens ſemper in memoria illud Apoſtolicum : *Hilarem datorem diligit Deus*. Cumque eſſet ſpecioſiſſima uſque adeo, ut reliquas omnes ſua pulcritudine ſuperaret; propter honeſtiſſimi corporis prærogativam pene incurrit pudicitiæ detrimentum. Nam cum ejus opinio ad Regem provinciæ perveniſſet, is continuo ipſius amore captus, cœpit cum illa indeſinenter de nuptiis per internuntios agere. Poſtquam autem ſenſit voluntatem ſuam a beata Virgine quæ ſe meliori ſponſo, id eſt Chriſto devoverat, omnimodis reprobari; quod blandimentis & poteſtate regia non valuit, per inſidias & quædam latrocinia clanculo niſus eſt attentare. At illa contra hæc omnia, orationum clypeos & cœleſtis armaturæ frameas obtendebat. Quadam vero die cum beatiſſima puella intra domeſticos parietes ſola reſideret, pſalmoſque more ſolito caneret, puer familiaris repente per poſticum irruit, proclamans & nuntians Regem cum ſatellitibus ſuis adeſſe pro foribus. Tunc ipſa nihil ſui oblita, Oratorium quod domui adhærebat, celeri curſu ingreſſa eſt : ubi ſe illico cum gemitu & lacrymis ad orationem proſtravit, flebili voce obſecrans, ut eam Dominus de imminenti periculo liberaret. Tum vero Rex nimium temerarius, poſt eam in Oratorium intrans, cœpit illi multis adulationibus blandiri, honoreſque promittere temporales, quo vel ſic illam perſuaſionibus adquieſcere faceret. Verum ipſa ſponſum quem elegerat nullo modo derelinquere volens, jacebat immobilis, & ita ſolo defixa, ac ſi quibuslibet radicibus implicita teneretur. Poſtquam autem Rex cuncta vaniloquia adhibuit, nihilque ſe proficere vidit, regiam auctoritatem vertit in ſæviſſimam tyrannidem; arreptaque ejus manu, violenter illam foras trahere conabatur. Sed cum etiam ita nullus eum ſequeretur effectus, tandem puellæ brachium fortiter excutiens, ſummaque vi contorquens, fracto virginalis humeri oſſe, quaſi qui ſe vindicaſſet, abſceſſit. Tunc illa, ut erat tenerrima, ob vulneris ſui graviſſimum dolorem, coram Domino aliquantulum quidem flevit. Tamdiu autem oravit, donec ſponſus ſuus Chriſtus adeſſet, eamque ſanitate integra reſtauraret. Ex illa die nullum ſæcularem paſſa amatorem, libere in ſponſi ſui Domini noſtri JESU-CHRISTI dilectione permanſit. O felix commercium! o nimium prudens electio! ubi Rex terræ pro Creatore cœli & terræ contemnitur, ubi Deus pro homine adamatur, ubi pro luto iſto cœleſtes divitiæ conquiruntur. O beatiſſima virgo! ſi multum tibi ſublimitas generis obfuit, at multo magis tua ſpontanea dejectio, & carnis propter Deum contritio profuit : ſi ſplendor tuæ pulcritudinis periculum incurrit, at contemtus regiæ majeſtatis perenni te gloria coronavit : ſi ad horam paſſio contriſtavit, at tibi inde contubernium Martyrum, & requies ſempiterna pervenit. Ecce nunc omnibus quæ in hac vita deſideraſti perfrueris, quoniam Rex regum & Dominus dominantium concupivit ſpeciem tuam : tuque, o auguſtiſſima Regina, adſtitiſti a dextris ejus in veſtitu deaurato, circumdata varietate, &c. AN.CHR. 772. 10. Julii.

5. *Ex hac homilia ſatis intelligitur, Ratbodum ignoraſſe nomen illius proci, qui Amalbergam perſequebatur; nec putaſſe eum fuiſſe Carolum Magnum, de quo paullo ante dixerat, nominaturus eum rurſus hoc loco, ſi ab eo id commiſſum reſciviſſet. Niſi ſi parcere voluit nomini Caroli Magni, cujus abnepotes eo quo Ratbodus ſcribebat tempore in Francia regnabant. Amalberga pingi ſolet cum pede & inſignibus Abbatiſſæ, habens ſub pedibus piſcem, quem ſturionem vocant. Certe dum in villa Materna moraretur, habebat in comitatu Sanctimoniales, in his* GENEVIAM laudabilis memoriæ, *cum quibus ipſa in Oratorio S. Martini divina officia perſolvebat, ut legitur in capite 21. de fugatis ab agro avibus ſementem devorantibus*, quas comuni vocabulo, *inquit Anonymus*, gantas appellari placet. *Quod vero piſcis appingitur, cauſa repetitur ex capite 18. Cum enim fugiendo Amalberga quondam reſideret* in fundo Vilvort, advocans abram ſuam,

juſſit

AN.CHR. 772. 10. Julii. juſſit ut herbam, quam vulgo criſonium vocant, circa irrigua Sennæ fluminis, *qui Bruxellam præterfluit*, decerperet. *Quod cum illa exſequeretur, piſcis immaniſſimus* quaſi ad devorandum eam dato ſaltu enatavit prope ſicam. *Exclamanti ancillæ Amalberga imperavit, ut* apprehenderet branceam ſeu branchiam ejus: quod & factum eſt.

Translatio Gandavum. 6. *Poſt multos annos quam S Amalbergæ corpus quievit Tempſecæ ad Scaldim, ubi hactenus vacuum ejus ſepulcrum oſtenditur*; loculus ille omnibus Chriſtianis honorabilis, in quo ſacrum ejus jacebat corpus, cunctis mortalibus, excepto uno ſolo ipſius Virginis vernaculo, erat incognitus. *Hunc* Fratres Trucinenſis Monaſterii *primum*; poſt hos ſimiliter Fratres de Cœnobio S. Bavonis *inani labore perquiſierunt*. Non longe ab his inventus quidam fidelis ſervus & prudens, qui ſe ad tantum opus longe alia ratione mancipavit. Is cum eſſet in Monaſterio B. Petri Apoſtolorum principis, proprio quidem nomine ROTBERTUS, eccleſiaſticis autem ſtudiis vitæque honeſtate omnibus notus; ſapienter admodum intellexit a divina pietate eſſe quærendum, quod humanis argumentationibus nequaquam poterat inveniri. *Peracto triduano jejunio ac ſacro corpore fruſtra quæſito*, cum vernaculum ſanctiſſimæ virginis, *hoc eſt ejus prædii forſan procuratorem*, (*nam nemo ex ejus domeſticis eatenus ſuperſtes eſſe poterat:* (cum, *inquam*, vernaculum *illum* ſubinde interrogaſſent, ubi id quod quærebant repoſitum eſſet, neque blandimentis aut præmiis, uti hoc revelaret, extorquere valuiſſent; unus e Fratribus, THIETWALA nomine, locum ſepulcri ſibi oſtenſum eſſe proclamavit. Rotbertus dignæ memoriæ Abbas, poſito intra navim theſauro, commonuit Fratres, ut fugæ quantocius conſulere non differrent. At illis juſſionem Patris exſequi cupientibus, ſenſerunt ſe repente divino nutu contra vim fluminis ferri. *Populo civitatis Gandavenſis in occurſum confluente*, primus omnium, uti decebat, venerabilis Epiſcopus REGINHELMUS adeſſe non diſtulit, *qui tum Tornacenſi & Noviomagenſi Eccleſiæ præerat, ordinatus anno* 862. Poſt hunc BALDUINUS Comes, *cognomento Ferreus*, gener Caroli potentiſſimi Regis, *cujus filiam Judithbam nomine in matrimonium duxerat*, ſe præſentem cum ſumma devotione exhibuit *Amalbergæ Reliquiæ ſuperiori ſæculo a furentibus hæreticis igni traditæ ſunt. Tranſlationis feſtum S. Amalbergæ in Gandavenſi Monaſterio S. Petri celebratur* 6. Kalend. Novemb. *aliæ ejus Tranſlationes apud Molanum memorantur* Kalendis Maji, *&* 13. Kalend. Junii.

Rodinus ejus frater. 7. *Amalberga fratrem babuit* RODINUM, *cujus nomen Ratbodus prætermiſit. Is in aula educatus, cum* adminiſtrationem rerum publicarum inter primos ut nobiliſſimus gereret, tamen ſub obtentu militiæ devote inſerviebat Religioni Chriſtianæ, *ut legitur in cap. 6. Sororem ex ædibus Hunrodi, qui eam Carolo uxorem reſervabat, clam ſubtraxit*. His ita geſtis, *inquit Anonymus cap.* 24. Rodinus ſciens ſe in terrores tribunicios incidiſſe, ſimulque metuens, ne forte Rex iram furoris ſui in eum effunderet; parabat imminentia ſibi declinare pericula, atque remedia temporum quærere. Et abiens ad Regem Carlomannum, fratrem videlicet Regis Caroli, qui tunc temporis morabatur Remis civitate, magnifice ab eo ſuſceptus atque aliquamdiu ab eo eſt detentus. Evolutis autem paucis diebus, cum conſilio atque conſenſu ipſius excellentiſſimi Principis Carlomanni, ac benedictione WLFARI ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archipræſulis, inclytus Chriſti miles Rodinus Romam ſe contulit, ibique in monte Soracte cingulo militiæ depoſito Clericatuſque habitu adſumto abiit ad Samnium provinciam ad Monaſterium S. BENEDICTI, ſitum in caſtro Caſino: ibique Monachus effectus, curſum vitæ præſentis cœnobiali tramite religioſiſſime conſummavit. Nam & patrimonia ſua quibus in Regno Francorum clariſſimus atque ditiſſimus, utpote Regum ſanguis, pollebat, ſacris locis per teſtamenti ſeriem prius partim contradidit, partim pro commutandis pauperum refrigeriis diſtribuit. Hæc vero, *inquit Anonymus*, de venerabili Rodino dicta abeant in ſua. *Vulfarius Remenſem Eccleſiam poſt Tilpinum regere cœpit paulu-*

lum

Digitized by Google

lum ante annum octingenteſimum, longe poſt obitum Carolimanni prædicti anno AN.CHR. 772 10.Julii.
771. mortui, qui alius fuit a Carolomanno Pippini fratre ac Monacho Caſinate, Remis habuit Synodum anno 814. teſte Frodoardo in lib. 2. hiſtoriæ cap. 18. Aut ergo ſerius Amalbergæ obitus differendus eſt, aut Rodini ſeceſſus non ſtatim ab ejus obitu contigit; aut certe non ſub Vulfarii, ſed Tilpini Remorum Epiſcopi pontificatu reponenda. Ebbone Remis præſidente florebat in Monaſterio Remigiano Monachus quidam nomine RADUINUS, *genere Langobardus, apud Frodoardum in ejuſdem lib. cap. 19. & Ludovici Auguſti principatu* RODOINUS *Præpoſitus in Cœnobio S. Medardi apud Sueſſionas, is qui ſancti Sebaſtiani reliquias Roma in Galliam advexit, ut ſuo loco videbimus. Ex hac temporum convenientia ſuſpicio injicitur, an* HUNRODUS *ſuperius nominatus fuerit* HUNROCUS ſeu UNROCUS *ille Comes, qui pacem Carolum inter & Hemmingum Danorum Regem initam cum aliis firmavit anno* 811. *quique (ut opinor) idem poſtea in Cœnobio Bertiniano Monachus effectus eſt, ut legitur apud Joannem Imperium cap. 13. parte 3.*

8. *In Vita S. Liudgeri Epiſcopi mentio fit alterius* AMALBERGÆ, *Alfrici nobilis cujuſdam viri filiæ, quæ ob recuperatam luminis & ſanitatis gratiam Sanctimonialis in Parthenio* Aſenidi *effecta eſt.*

VITA SANCTÆ LIOBÆ

CIRCA AN. 772 28. Sept.

VIRGINIS ET ABBATISSÆ BISCHOFHEIMENSIS IN GERMANIA,

Auctore RUDOLFO Monacho Fuldenſi ſæculo 9.

Ex ſecunda Editione Suriana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. NON *uno modo effertur* S. LIOBAE *nomen. Rudolfo appellatur* TRUTHGEBA cognomento LIEBA vel LIOBA, eoquod eſſet dilecta. *In epiſtolis S. Bonifacii non raro laudatur, vocaturque* Leobgytha *epiſt. 25. 31. & 46. Extat etiam una S. Liobæ epiſtola inter Bonifacianas ordine 36. cujus hæc inſcriptio:* Domino reverendiſſimo & ſummæ dignitatis inſula prædito Bonifacio, atque in Chriſto cariſſimo & mihi affinitatis propinquitate connexo, Leobgytha, ultima leve jugum Chriſti portantium famula, perennem ſoſpitatis ſalutem. *Qua in epiſtola Lioba patrem* TINNE *ante annos octo denatum Bonifacio commendat, matremque adhuc ſuperſtitem cognomento* Ebbam, quæ tibi, *inquit*, conſanguinitatis nexibus copulatur. *Et quidem Lioba, teſte Rudolfo cap. 10.* materno ſanguine jungebatur *Bonifacio: at Bonifacii neptem fuiſſe, quod recentiores nonnulli affirmant, nullus veterum prodidit.* Liobæ nomen. Affinitas cum S. Bonifacio.

2. *Sanctæ Liobæ Vitam a tribus ipſius diſcipulabus & MAGONE Cœnobita Fuldenſi in ſchedulas relatam collegit redegitque in ordinem Rudolfus Monachus itidem Fuldenſis, auctor gravis, cujus hoc elogium in Annal. Fuld.* Anno 865. RUODOLFUS Fuldenſis Cœnobii Presbyter & Monachus, qui apud totius pene Germaniæ partes Doctor egregius, & inſignis floruit Hiſtoriographus & Poeta, atque omnium artium auctor nobiliſſimus habebatur, 8. Idus Martii diem ultimum feliciter clauſit. *In hiſtoria Petri Bibliothecarii apud Cheſnium in tomo 3. Hiſt. Franc. Ruodolfi obitus anno 866. ponitur. Huic Ludovicus Ludovici filius conſcientiæ ſuæ latebras apertas habuit, & concionantem audire ſolitus, etiam ſcholaſticis Fuldæ præfectum regia liberalitate coluit, uti Brovverus in lib. 1. Antiquit. Fuld. cap. 14. obſervavit. Vitæ S. Liobæ ab ſe ſcriptæ, & quidem juſſu HRabani Mauri (quod in ſubjecto Prologo teſtatur) meminit Rudolfus in Actis ipſius HRabani, quæ ipſe itidem litteris mandavit. Ex eo Joannes Gerbrandus Liobæ geſta perſtringit in Chronici Belgici lib. 3. cap. 3.* Vitæ ſcriptores.

3. *S. Liobam celebrat HRabani Martyrologium his verbis.* In Germania depoſitio LEOBAE Virginis, quæ in Britannia inſula ex Saxonum gente nata, virginitatis propoſitum in Monaſterio poſita nobiliter ſervavit, Poſtea vero a S. Bonifacio Archiepiſcopo Magontiacenſis Eccleſiæ in Germaniam advocata, ut famulas Dei in Monaſteriis Germaniæ divinis ſcripturis inſtrueret. Ubi non ſolum multa miracula vivens fecit, immo poſt obitum in Bochonia ſilva, hoc eſt in Monaſterio Fulda juxta decretum S. Bonifacii ſepulta, non paucis miraculis ſanctitatem ſuam declaravit. *HRabanus item in Epigrammatis 131. 135. & 138. mentionem facit altarium S. Liobæ dedicatorum.* Memoria.

S. Lio-

Digitized by Google

CIRCA AN. 772 28. Sept.

4. *S. Lioba Sanctimonialium in Germania institutarum anteſignana & Apoſtola haud immerito dici poteſt. Eam ad præſcriptum Regulæ Benedictinæ vixiſſe, probat tum ſancti Bonifacii præceptoris Benedictina profeſſio, tum Vitæ caput 12. ubi meridianam in æſtate quietem haud dubie ex Regulæ S. Benedicti cap. 48. fertur præſcripſiſſe diſcipulabus ſuis, quas in varios Parthenones diſtribuit.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctor ab aliis ſcripta narrat,

1. SCripturus Vitam beatæ & venerabilis LIOBÆ virginis, ſponſum illius Chriſtum Dominum Deum & Salvatorem noſtrum invoco: ut qui ei contra adverſarias poteſtates virtutem & victoriam tribuit, mihi quoque ad narranda meritorum ejus præconia ſermonem largiatur. Ego enim geſta illius omnia non didici; ſed pauca quædam a viris venerabilibus ad meam notitiam pervenerunt, qui quatuor diſcipularum ejus, AGATÆ videlicet & TEGLÆ, NANÆ & EOLIBÆ, fideli narratione comperta, ſinguli pro captu ingenii ſui, ſicut ſibi tradita ſunt, litteris mandare, & ad exemplum poſteris relinquere ſtuduerunt. Ex quibus vir religioſus MAGO Presbyter & Monachus, qui ante quinquennium defunctus eſt, prædictis feminis admodum familiaris exſtitit, & crebro ad eas veniens, ſermonem de utilitate animæ cum illis habere conſueverat. Hic itaque nonnulla geſtorum illius memorabilium ab eis agnoſcens, breviter quidem adnotare curavit, ſed nimis obſcura reliquit: quia dum ſuccinctæ brevitati ſtuduit, in nonnullis locis ita dubia reddidit, ut quamvis cognoſcendi præferrent imaginem, non referrent tamen intelligendi vigorem. Quod nimirum ideo contigiſſe opinor, quia rerum cognoſcendarum avidus, ne audita memoriam fugerent, primum ea ſtrictim litteris mandavit, ut poſtmodum ordinata per otium libelli ſerie pleniorem in eis legentibus viam intelligentiæ efficeret. Et inde factum eſt, ut confuſa omnia & ſparſim in ſchedulis adnotata reliquerit, quia inſperata morte præventus, ad ordinanda illa prolixioris vitæ ſpatium non habuerat. Quapropter ego non mea præſumtione, sed imperio venerandi Patris ac præceptoris mei HRABANI Abbatis provocatus, cuncta quæ ab illis breviter ſcripta & in ſchedulis ſparſim memoraverant, in unum colligere ſtudui: & tam ex eis, quæ ibi adnotata reperi, quam quæ ex aliorum relatione didici, ordinato breviter libelli textu, rerum geſtarum ſeriem ſcire volentibus pandere curavi. Sunt enim plerique adhuc in corpore manentes viri religioſi, qui non ſolum eadem ipſa, quæ ab aliis ſcripta commemoraverant, uno ſermone ſicut a majoribus audierant, referunt; verum etiam nonnulla alia memoratu digna adjicere ſolent, quæ ſupradictis adnotationibus copulare, & huic opuſculo inſerere congruum judicavi: ut non tam incœpta aliorum ordinanda atque complenda ſuſcepiſſe, quam propria quodammodo ſcripta condidiſſe videar. Porro de fide dictorum nemini Fidelium arbitror eſſe ambigendum, quando ea & probitas referentium commendat perſonarum, & virtutes miraculorum quæ divinitus ad oſſa ejus mortuæ frequenter fieri ſolent, vera eſſe liquido manifeſtant. Sed priuſquam ad narranda vitæ morumque ejus inſignia veniam, non abſurdum videtur, ſi de magiſtra illius & ſpiritali Matre quæ eam in Chriſto genuerat, & cœleſtis vitæ ſtudiis imbuerat, ex multis referam pauca quæ didici: quatenus lector agnitis tantæ feminæ virtutibus eo facilius diſcipulæ geſtis fidem accommodet, quo eam a tam nobili magiſterio diſciplinæ ſpiritalis primordia ſumſiſſe cognoverit.

Hrabani juſſu, pluribus teſtantibus, integra fide. Tettam Abbatiſſam primo laudat.

CAP. I. Monaſteria duo utriuſque ſexus in Anglia, promiſcuo ſexui interdicta,

INCIPIT VITA.

IN Britannia inſula, quam natio Anglorum inhabitat, locus quidam antiquo gentis illius vocabulo Winbrunno vocatur: quod Latine interpretatum vini fons dici poteſt: qui propter nimiam claritatem & ſaporem

Digitized by Google

rem eximium quo ceteris terræ illius aquis præſtare videbatur, hoc nomen accepit. In quo duo Monaſteria antiquitus a Regibus gentis illius conſtructa ſunt, muris altis & firmis circumdata, & omni ſufficientia ſumtuum rationabili diſpoſitione procurata, unum ſcilicet Clericorum *a*, & alterum feminarum: quorum ab initio fundationis ſuæ utrumque ea lege diſciplinæ ordinatum eſt, ut neutrum eorum diſpar ſexus ingrederetur. Numquam enim virorum congregationem *b* femina, aut virginum contubernia quiſquam virorum intrare permittebatur, exceptis ſolummodo Presbyteris, qui in Eccleſias earum ad agenda Miſſarum officia tantum ingredi ſolebant, & conſummata ſollemniter oratione ſtatim ad ſua redire. Feminarum vero quæcumque ſæculo renuntians earum collegio ſociari voluerat, numquam exitura intrabat, niſi cauſa rationabilis vel magnæ cujuslibet utilitatis exſiſtens eam cum conſilio emitteret. Porro ipſa congregationis Mater quando aliquid exteriorum pro utilitate Monaſterii ordinare vel mandare neceſſe erat, per feneſtram loquebatur, & inde decernebat, quæcumque ordinanda aut mandanda utilitatis ratio exigebat.

CIRCA AN. 772 28. Sept.

II. Huic ergo loco poſt nonnullas Abbatiſſas & ſpiritales Matres prælata eſt virgo religioſa nomine TETTA, genere quidem ſecundum ſæculi dignitatem nobilis, (ſoror quippe Regis erat) morum autem probitate & ſanctarum ſpectamine virtutum multo nobilior, quæ utrumque Monaſterium magna diſcretionis arte regebat. Omnia enim bona & ſancta exemplis magis quam verbis oſtendebat, & quæcumque ſaluti animarum docuerat eſſe contraria, in ſuis actibus non agenda monſtravit. Rigorem etiam diſciplinæ qua locus ille præ ceteris ſemper viguit, tanta ſollicitudine tenuit, ut numquam feminarum ad Clericos pateretur acceſſum: virgines vero cum quibus ipſa indeſinenter manebat, adeo immunes a virorum voluit eſſe conſortio, ut non tantum laicis aut Clericis, verum etiam ipſis quoque Epiſcopis in congregationem earum negaret ingreſſum. Hujus plurima feruntur virtutum inſignia, quæ veneranda virgo Lioba diſcipula ejus memoriter & jucunde referre ſolebat: de quibus duo tantum, ut ex iis cetera conjici valeant, commemorare curavi.

etiam Epiſcopis.

III. Erat in illo Virginum Monaſterio Sanctimonialis quædam, propter diſciplinæ ſtudium & artioris vitæ obſervantiam, qua ceteras præire videbatur, ſæpe Præpoſita ordinata, frequenter autem Decana ex more conſtituta. Hæc dum nimis incaute atque indiſcrete diſciplinam exerceret in ſubditis, omnium fere, & maxime juvenum in ſe odia concitavit. Quarum illa triſtitiam & concinnata adverſum ſe maledicta, quæ ſua manſuetudine interdum lenire potuit, contumaci corde deſpexit, & uſque adeo contra eas rigida perſeveravit, ut nec in ultimo vitæ ſuæ tempore commotionem cordis earum ulla ſatisfactione amovere curaret. Defuncta eſt ergo in hac pertinacia, & ſepulturæ tradita, tumuluſque ſuper ſepulcrum ejus congeſto terræ aggere compoſitus eſt. Nec tamen conquievit animus juvenum odientium eam, quin ſtatim ut adſpicerent locum in quo ſepulta eſt, maledicerent crudelitati ejus; immo adſcendentes tumulum & quaſi funeſtum cadaver conculcantes, in ſolatium doloris ſui amariſſimis inſultationibus mortuæ exprobrarent.

Præpoſitæ ob rigidiorem cenſuram Sororibus inviſæ, etiam poſt mortem,

IV. Quod cum Mater congregationis venerabilis Tetta comperiſſet, temerariam juvencularum præſumtionem correptionis vigore compeſcens, perrexit ad tumulum, & mirum in modum conſpexit terram quæ deſuper congeſta erat ſubſediſſe, & uſque ad ſemipedis ſpatium infra ſummitatem ſepulcri deſcendiſſe. Quo viſo vehementer expavit: intellexit enim ex defectu terræ,

Tetta Sororibus increpitis;

a Hoc eſt Monachorum. Lege Præfationem Sæculi 2. §. 2. ubi *Clericorum* nomen Monachis vindicatum.

b Id non tantum de clauſtralium ædium penetralibus intelligendum, ſed etiam de Eccleſiis ſeu templis, ut patet ex ſequentibus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 772 28. Sept.

ræ, pœnam ſepultæ; & ſeveritatem juſti judii Dei perpendit ex detrimento ſepulcri. Convocatis ergo omnibus in unum Sororibus, cœpit eas increpare propter crudelitatem illarum & duritiam cordis : quod ob factam ſibi injuriam eſſent implacabiles, & propter momentaneam diſciplinæ amaritudinem, perpetes haberent diſcordias : & cum ſit Chriſtianæ perfectionis, pacificum eſſe etiam cum pacis inimicis, illæ e contrario non ſolum inimicos non diligerent, ſed etiam Sororem quam viventem contra præceptum Domini odiſſent, ſtudio impietatis mortuam exſecrarentur. Admonuit autem eas de cetero ab inimicitiis abſtinere, injurias amplecti, faciles eſſe ad indulgentiam; & ſicut ſibi vellent debita a Domino dimitti, ita invicem offenſiones ex corde relaxarent. Poſt hæc verba pro defuncta Sorore eas obſecravit, ut quidquid ante mortem in quamlibet earum peccaſſe videbatur, ex animo remittentes, ſecum pariter orationi incumberent, & pro abſolutione illius divinam clementiam invocarent. Cumque omnes unanimiter exhortationibus ejus annuiſſent, indixit eis triduanum jejunium, monens unamquamque pſalmodiis & vigiliis ac precibus ſanctis pro ea ſtudioſius inſiſtere. Die autem tertia, expleto jejunio, cum omni congregatione virginum baſilicam intravit, & illis litanias facientibus, & nomen Salvatoris invocantibus, ipſa cum lacrymis ante altare, pro anima defunctæ Sororis rogatura, proſternitur. Cumque in oratione perſiſteret, foſſa ſepulcri, quæ prius pene vacua videbatur, humo excreſcente, paullatim cœpit repleri; ita ut uno eodemque momento & ipſa ab oratione reſurgeret, & terra ſepulcrum complanaret. Qua de re manifeſte oſtenditur, quod cum monumentum viſibiliter ad priorem ſtatum rediit per orationes ſanctæ Virginis, defunctæ animam virtus divina inviſibiliter abſolvit.

animam Deo commendat.

V. *Oratorii claves amiſſas oratione reperit.*

Alio quoque tempore contigit, ut Soror cui Oratorii cura commiſſa erat, cum poſt Completorium cubitum itura, fores Eccleſiœ obſeraret, claves univerſas ipſa nocte neſciens perderet. Erant enim pro diverſitate rerum in theſauris Eccleſiæ repoſitarum perplures; & aliæ quidem argenteæ, aliæ autem æreæ vel ferreæ, ligatura fabrefacta ſibimet connexæ. Cum autem ad nocturnas vigilias ſignum pulſatura ſurrexiſſet, & claves ad pandendas Eccleſiæ januas non reperiſſet, accenſo lumine loca omnia quæ ſpem inveniendi pollicebantur, diligenti inveſtigatione luſtravit: & quaſi ſemel quæſiſſe non ſufficeret, rurſus eadem geminata inquiſitione repetivit. Cumque hoc ſæpius faceret, & nihil inquirendo proficeret; ad Abbatiſſam quæ Sororibus adhuc quieſcentibus more ſolito vigiliis inſiſtens nocturnæ orationis tempora præveniebat, perrexit, & tremens ac pavore perculſa, ad pedes ejus provoluta eſt, eique culpam negligentiæ ſuæ humili ſatisfactione patefecit. Quod cum illa audiſſet, ſtatim intellexit diaboli inſidiantis hanc eſſe machinationem : & convocatis Sororibus, nocturnas vigilias ac matutinorum ſollemnia in alia æde complevit. Quibus peractis, protinus ſe una cum eis in orationem dedit, & antiqui hoſtis malitiam virtute ſanctarum precum ſine mora detexit. Orantibus enim illis ante fores Oratorii, vulpecula ex improviſo mortua apparuit, in cujus ore claves quas perditas dolebant, univerſæ repertæ ſunt. Tunc venerabilis Mater ſumtis clavibus juſſit aperire januas, & cum univerſis Sanctimonialibus quæ tum fere quingentæ aderant, Eccleſiam intrans, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, qui famulas ſuas in ſe confidentes miſericorditer exaudiſſet, & malignum hoſtem digna confuſione dejeciſſet. Ille enim qui dixit, *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo*; per tumorem ſuperbiæ ſuæ beſtiis adſimilatus eſt : & qui ſubjici Deo per humilitatem noluit, per humiles ancillarum Dei orationes in vulpecula detectus confuſus apparuit. Hæc de venerabili matre Tetta, ejuſque virtutibus dicta ſufficiant : nunc ad explicanda ejus ſpiritalis filiæ Liobæ geſta, ſecundum propoſitum ſtilus vertatur.

Eſa. 14.

Igi-

CIRCA AN. 772. 28 Sept.

VI. Lioba ex ſterilibus parentibus nata,

Igitur parentes ejus natione Angli, genere quidem nobiles erant, & ſtudioſi ambo in religione & obſervantia mandatorum Dei. Pater ejus DIMO *a*, mater vero EBBA vocabatur. Sed cum eſſent ſteriles & infecundi, abſque liberis diu manſerunt. Cum autem pertranſiſſent dies plurimi, & eis jam ſenibus atque ætate provectis ſpes generandæ prolis abeſſet; mater ejus per ſomnium vidit, ſe quaſi ſignum Eccleſiæ, quod vulgo KlocKum vocant, in ſinu ſuo habere, idque immiſſa manu tinniens extrahere. Experrecta itaque nutricem ſuam jam vetulam vocavit, & ei ſomnium quod viderat revelavit. Cui illa prophetico ſpiritu: Adhuc, inquit, ex utero tuo videbimus filiam, quam ut Domino jam nunc voveas oportet, & ſicut Anna Samuel omnibus diebus ſuis in templo Dei ſerviturum obtulit, ita hanc ab infantia ſacris litteris eruditam, in ſancta virginitate quamdiu vixerit, illi ſervire concedas. Quod cum voluiſſet mulier, poſt non multos dies concepit & genuit filiam, quam vocavit TRUTHGEBAM, cognomento LIEBAM (vel LIOBAM,) eoquod eſſet dilecta. Hoc enim Latine, cognominis hujus interpretatio ſonat. Adultam itaque Deo conſecravit, & ſupradictæ Matri Tettæ divinis ſtudiis imbuendam tradidit: nutricem vero ſuam pro eo quod tanta ſibi gaudia futura prædixerat, libertatis præmio remuneravit.

Tettæ Abbatiſſæ committitur.

VII. Piis exercitiis dedita,

Crevit ergo puella, & tanta Abbatiſſæ cunctarumque Sororum cura erudiebatur, ut nihil aliud præter Monaſterium & cœleſtis diſciplinæ ſtudia cognoſceret. Non enim jocis delectabatur ineptis, nec jungi paſſa eſt inanibus juvencularum fabulis; ſed Chriſti deſiderio flagrans, ad legendum vel audiendum verbum Dei animum ſemper habebat intentum, & audita vel lecta memoriæ commendans, utilitatem præceptorum vita & inſtitutione ſervabat. Cibi autem & potus ita temperavit uſum, ut contemtis deliciis & eſcæ lautioris illecebris, his tantum quæ dabantur, contenta, nihil amplius requireret. Orabat aſſidue, ſciens ſcriptum in Apoſtolo, ſine intermiſſione Fidelibus orandum eſſe. Quando non legebat, operabatur manibus ea quæ ſibi injuncta erant. Didicit enim ſcriptum, quod qui non operatur, nec manducet. Lectioni tamen atque auditioni ſanctarum Scripturarum magis quam labori manuum operam impendit; ſummopere ſtudens, ne lecta vel audita ex ejus animo laberentur, ſed præcepta Domini cuſtodiens, memoriam eorum in exſecutione operum ſemper habere conſuevit. Sicque vitam ſuam inſtituens, ab omnibus prioribus * puro diligebatur affectu, & ab omnibus diſcens, omnibuſque obediens, proprias ſingularum gratias imitando captabat. Hujus continentiam, illius jucunditatem ſectabatur: iſtius lenitatem, illius patientiam, alterius autem manſuetudinem mirabatur. Hanc vigilantem, illam vero legentem ſtuduit æmulari. Charitati præcipue operam dabat, ſine qua reliquas virtutes nihil eſſe ſciebat.

1. Theſſ. 5.

2. Theſſ. 3.

lectionem labori præfert.

* f. Sororibus

Sorores æmulatur.

VIII. Ex ſomnio diſcit eximia facta a ſe patranda.

Cum his & aliis hujuſmodi virtutum ſtudiis per ſingulos dies animum ad cœleſtia roboraret, quadam nocte per ſomnium vidit quaſi purpureum filum de ore ſuo deſcendere. Quod apprehenſum manu cum extrahere conaretur, prolixius cœpit extendi; & velut ex interioribus viſcerum procederet, paullatim creſcebat in majus, & augmenta ſui capiebat. Cum autem exuberante materia, colligendo manum impleret, & filum nihilominus ex ore dependeret, globum ex eo rotundo ſchemate volvendo formavit. In cujus confectione cum nimis laborioſe deſudaret, præ anguſtia ſomno ſoluta eſt, cœpitque intra ſe tacite cogitare, cupiens ſomnii cognoſcere diſcretionem. Intellexit enim ſibi non ſine cauſa viſionem apparuiſſe, ſed aliquid ei latentis ineſſe myſterii. Erat ergo in eodem Monaſte-

---

a TINNE appellatur a S. Lioba ſeu Leobgytha in epiſtola ad S. Bonifacium, mater vero EBBE: qua in epiſtola Lioba parentes ſuos ita Bonifacio commendat: *Rogo tuam clementiam ut memorare digneris prioris amicitiæ, quam jamdudum cum patre meo copulaſti, cujus vocabulum eſt* TINNE *in occiduis regionibus, qui nunc ante octo annorum curriculum ab hac luce ſubtractus eſt, ut pro anima illius preces offerre Deo non renuas: necnon & matris meæ memoriam commendo tibi, quæ eſt cognominata* EBBE, *quæ tibi, ut melius noſti, conſanguinitatis nexibus copulatur, & adhuc laborioſe vivit, & diu valide ab infirmitate oppreſſa eſt. Ego unica filia ſum ambobus parentibus meis.*

CIRCA AN. 772 28. Sept.

rio Soror quædam maturæ ætatis, quæ ex eventu rerum quas ſæpe prædixerat, prophetiæ ſpiritum habere noſcebatur. Cui illa quidem ſomnium de ſua perſona referre noluit, ſed uni ex diſcipulabus ſuis totum per ordinem ſicut viderat revelavit, præcipiens ut iret ad eam, & expoſito quaſi ſibi apparuiſſet ſomnio precaretur, ut quidquid in eo intelligeret, ſuo manifeſtaret eloquio. Perrexit itaque puella, & fecit ſicut a magiſtra fuerat inſtructa. Cumque omnem ſomnii tenorem quaſi ex propria perſona expoſuiſſet, Soror illa futurorum præſcia cum indignatione reſpondit: Vera quidem viſio eſt, & bona futura portendens; tu autem cur tibi talia apparuiſſe mentiris? Hæc enim non tibi conveniunt, ſed electæ Dei & dilectæ. (Liobam ſcilicet virginem, cognominis ſuavitate ſignificans.) Illi, inquit, hæc oſtenſa ſunt, cui merito ſanctitatis & ſapientiæ talia congruunt: quoniam multis profutura eſt tam verbo prædicationis, quam bonæ operationis exemplo. Filum enim quod per os ejus ex viſceribus prodiit, doctrina ſapientiæ eſt, vocis miniſterio ex illius corde procedens. Quod autem manum implevit, hoc ſignificat, quia omnia quæ ore docuerit, operibus exæquabit. Porro globus qui volvendo conficitur, & rotunditate ſui volubilis eſt, myſterium exprimit verbi divini, quod per os actuſque prædicantium volvitur, & nunc per activam vitam in imis verſatur, nunc per contemplativam in ſublimia erigitur; nunc ſe per compaſſionem proximi humiliat, nunc per dilectionem Dei exaltat. His quidem indiciis Deus magiſtram tuam verbo & exemplo multis profuturam oſtendit: effectus autem procul ab hoc loco in aliis nationibus erit, quo eam proficiſci oportet. Hanc igitur interpretationem ſomnii veram fuiſſe, rerum probavit eventus.

IX. *A S. Bonifacio in Germaniam evocatur cum aliis.*

Igitur eo tempore, quo cœleſtis vitæ ſtudiis beata virgo Lioba in Moſterio floruerat, ſanctus Martyr BONIFACIUS a Gregorio Romanæ Sedis Antiſtite qui Conſtantino in Pontificatu ſucceſſit, Epiſcopus ordinatur, & ad prædicandum verbum Dei Germaniæ populis mittitur. Ubi cum meſſem quidem multam & pronos ad Fidem populos reperiſſet, operarios autem qui ſibi collaborarent in agro dominico paucos haberet; in terram Anglorum, unde ipſe ex parentibus ortus erat, legatos & epiſtolas miſit, atque ex diverſo Clericorum ordine nonnullos accerſivit doctos lege divina, & ad prædicationem verbi, vitæ merito morumque probitate idoneos, quorum adminiculo injunctam ſibi legationem non ſegniter adminiſtravit. Magnam enim Germaniæ partem doctrina ſalutari virtutumque miraculis Chriſto adquiſivit. Nam cum quotidie populorum frequentia Fidei ſacramentis imbueretur, divinus ſermo non ſolum in Eccleſiis, verum etiam per pagos & caſtella diffundebatur in tantum, ut & Fideles catholici aſſiduis exhortationibus firmarentur, & depravati viam correctionis agnoſcerent, & pagani fide inſtructi, certatim ad gratiam Baptiſmatis convolarent.

X. Videns itaque vir beatiſſimus Eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum religionis inſtituens, Monaſteria conſtruere cœpit, ut ad Fidem Catholicam populi non tam eccleſiaſtica gratia, quam Monachorum ac Virginum congregationibus raperentur. Volens ergo utriuſque profeſſionis ordinem regulariter obſervari, idoneum utrique magiſterium ſtuduit adipiſci, miſitque in Caſinum montem STURMI * diſcipulum ſuum, virum genere & moribus nobilem, ut in Monaſterio quod B. Pater BENEDICTUS inſtituit, diſciplinam regularem & vitam moreſque monaſticos agnoſceret, Paſtorque futurus, diſcipulus fieret, atque in ſubjectione diſceret, quomodo aliis præeſſe debuiſſet. Similiter & in patriam cum epiſtolis *a* legatos dire-

* de eo ad ann. 779.

a Inter editas Bonifacii epiſtolas nulla ad Tettam ſcripta exſtat. In epiſtola 53. ad Monachos Glaſtonienſes Viethbertus Bonifacii loco ſcribens, *Mandate*, inquit, *Matri meæ Tettam atque congregationi ejus proſperum iter noſtrum*. De aliis S. Liobæ ſociabus e Britannia arceſſitis lege librum 1. Othloni de Vita S. Bonifacii cap. 25.

Digitized by Google

direxit ad TETTAM Abbatiſſam, cujus in præcedentibus mentio facta eſt, deprecans, ut ad ſolatium ſuæ peregrinationis atque ad auxilium legationis ſibi injunctæ tranſmitteret ei Liobam virginem, quam fama ſanctitatis & doctrina virtutum tunc per longinqua terrarum ſpatia divulgarat, & laude celebri multorum ora repleverat. Ejus itaque abſceſſum Mater congregationis moleſtiſſime quidem ferebat: ſed tamen quia divinæ diſpenſationi reſiſtere non potuit, beato eam viro, ſicut rogaverat, cum honore direxit, ut ſomnii quod olim viderat, interpretatio vera fuiſſe probaretur. Quam, cum veniſſet, vir Deo plenus cum ſumma veneratione ſuſcepit, diligens eam non tantum propter affinitatem, qua ſibi ex materno ſanguine jungebatur, quantum propter ſanctitatem vitæ & ſapientiæ doctrinam, qua plurimis & verbo profuturam noverat, & exemplo.

CIRCA AN. 772. 28. Sept.

Igitur ſicut deſideraverat, Monaſteriis cuſtodiam & regularis diſciplinæ normam inſtituit. Et Monachis quidem Sturmii Abbatem prætulit: Liobam vero virginem ſpiritalem Virginum matrem eſſe decrevit: ſtatuitque ei Monaſterium in loco qui vocatur *Biſchoffsheim* a, ubi non parvus ancillarum Dei numerus collectus eſt, quæ ad exemplum beatæ Magiſtræ, cœleſtis diſciplinæ ſtudiis inſtituebantur, & in tantum doctrina ejus proficiebant, ut plures ex illis poſtmodum Magiſtræ fierent aliarum: ita ut nulla, aut etiam rara, in illis regionibus eſſent Monaſteria feminarum, quæ non diſcipularum ejus magiſteria deſiderarent. Erat enim magnarum virtutum femina, & ita in arrepti propoſitl vigore roborata, ut nec patriæ, nec ſuorum meminiſſet affinium; ſed omne ſtudium erga id quod cœperat exercebat, ut videlicet ſemetipſam Deo irreprehenſibilem exhiberet, & omnibus ſibi obtemperantibus in verbo & converſatione forma ſalutis exſiſteret. Cavebat ſemper, ne alias doceret, quod ipſa non feciſſet. Nihil quippe arrogantia, nihil ſuperbia de ejus ſibi moribus uſurpavit; ſed ſine perſonarum acceptione omnibus ſe affabilem ac benevolam exhibuit. Erat adſpectu angelica, ſermone jucunda, ingenio clara, conſilio magna, fide catholica, ſpe patientiſſima, charitate diffuſa. Et cum lætam ſemper faciem præferret, numquam hilaritate nimia reſoluta eſt in riſum. Maledictionem ex ejus ore nullus unquam audivit; iracundiæ illius ſol teſtis numquam occubuit. Cibi autem & potus uſum, cum aliis ſumma humanitate exhiberet, ipſa ſumſit. Unde & caliculus ejus, unde bibere ſolebat, pro quantitate ſui, Dilectæ parvus, a Sororibus vocabatur.

XI. Biſchofheimenſe Cœnobium recte inſtituit.

Abbatiſſas aliis ſuppeditat.

Lectionis ſtudio tanta diligentia incubuit, ut niſi orationi vacaret, aut alimento vel ſomno corpuſculum reficeret, numquam divina pagina de manibus ejus abſcederet. Nam cum ab ipſis infantiæ rudimentis Grammatica & reliquis liberalium artium *b* ſtudiis eſſet inſtituta, tanta meditationis inſtantia ſpiritalis ſcientiæ perfectionem conabatur adſequi, ut conſentiente cum ingenio lectione, duplicato naturæ & induſtriæ bono, eruditiſſima redderetur. Veteris enim ac novi Teſtamenti codices ſagaci mente perluſtrans, divina præcepta memoriæ commendabat. Sed & dicta ſanctorum Patrum, & decreta Canonum, totiuſque eccleſiaſtici Ordinis jura, plenitudini perfectionis adjecit. Diſcretionem in omni actu ac diſpoſitione ſua magnopere ſervavit, & rerum faciendarum finem ſemper attendit; ne forte inconſulte cœpta, poſtmodum imperfectione ſua pœnitentiam ſibi generarent. Et quia ad orationis ſtudium & lectionis induſtriam, mentis intentionem ſciebat eſſe neceſſariam; in vigilando, ſicut & in ceteris virtutum ſtudiis, modum tenere conſuevit. Nam licet ſemper modicum, tota tamen æſtate *c* poſt pran-

XII. Lectionis amans,

ſomnum meridianum ſuis præſcribit,

a Iſtius Parthenonis ſola nunc ſuperſunt veſtigia in opido Biſchofheimio ad Tuberam amnem diœceſis Maguntinæ, teſte Brovvero in lib. 2. Antiq. Fuld. cap. 10. Fit mentio capp. 14. & 15. fluvii præterfluentis, qui cap. 18. *Tubera* dicitur.

b Etiam artem poeticam, de qua in citata modo epiſtola: *Iſtam artem*, inquit, *ab* EADBURGÆ *magiſterio didici, qua indeſinenter legem divinam rimari non ceſſat.*

c Ex Regulæ S. P. Benedicti præſcripto, qui cap. 48. ſomnum meridianum a Paſchate ad Kalend. Octob. ſuis concedit.

CIRCA AN. 772. 28. Sept.

prandium tam ipſa quam cunctæ ſibi ſubjectæ Sorores pauſabant, nec ulli earum indiſcrete vigilare volenti conſenſit. Dixit enim, ademto ſomno ſenſum adimi, maxime legendi. Sed & illi, ſive in nocte, ſeu meridie dormienti, ſanctam Scripturam juxta lectum ejus legi ſemper mos erat. Quod officium puellæ juniores ſine moleſtia per vices implebant: & mirum dictu, nullum ſermonem aut etiam ſyllabam in legendo tranſire poterant, quin ſtatim ab illa, quamvis dormiente, corriperentur. Nam ſicut eædem ipſæ quibus id officii deputatum erat, poſtea fatebantur, ſæpe cum eam graviter ſoporari conſpicerent, ex induſtria tentando, in lectione fallebant, ſed numquam irreprehenſæ evadere poterant. Nec tamen mirum, quia dormiens falli non valuit, cujus cor poſſidebat, qui non dormiet, Iſrael cuſtodiens; & quæ cum ſponſa in Canticis canticorum dicere potuit: *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

in ſomno etiam lectioni intenta.

Cant. 5.

XIII. Virtutem vero humilitatis tanto ſtudio cuſtodivit, ut cum merito ſanctitatis & ordine magiſterii ceteris eſſet prælata, omnium ſe ultimam fore corde crederet, voce proferret, & habitu demonſtraret. Hoſpitalitatem autem peculiari obſervatione tenuit. Omnibus enim ſine ulla exceptione perſonæ domum præbuit, & convivium jejuna Mater exhibuit. Pedes omnibus manibus ſuis lavit, dominicæ inſtitutionis cuſtos & magiſtra. Dum hæc gereret Virgo Chriſti, quibus omnium in ſe provocabat affectum, inimicus omnium Chriſtianorum diabolus impatienter ferens tantas in ea virtutum glorias, & tam præclara diſcipularum ejus augmenta profectuum, ſordidis eas cogitationibus & carnalis concupiſcentiæ illecebris inceſſabiliter impugnabat, tentans ſi quamlibet earum ab arrepti vigore propoſiti potuiſſet avertere. Sed cum conatus ſuos orationibus atque jejuniis caſte viventium frangi conſpiceret, ad alia ſe callidus inſidiator argumenta convertit, ut ſaltem vel bonam earum famam vitiando corrumperet, qui integritatem, perverſa ſuggerendo, violare non poterat.

Humilitati & hoſpitalitati ſtudet,

diabolo fruſtra Monachas tentante,

XIV. Erat ergo ibi quædam paupercula debilitate contracta, quæ ad portam Monaſterii jacebat, eleemoſynam accipiens, cui quotidie a menſa Abbatiſſæ ſtatutus dabatur victus, & a ſingulis Sanctimonialium veſtes, & alia quælibet neceſſaria pro divini amoris intuitu præbebantur. Contigit autem poſt dies aliquot, ut decepta ſuggeſtionibus diabolicis, turpitudinem fornicationis incurreret. Cumque intumeſcente utero conceptum fœtum celare non poſſet, crimen admiſſi ſceleris ſimulata infirmitate contexit. Inſtante autem partus tempore, progenitum infantulum panniculis involvit, & in ſtagnum fluminis, quod per medium loci ejus influebat, nocturno tempore expoſuit, malis videlicet mala adjiciens. Nam ſtupro homicidium, & aquæ contaminationem conjunxit homicidio. Die autem facto cum ad hauriendam aquam mulier quædam veniſſet, conſpecto infantili cadavere factum exhorruit, femineoque accenſa furore villam omnem inordinato clamore complevit, & ſanctis Virginibus cum indignatione improperans ait: O quam caſta congregatio, quam glorioſa converſatio Virginum, quæ ſub velo poſitæ filios pariunt, matrum pariter ac Presbyterorum fungentes officium, eoſdem quos generaverint, ipſæ baptizant! Non enim, o cives, molendi uſibus tantum hanc ſtagnaſtis aquam, ſed novo huic & inaudito baptiſmati neſcientes præparaſtis. Nunc ergo rogate eas, quas Virginum appellatione ſublimare ſoletis, ut tollentes cadaver de flumine, nobis aquam reddant uſibilem. Videte, videte, quæ ex Monaſterio deſit, & eam ſcelus hoc perpetraſſe cognoſcite. Ad hanc vocem plebs tota commota eſt; omnis ætas, omniſque ſexus quaſi ad ſpectaculum uno agmine cucurrit, videnſque nefas, facinus exhorret, ac Virgines ſacras deteſtatur.

mulierculæ feminæ partu in fluvium projecto,

Sanctimonialibus adſcribitur crimen.

XV. Cum autem Abbatiſſa audito tumultu rem geſtam comperiſſet, convocatis Sororibus cauſam expoſuit, nullamque ex eis præter Agatham deeſſe cognovit, quæ ante paucos dies a parentibus ſuis vocata, pro quadam neceſſitate ad domum eorum cum licentia perrexerat. Hanc itaque miſſo nun-

Liobæ orationibus detecta auctor.

nuntio ſine mora revocavit, tantæ infamiæ notam diutius ferre non valens. Quæ cum veniſſet, cauſamque ſceleris ſibi imputari cognoſceret, reſpiciens in cœlum, ingemuit, & ait: Deus omnipotens qui omnia noſti antequam fiant, & quem nullum latet ſecretum, quique Suſannam in te confidentem de falſo crimine liberaſti, oſtende miſericordiam tuam ſuper hanc congregationem in tuo nomine collectam, & ne patiaris eam propter peccata mea fœdo rumore maculari; ſed illam, quæcumque hoc nefas commiſit, ad laudem & gloriam magni nominis tui, dignare & detegere & publicare. Quo audito Mater venerabilis de ejus puritate jam ſecura, præcepit omnibus Oratorium ingredi, & extenſis in crucis modum brachiis ſtare, quoadusque ſingulæ Pſalterium totum ex ordine pſallendo complerent; & deinde per tres vices in die, hoc eſt tertia hora, ſexta & nona, vexillo crucis elato, cum litaniis Monaſterium circuire, & pro purgatione ſua divinam miſericordiam invocare. Quod cum feciſſent, & in hoc ordine jam bis expleto, hora nona omnes Eccleſiam intrarent, cunctuſque populus pariter congregatus adeſſet; beata virgo Lioba perrexit ad altare, & ſtans ante crucem, quæ jam tunc tertio portanda parabatur, extendit manus in cœlum, & cum gemitu ac lacrymis precabatur, dicens: Domine JESU-CHRISTE Rex Virginum, integritatis amator, invictiſſime Deus, oſtende virtutem tuam, & libera nos ab hac infamia, quia improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper nos. Hoc cum dixiſſet, mox miſerrima paupercula illa, antiqui hoſtis & captiva pariter & miniſtra, dæmonio repletur, & quaſi flammis circumdata, nomen invocat Abbatiſſæ, crimenque quod commiſerat confitetur. Tum vero in cœlum clamore ſublato, plebs omnis obſtupuit miraculo; ancillæ Dei flevere præ gaudio, & in commune ab omnibus uno ore meritum Liobæ virginis & Chriſti Salvatoris potentia prædicatur. Factum itaque eſt, ut nomen virginale, quod diabolus ſiniſtra fama obruere conatus eſt, magis clareſceret, & celebrius ubique laudaretur. Miſera tamen illa purgari non meruit, ſed uſque ad finem vitæ ſuæ jus in ea poteſtatis ſuæ inimicus obtinuit. Plura quidem ſigna per famulam ſuam Deus ante jam fecerat, ſed eorum notitiam ſecreti obumbratio ſuppreſſit: hoc autem in Germania primum factum eſt: & ideo celebre, quia publicum fuit. CIRCA AN. 772. 28. Sept.

XVI. Incendium aqua benedicta reſtinguit.

Alio autem tempore, cum ad tradendam diſcipulabus ſuis lectionem divinam more ſolito conſediſſet, ex una parte villæ fortuitum exarſit incendium, quod conſumtis domibus, quæ vel paleis, vel paluſtri tegebantur arundine, ad Monaſterium in quo Virgo ſancta cum famulabus Dei manebat, flabris ſtimulantibus ferebatur; & graſſante igne, non ædificiis ſolum, verum etiam jumentis atque hominibus ipſis interitum minabatur. Tum vero trepidantis populi confuſus clamor attollitur, concurſus omnium ad Abbatiſſam convolat, rogant ut periculo quod inſtabat, precibus ſanctis occurreret. Illa autem ut erat mentis patientiſſimæ, turbatis omnibus, fidei præſumtione nihil movebatur; ſed juſſit, ut ex ſuperiori parte fluminis quod per medium Monaſterium currebat, hauſtam ſibi aquam in concha celeriter adferrent. Quam ſine mora allatam, ſale quod a S. Bonifacio benedictum indeſinenter ſecum habebat, adſperſit dicens: Ite, & hanc aquam in flumen refundite, omniſque populus ab eo loco deorſum hauriat, & contra impetnm ſævientis incendii certatim mittat. Quod cum feciſſent, omnis illa ignium violentia, quaſi cœlitus immiſſo imbre ita reſtincta eſt, ut nihil ædificiorum poſtea prorſus attingeret. Quo miraculo plebs omnis attonita ad laudem Dei convertitur, qui per fidem & orationes famulæ ſuæ tam ſublimiter eos a tanto diſcrimine liberavit.

XVII. Tempeſtatem ſedat.

Illud etiam virtutibus ejus adnumerandum eſſe non dubito, quod cum die quadam tempeſtas ſæva atque aeris nimia perturbatio fuiſſet exorta, fulgura facta, ventique vehementes undique ferebantur, & tenebrarum caligo cœlum diemque nubium nocte ſubduxit; coruſcationes quoque valde ter-

CIRCA AN. 772. 28. Sept. terribiles, & fulgura crebro demiſſa terrorem nimium mortalibus inferrent; populus omnis pavore concutitur, ac primum pecora ne pereant, intra tuta domorum cogunt. Deinde ingraveſcente diſcrimine mortiſque ſævitiam minitante, cuncti deſperatione vivendi in Eccleſiam confugiunt, & obſeratis undique foribus, terribile judicium Dei quod imminere putabant, pavidi præſtolabantur. Quibus turbatis & voce confuſa concrepantibus ſancta Virgo occurrens indicit patientiam, pollicetur ſecuritatem, ſecumque eos orationi incumbere adhortatur, & ſine mora toto corpore ante altare ipſa proſternitur. Interea ſævit tempeſtas, & ventorum furorem domorum tecta non ſuſtinent, crebriſque fulminum ictibus terra tremiſcit; tenebrarum quoque denſitas & continua coruſcationum per feneſtras irruptio, maximum timidis horrorem ingeminat. Tum populus omnis tanti terroris immanitatem non ferens, ad altare cucurrit, & beatam Virginem ab oratione excitat periculis opponendam, primaque eam TECLA [a] conſanguinea ejus his verbis adorſa eſt: O dilecta, dilecta, in te ſpes populi hujus, in te votorum ſumma conſiſtit. Surge ergo, & pro nobis Dominam tuam ſanctam Dei Genitricem invoca, ut ejus interceſſione, ab hujus tempeſtatis diſcrimine liberemur. Ad hanc vocem illa ab oratione ſurrexit, & quaſi ad colluctationem vocaretur, cappam qua erat induta, abjiciens, fores Eccleſiæ confidenter aperuit: atque in limine conſiſtens, ſigno ſanctæ crucis edito, furenti tempeſtati nomen ſummæ majeſtatis oppoſuit; extenſiſque manibus in cœlum, terno clamore Chriſti clementiam invocavit, & per interceſſionem ac merita ſanctæ MARIÆ virginis, propitium eum populo ſuo velociter adeſſe precabatur. Confeſtim igitur adeſt Divinitas, tonitrua conquieſcunt, venti contrarii ad diſſipandam nubium denſitatem miniſteria convertunt, omniſque illa aerum tenebroſitas mox in duas partes diviſa & in ſemetipſam relapſa, tranquillitatem & ſerenitatem apparente ſole reduxit. Ita virtus divina & ancillæ ſuæ ſibi fideliter ſervientis merita declaravit, & populis inopinatam ſecuritatem depulſo timore conceſſit.

B. Mariæ interceſſione.

XVIII. *Sororem hæmorrhoide liberat.* Hoc etiam quod inter geſta ejus clarum fuiſſe ac memorabile conſtat, præterire ſilentio impium puto. Quædam namque ex Sororibus Monaſterii ejus, nomine WILLESWIND, vitæ merito & morum probitate laudabilis, magna corporis infirmitate vexabatur. Morbo enim laborabat, quem medici hæmorrhoidem vocant, & profluente ſanguine per ſecreta naturæ, graviſſimo inteſtinorum dolore cruciabatur. Creſcente igitur languore & per dies augumenta capiente, vires corporis deficiunt, adeo ut nec ſe in latus aliud vertere, nec de lectulo ſurgere, nec pedibus incedere ſine alterius ſuſtentatione potuiſſet. Cumque jam præ fœtoris magnitudine in communi cella Monaſterii manere non poſſet, parentes ejus qui in vicino habitabant, petita & accepta licentia, feretro eam impoſuerunt, & trans flumen quod vocatur Tubera, in domum ſuam portaverunt. Nec multo poſt invaleſcente morbo venit ad extrema: & cum jam ultima corporis parte præmortua, ſolus vitalis flatus palpitaret in corpore, invitatur a parentibus Abbatiſſa, non ut viſitaret infirmam, ſed ut precibus ſuis Deo tranſitum ejus commendaret. Quæ cum veniſſet, accedens ad lectum, quem multitudo vicinorum plangens vallaverat, juſſit auferri velamen: (erat enim ex more cadaverum jam linteo cooperta.) Quo ablato, pectus ejus manu contrectans: Nolite, ait, flere, quia anima illius adhuc in ipſa eſt: mittenſque ad Monaſterium, juſſit cochlear parvum quo ipſa ad menſam uti ſolebat, cum feſtinatione adferri, & allatum ſibi lac benedixit, atque in os jacentis guttam cum cochleare ſtillavit: cujus tactu intrinſecus guttur & vitalia ita convaluerunt, ut ſtatim & linguam ad loquendum & oculos ad videndum moveret: tantaque celeritate remedium cœleſte ſuccurrit,

[a] S. Bonifacii epiſtola 25. *cariſſimis Sororibus* LEOBGYTHÆ & TECLÆ, *nec non* & CYNEHILDE inſcribitur.

Digitized by Google

currit, ut ſequenti die cibo confortata vires reciperet, atque ante diem ſeptimum pedibus propriis ad Monaſterium ambularet, de quo prius in lectica portabatur. Pluresque poſtea vixit annos, atque in regione Turingorum poſt obitum venerandæ Virginis, uſque ad tempora LUDOVICI Regis Francorum ſana & incolumis in Dei ſervitio manſit. CIRCA AN. 772 28 Sept.

XIX. Plures diſcipulas ad ſe trahit.

Talibus ergo virtutum ſignis fides in populis ſuccenſa fervebat, & creſcente religione crevit ſimul & mundi contemtus. Multi enim nobiles & potentes viri filias ſuas Deo in Monaſterio ſub perpetua virginitate ſervituras tradiderunt, multæque matronæ relicta ſæculari converſatione caſtitatem profitebantur, & ſuſcepto velamine ſacro, monaſticam vitam elegerunt. Quibus Virgo ſancta ad ſumma virtutum veniendi, & verbo viam præbuit & exemplo.

XX. Bonifacius Lullo Epiſcopo inter alia commendat Liobam.

Interea B. Bonifacius Archiepiſcopus in Friſiam ire parans, gentemque paganicis ritibus deditam atque infidelitatis morbo decubantem cœleſti medicina viſitare decernens, vocavit LUL diſcipulum ſuum, qui poſtmodum in Epiſcopatu ſucceſſit, & ei ſingula prout voluit commendavit. Et generaliter quidem illi curam credentium populorum ac prædicationis inſtantiam ſtructuramque Eccleſiarum a ſe per diverſa loca inchoatarum injunxit, ſpecialiter autem de Monaſterio Fuldenſi, quod cum auctoritate Zachariæ Papæ & cum favore CARLOMANNI Regis Auſtriæ in vaſtiſſima ſolitudine ſaltus Boconiæ ipſe conſtruxerat, præcepit, ut quia Monachi locum illum inhabitantes pauperes erant, & nec dum alia habebant ſervitia, ſed ſolo manuum ſuarum labore victitabant; ædificium fundatæ jam ibi Eccleſiæ ad perfectionis terminum deduceret, atque poſt mortem ſuam corpus ejus illic ſepeliendum transferret. Cumque hæc & alia hujuſmodi ei mandata dediſſet, accerſitam ad ſe Liobam virginem exhortatus eſt, terram peregrinationis ſuæ non deſerere, nec in adſumti propoſiti vigore laſſeſcere; ſed quotidie bonum quod cœperat, omni ſtudio ampliare, dicens ei, corporis fragilitatem non eſſe conſiderandam, nec prolixa ætatis ſpatia computanda, nec arduum virtutis finem, nec gravem exiſtimandum perveniendi laborem: præſertim cum hujus temporis ſpatia ad æternitatem comparata, brevia ſint, & non ſint condignæ paſſiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Commendavit autem illam Lul Epiſcopo & ſenioribus Monachorum ſupradicti Monaſterii qui aderant, monens eos, ut cum honore & reverentia curam ejus agerent, ſuæque voluntatis eſſe affirmans, ut poſt obitum ejus corpus illius ad oſſa ſua in eodem ſepulcro poneretur: quatenus pariter diem reſurrectionis exſpectarent, qui pari voto ac ſtudio in vita ſua Chriſto ſervierant. Quibus dictis dedit ei cucullam ſuam, rurſus eam admonens atque conteſtans de non relinquendo peregrinationis ſuæ loco. Et ſic præparatis omnibus quæ in itinere erant neceſſaria, in Friſiam perrexit. Ubi cum non parvam gentis illius portionem Chriſto adquiſiſſet, labores ſuos glorioſo conſummavit martyrio, corpuſque ejus translatum eſt Fuldam, & ibi, ſicut ante præceperat, digno honore ſepultum.

Cum ea ſepeliri cupit, conceſſa eidem cuculla.

XXI. Lioba Regibus & Summatibus honorata,

Beata autem virgo Lioba immobilis in opere Dei permanſit, non terram hereditare cupiens, ſed cœlum, unde ad finem propoſiti cum omni labore tendebat. Seminabatur vero de ea fama laudabilis, & odor ſanctitatis ac ſapientiæ, cunctorum in ſe traxit amorem. Erat enim omnibus, qui eam noverant, & ipſis quoque Regibus honorabilis Nam PIPPINUS Rex Francorum, & filii ejus CAROLUS & CARLOMANNUS, omni eam veneratione coluerunt, & præ ceteris maxime Carolus, qui poſt mortem patris, defuncto fratre, cum quo & ipſe paucis annis regnaverat, Imperii gubernacula ſolus obtinuit; vir ſane Chriſtianiſſimus, & vere Imperio digniſſimus, atque omnibus retro gentis illius Regibus fortitudine & ſapientia merito præferendus: qui ita Fidem catholicam diligebat, ut cum omnibus imperaret, Dei famulos & ancillas ſublimi humilitate veneraretur.

CIRCA AN. 772 28. Sep.

Hic itaque religioſam Dei Virginem ad ſe frequenter invitatam cum magna reverentia ſuſcepit, & dignis muneribus honoravit. Sed & Regina HILDEGARDIS puro eam venerabatur affectu, atque ita ut animam ſuam diligebat: voluitque ut aſſidue ſecum maneret, quatenus ad viam vitæ verbis ejus proficeret & exemplis. Sed illa ut veneni poculum, ita palatinum deteſtabatur tumultum. Amabant eam Principes, ſuſcipiebant Proceres, Epiſcopi cum exſultatione amplectebantur. Et quia erat in Scripturis eruditiſſima atque in conſilio provida, verbum vitæ cum ea conferebant, & inſtituta eccleſiaſtica ſæpe tractabant. Illa vero omnem ſollicitudinem erga id quod cœperat exercebat: & Monaſteria puellarum, quaſi ductrix ſpiritualium tironum viſitans, certantibus ſtudiis æmulantes ad perfectionis gloriam provocabat.

XXII. Fuldenſis Eccleſia illi ſoli patet.

Interdum etiam & ad Monaſterium *a* Fuldenſium Monachorum cauſa orationis venire ſolebat, quod nec prius, nec poſtea ulli unquam feminarum concedi potuit: quia loco illi ex quo a Monachis habitari cœptus eſt, femineus negabatur ingreſſus. Tantum autem huic ſoli conceſſus eſt propter hoc, quod ſanctus Martyr Bonifacius eam ſenioribus eorum commendavit, corpuſque illius ibi ſepeliendum decrevit: cujus tamen adventus hoc ordine moderabatur. Relictis enim in vicina cella diſcipulabus ac pediſſequis ſuis, ipſa cum una ceteris maturiore Monaſterium diurno tantum tempore intravit: & poſt orationem completa cum Fratribus collatione, noctibus ſemper ad diſcipulas ſuas, quas in cella dimiſerat, revertebatur. Cum autem ſenuiſſet & provectioris jam eſſet ætatis, ordinatis omnibus quæ ſub cura ſua habuit Monaſteriis, cum conſilio Lul Epiſcopi venit in locum qui vocatur *Schonersheim*, quatuor millibus a civitate Moguntia ad Africum diſtans: ibique cum famulabus Dei ſecum commorantibus manſitavit, jejuniis & orationibus Deo ſerviens nocte & die. Interea morante Rege Carolo in Aquenſi palatio, miſit ad eam Regina Hildegardis, deprecans ut ad ſe venire non gravaretur. Deſideravit enim videre eam, antequam de corpore migraſſet. Quod illa quamvis moleſte ferret, propter antiquam tamen familiaritatem conſenſit. Perrexit ergo, & cum ea qua ſolita eſt a Regina gratulatione eſſet ſuſcepta, mox ut audivit cauſas pro quibus invitata eſt, redeundi licentiam poſtulavit. Cumque propenſius rogaretur ut aliquot dies ibi maneret, abnuit, ac ſolito affectuoſius in amicam irruit, os, frontem, oculos deoſculans, inhærens amplexibus, hujuſmodi verbis ſalutatam reliquit: Vale in æternum, domina & ſoror dilectiſſima: vale animæ meæ portio pretioſa. Chriſtus creator & redemtor noſter tribuat, ut nos in die judicii ſine confuſione videamus: ceterum in hac luce mutuo numquam ab hac die conſpectu fruemur.

e Schonersheimenſi Monaſterio Aquaſgrani arceſſitur ab Hildegarde.

XXIII. Viatico percepto moritur.

Reverſa eſt igitur ad Monaſterium, & poſt paucos dies corporis incommodo correpta decidit in lectum. Cumque ingraveſcente languore inſtare cerneret tempus dormitionis ſuæ, vocavit TORABERTUM venerabilem Presbyterum natione Anglum, qui ei indeſinenter adhærens, cum reverentia ſemper & amore ſerviebat: & accepto corporis & ſanguinis Chriſti Viatico, hominem exuit, ac Creatori ſuo animam quam dederat, mundam & immaculatam cum gaudio reſtituit. Obiit autem menſe Septembri, quarto Kalendas Octobris *b*: corpuſque ejus Fuldenſes Monachi ſuſceptum, cum proſecutione nobilium perſonarum venerabiliter ad Monaſterium ſuum tranſtulerunt. Recordati ſunt itaque ſeniores eorum dixiſſe S. Bonifacium, quod ſuæ eſſet voluntatis, ut corpus illius ad oſſa ſua ponere-

Fuldæ ſepulta.

---

a Baſilicas antiqui non raro *Monaſteria* appellabant, uti hoc loco, quod ſexcentis exemplis conſtat.

b Quo anno, non ſatis conſtat. Anno circa 772. obiiſſe colligimus ex familiaritate quam habuit cum Hildegarde Caroli Magni uxore, quæ anno 783. deceſſit, nec ante annum 768. Carolo nupſit.

neretur. Sed quia metuebant ſanctum ſepulcrum beati Martyris aperire, conſilio inito, ſepelierunt illud ad plagam ſeptemtrionalem altaris, quod ipſe ſanctus Martyr Bonifacius ædificatum, in honorem Domini Salvatoris noſtri & ſanctorum duodecim Apoſtolorum ejus dedicaverat. Poſt annos autem non paucos, a Rectoribus loci illius Eccleſia auguſtius ædificata cum futuræ conſecrationi præpararetur, EIGIL Abbas cum licentia AISTULFI Archiepiſcopi oſſa ejus tranſtulit, & in auſtrali porticu juxta Memoriam *a* S. Ignatii Martyris poſuit, ubi ſepulcro condita, miraculis vivit & gloria. Multi enim fide pleni, ad tumulum ejus divina beneficia ſæpe experti ſunt: ex quibus quædam quæ ad præſens animo occurrunt, ſobrie & fideliter legentibus pandere curavi. CIRCA AN. 772. 28. Sep. Loco mutatur.

Quidam namque vir ferreis circulis per lacertos ad nudum corpus tam anguſte constrictus erat, ut ex utraque parte caro ſupercreſcens, ferrum prope obtegeret. Ex quibus unus de altero brachio ante jam deciderat, cujus veſtigium cicatrix obducta manifeſto retulit indicio. Hic ergo in Eccleſiam veniens, Memorias Sanctorum per ſingula altaria orando circuivit. Cumque veniſſet ad ſepulcrum ſanctæ Virginis, & ibi orationi incumberet, occulta quædam vis circulum ferreum expulſis clavis extendit, ac de brachio cum non modico ſanguine ejecit. Ille autem gaudens & exſultans gratias referebat Deo, quod eum per merita beatæ Virginis abſolvere dignatus ſit, quem propter peccata *b* uſque in illum diem nexus ferrei ligaverunt. XXIV. Catenatus ad ipſius tumulum ſolvitur.

Alter vero de Hiſpania erat, qui peccatis exigentibus pœnæ tali addictus eſt, ut horribiliter quateretur tremore omnium membrorum. Cujus paſſionis incommodum, ſicut ipſe retulit, in Ibero flumine contraxit. In qua deformitate oculos civium ſuorum non ſuſtinens, ubicumque ei ire viſum eſt, per diverſa Sanctorum loca vagabatur. Peragrata itaque omni Gallia atque Italia, Germaniam ingreſſus eſt. Ubi cum nonnulla Monaſteria cauſa orationis adiſſet, Fuldam venit, manſitque ibi tribus diebus in hoſpitali peregrinorum ſuſceptus, Eccleſiam frequentans & orans, ut jam ſibi placaretur Deus, ac priſtinam reſtitueret ſalutem. Cumque die tertia Oratorium intraſſet, altaria cuncta orando circuiens, ad Memoriam ſanctæ Virginis ex more pervenit; & oratione ibi completa, cryptam occidentalem, ſuper quam corpus S. Bonifacii Martyris quieſcit, ingreſſus eſt, ac proſtratus in oratione, dormienti ſimillimus jacuit, non tamen tremens, ſicut etiam per ſomnum ſolebat. Quod cernens vir venerandus FIRMADUS Presbyter & Monachus, qui propter infirmitatem ſuam ibi ſedebat & ſtare non poterat, obſtupuit, & quibuſdam eum erigere volentibus prohibuit, potiuſque eventum rei exſpectandum eſſe judicavit. Interea ſubito ſurrexit homo, & non tremebat, quia ſanatus erat. Interrogatus ergo a Presbytero (quoniam linguæ ejus, eo quod eſſet Italus, notitiam habebat) retulit ſe per exceſſum mentis vidiſſe virum veneranda canitie, ſtola pontificali indutum, quem comitabatur puella quædam in habitu nonnaico, quæ ſe apprehenſum erigeret, & Pontifici ad benedicendum offerret. Cujus pectori cum Pontifex ſignum Crucis Chriſti imprimeret, nigerrima avis inſtar merulæ de ſinu illius per capitium tunicæ egreſſa, mox ut terram contingeret, in gallinam converſa ſit; ac deinceps in ſpeciem deformis ac teterrimi homunculi transformata, per gradus aquilonaris introitus cryptam egreſſa ſit. Hanc autem ſanitatem quin ſanctæ Virginis orationes & merita beati Martyris a Domino obtinuerint, nulli Chriſtiano dubitare fas eſt. Qui licet non in uno ſepulcro, uno tamen XXV. Homo tremulis membris ſanatur. NOTA.

a Memoria nonnumquam Reliquias Sanctorum, aliquando altaria ipſis dicata, hic & duobus capp. ſeqq. ſacellum ſignificat.

b Id genus pœnitentiæ ob gravia crimina tum temporis Sacerdotes imponebant. Lege Præfationem Sæculi 2. §. 4. num. 41. librum de miraculis S. Bertæ, & Vitam S. Vvillibrordi circa finem.

Digitized by Google

CIRCA AN. 772. 28. Sept.

men loco [a] quieſcentes, eadem pietate qua dum pariter in carne vixerunt, miſeris ſubvenire ſolebant, nunc in cœleſti claritate cum Chriſto manentes, eorum interceſſionem quærentibus patrocinari non ceſſant. Multa quidem & alia ſigna Deus per ſanctæ Virginis orationes ſæpe operatus eſt, quæ ne faſtidium prolixitate narrationis lectori faciam, proſequi omitto.

Teſtes miraculorum.

Hæc autem duo quia plerique Fratrum adhuc viventes ſe vidiſſe celebri ſermone teſtantur, & ego ipſe eo tempore quo fiebant, illic aderam, propter certitudinem conſcripſi, ad laudem & gloriam nominis Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui glorificantes ſe glorificat, & ſervientibus ſibi non tantum regna cœlorum, ſed etiam in hoc ſæculo honoris tribuit nobilitatem: cui eſt gloria cum Patre & cum Spiritu-ſancto per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

AN. CHR. 778. 19. Julii.

VITA S. AMBROSII AUTPERTI

ABBATIS MONASTERII S. VINCENTII AD WLTURNUM IN BENEVENTO,

Ex Chronico ejuſdem Monaſterii ſcripto ſæculo XI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Autpertus idem qui Ambroſius Autpertus.

1. AUTPERTUS *ſeu* Autbertus, *ipſe eſt* AMBROSIUS AUTPERTUS, *aliis* Ansbertus, *cujus exſtant libri decem in Apocalypſin. Id antequam demonſtremus, juvat quædam præmittere de ejus Vita, quam nobis exhibet Chronographus Monaſterii Sancti Vincentii ad fluvium Vulturnum in Benevento: quo de Monaſterio dictum eſt in Vita Sancti Paldonis ab ipſo Autperto ſcripta, ſupra ad annum 720. Porro Chronographus iſte vivebat ſæculo* XI. *ut patet ex ipſius Chronico edito apud Cheſnium in tomo 3. Hiſt. Franc.*

Autperti memoria.

2. *Autperti nomen non exſtat in faſtis Benedictinis, neque in Romanis, Ferrariive catalogo: eum tamen* ſanctiſſimum *vocat Chronographus iſte, qui res ab eo geſtas propius inſpexit. Conſentit Ferdinandus Ughellus in tomo 6. Italiæ ſacræ, ubi* Sanctum Autpertum *dicit. Sane ejus pietatem ac ſanctimoniam probant lucubrationes ab eo relictæ, de quibus hic agendum.*

Doctrina & ſcripta.

3. *Paulus Vvarnefridi in lib. 6. de geſtis Langob. cap. 40. agens de primordiis Cœnobii Sancti Vincentii juxta Vulturnum, laudat* ſcripta viri eruditiſſimi Autbreti ejuſdem Monaſterii Abbatis, *quæ de primis loci inſtitutoribus compoſuit. Chronographus etiam hic editus plures ejus lucubrationes enumerat ſectione 7. in his* librum de conflictu vitiorum, *eum fortaſſe qui Auguſtino perperam tribuitur, Ambroſio vero in pluribus mſſ. exemplaribus is forſan errore nominis: nam Autpertum noſtrum etiam* Ambroſium *vocatum conſtat. Hoc enim nomen præfert expoſitio ejus in Apocalypſin.*

Is auctor expoſitionis in Apocalypſin.

4. *Iſta expoſitio edita eſt primum Coloniæ anno 1536. tum in tomo 9. Bibliothecæ Patrum ſub nomine* Ambroſii Ansberti Galli Presbyteri, viri facundiſſimi: *quem* Monachum & Presbyterum Ordinis S. Benedicti *appellat Trithemius, eumque cum Bellarmino & aliis* anno Domini 890. claruiſſe *adfirmat. Verum integro ſæculo aberrant a vero calculo, uti obſervarunt viri piiſſimi juxta ac doctiſſimi, qui Officium de ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento ex lectionibus Patrum concinnarunt. Id quod recte probant ex clauſula expoſitionis in Apocalypſin, quæ in editis libris ſic ſe habet:* AMBROSIUS, qui & Ansbertus, (*rectius* Autpertus *ſeu* Autbertus) ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii vero regionem apud Monaſterium Martyris Chriſti Vincentii maxima ex parte divinis rebus imbutus; non ſolum autem, ſed & ſacroſanctis altaribus ad immolanda Chriſti munera traditus, operante beata & inſeparabili Trinitate, ſuffragantibus etiam meritis

[a] Hinc patet, hanc Sanctæ Liobæ Vitam a Rudolfo ſcriptam eſſe prius, quam Sanctæ Liobæ Reliquiæ a Hrabano Mauro in Montem Sancti Petri transferrentur. Qua de re legendus idem Rudolfus in Vita Hrabani ſæculo inſequenti. Ibi hodieque, inquit Brovverus in lib. 2. Antiq. Fuld. cap. 5. in cryptoporticu cenotaphium exſtat cum Virginis memoria, præſenti ſæpe & prodigioſo pellendis infantium morbis auxilio: ſed recepta demum oſſa in ſecuriora, nunc temporis in ædis primæ ſacrario tumbæ incluſa adſervantur.

Digitized by Google

ſitis beatæ Mariæ virginis, temporibus PAULI Pontificis Romani, necnon & DESIDERII Regis Langobardorum, ſed & ARECHISI Ducis ejuſdem provinciæ quam incolo, hoc opus confeci atque complevi: quodque propter facilitatem ipſum intelligendi, SPECULUM PARVULORUM vocavi. *Atqui Paulus I., ut recte obſervant, Sedi Romanæ præfuit ab anno 757. ad 767., eo ſcilicet tempore quo Deſiderius in Italia rerum potiebatur. Eam Autperti commentationem repræſentat egregium atque veterrimum Bibliothecæ Corbejenſis apographum duplex. Prioris inſcriptio iſta eſt:* Incipit epiſtola AMBROSII AUTPERTI ad STEPHANUM urbis Romæ Epiſcopum pro libris ſuis. *Exordium epiſtolæ ſic:* Beatiſſimo Stephano Ambroſius Autpertus Presbyter, *&c. Is eſt Stephanus tertius, Pauli ſucceſſor, cujus auctoritatem Autpertus adverſus obtrectatores ſcriptionis ſuæ jam vulgatæ imploravit. Poſterioris partis hic titulus:* In nomine ſanctæ Trinitatis, incipit expoſitionis Autperti Presbyteri in Apocalypſin pars ſecunda: *quæ incipit a libro quinto. In fine deeſt clauſula illa, quam ſupra ex editis codicibus retulimus. Legimus & homiliam ejuſdem Auctoris in duobus æque vetuſtis membraneis libris, factam in Evangelium de Transfiguratione, præmiſſo hoc titulo:* Incipit homilia Autperti Presbyteri de lectione Evangelii ſecundum Matthæum, qua Dominus in monte coram tribus diſcipulis transfiguratus perhibetur. *Et adductis Evangelii verbis:* Incipit homilia ejuſdem lectionis habita ad Monachos in Monaſterio S. Vincentii. Solet nonnumquam evenire, immo pene ſemper evenit, ut in domibus Regum ac Principum vaſa aurea vel argentea quilibet vilis emundet atque deſpectus. Quid autem ſunt corda Electorum in ſancta Eccleſia, quam quædam, ut ita dixerim, vaſa regalia, *&c. Hæc homilia nuſquam typis vulgata eſt, uti nec aliæ duæ, quas manu deſcriptas habemus, unam de Purificatione, alteram de Adſumtione B. Mariæ: Primæ inſcriptio & exordium ita eſt:* Sermo de lectione S. Evangelii, editus a domno Auberto Presbytero atque Abbate in Purificatione S. Mariæ. Si ſubtiliter a Fidelibus quæ ſit hujus diei feſtivitas perpendatur, *&c. Alterius vero ſic:* Sermo Autberti Presbyteri in Adſumtione S. Mariæ. Adeſt, dilectiſſimi Fratres, venerabilis dies omnium Sanctorum ſollemnitates præcellens, *&c. Quo in ſermone quæ fuerit Autperti ſententia de Adſumtione Deiparæ, ex fragmento quod in fine hujus Vitæ referemus, intelliges. Sane homilias aliquas Evangeliorum* pulcra ſermonum declaratione ediſſe *Autpertus dicitur infra num. 7. In his vero operibus* Presbyter *paſſim, ſemel tantum* Abbas; *ſemper* Autpertus Autbertuſve, *aliquando* Ambroſius Autpertus *in libris mſſ. appellatur. Et quidem necdum Abbas erat, quum Apocalypſin commentatus eſt, ſiquidem Pauli Papæ tempore condidit eam expoſitionem; Abbas vero fuit Hadriano Pontifice, ut patebit inferius.* AN.CHR. 778 19. Julii. Homiliæ de Trasfiguratione, &c.

5. *His præmiſſis de Autperti lucubrationibus, juvat nonnulla deflorare ex ejus commentariis in Apocalypſin, quæ ad facta ipſius illuſtranda conferunt plurimum. Quibus ſtudiis addictus fuerit vir ſanctus, declarat initio libri 8. in hunc modum:* Rariſſimos tractatorum fidelium invenimus, quos non ſæculi litteratura prius imbuerit, quam ad divinas tranſierint enodandas Scripturas; quoſque de Ægypto exeuntes non Ægyptiorum divitiæ locupletaſſent, ut Hieronymum, Auguſtinum, Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, & alios multos: quod tamen mihi ultimo omnium eveniſſe minime cognoſco. Non enim oneratus divitiis exivi de Ægypto: quia nequaquam me in ſchola mundanæ ſapientiæ erudiri contigit. Nihil mihi Plato, nihil Cicero, nihil Homerus, nihil Virgilius, nihil Donatus, nihil Pompeius, nihil Servius, nihil Sergius, nihil Priſcianus contulit. Sed ſi quid fortaſſe habere videor, hoc de horreo dominicæ prædicationis a Chriſto accepiſſe me fateor: non quo mihi & eorum ſcientia fuerit denegata: ſed quo plus delectatus ſim verbis humillimi piſcatoris, quam ſuperbiſſimi oratoris; plus divinis intenderim, quam humanis eloquiis. *Ex quibus intelligimus, Autpertum ſe totum dediſſe lectioni, meditationi, ac prædicationi ſacrarum Scripturarum: quo nomine etiam Sanctos Patres intelligit, quos identidem citat, præcipue Auguſtinum & Gregorium Magnum.* Studia ejus.

6. *Prædicationis item ſtudium commemorat ſuum initio libri* 9. Johanni, immo etiam Eccleſiæ in Johanne dicitur: Accipe librum & devora illum. Quibus utique verbis memetipſum loquendo percutio, qui accepto intelligendi ingeniolo, plerumque nulla cogente neceſſitate per inania diffluo; plerumque etiam ſub obtentu prædicationis divinæ ſæcularibus viris plus quam decet familiaritate conjungor. Cui contraria opponitur ſententia qua dicitur: Sapientiam ſcribe in tempore otii; & qui minoratur actu, ipſe percipiet eam. Sed in uno horum quæ dixi, occurrit nobis magna conſolatio, quia quo propter multorum utilitatem charitate exigente ad ima deſcendimus, eo valenter ad ſumma intelligenda conſurgimus. . . Inter hæc autem neceſſe eſt, ut cum familiari Scripturarum meditatione ad officium egredimur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rurſum Scripturarum meditationem revertimur; ſollicita inquiſitione noſmetipſos diſcutiamus, & quæ vel quanta ſint, in quibus aut proficimus, aut detrimentum paſſi ſumus, ſagaci intentione perpendamus: quatenus hinc inde & formidine & ſpe animum pulſantibus, nec elatio per præceps impingat, nec rurſum deſperatio in profundi voraginem mergat. Prædicatio.

7. *Qua ratione ad ſcribendum impulſus ſit, ipſe aperit in ipſo libri* 1. *exordio.* Quod ſi

a me

Digitized by Google

AN.CHR. 778 19. Julii, Scriptiones,

a me quæritur, cur poſtquam omnes eccleſiaſtici Scriptores ſiluerunt, hoc agere præſumo, cum humilitatis ſatisfactione cito reſpondeo: quia ad hoc ipſum divina gratia impulſum me eſſe cognoſco. Si autem de vita tractatoris indigna conqueritur, potius ego quam alii in hac parte me reprehendo. Sed non eſt Deo indignum, per hominem, etſi peccatorem, tamen utcumque Chriſtianum, ſua verba depromere, qui dudum per ſacrilegos & impios prophetavit. *Et in fine libri* 10. Sed obſecro, mi Domine, doctor Angelorum & hominum, ne in talium numero computes eum, qui emendatiorem vitam cum ſalubri doctrina arripere quærit. Et quia hoc ipſum niſi a te acceperit, facere non poteſt; qui tribuiſti ſcientiæ donum, quæſo ut tribuas etiam voluntatem, ſtudium atque virtutem operandi bonum. Quod ſi voluntas, ſtudium, virtuſque operandi bonum non proſequitur ſcientiæ donum; ſatis mihi eſt, Domine, ſtultum hebetemque eſſe. Neque enim ideo patriam parenteſque reliqui, ut mihi ſcientiæ dona largireris, ſed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod ſi utraque non mereor, doctrinam ſcilicet atque operationem: aufer, quæſo, doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum. *Utinam ii qui ſtudiis ſacris intendunt animum, ſimili inſtinctu moveantur omnes! Quod velim præcipue attendant noſtri, qui litteris incumbunt.*

Obſervantia in Patres,

8. *Quam ſanctis Patribus fuerit addictus Autpertus, pluribus in locis atteſtatur, præcipue in fine libri* 10. *bis verbis*: Quantum itaque ad fidei attinet rectitudinem, ita in ſingulis ſententiis cauta ſervatur expoſitio, ut ſi forte me voluerit in his reprehendere, reprehendat etiam (ut de multis paucos commemorem) Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, atque NOSTRUM GREGORIUM. *Ubi obſerva, Gregorium ab eo dici* noſtrum, *hoc eſt Benedictinum: quod ante me adverterat, litteriſque mihi ſignificaverat V. C. Emericus Bigotius.*

Obtrectatores,

9. *Etſi is erat Autpertus, non tamen invidiæ expers fuit. Cum enim vulgaſſet libros ſuos in Apocalypſin, continuo paſſus eſt obtrectatores, quibus objecit Stephani Papæ auctoritatem, qua ſe ipſe munire conatus eſt. Extat ea de re ejus epiſtola ad Stephanum, in qua defendit* totius Eccleſiæ libertatem, *ut ſcilicet unuſquiſque prout deſuper accepit, ſine alterius controverſia volumina condat: eumque adfirmat* damnandum *cenſeri*, quiſquis hanc libertatem ſpiritus abolere conatur. *Et infra*: Nuper in Apocalypſin Joannis decem edidi libros: & quamquam ſufficeret mihi, quia ſanctarum Scripturarum teſtimoniis veræ fidei congruentibus roborati erant, quia præcedentium tractatorum ſenſu vigebant; humilitati tamen meæ proſpiciens peto, ut veſtro etiam decreto profuturi firmi maneant: quod videlicet nullum præter me alium tractatorem fuiſſe reperio. Sed non ideo libertas ſuccubuit, quia humilitas ſemetipſam libere proſtravit. *Quibus in verbis illud obſervatu dignum eſt, Autpertum fuiſſe primum, qui Romani Pontificis decretum in ſuorum librorum confirmationem requiſierit.*

Papæ approbatio primum petita.

Notarii opera.

10. *Poſtremo adeo non refugiebat ſtudiorum vigilias, ut etiam ipſe ſuſciperet Notarii laborem. Sic enim ait in oratione ad Deum.* Et quia in hoc tam laborioſo opere Notariorum ſolatia deeſſe mihi videntur; obſecro, Domine, ut nec manus verborum characteres formans, aut viſus exterior verba literis formata conſpiciens, impedimentum præſtent cordi, intus ſecreta myſteriorum rimanti: ſicque cordis intentio vigilet intrinſecus, quatenus officium manus nequaquam torpeat extrinſecus. *Idem repetit initio libri* 5. *Mirum eſt ſane, tanto viro (quod etiam venerabili Bedæ & Paulo Diacono accidiſſe legimus) defuiſſe ſodalem vel unum, qui excipiendis ejus ſententiis ac dictis calamum ac manum porrigeret.*

11. *Hæc ideo fuſius præmiſimus, quod non ſatis notus hactenus fuerit Ambroſius Autpertus; nec ſubjecta Chronographi relatio ſufficiat ad factorum ejus commendationem.*

Magni Monachi æqualis Autpertus.

12. *Quo tempore Autpertus in Vincentiano Monaſterio florebat, ibi etiam degebat* MAGNUS, doctus & miræ converſationis, *ut legitur in Actis ſancti Walfridi Abbatis Palatioli ſupra ad annum* 765. *cui Walfrido in inſtituendo Cœnobio ſuo adjutor exſtitit Magnus.*

Auctor ex veterum ſcriptis & dictis hæc refert.

I. QUÆ de ſanctiſſimo Abbate AUTPERTO ſequuntur, operæ pretium reor aliquantulum prolixius enarrare. Equidem non ambigo me meritis ipſius apud Deum poſſe juvari. Cujus originem, actus, vel adventum in hoc ſacro Cœnobio Chriſti Levitæ Vincentii, partim vetus ſcriptura tradidit, partim vero ſicut venerabilium Patrum fidei relatione didici pariter comprehendens, & ad laudem Dei noſtri omnipotentis ſcribens, poſteris perfectionem rectæ Religionis ac exemplum proferimus perſeverantiæ juſti laboris pro Dei amore decertantibus in ſacri Cœnobii inſtitutis: ut quicumque adſpiciens, hujus contempletur nobilitatem, ſeque quantocius a ſæculi convertat vanitate; hujus attendens prudentiam & charitatem, avidius Chriſti ſectetur humilitatem; & eo magis ſi ſæculi divitias alacriter ſtuduit ca-

Digitized by Google

calcare, de ſibi promiſſa in cœlis a Domino gaudeat felicitate. Si pauper vero propriam abrenuntians voluntatem ſub jugo ſanctæ Regulæ Deo ſe profeſſus eſt militare, noverit ſe jam non de craſtino debere cogitare : ſed meminerit quoniam & humiles ſpiritu Dominus dignabitur ſalvare. **AN.CHR. 778 19. Julii.**

Autpertus Gallus,

2. Hic quidem ſanctiſſimus Pater, Galliarum provinciis oriundus, parentibus admodum Chriſti religione & ſæculi dignitate clariſſimus, ut luciferi ſolis radius Chriſtianitate conſpicuus enituit. Qui nimirum cum puellares ageret annos, litterarum ſtudiis traditus, totis viribus innocenter Chriſti mandata cuſtodiens, tam divinæ quam mundanæ philoſophiæ verus Chriſti philoſophus efficacia adeptus eſt. Poſt quod in regali aula divæ memoriæ CAROLI Imperatoris adſumtus, cum a cunctis diligeretur, maximeque ab eodem Imperatore Carolo, ſive ejus genitore pio PIPPINO, cœpit ejuſdem Imperatoris magiſter & inſtitutor eſſe prudentiſſimus, ipſiuſque imperialis aulæ Archicancellarius *a* ſupra ceteros haberi ſtrenuiſſimus. Et cum a cunctis veneraretur atque attolleretur ſibi jure dignis laudibus præcipuiſque obſequiis; tamen ille pii pectoris ſimplicitatem & puræ charitatis ſinceritatem cuſtodiebat attentius.

Caroli M. Archicancellarius,

Carolum hortatur ut inviſat Monachos S. Vincentii.

3. Sed cum his temporibus Monaſterium beati Martyris Vincentii ſuper Vulturni fluminis fontem a ſanctis Patribus PALDONE, TUTONE, & TASONE eſſet conſtructum, magnaque ibi ſanctorum Deo famulantium congregatio permaneret, quæ præcipuis pene tunc temporis Italiæ Monaſteriis præferretur; factum eſt, ut eorum ſanctæ Religionis opinio longe lateque fragrans, etiam ipſius clementiſſimi Imperatoris Caroli perveniret ad aures. Qui ductus divino amore, præcipueque ſuaſus ab eodem ſuo venerabili Magiſtro & Archicancellario Autperto, primitus quidem hujus opinionis veritatem explorare voluit, miſſo ad idem Monaſterium ſuo Apocriſiario: dehinc magna ſtipatus caterva potentum Romam veniens, ad primi Principis Petri limina oraturus, & ut Eccleſiarum populi & patriæ excidium ulciſceretur; peractis neceſſariis rebus, cum maxima multitudine tam religioſorum Epiſcoporum vel Abbatum, quam ſequentium Comitum ac Marchionum, ad idem dignatus eſt accedere Monaſterium : ubi qualiter digniſſime a ſanctis Patribus ſuſceptus, quamque ipſe ibidem humiliter ſit ingreſſus; in libro *b* vitæ eorum plenius continetur : quod ex præcepto domni Taſonis Abbatis a venerabili PETRO Presbytero & Monacho ſacri Cœnobii ſatis lucide deſcriptum eſt.

NOTA.

Autpertus piis Monachorum exemplis motus.

4. At cum idem ſereniſſimus Imperator poſt dona magnifica quæ ibidem contulerat, poſtque firmatis regali præcepto longe lateque poſſeſſionibus, ſanctorum Patrum veſtigiis proſtratus, illorum ſe diutius orationibus commendans, ſumtis benedictionibus feſtinanter vellet reverti; vir Domini Autpertus contemplatus piæ converſationis exempla in ſanctis Patribus admodum mirabatur, jamque ejus animus hiſce ſimilem fieri delectabatur. Hoc denique evoluto tempore *c*, Carolus Imperator Beneventum aggreſſus diutina obſidione cives vexabat : ſed ei ad capiendum omnino urbs difficilis erat. Interea ARICHIS ipſius civitatis Princeps pia conſideratione civium ſaluti conſulens, datis obſidibus duobus liberis cum eo paciſcitur. Inde rediens Imperator, B. BENEDICTI Monaſterium petiit, orationibus ſervorum Dei ſe commendans, plurima ibi dona largitus eſt, & imperiali Præcepto quæque

a Ut Caroli fuerit præceptor, certe Archicancellarius non fuit Autpertus, qui prius Monachus erat, quam Carolus capeſſeret Francorum imperium : ut conſtat ex clauſula expoſitionis in Apocalypſin ſuperius relata.

b Iſte liber, ut quidem putamus, adhuc in tenebris latet : quem utinam aliquis vel typis vulgaret, vel ad nos tranſmitteret.

c H c temporum ordinem perturbat Auctor. Carolus teſte Eginhardo Arichiſum impugnavit anno 786. & (ſi Leoni Marſicano in Chronici Caſinenſis lib. 1. cap. 12. credimus) Ciſinum profectus eſt anno 764. Quamquam potius accedo Paulo Vvarnefridi ſeu cuivis alii Auctori, cujus ſupplementum ad Hiſtoriam Langobardorum exſtat apud Marquardum Freherum in corpore Hiſtoricorum Franc. in quo hæc verba : *Anno 787. Carolus Rex Romam veniens, in terram Beneventi profectus eſt, Monaſterium S. Benedicti adiit.* Lambertus Scafnaburgenſis conſentit. Et tamen Autpertus jam pluribus ante annis monaſticam vitam amplexus erat, ex dictis.

Digitized by Google

AN.CHR. 778

19.Julii. & denuo iſtuc a Carolo miſſus,

que poſſederant confirmavit, adjungens & alia multa. Ad Monaſterium quoque Chriſti Martyris Vincentii datis ex parte ſua magnis muneribus, tam venerabilem virum Autpertum, quam & magnificum ÆTHERIUM *a* imperialis æque aulæ Magiſtrum reverenter tranſmiſit, qui ſua pia vota fideliter Dei ſervis deferrent.

ibi manere permittitur,

5. Tunc ergo venerabilis Dei famulus Autpertus ductus amore ſanctæ Religionis, imperialibus veſtigiis ſemetipſum proſternens, orat ſe jam Deo militaturum relictis mundanis tumultibus in B. Vincentii Monaſterio uſque ad finem vitæ libentiſſime perſiſtere velle, ac pro ipſius Imperatoris ſalute Deo ſe donari propoſuit. Quod Imperator audiens, multis effuſis lacrymis pro devotione viri, licet magnis ejus videretur deſtitui ſubſidiis, tamen poſtulatus a multis annuit impetratis. Hujus exemplo plurimi ex aula regia militiæ cingulum deponentes, in ſancto propoſito Religionis ei adhæſerunt, & omnia quæ habere videbantur, acſi non viſa, pro Dei amore penitus dimiſerunt.

cum aliis aulicis.

Monachus pie vivit.

6. Sanctæ igitur Religionis habitum vir Dei indutus, omnibus ſe inferiorem ita intimo credebat ſui cordis affectu, ut nihil omnino ſcire * vellet, præter quæ ab Abbate dabantur quotidiani victus neceſſaria, quæ quidem & ipſa ceteris paribus ſumere videbatur. Et cum eſſet in aula regia admodum delicatus, ita ſeipſum divinis mancipabat obſequiis, ut nulla illi hora vacua præteriret, qua vel inſiſteret orationi, vel in lectione divina ejus animus verſaretur.

* al. habere

Libros ſcribit.

7. Denique, ut comperimus, plurimos ſanctarum Scripturarum libros expoſuit. Nam Leviticum Moyſi, Cantica Salomonis, Pſalterii flores melliflua ſuavitate, quæ in his divina maneant arcana ſacramentorum, quæve uniuſcujuſque fidelis diſciplina morum, ſive Chriſti obſervatio mandatorum, ſuorum ediſſerens patefecit documento verborum. Librum quoque de conflictu vitiorum *b*, ſed & homilias aliquas Evangeliorum pulcra ſuorum edidit declaratione ſermonum. Vitam etiam beatorum Patrum Paldonis, Tutonis, & Taſonis, cum hiſtoria ſui Monaſterii plena relatione deſcribens, cunctis in exemplum Monachis ita proponit, ut divinæ munere Trinitatis, tam præcipue charitatis, quam amore pro Chriſto paupertatis, tres illos Fratres, ſpeculum oſtendat eſſe normamque vivendi. Teſtatur hoc etiam venerandus PAULUS Diaconus in hiſtoria, quam de Longobardorum adventu tunc temporis in Italiam deſcripſit, ubi eumdem virum eruditiſſimum Autpertum, & ejuſdem Monaſterii Abbatem fuiſſe commendat.

a B. Maria obtinet loquendi facilitatem.

8. Fertur præterea, quia cum quadam die idem fideliſſimus Pater Autpertus in Eccleſia beatæ Dei genitricis MARIÆ prolixe Domino preces funderet, & eamdem Dei Genitricem ſedulo interpellaret oratu, ut ſibi linguæ diſſertitudo largiretur, (fuerat quippe aliquantulum impeditioris linguæ) tunc ſubito ſoporatus ante ſacrum altare, adeſſe ſibi conſpicit in viſione beatiſſimam & glorioſiſſimam mundi Dominam perpetuam Virginem Mariam, læta facie & ultra ſolis ſplendorem rutilantem, quæ quaſi annuens deprecanti, tetigit labia ejus: eumque de pavimento ſurgere jubens, deinceps ſuæ laudis vota perſolvere, ac præconia attollere, ut ipſa jam deſideraverat, monet, ſeque illi ſemper præſentem adeſſe promiſit. Lætus ergo de viſione ſurgens, quæ fuerat juſſus, ore facundo cœpit perſolvere laudes, & carmina digna reddebat alacri corde.

9. Hic

---

a In exemplum ad nos tranſmiſſo legebatur *Alcuinum*: at præferenda hæc Cheſnii lectio. In epiſtola Pauli Papæ ad Carolum Magnum, quæ apud Cheſnium in tomo 3 Hiſt. Franc. eſt ordine 44. dicitur *Itberius cum ſuis concomitibus & reliquis Caroli Miſſis pro exſequendis faciendiſque juſtitiis, in partes Beneventani Ducatus profectus* eſſe.

b An ille qui inter ſubdititia Auguſtini opera exſtat hoc nomine in tomo 9 qui etiam in pluribus mſſ. codicibus S. Ambroſio tribuitur, ſupra. Librum ejus de geſtis Paldonis, &c. dedimus ſupra ad annum.729. qui libet laudatur a Paulo Vvarnefridi in lib. 6. de geſtis Langobardorum cap. 40. ubi Autpertum *eruditiſſimum virum* appellat. De commentario ejus in Apocalypſin & de homilia in Transfiguratione habita dictum ſupra. Cetera adhuc latent.

Digitized by Google

AN.CHR. 778

9. Hic Pater ſanctus cum in eodem venerabili Monaſterio pretioſi Martyris Chriſti Vincentii per plures annos Domino deſerviret, jamque cunctis in exemplum foret recte vivendi; defuncto ejuſdem ſanctæ congregatinnis venerabili Abbate JOANNE, licet invitus & renitens, ſacri regiminis locum poſt ſanctum Paldonem ſeptimus *a* ipſe ſuſcepit. Namque extunc ſuſceptam gregis curam ita digne agere ſatagebat, ut cunctis aperto cœleſtis Regis theſauro veras divitias mundanis opibus præferendas fidei devotione agilius capere, non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſibi ſubjectos ſuis doceret moribus, & forma fieret gregi, ſicut beatus docet Apoſtolus. Hic namque a dignæ memoriæ Carolo Imperatore inclytum ſui Monaſterii Præceptum *b* obtinuit hujuſmodi:

19. Julii. Joanni Abbas ſufficitur.

Litteras accipit a Carolo Magno in gratiam Monaſterii ſui.

„ IN nomine Domini Dei noſtri Jeſu-Chriſti, CAROLUS divina ordi-
„ nante clementia Francorum Rex. Cum petitionibus Sacerdotum &
„ ſervorum Dei quæ ad noſtras aures inſinuaverint adnuimus, & eas cum
„ Dei auxilio ad effectum perducimus; non ſolum regiam conſuetudinem
„ exercemus, ſed etiam tam ad præſentis vitæ proſperitatem, quam ad
„ futuræ beatitudinem non minimi emolumenti addimus. Idcirco notum
„ ſit omnibus Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris præſentibus ſcili-
„ cet ac futuris, quia vir venerabilis AUTPERTUS, Orator noſter, Ab-
„ bas S. Vincentii Levitæ & Martyris Chriſti, quod ſitum eſt in territo-
„ rio Beneventano ſuper fluvium Vulturnum, a nobis illuc deſtinatus no-
„ ſtram exoravit clementiam, ut Præcepta Regum ac Ducum Longobar-
„ dorum AYSTULFI, DESIDERII, atque GISULFI, noſtræ confir-
„ mationis Præcepto confirmaremus, adjungentes illi quidquid nobis aptum
„ & congruum eſſe videretur. Cujus petitioni propter amorem Domini
„ noſtri JESU-CHRISTI & pro animarum noſtrarum remedio, juxta quod
„ rogaverat, prædicta Præcepta, ſcriptiones, vel offertiones concedimus &
„ confirmamus, declarantes ipſas hereditates nominative infra hos fines:
„ de ipſa Zittula * quomodo adſcendit per ipſum Sangrum, uſque ad
„ Montem-malum, & quomodo conjungit cum monte Acze, & revolven-
„ te eodem monte Acze uſque in fluvium Melfa; & quemadmodum de-
„ currit ipſa Melfa uſque ibi, conjungit cum parvo flumine qui dicitur
„ Mellarinus, & abhinc in verticem montis qui eſt ſuper urbem, & mons
„ ipſe appellatur Barbola, & ſupercilium ejuſdem montis uſque in Mon-
„ tem-Arcanum & Montem-Marthæ montemque Caſale, eoſque ultra
„ montes extrinſecus circumdantes, in hortum uſque riaginis quæ nomi-
„ natur Bavennola, * & quemadmodum decurrit ipſa Bavennola uſque
„ in fluvium Vulturnum, & quomodo Vulturnus conjungit cum fluvio
„ Vantra, & ſicut Vantra conjungit cum fluvio Foruli, & quomodo Fo-
„ rulus percurrit uſque in viam antiquam, & inde conjungit cum Biu-
„ rio * qui nominatur Gizzoli, & inde vadit in rivum, in quo non ſem-
„ per aqua decurrit; & ſic vadit uſque in Sangrum. Et omnia caſtella in-
„ fra hos fines, & villas, & ſilvas poſitas cum Eccleſia B. Petri Apoſtoli
„ poſita in loco Trite *c*, Eccleſia S. Mariæ in Apianice; Eccleſia S. Mariæ
„ in duabus Baſilicis; & Eccleſia S. Mariæ in Canneto *, Eccleſia S. Ma-
„ riæ in Quinque-millia, cum omnibus illorum pertinentiis: ea videlicet ra-
„ tione, quatenus prænominatus Abbas & ſui ſucceſſores de omnibus jam
„ præfatis tam in hoc Præcepto, quam in aliis ſcriptionibus, habeant pote-
„ ſtatem tenendi, juſte commutandi, ordinandi, inſtruendi, vel quidquid
„ juſtum fuerit faciendi. Et nullis ſit deinceps licentia infra prædictos fines
„ ali-

* al. Zetula

* al. Ravennola

* al. Bivio

* al. Cameto

a Nimirum Paldoni ſucceſſere Tato, Taſo, Atto, Heremпertus, & Joannes, quibus ſuffectus Autpertus anno 776. poſtquam *plures annos* Domino iſtic deſervierat.

b Iſtius diplomatis ſit meutio in prædicta Martyrum hiſtoria, referenda in Sæculo proximo ad annum 882.

c Cheſnio mendoſe *Irita*. In hiſtoria Martyrum præcitata Deſiderius Rex Langobardorum fertur *ex juſſione Principis Apoſtolorum Petri Monaſterium ædificaſſe in honorem nominis ipſius in valle Tritana juxta Siler fluvium*, &c.

Digitized by Google

AN.CHR. 778 19 Julii. * ſ. indictos

„ aliquam contrarietatem ſeu moleſtias partibus inferre Cœnobii per incly-
„ tos * fines, neque per poſſeſſiones parentum, ſeu per aliam quamlibet ra-
„ tionem, excepto per veriſſimas chartulas, cum quibus ſe cauſatores lega-
„ liter defendere queant, juſtaſque conſignationes utiliter conſignatas. Præci-
„ pimus præterea præfatum Monaſterium cum omnibus præfatis Monaſteriis
„ ac Cellis, rebus quoque ac familiis ibidem adſpicientibus, & cum Fratri-
„ bus & Monachis ibidem Deo famulantibus, ſub noſtræ tuitionis munbur-
„ dum omni tempore permanere. Quod ſi quislibet contra hanc noſtram con-
„ ceſſionem vel confirmationem inſurgere, vel moleſtias inferre tentaverit,
„ ſciat ſe compoſiturum auri puriſſimas libras duo millia, medietatem ſacro
„ noſtro Palatio, & medietatem eidem venerabili Monaſterio. Et ut hæc
„ noſtra largitio firmiorem obtinere poſſit vigorem, & per curricula anno-
„ rum inviolabilem atque incommutabilem obtineat firmitatem, & a Fide-
„ libus ſanctæ Dei Eccleſiæ credatur & diligentius conſervetur, manu pro-
„ pria ſubterſcripſimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum
„ domini Caroli ſereniſſimi Regis. Data 12. Kal. Maji, 13. Indictione, an-
„ no dominicæ Incarnationis 775. *a*.

10. Expleto itaque in ſancto regimine venerandus Abbas Autpertus anno uno, menſibus duobus & diebus 25. juſti operis palmam percipiens, feliciter migravit ad Chriſtum anno Incarnationis dominicæ ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octavo, Indictione ſecunda *, die decimo nono Julii, in beati Petri Eccleſia digno ſepulcro locatus.

APPENDIX.

De Autperti obitu, tranſlatione, & ſermone in feſto Adſumtionis.

1. HADRIANUS *Papa I. in epiſtola ad Carolum Magnum, quæ ordine 72. eſt inter Pontificias in tomo 3. Cheſnii meminit obitus S. Autperti ſeu Autberti his verbis:* Ad noſtrum judicium canonice ſimulque regulariter contentiones inter Monachos venerabilis Monaſterii S. Vincentii & Abbates ejuſdem Monaſterii, ſcilicet AUTBERTUM & POTHONEM, diſcuti atque examinari veſtra direxit præcelſa regalis Excellentia. Ipſe quippe præfatus Autbertus Abbas dum callem itineris peragraret, repentina morte occupatus: minime noſtris apoſtolicis valuit ſe manifeſtare præſentiis. *Præceſſerat hanc alia Hadriani epiſtola, ordine tamen 79. ex qua diſcimus, Pothonem falſo læſæ majeſtatis accuſatum apud Carolum. Hadrianus pro eo deprecatur: tum a Carolo cauſæ arbiter factus, actores ipſumque Pothonem Romam advocavit. Mirari ſubit, cur duo tunc temporis in Monaſterio S. Vincentii Abbates fuerint, Autpertus & Potho: an Autpertus jam ſenior dignitatem Pothoni ceſſerat? an potius Potho, ob iniquas licet* Abbatum *criminationes dejectus eſt, eique ſuffectus Autpertus? In Indice relato apud Ferdinandum Ughellum, Autperti ſucceſſor ponitur* HAINARDUS, *& hujus poſt annos tres & menſes decem* POTO.

2. Poſt ultimam deſolationem Eccleſiæ, *inquit Chronographus, ubi de obitu Joſue Abbatis*, cum fama celebri didiciſſemus aliquos ad corpus Joſue divina ſæpe ſenſiſſe beneficia, illius oſſa & venerabilis AUTPERTI & aliorum Patrum antiquorum hoc in loco attulimus, atque in ſarcophago grandi poſuimus, cum domni Abbatis Hilarii corpore. *Hilarius devixit anno 1044. de quo alias.*

3. *Hoc loco referre juvat fragmentum Sermonis ſancti Autperti de beatæ Mariæ Adſumptione, qui Sermo in Codice Cluniacenſi hanc præfert inſcriptionem.*

INCI-

---

a Neque Indictio, nec annus Incarnationis apponi tum ſolebat, ſed annus regni. Alia ſuſpecta omnino fidei diplomata hic inſerta omiſimus, Cheſnium ſecuti. *Unum erat Caroli Magni*, ſi Deo placet, in quo recitatur inventio corporis S. Peregrini monitu cœleſti ab ipſo facta, quæ Carolo tertio Regi tribuitur in tomo 6. Italiæ ſacræ col. 139. & 140.

Digitized by Google

AN.CHR. 778 19. Julii.

INCIPIT SERMO AUTBERTI PRESBYTERI de Adſumptione Sanctæ MARIÆ.

ADEST, dilectiſſimi Fratres, venerabilis dies omnium Sanctorum ſollemnitates præcellens: adeſt, inquam, dies præclara, dies inclyta, dies in qua e mundo migraſſe creditur virgo MARIA. Et ideo cum magna exſultatione laudes inſonet univerſa terra, tantæ Virginis illuſtrata exceſſu: quia & indignum valde eſt, ut illius recordationis ſollemnitas non ſit in maximo honore, per quam meruimus ſuſcipere vitæ Auctorem: ſatiſque præpoſterum judicandum eſt, ut cum ſanctorum celebramus victorias Martyrum, illorum ſollemnitatem illi non præferamus, quæ huic mundo edidit Principem Martyrum. In hac ſiquidem die competenter Sponſo illi cœleſti proclamat virgo Maria: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria adſumpſiſti me.* Hodie, inquam, & ipſa a ſponſo, filio, & Domino congrue audit: *Jam hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, Surge, proxima mea, ſponſa mea, columba mea, & veni.* Hæc idcirco dicimus, Fratres, quia ſicut jam in conſuetudine Chriſti ſuſcepit Eccleſia, hodierna die ad cœlos adſumpta fuiſſe traditur virgo Maria. Sed quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit, nulla catholica narrat hiſtoria. Non ſolum autem reſpuere apocrypha, verum etiam ignorare hæc eadem * Dei Eccleſia. Et quidem ſunt nonnulla ſine Auctoris nomine de ejus Adſumptione conſcripta, quæ, ut dixi, ita caventur, ut ad confirmandam rei veritatem legi minime permittantur. Hinc ſane pulſantur nonnulli, quia nec corpus ejus in terra invenitur, nec Adſumptio ejus cum carne, ut in apocrypha legitur, in catholica reperitur hiſtoria. Quibus dicendum eſt, quia ſi Moyſi corpus ab homine non invenitur in terris, cum quo locutus eſt Deus facie ad faciem; illius quærere dementia eſt, per quam idem majeſtatis Deus incarnatus effulſit in terris. Neque enim dignum eſt de corporis ejus notitia ſollicitum quempiam eſſe, quam non dubitat ſuper Angelos elevatam cum Chriſto regnare. Sufficere debet tantum notitiæ humanæ, hanc vere fateri Reginam Angelorum, pro eo quod Regem peperit Angelorum. Sed nec invenitur apud Latinos aliquis tractatorum de ejus morte quidpiam aperte dixiſſe. Nam cum illum Evangelii verſiculum, in quo Simeon dicit ad Domini Matrem, „ *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, beatæ recordationis tractaret Ambroſius, „ ait: Nec hiſtoria, nec littera docet, Mariam gladio vitam finiſſe. Hinc & Iſido- „ rus: Incertum eſt, inquit, per hoc dictum, utrum gladium ſpiritus, an gladium dixe- „ rit perſecutionis. Sed quid de his, de quibus loquor, dicam? cum nec ipſe qui hanc ante Crucem Domini accepit in ſuam, ideſt Joannes Evangeliſta, de hoc poſteris aliquid retinendum ſcriptis mandarit. Nullus enim hoc fidelius mandare potuit, ſi illud Deus manifeſtare voluiſſet, quam ille utique, qui hanc nutriendam ſuſcepit, nec contra morem filius matrem reliquit. Reſtat ergo ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus manere voluit occultum. Vera autem de ejus Adſumptione ſententia hæc eſſe probatur, ut ſecundum Apoſtolum, ſive in corpore, ſive extra corpus ignorantes, adſumptam ſuper cœlos credamus. His igitur præmiſſis loquamur aliquid in laudibus ſacratiſſimæ Virginis. Sed quid nos tantilli, quid actione puſilli, quid in ejus laudibus referamus? cum etſi omnium noſtrum membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus. Altior enim cœlo eſt, de qua loquimur; abyſſo profundior, cui laudes dicere conamur. Deum enim quem omnis creatura non capit, ipſa immaculato utero clauſum geſtavit. Hæc eſt enim quæ ſola meruit Mater & Sponſa vocari. Hæc primæ mortis damna reſolvit, hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater enim generis noſtri pœnam intulit mundo, Mater Domini noſtri gaudium attulit mundo. Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria, *& cetera fere ex Auguſtino in ſermone 18. de Sanctis.*

* ſupple ſolet

3. *Ex hac homilia colligimus, primo* Adſumptionis *vocabulum tempore Autperti jam tum in uſu Eccleſiæ fuiſſe. Secundo Auctorem ita ſententiam ſuam moderari, ut nihil de corporea Deiparæ Adſumptione definiat: ſed ut* ſive in corpore, ſive extra corpus, adſumptam ſuper cœlos credamus. *Quæ etiam ſententia fuit Adamnani in lib. 1. de locis ſanctis; & Anonymi, qui Itinerarium S. Vvillibaldi litteris mandavit, infra: tametſi aliter ſenſit Sanctimonialis ejuſdem Itinerarii auctor.*

Digitized by Google

AN. CHR. 779 17. Dec.

VITA SANCTI STURMII
ABBATIS FULDENSIS PRIMI,
Auctore S. Eigile Fuldenſi Abbate quarto.

Ex Viris illuſtr. & SS. virorum Chriſtophori Brovveri & Surio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor.

1. Quantae *auctoritatis eſſe debeat liber de vita S.* Sturmii, *quem antiqui* Sturmin, *recentiores quidam* Sturmionem *appellant; nemini dubium eſſe poterit, qui Auctoris gravitatem, pietatem, ætatemque perſpexerit. Quippe* Eigil *Fuldenſis Abbas quartus, ab anno* 818. *ad* 822. *vir pius ac ſanctus, litteris mandavit geſta præcipua Præceptoris ſui*, in cujus diſcipulatu, *ut ipſe in Prologo ſuo adfirmat*, pluſquam viginti annos converſatus fuerat, *cui & morienti adfuit. Quin etiam opus ſuum cenſuræ Fuldenſium Monachorum ſubjecit non ſemel.* Nam lectionem libri illius, quem de vita ſupradicti Abbatis & origine Monaſterii *Fuldenſis*, Chriſti gratia largiente compoſuit, Fratribus ad menſam recitari præcepit, *teſte Candido Monacho in ipſius Eigilis Actis*: quatenus hi eadem mirabilia divinæ operationis audientes, gratias divinæ majeſtati referrent, & omnis jucunditas ipſius feſtivitatis in ejus laude parſonaret.

Commemoratio annua.

2. *Ubi nomine* feſtivitatis *intellige anniverſariam pro Sturmio commemorationem, quam Eigil Abbas inſtituit. Sic enim Candidus rem narrat:* Sturmi primus Abbas & fundator Monaſterii Fuldæ, quem S. Bonifacius præceptor ejus Eremitam suum vocitare ſolebat, morbo atque ſenectute laſſatus cœpit infirmari: qui etiam non poſt multo temporum intervallo ſenex & plenus dierum in pace migravit de luce temporali ad lucem (ut credimus) ſine fine durantem. Simili conſilio atque devotione idem Eigil, bonæ voluntatis vir, anniverſariam Sturmis primi Abbatis fundatoris Monaſterii Fuldæ memoriam, & omnium Fratrum noſtrorum de hac luce defunctorum, in natale ſancti Ignatii Martyris Chriſti (16. *Kalend. Januarii, quo Sturmius deceſſerat*) propter interceſſionem tanti Patroni, in Miſſarum celebratione, pſalmodiis & oratione ſancta celebrare ſancivit. Hujus rei ſiquidem conſtitutio dum cunctæ congregationi perlecta eſſet, ac deinde ſi placeret interrogatum fuiſſet; reſpondebatur ab omnibus: Placet. Sed ne cui fortaſſe hæc celebratio ſuperſtitioſa & caſſa eſſe videatur, legat Collationes ſanctorum Patrum, & ibi reperiet hujus feſtivitatis exemplum: *nimirum in Collationis* 19. *cap.* 1. *qua de re in Præfatione egimus. Ex his intelligitur, illas annuas preces pro Sturmii aliorumque Fratrum ſalute fuiſſe inſtitutas: nam ſerius in Sanctorum numerum relatus, nec feſtivam celebritatem, nec locum in antiquis Martyrologiis, nequidem HRabani Mauri, habuit: donec anno* 1139. *Innocentius Papa II. in Concilio Lateranenſi ſollemnes ipſi honores approbata ſanctitate decrevit litteris Chuonrado Abbati Fuldenſi ſcriptis, quas poſt Vitam referemus.*

Sturmius a Stirme diverſus.

3. *Sancti Sturmii mentionem fieri in Bonifaciana epiſtola* 17. *putant Brovverus & alii, ubi defuncto Vvigberto Abbate Fritislarienſi Bonifacius ejuſdem Cœnobii miniſteria ita diſponit, ut* Stirme in coquina ſit. *Et quidem S. Sturmius vitæ monaſticæ rudimenta Fritislariæ hauſit: at anno* 747. *quo S. Vvigbertum Abbatem deceſſiſſe probavimus, jam Abbas Fuldenſi Monaſterio præerat Sturmius, ut patet tum ex ipſius Actis, tum ex quadam Bonifacii charta de finibus & terminis Fuldenſis Monaſterii ſcripta, apud Brovverum in Antiq. Fuld. lib.* 1. *cap.* 4. *cui* Sturmi Abbas *ſubſcribit* anno dominicæ Incarnationis 747. menſe Martio: *ut proinde alius ab ipſo fuerit* Stirme *Monachus Fritislarienſis, quem Bonifacius coquinæ præfici mandavit.*

Fuldenſe Monaſterium egregie inſtituit.

4. *Explicari oratione non poteſt, quid laudis mereatur S. Sturmius, qui Cœnobium Fuldenſe tam religioſe inſtituit rexitque. Ea enim erat Monaſterii diſciplina, ut teſte Bonifacio Sturmii adjutore in litteris ad Zachariam Papam, in eo degerent* Monachi ſub Regula S. P. Benedicti viventes, viri ſtrictæ obſervantiæ, abſque carne & vino & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contenti: *quod inſtitutum Pippinus Rex paullo poſt temperaſſe dicitur infra num.* 13. *Addit Rudolfus Monachus in Vita S. Liobæ ſuperius relata laudabilem iſtius Cœnobii morem*: quia loco illi ex quo a Monachis habitari cœptus eſt, femineus negabatur ingreſſus. Tantum autem huic Liobæ conceſſus erat, quia S. Bonifacius Martyr ſenioribus eam commendarat, corpuſque ejus ibi ſepeliendum decreverat. Quod caput inde majores tam ſancte coluere, *inquit Brovverus in lib.* 1. *Antiq. Fuld. cap.* 8. ut Privilegiis a Martino Papa, ſæculo 9. Abbati Hadamaro;

Templi ingreſſus feminis negatus.

Digitized by Google

maro; & a Silveſtro ſæculi 10. ætate Erkembaldo; & a Joanne, Richardo ſubinde, aliiſque ab aliis Pontificibus poſtea conceſſis, & nominatim inſertum ſit, & religioſe a poſteris obſervatum. *Id quod probat tum de Lotharii Regis uxore, cui die ſancto Pentecoſtes ſacris intereſſe in primario Monaſterii templo non licuit: tum etiam de conjuge Friderici Imperatoris*, cui, quia Regina in comitatu ejus erat, urbem Fuldam intrare non licuit. *Porro advertit Brovverus, emollita ſemel illa diſciplina per Bonifacium Papam IX. rogatu Joannis Merlavii Abbatis*, anno 1398. templum Fuldenſe fulmine de cœlo tactum 7. die Junii conflagraſſe: id quod in pœnam violatæ diſciplinæ accidiſſe, poſteri crediderunt.

Scholæ iſtic inſtitutæ.

5. *Omnino vero laudabile inſtitutum in eodem Monaſterio viguit, Scholarum ſcilicet erectio a Sturmio facta in gratiam juventutis: ex quibus tot clariſſima lumina prodierunt, ut ex hoc capite repetendum ſit præcipuum avitæ Fuldenſium gloriæ ornamentum. Scholæ vero jam inde a Sturmii ætate non obſcuræ clarum in Eigilis Abbatis Vita exemplum profert Brovverus: nam Candidus* ſcholam *ait* fuiſſe congregationi, ubi lex divina jugi exercitatione diſceretur & doceretur, *nimirum ex S. P.* Benedicti *inſtituto, cujus æmulatione Bonifacius in Fritislarienſi aliiſque Monaſteriis ab ſe conſtructis* Magiſtros infantium, *ut ipſe in epiſtola 17. loquitur, inſtituit. Porro ex Fuldenſi Academia, docente aliquamdiu iſtic Alcuino, prodiere* Haimo, Uſuardus, *non tamen Martyrologii auctor*, Freculfus, RHabanus, Liutbertus, Walafridus Strabus, Servatus Lupus, Rudolfus, Aſerchus & Ruodbertus, Modeſtus & Candidus, Gerungus, Meginfridus, *aliique innumeri: immo ipſa quanta quanta fuit* Hirſaugienſis Academia *apud Nemetas, cui* Liutbertus *Albini HRabanique diſcipulus initia dedit*, Gerungus *incrementa. Legendus Chriſtophorus Brovverus in luculento opere de Antiquitat. Fuld. cap. 9. & ſeqq. ubi diſerte ac erudite tractat hoc argumentum: quod etiam in Præfatione noſtra hic agitavimus.*

Viri illuſtres.

Sancti ac pii.

6. *Verum nihil æque Fuldenſe Monaſterium commendat & illuſtrat, quam pietas ac ſanctitas hominum, qui iſtic floruerunt: ut interim taceamus viros dignitate illuſtres ad infulas exinde raptos, quorum e numero Pontifices novem Maguntia ſibi vindicavit. Ibi pie ac ſancte vixerunt* Sturmius *cæterorum dux & anteſignanus ſæculo 8.* Eigil & HRabanus Maurus, *ſæculo 9.* Bardo *cognomento* Chryſoſtomus, *uterque Maguntinus Archiepiſcopus ſæculo 11. de quibus agendum ſuis locis.*

Fuldæ ſtatus.

7. *Perſtat etiam nunc vigetque Fuldenſe Monaſterium, opido ac ditione propria auctum, ſitum in Buchoniæ pago olim* Grapfeldt *appellato, ad amnem Fuldam ſeu Vvldam, Franciæ orientali ac Vvederaviæ contermino: cujus Monaſterii Abbas, Auguſtæ Archicancellarius, Abbatum Germaniæ primas, ſpiritalem in ſubditos juriſdictionem exercet. Iſtic nuper honores cum Lutheri erroribus depoſuit, veſtemque monaſticam adſumſit illuſtriſſimus Marchio Badenſis, alios honores brevi accepturus, jam Fuldenſis, & Campidonenſis Abbatum Coadjutor. Albericus in Chronico ex Vvillelmo Malmesburienſi & Helinando Monachis obſervat, Fuldenſem Abbatem habere iſtud* privilegium ex antiquo, ut in magnis feſtivitatibus ſedeat ad dextram Imperatoris. *Lege diſcidium hac de re apud Lambertum Schafnaburgenſem ad annum* 1063.

Monaſteria Fuldæ ſubjecta.

8. *Complura Cœnobia Fuldenſis Abbatia ſibi ſubjecta habuit, ſervatque etiamnunc nonnulla, quorum indicem exhibet Brovverus in lib. 2. Antiq. Fuld. cap. 10. In eo tamen indice quædam omiſit, in his Parthenona Milizenſem, cujus attributio Fuldæ ab Einhilde Abbatiſſa facta legitur* anno 800. Caroli Regis Francorum 31. *ut conſtat ex diplomate lib. 2. Traditionum Fuldenſium, egregio ſane optimæ antiquitatis inſtrumento, quæ Traditio ordine 38. in lib. 2. reperitur. Erat hæc Einhildis ſeu Embildis Abbatiſſa conditrix iſtius Monaſterii Milizenſis: id quod patet ex Traditione antecedente, in qua hæc verba*: Ego Emhilt Abbatiſſa, propriæ hæreditatis meæ terram in diverſis locis .·. concedo pro animæ meæ remedio omnipotenti Salvatori noſtro Deo, & ſanctæ Dei genitrici Mariæ atque ancillis Dei, quæ in Monaſterio meo ad Milize die noctuque Domino Deo ſub Regula S. Benedicti deſerviunt, & ſtabilitatem ibi habent promiſſam .·. cum Monaſterio ſupra poſito, quæ ego ipſa proprio labore conſtruxi atque ædificavi, omnia ad integrum .·. ſana mente ſanoque conſilio, ut ſupra c[illegible]ixi, dono, trado atque transfundo omnipotenti Salvatori noſtro Deo & ſanctæ Dei genitrici Mariæ & ancillis Dei, quæ in iſto Monaſterio recte & regulariter secundum Regulam Monachorum Deo fideliter ſine ulla falſitate deſerviunt .·. quam donationem ego nunc teſtibus coram adſtantibus trado Domino Deo & S. Mariæ ad illas S. Mariæ Reliquias quæ proprie meæ ſunt, quæ ego ipſa conquiſivi, & quæ in ipſa capſa mea propria ſunt, & Chriſmale, ad quas ancillæ Dei quæ in hoc eodem Monaſterio Domino Deo deſerviunt, votum primitus ſanctitatis & monaſticæ converſationis & Religionis ordinem promiſerunt, &c. Actum anno Inc. 783. Caroli Regis Francorum 16. *cui diplomati* S. Willibaldus *Eiſtetenſis Epiſcopus ſubſcripſit.*

AN.CHR. 779 17. Dec.

PROLOGUS AUCTORIS AD ANGILDRUTHAM.

Angildrutha petente ſcripſit hanc Vitam.

1. Assidue & amore divino accenſam & ſancto indeſinenter ſtudio repletam, o Virgo ANGILDRUTH, te ſemper agnovi. Idcirco petitionibus tuis parui. Poſcebas enim, ut initia & vitam ſancti ac venerabilis Abbatis STURMI tibi exponerem, ac primordia Monaſterii ſancti Salvatoris, quod ab eo fundatum atque conſtitutum eſt, quodque alio nomine appellatur Fulda, conſcriberem: cauſas quoque ejuſdem Cœnobii conjicerem, & ſincere narrarem. Feci ſecundum parvitatem ingenii mei quod poſtulaſti; & quemadmodum a viris ſatis fidelibus, immo vaſis *a* Chriſti, illius viri principia & converſationem; & fundamina prædicti Monaſterii agnovi, huic ut potui libello ingeſſi: necnon & earum rerum diverſitates, quas iſtius ſæculi curſus indeſinenter patitur, ſicut ipſorum relatu vel meo obtutu expertus ſum, ſimiliter inſerui. Nam & ego EIGIL in diſcipulatu illius pluſquam viginti annos converſatus eram, & ſub ipſius Cœnobii diſciplina ab infantia uſque in hanc ætatem nudritus & eruditus ſum. Quapropter nonnulla eorum quæ ſcripſi, vidiſſe me teſtatus ſum. En habes quod poſcebas putativum nomini tuo dicatum, tibique tuendum derelictum. Tu invidorum maledictis reſponde; tu me magis benivolum quam præſumtuoſum defende; tu me apud Chriſtum verum ſponſum tuum ſanctis orationibus tuis ſuſtenta.

Eigil Abbas Sturmii diſcipulus.

INCIPIT VITA.

Sturmius Noricus nobilis, a Bonifacio adductus.

2. TEmpore quodam ſanctus ac venerandus Archiepiſcopus BONIFACIUS Noricam *b* regionem ingreſſus, cum Sacerdotes & univerſos Eccleſiæ ordines ad catholicam imbueret Fidem, cunctoſque ibidem hæreticorum errores ab Eccleſiis repelleret, Chriſti populos quoque gentis illius, licent eſſent Chriſtiani, ab antiquis tamen paganorum contagiis & perverſis dogmatibus, veracibus Chriſti doctrinis cohiberet, cœperunt ei certatim nobiles viri in ſervitium Domini nutriendas ſuas offerre ſobules: tunc etiam puer STURMI precatu parentum ab eo ſuſceptus: qui Norica Provincia exortus, nobilibus & Chriſtianis parentibus generatus & nutritus fuit. Qui carnali quidem relicta cognatione noſtræ redemtionis ſecutus *, peregrinationis viam cum Epiſcopo pariter a quo erat ſuſceptus, flente univerſa parentela, gratanter arripuit. Cumque pluribus provinciis peragratis ad Friteslar Heſſionum in regionem ſancti viri Cœnobium tandem perveniſſent, nobilem puerum ſuo cuidam Presbytero, nomine WIGBERTO *c*, ſanctus commendavit Epiſcopus. Adhibita tunc omni diligentia Presbyter ſanctus puerum Sturmen ad Dei omnipotentis ſervitium inſtituere ſtuduit. Pſalmis tenaci memoriæ traditis, lectionibuſque quamplurimis perenni commemoratione firmatis, ſacram cœpit Chriſti puer Scripturam ſpirituali intelligere ſenſu: quatuor Evangeliorum Chriſti myſteria ſtudioſiſſime curavit addiſcere; novum quoque ac vetus Teſtamentum, in quantum ſufficiebat, lectionis aſſiduitate in cordis ſui theſaurum recondere curavit. Erat quippe, ut

* adde conſilium

a S. Vvigberto inſtituitur in ſacris ſtudiis.

Pſalm. 1.

a Id eſt Virginibus ſeu Sanctimonialibus, quibus forſitan Angildrutha Abbatiſſa præerat, in Biſchofheimenſi, an Kizzingenſi Parthenone vicin[...]o. Paulus Apoſtolus mulierem *vas* appellat 1. Theſſ. cap. 4. verſ. 4. Donatus Veſontionenſis Epiſcopus Regul[...]am ab ſe concinnatam inſcribit Sanctimonialibus Juſſanenſis Cœnobii, quas *vaſa Chriſti pretioſiſſima* vocat, & [...] Concilium Cabilonenſe ſecundum cap. 52. præcipit Abbatiſſis, ut ſe virgineſque ſibi commiſſas obſervent *ut va[...]ſa ſancta in miniſterio Domini præparata*.

b Bajoariam ſcilicet, Taſſiloni Du[...]ci ſubjectam, *Noricum* antiquis appellatam. De ea Paulus Vvarnefridi in lib. 3. de geſtis Langobardorum c[...]ap. 31. *Noricum provincia quam Bajoariorum populus inhabitabat, habet ab Oriente Pannoniam, ab Occide[...]nte Suaviam, a Meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta*. Hinc Carolo Magno occaſio mitt[...]endi Sturmii ad Taſſilonem reformandæ pacis gratia, quod id facilius exſecuturus videretur homo popularis. Et [...] Bajoarios ſæpe inviſit Bonifacius, Hucbertum Ducem fautorem expertus in reditu ex Romana peregrinatione fa[...]cta anno 732. quo forſitan ſecum Sturmium adduxit in Germaniam.

c Nempe S. Vvigberto Abbati Fritis[...]larienſi primo, cujus Acta exhibuimus ad annum 747.

Digitized by Google

AN.CHR. 779 17. Dec.

ut ſcriptum eſt, meditatio ejus in lege Domini die ac nocte; profundus in ſenſu, ſagax in cogitatione, prudens in ſermone; pulcro adſpectu, greſſu compoſito, honeſtis moribus, vita immaculata. Charitate, humilitate, manſuetudine, alacritate, omnium in ſe traxit amorem.

Presbyter ordinatus, mira operatur.

3. Poſt non longum temporis Presbyter omnium voluntate, omniumque conſenſu ſervorum Dei ordinatus, cœpit myſtica dicta Chriſti circumquaque temporibus opportunis, populis inſtanter prædicare. Sacræ etiam virtutes per divina ſancti Spiritus chariſmata fiebant ab eo plurimæ. Quoties per ſancta orationum ſtudia in Dei nomine immundorum ſpirituum habitationem a peccatoribus Chriſtianis expulit? Quoties per impoſitionem manus, per humilem orationem ab adverſis valetudinibus ſanavit ægrotos? Quoties ſerpentinis infecta corda venenis, doctrina ſalutari ſubveniens, letale virus quod peſtifere latebat, medendo curavit? Diſcordes, pace rupta, ad concordiam charitatis redire ante ſolis occaſum imperavit; patientiam, animi manſuetudinem, ſpiritus humilitatem, cordis longanimitatem; fidem, ſpem atque charitatem, omnes habere docuit.

Poſt annos tres, ſolitudinis amore,

4. Cumque pene tribus annis ſic Presbyteratus ſui prædicando ac baptizando officium gereret in plebe, cœleſti illi inſpiratione cogitatio incidit in cor, ut artiori ſe vita & eremi ſqualore conſtringeret. Hujus cogitationis jugem memoriam ſingulis momentis & horis gerebat in pectore, donec divina admonitione inſtructus, viro Dei Bonifacio Archiepiſcopo, quod animo occulte conceperat, ſpiritali Magiſtro revelavit. Quo comperto vir ſanctus a Deo hanc inſpirationem deſcendiſſe intellexit, gaudenſque, quod Dominus illum per ſuam gratiam admonere dignatus eſt, tali ſtudio devotiſſimus fautor gratanter exſtitit. Adjunctis ergo ei duobus comitibus, omnibuſque diligenter inſtructis, oratione facta, & benedictione ſuper eos data, Pergite, ait Epiſcopus, in hanc ſolitudinem, quæ Bochonia nuncupatur, aptumque ſervis Dei ad inhabitandum exquirite locum. Potens eſt enim Deus parare ſervis ſuis locum in deſerto. Perrexere itaque illi tres ad eremum: ingreſſique ſolitudinis agreſtia loca, præter cœlum ac terram & ingentes arbores pene nihil cernentes, devote Chriſtum poſcebant, ut pedes illorum in viam pacis dirigeret. Die tertio pervenerunt ad locum, qui uſque hodie *Hersfelt* [a] dicitur. Viſis exploratiſque ibidem locis circumquaque poſitis, Chriſtum ſibi locum illum ad inhabitandum benedici popoſcerunt: atque in loco illo ubi nunc Monaſterium ſitum eſt, parva arborum corticibus tecta inſtruunt habitacula, manſeruntque illic tempus non modicum, ſacris jejuniis & vigiliis atque orationibus Deo ſervientes.

Bonifacio probante,

cum duobus ſociis ſecedit in eremum Hersfelt.

A Bonifacio locum alium quærere juſſus,

5. Poſt aliquantum vero temporis ſancto ſtudio repletus Sturmi, egreſſus de eremo ad ſanctum Archiepiſcopum Bonifacium perrexit; eique & loci poſitionem, & terræ qualitatem, & aquæ decurſum, & fontes & valles, & omnia quæ ad locum pertinebant, per ordinem expoſuit. Quod vir ſanctus Bonifacius Archiepiſcopus diligenter audiens & prudenter ſecum pertractans, Eremitam ſuum [b] omni charitatis affectu ſuſcepit, ſecumque habitare aliquantiſper imperavit. Poſt colloquium autem dulce quod habuit cum Magiſtro, & uberes ſacrarum ſcripturarum conſolationes, Epiſcopus taliter locutus eſt: Locum quidem quem repertum habetis, habitare vos propter viciniam barbaricæ gentis pertimeſco. Sunt enim, ut noſti, illic in proximo feroces Saxones. Quapropter vobis remotiorem & inferio-

[a] Hoc loco Chriſtophorus Brovverus immerito arguit Trithemium, qui Hersfeldenſis Monaſterii initia Lullo, regimen Sturmio Abbati primo tribuit. Illud movet Brovverum, quod Hersfeldenſis Baſilicæ ad annum 830. fundamenta primum jacta ſunt, teſte Lamberto loci domeſtico: putatque Hersfeldenſis Abbatiæ initia ſerius coaluiſſe, Carolo Magno jam florente, & reliquiis S. Vvigberti eo Fritislaria translatis. Verum ipſe Lambertus Hersfeldenſis Monaſterii initia diſerte reponit anno 736. tametſi auguſtioris baſilicæ fundamenta in honorem S. Vvigberti jacta ſunt anno 830. poſt annos 94. a Monaſterii origine. Lege Acta S. Vvigberti Abbatis ſupra, & Elogium S. Lulli infra, ubi plura de Monaſterio *Herolfesfelds* dicto, & S. Vvigberti translatione iſtuc facta.

[b] S. Boniſacius Sturmium *Eremitam ſuum* vocare ſolebat, teſte Candido in Vita S. Eigilis Abbatis.

AN.CHR. 779 17. Dec. riorem in ſolitudine requirite habitationem, quam ſine periculo veſtri colere queatis. Tunc vir beatus Sturmi cognitis omnibus, quæ ei fuerant a Beato imperata, ſacris ejus doctrinis imbutus animoque confortatus, de inquiſitione loci ſollicitus, ad eremum alacriter perrexit. Qui cum ad ſuos perveniſſet ſocios, in prædictis eos reperit habitaculis ſuum anxie præſtolari adventum. Quos cum vidiſſet, ab Epiſcopo verbis pacificis illos ſalutavit, eoſque multum & de adventu ſuo, & de Epiſcopi narratione conſolatus eſt. Cumque per ordinem eis verba ſancti expoſuiſſet Epiſcopi, adſumtis ſecum duobus Fratribus, adſcenderunt navem ſuperiora petentes loca: per alveum Fuldæ fluminis navigio pergere cœperunt, luſtrantes ubique loca ad omnium torrentium vel fontium ora. Navim egreſſi, perambulantes circumquaque & conſiderantes terram, montes, colles, ſuperiora & inferiora explorantes, ubi Dominus ſervis ſuis in ſolitudine ad inhabitandum aptum demonſtraret locum; tertio demum die ad locum pervenerunt, ubi flumen, quod dicitur Ludera, intrat in Fuldam. Inde reverſa nave, cœperunt ad propriam remeare Cellam, nihil tale reperientes quod eorum placuiſſet obtutibus, præter quod paulliſper demorati ſunt in loco qui dicitur *Robenbah*, ubi eis viſum fuerat poſſe ſervos Dei utcumque eſſe: non tamen per omnia æſtimantes venerando Epiſcopo placuiſſe. Qui cum per ejuſdem fluminis alveum renavigarent, poſt non longum tempus ad ſua paupercula pervenerunt habitacula: tum Chriſtum ibi omni tempore deprecantes, ut eis deſideratam oſtenderet eremi habitationem, ubi ſecundum præceptum B. Bonifacii Epiſcopi poſſent jugiter Domino ſecuri deſervire. Sic in Domini ſervitute die noctuque jejuniis, vigiliis & orationibus perſeverantes, Domini Dei ſui memoriam non amittebant, dicentes in corde ſuo: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear.* Laus quoque Chriſti continua in ore pariter & corde ipſorum reſonabat, implentes illud Pſalmigraphi: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.*

Varia luſtrat loca. — *Pſal. 15.* — *Pſal. 33.*

A Bonifacio arceſſitus,

6. Tunc ſanctus Epiſcopus Bonifacius memor Eremitæ ſui Sturmi, quodque de inquiſitione loci habuiſſet peractum admirans, nuntium miſit qui illum rogaret concite ad ſe venire. Quo dum propere nuntius veniſſet, reperit eum in ſupra memoratis inſiſtere habitaculis. Cui honorifice ſalutato; Venerandus, ait, Pater noſter Epiſcopus multum te videre deſiderans, rogavit ut ad eum, ſi non graveris, venias: habet enim neceſſe multa tecum conferre. Auditis itaque ejus ſermonibus vir ſtudioſus Sturmi humile reſponſum reddidit, dicens: Chriſto Deo gratias ago, quod meæ parvitatis memor tantus Pontifex, ad me in hanc ſolitudinem ſuum nuntium deſtinare dignatus eſt. Vocatiſque ad ſe Fratribus præcepit advenienti nuntio charitatis officium impendere. Qui diligenter ejus præceptum implentes, ei menſam poſuerunt, cibos quos habuerunt offerentes. Quo refecto Fratres ei abeundi licentiam popoſcerunt. Tunc vocato ad ſe vir Dei nuntio, gratias ei fatigationis ſuæ referens, dixit: Sanctum Bonifacium Pontificem a nobis ſervis ſuis pacificis ſalutato ſermonibus, eique dicito, quod poſt te quantocius potero properabo. Benedixitque illum, & abire permiſit. Sequenti vero die, petita a Fratribus benedictione vir Dei Sturmi ſtatim profectus eſt, arreptoque itinere, ad *Selebeim*, ubi ſanctum comperit Epiſcopum, properavit. Die autem ſecundo quo profectus eſt, ad Epiſcopum ambulando pervenit, & in loco eum ſuperius dicto *Frideslar* invenit. Cumque indicatum ſancto fuiſſet Epiſcopo, Eremitam ſuum Sturmen adfuiſſe, ſtatim illum præcepit ad ſe duci. Cumque adductus fuiſſet ante eum, ad terram ſe humiliter proſtravit, & ſalutato Pontifice, ſe benedici poſcebat. Cui benedicto & reſalutato, ad ſe accedere eum juſſit, & oſculato eo, juxta ſe ſedere præcepit; & cum omni charitatis affectu in adventu illius lætatus eſt, rogavitque eum, ut aliquantulum propter ejus amorem & præſentiam ſibi a conſtituto jejunio indulgeret. Quod vir Dei cum magna agens diſcre-

Fritiſlariæ ipſum convenit. — *Nonnihil de jejunio ibi remittit.*

cretione, propter reverentiam ſummi Sacerdotis & Magiſtri adſenſit. Totum ſanctum, inquit, credo, quod a vobis mihi fuerit imperatum. Menſa poſita in præſentia Epiſcopi fuit, ſuſceptis coram eo cibis, quos ille præcepit honeſte comedere. Cui refecto ferculoque levato, ſurgens Epiſcopus adduxit ſecum in ſecretiorem locum ſolitarium ſuum, ubi diutiſſime de ſpiritalibus tractavere rebus, & de converſatione multum diſputavere. Erat quippe Pontifex ſanctus nimium animo intentus (quod poſtea claruit) monachicam in ſolitudine inſtituere converſationem. Unde etiam tunc inter cetera colloquia percontatus eſt, quid de exploratione loci habuiſſet actum. Cui adveniens Anachorita Sturmi reſpondit: Navigavimus, inquit, ſurſum per alveum fluminis Fuldæ; per plures dies nihil tale reperimus, quod vobis laudare præſumamus. Intellexit ſanctus Epiſcopus prædeſtinatum a Deo locum necdum fuiſſe revelatum. * Prophetica voce locutus eſt ei, dicens: Locus quidem in illa ſolitudine a Deo paratus eſt, quem quando vult Chriſtus ſervis ſuis oſtendet. Quapropter noli de inquirendo ceſſare, ſciens & credens, quod eum abſque dubio ibi reperies. Sic eum certum de loci inventione factum, & ad monaſticæ vitæ amorem incitatum, & de ſpiritali contra zabulum certamine multum imbutum, ad dilectam remeare permiſit eremum. Qui cum ſuam perveniſſet ad cellam, quæ in loco ſuperius jam comprehenſo *Hersfelt* fuerat conſtructa, ſalutatis Fratribus quos ibidem reperit, præceptum ac promiſſum ſancti expoſuit Epiſcopi.

AN.CHR. 779 17. Dec.

* ſupple ideo ad ſuos reverſus,

7. Cumque parumper penes ipſos feſſus reſpiraſſet, ſtravit aſinum ſuum, ſumtoque viatico ſolus profectus eſt, iter ſuum Chriſto, qui eſt via, veritas & vita, commendans, ſolus omnino ſedens ſuper aſinum, per vaſtiſſima deſerti loca pergere cœpit. Tunc avidus locorum explorator, ubique ſagaci obtutu montuoſa atque plana perluſtrans loca, montes quoque & colles valleſque adſpiciens, fontes & torrentes, atque fluvios conſiderans pergebat. Pſalmos vero in ore retinens, Deum gemitibus, animo ad cœlum levato, orabat; ibi tantummodo quieſcens, ubi eum nox compulit habitare. Et tunc quando alicubi noctabat, cum ferro quod manu geſtabat, ſepem cædendo ligno in gyro compoſuit ad tutamen animalis ſui, ne feræ quarum perplura ibi multitudo erat, illud devorarent. Ipſe autem in Dei nomine ſigno crucis Chriſti fronti impreſſo ſecurus quieſcebat. Sic vir ſanctus armis ſpiritualibus perornatus, lorica juſtitiæ totum corpus induens, ſcuto fidei pectus muniens, caput galea ſalutis protegens, gladio verbi Dei accinctus ad certamen contra diabolum proceſſit. Tunc quadam die, dum pergeret, pervenit ad viam, quæ ad Turingorum regionem mercandi cauſa ad Magontiam pergentes ducit, ubi platea illa ſuper flumen Fuldam vadit: ibi magnam Sclavorum multitudinem reperit, ejuſdem fluminis alveo ... lavandis corporibus ſe immerſiſſe. Quorum nuda corpora animal, cui præſidebat, pertimeſcens, tremere cœpit, & ipſe vir Dei eorum fœtorem exhorruit. Qui more gentilium, ſervum Domini ſubſannabant, & cum eum lædere voluiſſent, divina potentia compreſſi & prohibiti ſunt. Unus autem ex illis, qui erat ipſorum interpres, interrogavit eum quo tenderet. Reſpondit, in ſuperiorem partem eremi ſe fore iturum.

aſino inſidens eremum circuit.

Obvios habet Sclavos,

8. Sicque vir Dei per horrendum ſolus pergens deſertum, præter beſtias quarum in eo fuit abundantia, & avium volatum & ingentes arbores, & præter agreſtia ſolitudinis loca nihil cernens; tandem quarto die prætergrediens locum ubi Monaſterium ſitum eſt, ſuperiora petens, ubi flumen, quod dicitur Gyſilaha, Fuldæ alveo ſe immiſcet; deinde paullo ſuperius progreſſus, ubi ſemita fuit, quæ antiquo vocabulo Orteſſueca dicebatur, poſt occaſum ſolis pervenit; ibique ſe & aſinum ſuum munire propter nocturnos incurſus ſatagens. Cum autem ibidem ſe nocturnis caſtris munire curaret, audit procul ſonitum aquæ, quod utrum feræ an homo feciſſet, ignorabat. Stans ſilenter, intentis auribus auſcultabat: audit iterum ſonitum aquæ. Tunc quia vir Dei clamare noluit, cavam ferro quod manu ferebat,

feras, &c.

AN.CHR. 779 17. Dec.

& homines noctu.

pulſavit arborem, intelligens hominem eſſe, nutu Dei. Ille vero cum audiſſet ſonitum pulſantis, illuc properans proclamavit. Qui cum appropinquaſſet, videntes alterutrum mutuo ſe ſalutaverunt. Cumque eum homo Dei interrogaſſet unde veniret, reſpondit, ſe de Wedereiba venire domini ſui Orcis equum in manu ducere. Collocantes itaque ſe ibidem, pariter nocte illa manſerunt. Erat quippe ille homo locorum in ſolitudine peritiſſimus. Cumque illi vir Domini quod animo geſtabat, & quid gereret revelaſſet, cœpit ei locorum nomina indicare, & torrentum & fontium fluenta denuntiare. Qui cum tunc in illo fuiſſent loco, qui antiquo vocabulo *Ablob* nuncupatur; mane ſurgentes inde, alterutrum ſe invicem benedixerunt: & ſtatim vir ſæcularis ad *Grapfelt* per viam ſuam pergere cœpit.

Mane iter perſecutus,

9. Servus autem Domini ſtatim inde reverſus, Domino Chriſto iter ſuum & ſpem omnem commendans, per deſertum more ſuo pergere cœpit ſolus. Qui cum *Ailoba* gradiebatur, & ei illic terra diſpliceret, venit ad torrentem, qui uſque hodie *Grezibacb* dicitur: viſiſque illic loci poſitionibus & terræ qualitatibus, paulliſper remoratus eſt. Inde regreſſus puſillum, ad benedictum & a Domino jamdudum præparatum pervenit locum, ubi nunc ſanctum ſitum eſt Monaſterium. Quo cum perveniſſet, ſtatim ſanctus vir Sturmi immenſo repletus gaudio, alacer & exſultans ibat. Intellexit enim per merita & orationes ſancti Epiſcopi Bonifacii talem ſibi locum eſſe a Domino revelatum. Tunc circumquaque iens per ſingula quæ adſpiciebat, Domino gratias referebat. Quanto longius & latius gradiebatur, tanto amplius gratulabatur. Cumque ibi loci pulcritudine delectatus, non modicum diei ſpatium gyrando & explorando exegiſſet, benedicto loco & diligenter ſignato gaudens inde profectus eſt.

locum optatum reperit.

Bonifacio adito rem narrat.

10. Igitur vir Dei ſecundo ad *Herſfelt* perveniens, ſocios ibi ſuos ſanctis inſiſtere precibus reperiebat: loci repertionem quibus referens, eos illuc profecturos ſecum properare imperavit. Subito ipſe petita a Fratribus oratione, ad *Selebim a* petiturus Epiſcopum, profectus eſt. Ad quem cum ambulando poſt dies paucos perveniſſet, atque ab eo benigne eſſet ſuſceptus, repertum ei locum laudando referre cœpit. Æſtimo, ait, dilectum tibi locum nunc eſſe repertum. Cumque ei loci illius ſtatum & qualitatem terræ & aquæ decurſum, quæ uſque hodie Monaſterio ſufficiunt, revelaſſet, ſatis alacrem reddidit Epiſcopum: pariterque gratulantes & Domino gratias referentes, ſuave colloquium inter ſe de vita & converſatione Monachorum diutiſſime habuerunt.

Bonifacio poſt ſeria monita in palatium eunte,

11. Poſt dulces ſermones ſanctus Epiſcopus, retento parumper penes ſe ſolitario ſuo, diligenter eum ſanctis inſtruere curavit ſermonibus, & ſacris ſcripturæ ſententiis, ad monaſticæ vitæ amorem incitare. Sic enim uberiore doctrinarum fonte irrigatum, & plurimis ſanctæ Scripturæ admonitionibus confortatum, ad eremum eremitam ſuum Sturmen abire ſanctus permiſit Epiſcopus. Ipſe vero ob confirmationem reperti in eremo loci ad palatium Regis profectus eſt. Sturmi autem poſtquam ad ſuos pervenit in ſolitudinem ſocios, & ſe ad locum quem repererat, cum Fratribus voluiſſet conferre, & non *b* jam tunc ex quo in eremo habitare cœperat, anno ab *Herſfelt* regreſſus eſt; invidus omnium bonarum rerum diabolus pertimeſcens ſervorum Dei in ſolitudine converſationem, malorum hominum mentes inſtigabat, ut ſanctum ſervis Chriſti contradicerent locum. Sancti vero ſervi Dei cum pravorum hominum obſtinationes, immo zabuli adverſitates ferre necdum poſſent, diverterunt inde, & ſeceſſerunt in locum qui dicitur *Cbrilbari*.

Sturmius ad ſuos reverſus, adverſarios patitur.

Bonifacio Karlomannus concedit locum Eiloba.

12. Sanctus quoque Bonifacius Epiſcopus, ut præfatus ſum, ad KARLOMAN-

a Locum Amanaburgo & Monaſterio Fritislarienſi in Haſſia vicinum conceſſerat Bonifacio Adalgerus Clericus, apud Othlonum in lib. 2. cap. 18.

b Legendum videtur *nono*: diu ſiquidem Hersfeldenſem ſolitudinem incoluere ſocii Sturmii, dum iſte res ſuperius memoratas exſecutus eſt. Unde ſatis illis fuit temporis, ut Monaſterium rudi (ut tantorum bonorum hominum frugalitas ferebat) artificio delinearent. Certe ab anno 36. quo a Lamberto initia Hersfeldenſis Cœnobii locantur, ad 744. quo Fuldenſe Monaſterium conſtructum eſt, novenorum fere annorum numerus intercedit.

Digitized by Google

MANNUM Francorum Regem perrexit, & humiliter ſapienterque ad eum AN.CHR. 779 17. Dec.
„ locutus eſt. Ad perpetuam, inquit, remunerationem veſtram cogito; ſi
„ Deus omnipotens voluerit, & veſtrum adfuerit auxilium, in orientali Re-
„ gno veſtro Monachorum vitam inſtituere, & Monaſterium fundare, quod
„ præteritis temporibus ante nos nemo inchoavit. Unde nunc veſtrum in
„ hoc pium poſcimus adminiculum, quatenus vobis immarceſſibile munus
„ coram altiſſimo Rege Chriſto in futuro & infinito maneat regno. Habemus
„ enim in ſolitudine quæ Bochonia nuncupatur, juxta fluvium qui dicitur
„ Fulda, locum aptum ſervis Dei inhabitandum repertum, qui ad veſtram
„ pertinet ditionem. Nunc veſtram pietatem poſcimus, ut nobis locus ille
„ donetur, quatenus in eo per veſtram defenſionem Chriſto ſervire quea-
„ mus. Quo audito, Rex nutu Dei gaviſus eſt, & congregans omnes Prin-
cipes palatii ſui, petitionem Epiſcopi collaudans indicavit, atque coram eis
„ Epiſcopo ſancto locum quem poſtulaverat tradidit, dicens: Locus qui-
„ dem quem petis, & qui (ut adſeris) *Eibloba* * nuncupatur, in ripa flu- * Aiclocha
„ minis Fuldæ, quodque in hac die proprium ibi videor habere, totum &
„ integrum de jure meo in jus Domini trado, ita ut ab illo loco undique in
„ circuitu, ab Oriente ſcilicet & Occidente, a Septemtrione & Meridie,
„ marcha * per quatuor millia paſſuum tendatur. Porro Rex juſſit char- * id eſt limes
„ tam ſuæ traditionis ſcribi, quam ipſe propria manu firmavit. Et miſit
nuntios ſuos, ut congregarent omnes viros nobiles, qui in regione *Grapfelt* a
commoraſſent, ut eos Regis ſermonibus rogaſſent, ut omnis quicumque in
loco illo aliquid proprium videretur habere, quemadmodum fecit Rex, ita
& ipſi tradendo facerent. Cumque ad condictum diem omnes fuiſſent con-
gregati, advenientes Regis nuntii, Omnes vos, inquiunt, Rex ſuis ſaluta-
re præcepit ſermonibus, poſcebatque & imperabat, ut omnis qui aliquid
proprietatis viſus fuiſſet habere in loco qui dicitur *Eibloba*, ſervis Dei
inhabitandum totum traderet. Qui cum hoc audiſſent, nutu Dei ſtatim
cum omni diligentia, quidquid ibidem habere potuerunt, viro Dei Stur-
mi totum tradiderunt.

Regis hortatu alii alia donant.

13. Igitur hac traditione undique firmata & loco illo de jure hominum in
jus Domini tradito, beatus Sturmi in *Dryblar*,* perrexit ad Fratres. Inde
non poſt multos dies ſurgens, adſumtis Fratribus ſecum ſeptem, commigra-
vit ad locum, ubi nunc ſanctum ſitum eſt Monaſterium, & anno Incarnatio-
nis Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo quarto, regnantibus in hac gente
Francorum duobus Fratribus KARLOMANNO atque PIPPINO, Indictio-
ne 12. menſe primo, duodecimo die menſis ejuſdem, ſanctum & a Deo du-
dum prædeſtinatum ingreſſus eſt locum. Dominum Chriſtum illum ſemper
tueri, & ſua invicta potentia defendi * implorabant ſanctis Domino pſal-
modiis & jejuniis vigiliiſque & orationibus, die noctuque famulantes, ſilvas
cædere, & locum mundare proprio labore, in quantum prævaluerunt, ſtu-
debant. Expletis autem duobus menſibus, venerandus ad eos Archiepiſcopus
Bonifacius congregata hominum multitudine perrexit: conſpectis cunctis lo-
ci illius commodis, & utilitatibus immenſis exploratis, in Spiritu-ſancto ex-
ſultabat, grates Chriſto referens & laudes, quod ſervis ſuis talem in eremo
tribuere dignatus eſt habitationem. Hominibus vero qui cum eo venerunt
in locum, ubi ei & ſervis Dei pariter cum eo viſum eſt Eccleſiam ponere,
& frutecta quæque cædere imperavit. Ipſe ſe in montem qui uſquehodie
Mons Epiſcopi appellatur, contulit, ubi jugiter Dominum orabat, & ibi ſa-
cris libris ſcrutando inſudabat, & propter hoc monti vocabulum indidit. Poſt
unius ſeptimanæ impletionem, dirutis innumeris ſilvis & arboribus, & raſe *a*
ad calcem faciendam compoſita, Epiſcopus benedictis Fratribus & loco Do-

Sturmius Cœnobium Fuldenſe condit anno 744.

* Chrichlar

* defendere

Bonifacio probante & locum non ſemel inviſente,

Q iiiij mino

a Sic vaſtæ ſolitudinis Boconiæ exſtirpatores accolas Graveldos vocat Gregorius II. in epiſtola ipſis directa, apud Othlonum in lib. 1. cap. 29.

b *Raſe* Germanis *caſpes*, inquit Brovverus. Id genus cæſpitis Galli noſtrates vocant *des Tourbes*, quod genus ſic parant. Evulſos e pingui ſolo cæſpites ad ſolem deſiccant, itum deſiccatos igni admoto fomentum & materiam adhibent, ſive ad calcem faciendam, ſive ad domeſticum uſum.

Digitized by Google

AN.CHR. 779 17. Dec. mino commendato, cum operariis cum quibus venerat, inde migravit. Altero autem anno ſanctus Epiſcopus iterum illuc properans, ad novellum Cœnobium pervenit ſuum; quod jam tunc, propter meatum fluminis, Fulda vocari inchoaverat. Viſis Fratribus ſalutatiſque, penes ipſos complures explevit dies: in quibus novellos Monachos ſuos inſtruere curavit, & monaſticæ Regulæ diſciplinas ſecundum ſanctæ Scripturæ traditionem ſtatuere apud ipſos non ceſſabat. Qui cum Fratribus ſacras expoſuiſſet Scripturas, & quod nuſquam vinum Monachorum legeret eſſe; conſenſu omnium decretum eſt, ut apud illos nulla potio fortis *a* quæ inebriare poſſit, ſed tenuis cerviſia biberetur. Quod poſt plures annos, creſcente familia, propter ægrotos & imbecilles, tempore PIPPINI Regis ſynodali decreto immutatum eſt: aliqui tantum * ex Fratribus uſque ad finem vitæ ſuæ ſe a vino & ceteris fortibus potionibus abſtinuerunt. Poſt non multum ſecrete habito cum ſturmi colloquio, quo eum qualiter præeſſe ceteris deberet docuit; & poſt uberrima documenta & monita, quibus Fratres qualiter obedire & ſubeſſe deberent imbuit; ſalutatis ipſis Chriſtoque eis commendatis, inde profectus eſt. Sic vero ſolebat ſæpe illos viſitare ipſe; & per ſingulos annos, quantis vicibus licuit, propter epiſcopalem curam, quam plurimam habebat in populo, venire & morari apud locum illum, & propriis manibus operari ſtudebat, & ſæpe in dilecto ſibi monte ſuperius dicto myſticas ſcrutando Scripturas & Chriſtum familiariter orando inſidebat.

vini uſus interdictus Monachis,

** ſ. tamen*

quibus præfectus Sturmius.

14. Porro cum Fratres Regulam ſancti Patris BENEDICTI inhianter obſervare deſideraſſent, & ad monaſticæ diſciplinæ normam ſua corpora menteſque toto animo inclinaſſent; conſilium utile inierunt, quatenus aliqui ex ipſis ad magna alicubi mitterentur Monaſteria, ut Fratrum ibi concordiam & converſationem regularem perfecte diſcerent. Quod cum ſancto fuiſſet indicatum Epiſcopo, prudens illorum collaudavit conſilium, & hanc legationem ſtudioſo Sturmi injunxit. Qui præparatis itineris neceſſariis, adſumtis ſecum duobus Fratribus, quarto ad locum prædictum ingreſſionis anno, Romam profectus eſt, atque in illa terra cunctis Monaſteriis luſtratis *b*, & omnium mores ibi Fratrum conſiſtentium traditioneſque Monaſteriorum ad plenum diſcens, integrum annum apud illa Monaſteria perſeverans; ſecundo inde anno, repletus quibus viderat virtutibus regreſſus eſt. Cum ad hanc Domino opitulante terram perveniret, correptus morbo apud *Chitzinga c* Monaſterium, hebdomadas quatuor ægrotavit. Tunc ex infirmitate convaluit, & ad Epiſcopum Bonifacium, qui tunc forte in Turingia fuit, perrexit. Quo viſo nimium Epiſcopus gaviſus, & Domino adventus ſui gratias referens, multum ab illo de regionibus quibus venerat, percontatus eſt. Et dum eum prudenter mores gentis illius & diſciplinas Monachorum referre agnovit: Vade, inquit, & novellum Monaſterium Fuldam, ad inſtar morum Monachorum, quorum ibi vitam contemplatus es, quantum quiveris, inſtituas. Statim vir beatus Sturmi petita ab Epiſcopo oratione perrexit ad eremum, gratuſque ſuis ad videndum Fratribus, die quatro advenit: quibus ea quæ in Italiæ partibus & Tuſciæ provinciæ Monaſteriis a ſanctis Patribus didicerat, & verbis prudentibus promſit, & exemplis in ſemetipſo monſtravit. In omni enim diſciplina quam Fratribus poſuit, prius ſemetipſum exercere curavit,

In Monaſteria Italica luſtrat, ut diſcat perfectam Regulæ praxim,

quam Bonifacio jubente tradit Fuldenſibus,

a Hinc Bonifacius in epiſtola ad Zachariam Papam, apud Othlonum in lib. 2. de Vita S. Bonifacii cap. 12. *Monaſterium conſtruentes, Monachos conſtituimus ſub Regula S. P.* BENEDICTI *viventes, viros ſtrictæ obſervantiæ, abſque carne & vino & ſervis, proprio manuum ſuarum labore contentos.* Lege Zachariæ Privilegium ibid capp. 13. & 14. Pippini vero cap. 17. Ex his patet Monaſterium Fuldenſe ab ipſis primordiis Regulæ Benedictinæ fuiſſe addictum: nec aliam cauſam Italici itineris Sturmium habuiſſe, quam *ut converſationem regularem perfecte diſceret*, infra quam Fritislariæ jam hauſerat adoleſcens.

b In his Caſinenſe, quod tum Petronace Abbate e ruderibus emergere & refloreſcere cœperat.

c *Inter Monaſteria Virginum quæ S. Bonifacius conſtruxit*, inquit Trithemius in fine Chronici Franc. *adhuc eminet Monaſterium in opido Kitſingen juxta Mogonum*, (Mœnum fluvium, infra *Meyn* vernacule appellatum) *cui præfuit S virgo Hadelonga, quam Teclam nominavit, ex Anglia oriundam.* Trithemio præivit Othlonus in lib. 2. cap. 25. Verum opidulum hoc Franciæ Orientalis in manus traditum Principis novitiæ Religionis, id eſt Marchionis Anſbacenſis, hoc decus etiam virginitatis amiſit, inquit Brovverus.

Digitized by Google

AN. CHR. 779 17. Dec.

vit, ne forte quiſpiam de illo dicere potuiſſet: Cur hæc, quæ doces, ipſe non facis? Deſiderium tunc ingens inerat Fratribus, ad omnia quæ eis dicta vel oſtenſa fuerant, ſanctorum exemplis ſemetipſos toto adniſu aptare, & Regulam ſancti BENEDICTI, quam ſe impleſſe* promiſerant, ad omnia obſervabant. Annos ſic plurimos in ſanctis moribus degentes, Monaſterium adventatione multorum creſcebat, quoniam multi ad ſerviendum Domino ſe ibi & ſuas poſſeſſiones tradiderunt. Creſcente ita familia Chriſti, & loco multiplicari inchoante, fama illius bona in univerſas provincias diffunditur, & rumor eximius per longe poſita Monaſteria ad omnium ſanctorum Fratrum pervenerat aures. Cumque plurima illic Monachorum congregatio ſub SANCTÆ REGULÆ diſciplina diſtrictam duceret vitam, ſanctus eos viſitare Epiſcopus per plura ſtuduit tempora: miſertuſque illorum paupertati, aliquas ei villulas ad exquirenda cibi neceſſaria tribuit.

*artioris diſciplinæ ſtudioſiſſimis. * impletutos. Iis numero & fama creſcentibus dat prædia Bonifacius,*

15. Anno decimo poſtquam ad ſanctum commigravit locum ſanctus Archiepiſcopus Bonifacius, inito cum Rege & ceteris Chriſtianis conſilio, ad ulteriora Freſonum loca paganico ritu* dedita ingreſſus eſt, ingentemque ibi multitudinem hominum Domino docendo & baptizando adquiſivit. Inde poſt multum temporis migrans, ſoſpes ad ſuas in Germaniam pervenit Eccleſias. Sequenti vero anno *a* iterum ad aquoſa Freſonum pervenerat arva, cœptum opus prædicationis implere deſiderans. Quo cum perveniſſet, & die quadam ad ſuam doctrinam populum convocaſſet; venerunt unuſquiſque de loco ſuo, non quaſi humiliter ad verbum Domini audiendum, ſed ſpiritu maligno inflati, cum infeſtis armis ad ſacra ſermonis Domini feſta proruunt; & ſanctum Chriſti Antiſtitem ferro trucidarunt, omnemque ejus comitatum gladiis necaverunt. Epiſcopo vero & ceteris quampluribus cum eo martyrio coronatis, ex ſuperiore Freſonia, a *b Trecb* ſcilicet Cœnobio fideles venientes Fratres, rapuerunt corpora ſanctorum Martyrum, & ibi in ſepulcris alia poſuerunt; alia vero adſumentes ſecum, ſancti videlicet Bonifacii Epiſcopi, & ſanctorum qui cum eo pariter paſſi ſunt Presbyterorum & Diaconorum; & unius Epiſcopi nomine EOBAN, cujus corpus adſumentes, caput ejus ab hoſtibus abſciſſum reperire non poterant. Quo cum pervenerunt, ſancti Epiſcopi Bonifacii in minore quæ eis vicinior erat Eccleſia cum grabato *c* quo a navi ferebatur ſtatuerunt; cetera Martyrum corpora ſepulturæ tradiderunt. Tunc omnes loci illius habitatores concilium grande inierunt, quatenus penes eos in loco illo ſancti Martyris Bonifacii corpus deinceps omni tempore quieſceret, magnum utpote adminiculum ſibi fore, ſi tanti Martyris protectio tueretur. Jejuniis & orationibus indictis, ut ſanctus Martyr apud eos ſibi manere dignaretur, Dominum orabant, & locum ei ad quieſcendum honorifice in baſilica majore præparabant. Sanctus vero Martyr ad locum in ſolitudine, quem ipſe ſibi nutu Dei eligebat*, corpus ſuum deferri voluit: quod ſtatim claruit. Quod dum vellent ad alteram portare Eccleſiam, & ibi in ſarcophago ponere, accedentes manus ſuas in feretrum miſerunt, nec levare potuerunt *d*. Multo plures alii ſe adjungentes, nec ſic quidem feretrum, in quo ſanctum cadaver jacebat, movere quiverunt.

*qui ſecundo in Friſiam profectus, * ritui. martyrio afficitur cum ſociis. Trajecti corpus ipſius ſepultum, * elegerat. immotum redditum,*

16. Intellexerunt ergo ejus non eſſe voluntatem, ut in eodem loco maneret: ſed eum ad Mogontiam civitatem debere deferri pronuntiabant. Protinus grabatum abſque ulla difficultate levantes, ad flumenque portantes & puppi imponentes, per Rheni alveum navim trahere, & ſuperiora petere cœperunt. Quo audito Sturmi de Fulda Cœnobio in eremo conſtituto cum fe-

Magontiam transfertur:

a Id eſt anno undecimo a condito Monaſterio Fuldenſi, qui annus æræ Chriſtianæ 754. reſpondet, ſiquidem ineunte anno 744. Sturmius locum incolere cœpit, ſupra num. 13. Et tamen Vvillibaldus S. Bonifacii martyrium illigat anno Chriſti 755. Lege Appendicem ad Vitam S Bonifacii num. 7.

b Sic corrigimus libros editos, in quibus legitur *ad Trecb*, *Cœnobio*, &c.

c Id eſt *feretro*, uti paullo infra mentem ſuam explicat Auctor: quo ſenſu hæc vox paſſim ab auctoribus mediæ ætatis uſurpatur.

d Nihil ſimile a Vvillibaldo Othlonove ſcriptum in Actis S. Bonifacii legitur.

Digitized by Google

AN. CHR. 779. 17. Dec.

feſtinatione obviam venire curavit, & cum eis pariter perrexit, donec proſpero & levi tranſitu ad Mogontiam urbem pervenerunt. Sacerdotes ſtatim & omnis Clerus urbis illius accedentes, ſancti Martyris corpus adſumentes, in baſilicam ſuam cum honore poſuerunt. Univerſi tunc Sacerdotes & Clerici & populus omnis conſona pariter voce dicebant, fas non eſſe, ut ſanctus Dei Martyr alium deferatur in locum : ſed ubi epiſcopalem ſedem vivens habuit, ibi etiam oportere eum corpore quieſcere. Inſuper etiam de palatio a Rege nuntius venit, qui dicit Regem imperaſſe, ut ſancti Martyris corpus in civitate eadem, ſi ipſius eſſet voluntas, poneretur. Sturmi vero & qui cum eo de eremo convenerunt, conſtanter dixerunt, quod ſanctus Epiſcopus plerumque apud eos manens, & locum eis ubi corpus ſuum poſuiſſent * demonſtrarit, & quod abſque dubio ibi in ſolitudine voluiſſet corpore quieſcere. Interea vero dum in hunc modum contenderent, & LULLUS Epiſcopus civitatis illius omnimodis voluiſſet prohibere, ne beati Martyris corpus ad ſolitudinem perveniret; nocte per viſionem cuidam Diacono *a* ſanctus adſtitit Epiſcopus : Cur me, inquiens, tardatis ad locum meum Fuldam deferre? ſurgite, ait, cito, & propere me in ſolitudinem, ad locum quem mihi prædeſtinavit Deus, perducite. Qui conſurgens, viſionis quæ ei fuerat oſtenſa ordinem, primo Sturmi, deinde primatibus cunctis narravit. Nimio tunc omnes terrore correpti, ultra ſancti Martyris inde tranſitum contradicere timuerunt. Lul tamen, qui illic erat Epiſcopus, revelationem ſancti Martyris credere prius nullatenus voluit, quam is qui viſionem viderat, manum ſacro altari impoſuiſſet, & cum juramento hoc quod viderat confirmaſſet. Tum vero ſecundum Domini potentiam, cujus voluntati contrairi non poteſt, beati Martyris corpus cum ſummo honore levatum eſt, atque cum ſpiritali carmine ad flumen portatum & navi impoſitum, & uſque ad *Hobbeim* villam quæ in ripa *Moyn* conſiſtit, navigio tranſvectum eſt. Inde vero poſt dies paucos, id eſt triceſimo paſſionis ejus die, ad Cœnobium Fuldam, ſanctum Sacerdotis deportaverunt cadaver, & in novum ſepulcrum poſuerunt. Poſtera die Lullus Epiſcopus, cum Clericis & reliqua turba cum qua venerat, inde migravit. Venerandus tunc Sturmi Abbas cum ſuis Fratribus Chriſto gratias referebant, quod tantum Patronum, ſanctum videlicet Bonifacium Dei Martyrem, juxta ſe habere meruerunt. Cœpit deinde poſt adventum ſancti Martyris ſanctus & electus a Deo creſcere locus, & magnus apud omnes haberi, & Monaſterium augeri : utpote quoniam multi nobiles certatim & concite properantes, ſe ſuaque omnia ibi Domino tradiderunt. Sic cotidie ſanctus Monachorum numerus creſcens *b* in Domino confortabatur, & ſanctæ converſationis diſciplinam indefeſſa & inceſſabili perſeverantia Fratres ibi Domino ſervientes tenuerunt. Quanta vero miracula ibi tunc fiebant, quantaque adhuc cotidie fiunt, aliis plus peritis ad ſcribendum derelinquo.

* ponerent

dein Fuldam.

Monaſterium hinc celebre factum.

Sturmius incurrit Lulli invidiam & Fratrum calumniam apud Regem.

16. Sturmi autem amabilis omnibus in Monaſterio & foris in populis mirandus, miniſterium ſuum ſtudioſiſſime exercuit, prius ſemper ſemetipſum exemplum proponens ceteris : quod verbis docuit, factis ante monſtrabat. Lullo tantum fama ejus bona diſplicuit, & ſemper propter invidiam *c* adverſus eum faciebat. Qui cum verbum Domini inſtanter ubique prædicaſſet, & eum diligenter omnes auſcultaſſent; hoſtis humani generis invidus tantam in plebe utilitatem non ſuſtinens, diſcordias inter Fratres ſeminare cœpit, & trium falſorum Fratrum mentes inſtigabat, ut fallaces cauſas componerent : Sturmen vero Dei ſervum, & fidelem univerſis, apud Regem PIPPINUM accuſarent. Hi cum talibus ſuaſionibus

a Otpertum vocat Othlonus in lib. 2. de vita S. Bonifacii cap 24.

b Ante S. Sturmii obitum, *quadringentorum circiter Monachorum, exceptis pulſantibus & aliis minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valde in ipſo Monaſterio. Pater exſtitit & præceptor*, inquit Liudgerus in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectenſis num. 10. infra.

c Id paullo aſperius dictum in S. Lullum. Lege ipſius Elogium ad annum 786.

Digitized by Google

AN. CHR. 779 17. Dec.

bus diaboli eſſent ſeducti, malo inter ſe conſilio inito, in Lulli Epiſcopi ſuffragium confiſi perrexerunt ad Regem, & beatum virum apud illum accuſabant, crimen neſcio quod de inimicitia Regis objicientes ei. Cumque vir Dei Sturmi illuc eſſet præſentatus, illorum falſitatem patienter ſuſtinens, noluit ſe magnopere inde excuſare: ſed, Ecce teſtis meus, ait, & conſcius meus in excelſo; & Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non ſum confuſus. Tunc pravorum prævaluit voluntas, juſſitque Rex Pippinus beatum tollere virum, & in exſilium cum paucis ſuis mittere Clericis *a*, id eſt ad magnum Cœnobium quod dicitur Unnedica *b*; ubi ab Abbate, qui illi Monaſterio tunc præfuit, & ab omnibus Fratribus benigne & honorabiliter eſt ſuſceptus, & ibi per biennium amandus omnibus exſulabat. Quod cum de Fuldæ Cœnobio audiviſſent Fratres, & eis nunciatum eſſet de Abbate ſuo, qualiter abſtractus erat ab eis; nimium permoti, & ultra quam dici poſſit, conflictati ſunt. Magna quippe tunc erat conturbatio in domo Dei. Alii volebant de Monaſterio exire, alii ad palatium pergere, alii jejuniis & orationibus Deum omnipotentem exorabant, ut ipſe eis per ſuam miſericordiam ſubveniret. Tunc rumor eximius omnium aures & ora pariter compleverat, quod beatus Sturmi Abbas a Cœnobio Fulda eſſet per conſilium Lulli Epiſcopi ablatus. Omnes pariter graviter hoc ferebant. Non erat in iſta orientali plaga Eccleſia, quæ non ejus plangeret exſilium.

cujus juſſu exſulat biennio,

Fuldenſibus turbatis.

17. Lullus interim obtinuit apud Pippinum Regem, munera injuſta tribuendo, ut Monaſterium Fulda in ſuum dominium donaretur: acceptaque ſuperdictione *, Abbatem ibi qui ſibi per omnia obtemperaret, conſtituit quemdam *.·. ſuum, qui dicebatur MARCUS. Sed quoniam Fratres animos ſuos ab illo propter prioris amorem avertebant; erat eis quaſi extraneus, & non conveniebant mores ipſorum. Qua inconvenientia morum, licet corporibus ſimul habitaſſent, mentibus ab invicem disjuncti erant. Cumque in tali diſcordia degerent, & Fratres ſemper meditarentur, qualiter iterum per Dei gratiam Sturmen Abbatem ſuum adſciſcere potuiſſent; Marcum quem inviti, Lullo faciente, ſuper ſe Abbatem acceperunt, ejus ulterius controverſiam ferre non valentes, bonum conſilium inierunt, & eum abjecerunt; & ne illorum ulterius Abbas fieret, unanimiter contradixerunt. Quo amoto, omnes Fratres de Monaſterio voluerunt exire, & ad Regis Pippini palatium pergere, Abbatem ſuum a Rege Sturmin poſtulare. Quod cum Lullus audiret, mitigare eos blandis perſuaſionibus ſtuduit, promittens eis, ut ipſi ſibi de propriis Fratribus inter ſe Abbatem qui eis placeret conſtituerent. Quod cum omnibus placuiſſet, Fratres bonum ex ipſis omnino Fratrem, & vere Dei ſervum, omnibus bonis moribus ornatum elegerunt, nomine PRESZOLDUM, quem ab infantia ſua beatus Sturmi edocuit, & multum amavit illum: ipſum ſuper ſe Abbatem ordinaverunt, ad hoc tantum, ut illi cum ipſo & ipſe pariter cum eis cotidie tractarent, quemadmodum cum adjutorio ſancti Martyris Bonifacii & cum omnipotentis Dei gratia ad hoc pervenire potuiſſent, ut priſtinum ſuum Magiſtrum Sturmen a Rege Pippino ſibi concedi poſtularent. Ipſe vero Preſzoldus tempus non modicum Fratribus præfuit, & eos cum charitate adunatos habuit, cum eis pariter die noctuque mente pertractans, quemadmodum Chriſto favente, Magiſtrum & Abbatem ſuum Sturmen revocare ad ſe per Regis Pippini voluntatem poſſent.

In ipſius locum Lullus ſubſtituit Marcum,

* f. juriſdictione

* ſupple familiarem rejectum a Fuldenſibus,

qui annuente Lullo alium elegerunt.

18. Porro cum Preſzoldus de Patre & Magiſtro ſuo Sturme profunde cogitaret, & ſancti Fratres cum eo de abſentia ejus multo mœrore afficerentur; Dei omnipotentis præſidium continuis precibus poſtulabant, ut ipſe cui nihil impoſſibile eſt, per ſuam invictam potentiam præſtaret, qua-

Fratrum precibus,

a Id eſt Monachis, ut alias notatum in Vita S. Liobæ & in Præfatione Sæculi 2. §. 2.

b Suſpectam habet vocem Brovverus, cui divinare religio, uti & nobis. *Venedica* tamen & *Inda* adſines voces ſuggerit: aſt Indenſe Monaſterium necdum conditum erat.

Digitized by Google

AN.CHR. 779 17. Dec.

quatenus ad eos illorum Magiſter venire permitteretur. Quod cum per ſe diutius feciſſent, & omnes orientales Eccleſias, per omniaque Monaſteria ſervorum & ancillarum Dei in circuitu orationes inceſſabiles eſſent ad Deum pro eo; conſolator humilium Deus preces exaudivit ſupplicantium. Et quia hoc conſtituit ut poſtularetur, precibus fidelium annuens, ſuſcitavit cor Pippini Regis, ut de beato Sturme cogitare cœpiſſet, & eum de exſilio, ubi erat, ad palatium ſuum adduci honorifice, præciperet. Qui cum adductus ad palatium concite fuiſſet, & ibi in Capella Regis per plures eſſet dies Deum orans, exſpectans quid ei Rex imperaſſet; contigit quadam die, ut in venationem Rex pergeret, ac ut ſolitus erat, ad orationem primo diluculo veniret, & ceteri ſervi *a* Dei poſt vigilias matutinas quieſcerent: ſolus Sturmi vigilabat, & ingreſſum Regis obſervans, januas ei Eccleſiæ aperuit, & cum claro lumine ad orationem ante eum ibat. Rex vero cum ad ſacras aras Deum Regem humiliter exoraſſet, „ erexit ſe, & alacri obtutu Sturmen intuitus: Dominus, dixit, congre„ gavit nos modo: &, quid hoc fuit, quod Monachi tui apud nos te „ accuſaverunt, neſcimus; & unde irati fuimus contra te, ignoramus. „ Sturmi vero conſtanter ait: Licet a peccatis immunis non ſim; contra „ te tamen, o Rex, delictum non feci. At ille: Sive, inquit, unquam „ aliquando contra me nequiter cogitaveris, aut inique aliquid geſſeris, „ Deus tibi totum dimittat, & ego ex meo corde ignoſco; & deinceps „ eſto, ait, in gratia, & in amicitia mea omni tempore. Tollenſque „ manu ſua de pallio ſuo filum, projecit in terram, & dixit: Ecce in „ teſtimonium perfectæ remiſſionis filum de pallio meo projicio *b* in ter„ ram, ut cunctis pateat, quod priſtina deinceps adnulletur inimicitia. „ Ita pacati firmiterque in amicitia fundati, Rex iter quod cœperat, ar„ ripuit.

Pippini juſſu revocatur Sturmius. — *NOTA.* — *eique reconciliatur.*

Fuldæ reſtituitur,

19. Igitur poſt tempus breve, Preſzoldus, & reliqui Fratres de Monaſterio Fulda, comperientes quod amandus illorum Magiſter Sturmi in gratia & in amicitia domini Regis eſſet receptus, cogitaverunt ad palatium ire, & Regem deprecari pro Magiſtro: miſeruntque ad palatium, poſtulantes a Rege Abbatem ſuum eis dari: ſicut omne quod Deus voluit fieri, facile & abſque labore evenit. Rex vero petitiones Fratrum benigne ſuſcipiens, venerandum Sturmen Abbatem ad illos ſe mittere promiſit: quod per multas orationes ſervorum & ancillarum Dei fieri credimus. Poſt non multum temporis ſpatium Rex vocari ad ſe Sturmen juſſit, eique Monaſterium Fuldæ quod prius habuit, ad regendum commendavit, abſolutumque ab omni dominio Lulli Epiſcopi, ad Cœnobium Fuldæ eum cum omni honore ire præcepit, & cum ſuo Privilegio quod beatus Zacharias Papa, ſummus apoſtolicæ Sedis Pontifex, dudum ſancto tradidit Bonifacio, Monaſterium regeret: (quod privilegium uſque hodie in Monaſterio Fratres conſervatum habent:) quod etiam cauſam ſuam & Monaſterii defenſionem a nullo alio quæreret niſi a Rege, imperavit. Accepta a domino Rege poteſtate, cum Privilegio ſupradicto quod de manu Regis *c* acceperat, ad ſuum perrexit Cœnobium. Divulgatum tunc ſtatim fuit per cunctas has provincias, Sturmen venturum fore ad terram hanc, & ubique ſervis Dei & ancillis per univerſa Monaſteria mox ejus de exſilio reditus innotuit: qui omnes Chriſto immenſas referebant grates. Fratres vero cum appropinquaſſe eum Monaſterio cognoviſſent, ſumſerunt crucem auream & Reliquias Sanctorum, & obviam ei a Monaſterio

a Lulli dominio abſolutus, — *a ſuis feſtive exceptus.*

---

a Id eſt Monachi qui in palatio degebant, quibus Abbas, Palatinus dictus, præerat.

b Inſignis locus de ſymbolo condonandi injuriam, & quidem fere ſingularis.

c Exſtat Pippini Regis hac de re diploma, ſed Bonifacio ſuperſtiti inſcriptum, apud Othlonum in lib. 2. cap. 17. Zachariæ vero cap. 14 In lib 3. Antiq. Fuld. cap. 8. legitur Privilegium Sturmio a Stephano Papa conceſſum in confirmationem immunitatis Fuldenſis, in quo Stephanus præcipit, ut Sturmius *Fratres ſuos ſecundum Regulam* S. BENEDICTI *dirigat*.

Digitized by Google

AN. CHR. 779 17. Dec.

rio longius proceſſerunt : ſalutatoque illo & his qui cum eo venerunt, cum ſpiritali carmine eum ovantes Monaſterium introduxerunt, & Dominum ſuum laudaverunt, qui eis diu optatum dedit Abbatem : & facta eſt lætitia magna inter eos.

Monachis emendatis Cœnobium ornat, / S. Bened. Reg. cap. 66 / amnem Fuldam iſtuc deducit. / S. Bonifacii tumulum decorat.

20. Ipſe vero Sturmi ſtudio magno deditus, quemadmodum initium faceret, cœpit Fratrum emendare vitam & mores corrigere, & miniſteria illorum monaſtica conſtituere. Templum, id eſt Eccleſiam, quod tunc habebant, ornare, & domos omnes Monaſterii recentibus columnis & grandibus trabibus, noviſque tectorum ſtructuris corroboravit. Poſt autem non longum temporis cogitans, qualiter adimpleri potuiſſet quod SANCTA REGULA præfatur, ut artes diverſæ intra Monaſterium continerentur, ne forte propter aliquam neceſſitatem foris vagandi Fratribus opus fieret ; congregatis quantis potuit foſſatoribus, & ut ipſe erat acer ingenio, explorato paſſim curſu fluminis Fuldæ, non parvo ſpatio a Monaſterio, ipſius amnis fluenta a proprio abduxit curſu, & per non modica foſſata Monaſterium influere fecit, ita ut fluminis impetus lætificaret Cœnobium Dei. Quantum illud opus Fratribus profuit, quantamque utilitatem adhuc cotidie miniſtret, & cernentibus & utentibus manifeſtum eſt. Super ſepulcrum vero beati Martyris Bonifacii auro argentoque compoſitam ſtatuit arcam, quam nos ſolemus Requiem *a* appellare, quam (ut tunc moris erat) pulcro opere condidit : quæ uſque hodie ſuper tumulum ipſius Chriſti Martyris cum altari aureo, perſeverat.

Experitur Pippinum munificum, / eoque mortuo filium Karolum.

21. Verum quia vir juſtus & Deo perfectus, apud univerſos magnus, & maxime apud Pippinum Regem habebatur; impetravit ſuis apud ipſum Regem ſermonibus, (habebat enim locum familiaritatis non modicum) ut fiſcum, id eſt *Omunſtat* b, cum omnibus, quæ in illa villa antiqui Reges poſſidebant, ad ſupradictum ſæpius Monaſterium in ſuam eleemoſynam condonaret, atque per conſcriptam chartam, ſicut mos fuit, firmaret. Mortuo autem Pippino anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo octavo, ſui vero regni vigeſimo tertio, KARLUS filius ejus patri ſucceſſit in Regnum. Cum ergo ipſe Rex juvenis cunctos, qui patris ſui prius honoribus prædĭti erant, grandibus muneribus in gratiam ſuam provocaret ; acceſſivit quoque venerandum Abbatem Sturmen, illumque intimis amicitiis ſibi conjunxit : quem cum multis ſæpe honoribus atque regalibus munificavit donis. Quodam tempore immiſit Dominus in cor ejus, ut pro intuitu retributionis æternæ tractare cœpiſſet : vocatoque ad ſe Sturme Abbate, conſilium cum eo iniit, & *Hamelenburc* c cum omnibus quæ ad illum fiſcum pertinent, poteſtativa manu de jure ſuo in jus Domini & S. Bonifacii ad Cœnobium Fuldæ tradidit. Quam traditionem Fratres grataanter ſuſcipientes, Domino pro illius incolumitate preces uſque hodie fundunt. Vixit deinceps ſanctus Sturmi in gratia venerandi Regis Karoli omne tempus vitæ ſuæ.

Legatus ad Taſſilonem. / Saxonibus a Karolo M. converſis ad Chriſtum,

22. Illis quoque temporibus ſuſcepta legatione, inter KAROLUM Regem Francorum & THASSILONEM Noricæ provinciæ Ducem, per plures annos inter ipſos amicitiam ſtatuit. Regnante feliciter domino Rege Karolo, annos quatuor Saxonum gens ſæva & infeſtiſſima cunctis fuit, & pa-

a Hinc derivatum videtur Gallicum vocabulum, *Poisle*, quaſi dicas *Pauſationem* ſeu *Requiem*, ad ſignificandas honorarias umbellas, quæ Magnatum tumulis imponuntur. Et quidem veri ſimillimum eſt, ciboria, repas, fredas antiquorum, ſeu ædiculas quatuor columnis nixas, nonnumquam ex panno aureo aliiſque id genus textis compoſitas fuiſſe. Quo ſpectat Bedæ lib. 3. cap. 11. ubi de S. Oſvvaldi Regis Merciorum agens reliquiis, *vexillum*, inquit, *ejus ſuper tumbam auro & purpura compoſitum appoſuerunt*. Signantius Gislebertus Lunicenſis Epiſcopus in epiſtola 30. inter Hibernicas Uſſerii, *ciborium altaris umbellam* interpretatur : mendoſe in editis *cimbarium* legitur.

b In Traditionum libro num. 21. ex ſtat hujuſce donationis exemplum 3. *Idus Februarii Aurelianis civitatis facta*. Inter alia Pippinus inducitur ſic loquens : *Donamus nos devoteque contradimus pro anima noſtra remedio, & fratris noſtri* CARLOMANNI *commemoratione ad Fuldenſe Monaſterium .·. quoddam prædium Omeneſtat nuncupatum in pago Moynecgovve, cum omnibus terminis & appendiciis ſuis*, &c. Hæc Brovverus in hunc locum.

c Charta donationis, teſte Brovvero, exprimit *locum fiſci noſtri juxta fluvium Sala* : item vicinam villam *Dietpach & Hunfeldiam*, quæ jam opidulum.

Digitized by Google

AN. CHR. 779 17. Dec.

paganis ritibus nimis dedita. Rex vero Karolus Domino ſemper devotus, cum ipſe Chriſtianiſſimus eſſet, cogitare cœpit, qualiter gentem hanc Chriſto adquirere quiviſſet. Inito ſervorum Dei conſilio, popoſcit, ut precibus Dominum votis ſuis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu, invocato Chriſti nomine, Saxoniam profectus eſt, adſumtis univerſis Sacerdotibus, Abbatibus, Presbyteris, & omnibus Orthodoxis atque Fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi dæmonum vinculis fuerat obligata, doctrinis ſacris mite & ſuave Chriſti jugum credendo ſubire feciſſent. Quo cum Rex perveniſſet, partim bellis, partim ſuaſionibus, partim etiam muneribus, maxima ex parte gentem illam ad Fidem Chriſti convertit. Et poſt non longum tempus totam provinciam illam in parochias *a* epiſcopales diviſit, & ſervos Domini ad docendum & baptizandum poteſtatem dedit. Tunc pars maxima beato Sturmi, populi & terræ illius, ad procurandum committitur. Suſcepto igitur prædicationis officio, curam modis omnibus impendit, qualiter non parvum Domino populum adquireret. Sed temporibus inſtabat opportunis, ſacris eos ſermonibus docens, ut idola & ſimulacra derelinquerent, Chriſti Fidem ſuſciperent, deorum ſuorum templa deſtruerent, lucos ſucciderent, ſanctas quoque baſilicas ædificarent.

pars Sturmio committitur.

23. Quo cum multum temporis prædicando & baptizando cum ſuis Presbyteris peregiſſet, & per regiones quaſque ſingulas conſtruxiſſet; iterum poſtea Saxonum gens prava & perverſa a Fide Chriſti devians, vanis ſe erroribus implicavit, congregatoque exercitu ultra fines ſuos egreſſa eſt, & uſque ad Rhenum vaſtando & depopulando cuncta pervenit. Cumque inde reverſi eſſent, infeſta cæde quoſcumque invenire potuerunt, trucidarunt. Quorum cum exercitus in Loganacinſe, quod prope ſupradictum Cœnobium jacet, conſediſſet; conſpiraverunt, ut lectam virorum multitudinem de exercitu ad ipſum Monaſterium mitterent, & cuncta quæ reperirent, igni comburerent, & ſervos Dei ferro trucidarent. Quod cum comperiſſet ſanctus Sturmi, ſtatim vocatis ad ſe Fratribus, periculum quod eis imminebat, innotuit, & conſilium dedit, ut ſancti Martyris corpore adſumto, ad *Hamelanbur* properaſſent. Ipſe vero vir Dei Sturmi foras in Wedereiba perrexit, ſtudium habens, ſi quo modo poſſet pravorum conſpirationem cohibere. Nos autem Fratres diſcipuli ejus, adſumto ſancti Martyris corpore de ſepulcro, in quo annos *b* viginti quatuor poſitum fuerat, a Monaſterio cum univerſis famulis Dei proficiſci cœpimus. Manſimus prima nocte ad proximam Cellam, ubi Fuldæ alveo Fledenæ fluenta ſe miſcent. Inde ſurgentes mane, ad ulteriorem pervenimus Sinnam, ibique fiximus tentorium, in quo ſacratiſſimum Chriſti Martyris ſtatuimus corpus, & in circuitu milites Chriſti caſtra metati ſunt. Ubi cum in tabernaculis tres exegimus noctes, quarto jam die legati noſtri venerunt, qui referebant, de parte & gente noſtra nonnullos congregatos contra Saxones bellum inire, eoſque victos ad proprias aufugiſſe terras. Quod cum audiviſſemus, ſacra beati Martyris oſſa ſuſtulimus, & gaudentes ad Monaſterium unde digreſſi ſumus, revertebamur; & Dei Martyris ſancta ſepulcro quo prius inerant oſſa humavimus *c*, Chriſto Domino gratias referentes, quod pace conceſſa noſtro Monaſterio inhabitare ſineremur.

Saxonibus apoſtatis Fuldam diripere geſtientibus,

S. Bonifacii corpus ſubtrahitur.

hoſtibus fuſis mox relatum.

24. Tunc

a Metropolitani provincia ἐπαρχία, Epiſcopi παροικία, primarium ſedium ut Patriarcharum διοίκησις olim dicebatur ex Conc. Antioch can. 9. *Parochia* antiquis magis placet pro diœceſi Epiſcopi, quam *Paræcia*. Certe Parochos, inquit Nonius Marcellus, *a Græco tractum eſt nomen, quod vehicula præbent*. Nam præbenda omnia παροχαί dicuntur. Nunc vulgo *Parochia* ſtrictius ſumitur pro qualibet diœceſis epiſcopalis particula, cui ſingularis Curio præeſt.

b Concordant huic calculo Annales Fuldenſes, qui id factum anno 778. referunt.

c Et tamen arca, ſeu ciborium, ſuper S. Bonifacii tumulum erecta fuerat a Sturmio ſupra num. 20. Non ergo Sanctorum corpora in ſuperna ciborii parte, ſiquidem fere ſolidum erat; ſed in ipſo tumulo humari tum ſolebant, ut in Præfatione Sæculi 2. §. 4. fuſius probatum.

Digitized by Google

AN.CHR. 779 17. Dec.

Sturmius iterum in Saxonicam expeditionem profectus gravius infirmatur.

24. Tunc iterum Rex Karolus, ad confirmationem inchoatæ Fidei Chriſtianæ, cum exercitu ad illam terram perrexit, & venerandum Sturmen infirmum, jam ſenectute feſſum, in *Heresburg* ad tuendam urbem cum ſociis ſuis ſedere juſſit. Diſpoſitis ſecundum voluntatem ſuam univerſis Rex cum rediret, ſanctum virum paucos dies poſt reditum ſuum in ſupradicta urbe ſedere imperavit. Quo expleto ad Monaſterium vir Dei rediit, habito ſecum Medico domini Regis Karoli, cui nomen WINTARUS, qui ejus ſubveniret infirmitati. Dum vero quadam die, artis ſuæ ei neſcio quam potionem infuderat, cum qua minuere debuit infirmitatem; ſed ita auxit, ut validius & acrius ei lues acerba augeretur. Et anxius dicere cœpit, quod ei Medicus qui minuere morbum debuerat, malum grande irrogaſſet. Currere citius ad Eccleſiam jubet, omnes gloggas *a* pariter moveri imperavit, & Fratribus congregatis obitum ſuum cito adfuturum nuntiare præcepit, & pro ſe enixius orare poſtulavit. Congregata prius omni familia, domum in qua ipſe iacebat, eam introduci fecit, atque omnem congregationem his verbis adorſus eſt: Vos, inquit, o Fratres, ſtudium meum cognoviſtis, qualiter uſque in hodiernum diem pro veſtra utilitate & pace laboravi, & hoc maxime curavi, qualiter iſtud Monaſterium poſt obitum meum perſeverare in voluntate Chriſti valeret, & vos iſtic Domino ſervire ſincere cum charitate quiretis, o Filii. Nunc vero in concepto propoſito omnes dies vitæ veſtræ perſeverate. Deum altiſſimum pro me orate, & ſi quippiam prave apud vos egi, vel aliquem injuſte offendi, ignoſcite mihi: & ego cunctis ex intimo corde omnia convicia & omnes contumelias meas ignoſco, necnon & LULLO, qui mihi ſemper adverſabatur. Poſt iſta & alia nonnulla bona verba, Fratribus valedicens, dimiſit eos. Egreſſis ergo Fratribus, cœpit vir ſanctus acriter langueſcere, & ad ſuprema perurgeri. Erat univerſis mœror, & triſtitia magna animos obſidebat Fratrum, qui ſolius Dei lacrymabili voce, miſericordiam implorabant, & obitum ſancti ac venerandi Abbatis ſui Sturmi maximis Domino commendabant precibus.

Pulſatis ſignis,

ad ſuos verba facit,

iis interceſſionem poſcentibus promittit.

25. Altera autem die, id eſt 16. Kalend. Januarii, ingraveſcente languore ad extrema deductus eſt. Circumſtantibus vero nobis & videntibus ejus celerem fore exitum, aliquis e nobis exorſus eſt: Pater, inquit, nos non ambigimus, te ad Dominum migraturum, & ad vitam pervenere perennem: quapropter Paternitatem tuam deprecamur, ut noſtri memorari digneris, & ibi pro diſcipulis tuis Domino preces fundere, quomodo juſtum confidimus nobis profuturum, quod talem præmittimus Patronum. Qui, ſubito intuens nos: Exhibete, inquit, voſmetipſos dignos, & tales eſtote in veſtris moribus, ut rite valeam pro vobis orare: & ita faciam quod poſtulatis. Poſt vero verba hæc, ſancta illa anima carne ſoluta eſt, & de ergaſtulo corporis erepta, bonis meritis repleta migravit ad Chriſtum, cujus in perpetuum permanet regnum, Amen.

a Sic campanas vocabant. Willibaldus, & Othlonus in Vita S. Bonifacii ſub finem *gloccas* & *cloggas* appellant: & Bonifacius ipſe in epiſtola 9. *cloccam*: tametſi jam *campana* vocabulo uſus fuerat Beda in lib. 4. cap. 23. ex quo aliiſque colligimus, pene ſingulare eſſe id quod hoc loco ſcribitur de pulſatis Eccleſiæ ſignis ſub extremos Sturmii exſpirantis agones. Lege Præfationem huic Sæculo præfixam.

AN.CHR.
779
17. Dec.

A P P E N D I X.

De anno mortis, canonizatione, & Reliquiis S. Sturmii.

1. ANNO 779. *ut legitur in Annalibus Fuldenſibus quibus ſubſcribit Marianus Scotus*, STURMI Abbas Fuldenſis Cœnobii moritur, cui ſucceſſit BANGOLF ejuſdem Monaſterii Monachus. *Anniverſarias Sturmii preces Eigil vitæ ſcriptor & poſt Bangolfum & Ratgarium ſucceſſor inſtituit, teſte Candido in ipſius Actis, eaſque poſteri perſolverunt, donec Innocentius II. in Concilio Lateranenſi anno 1139. ſollemni ritu Sturmii ſanctitatem approbavit litteris datis, quarum hoc exemplum.*

INNOCENTIUS *ſervus ſervorum Dei, dilecto filio* CHUNRADO *Abbati, & Monachis Fuldenſis Monaſterii, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.* Dignum valde eſt & omni laude digniſſimum, ut quos Rex regum & Dominus dominantium honorare dignatur, eiſdem ab hominibus devota reverentia impendatur. Nos igitur audita vita laudabili B. STURMIS Confeſſoris, cognitis etiam ex parte miraculis, quæ per ejus merita Dominus operatur, atteſtatione Fratrum noſtrorum qui de partibus Teutonicis advenerant; in plenaria Synodo quæ apud Lateranum eſt per Dei gratiam congregata, communicato conſilio Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum atque Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & Electos honorari præcepimus: & diem depoſitionis ejus cum gaudio ſollemniter celebrari. Veſtra itaque, Filii cariſſimi, intereſt, ita ejuſdem Confeſſoris obſequiis ad honorem Dei omnipotentis addictos exſiſtere, ita matris noſtræ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decreta veneranda ſervare, ut locus veſter tam apud Deum, quam apud homines, laudem & gloriam mereatur, & veſtra devotio æternæ vitæ præmia adſequatur. Data Laterani 13. Kalend. Maji.

2. *Innocentii litteras promulgavit Joannes Vvirtziburgenſis Epiſcopus, inſtituto feſto S. Sturmii cum largitione Indulgentiarum anno 1439. litteris datis in hunc modum.*

JOANNES *Dei & apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Herbipolenſis, dilectis nobis in Chriſto filiis in Fulda, Hunefeld, Raſdorſf, Salmunſter, Borſla, Hamelburg, Bruckenavv, Geyſa, Vache, Lengefeldt, Saltzungen, Herbſtein, Luternbach, & Siltz, necnon & aliis per diſtrictum & juriſdictionem Monaſterii & Archidiaconatus Fuldenſis Plebanis & Viceplebanis, ceteriſque Clericis ac opidanis, incolis opidi Fuldenſis, ceteriſque utriuſque ſexus hominibus, in opidis, locis, & villis, dominio temporali Monaſterii Fuldenſis Ordinis S.* BENEDICTI *noſtræ diœceſi ſubjectis commorantibus, ſalutem in Domino ſempiternam.* Ad ea per quæ divinus noſtris diebus augmentetur cultus, pervigili cura ſollicitaque meditatione, quantum honeſtum, decens & congruum eſt, libenter intendimus, eiſdemque noſtrum favorem, auxilium & auctoritatem libenter impertimur. Quoniam Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM in Sanctis ſuis laudare teſtante Pſalmiſta jubemur, Pſalmo ultimo, *Laudate Dominum de cœlis*, &, *Glorioſus Deus in Sanctis ſuis, & in majeſtate mirabilis*; cujus ineffabilis altitudo providentiæ nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti judicii cenſura, cœleſtia pariter & terreſtria ordinat & diſponit. Qui Deus etſi cunctos ejus miniſtros magnificat, altiſque decorat honoribus, & cœleſtis efficit beatitudinis poſſeſſores; illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit inſigniis dignitatum, & præmiorum uberiori proſequitur retributione, quos digniores agnoſcit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sicque alma mater Eccleſia, ejus ſacra veſtigia inſequens & exemplo ducta laudabili, licet univerſos in regno cœleſti conſtitutos ſtudiis honorare ſollicitis, & honoris efferre præconiis non deſiſtat; glorioſiſſimos tamen Apoſtolos, Evangeliſtas & Confeſſores Fidei principes & athletas Dei electos, qui viventes in carne, ipſam Eccleſiam ſublimiter ſuis ſanctiſſimis diſciplinis erexerunt & illuſtrarunt, ipſamque ſuis moribus & virtutibus veluti lucernæ ſuper candelabrum in domo Domini poſitæ, errorum tenebris profligatis decoraverunt, ac ipſorum decoris ſermonibus & actibus ampla ipſius catholicæ Eccleſiæ fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & glorioſius illuminata coruſcat, & tamquam ſidus irradiat, ſummis attollere vocibus, & laudibus perſonare præcipuis, & ſpecialibus diſponit honoribus venerari. Sedis apoſtolicæ etiam circumſpecta providentia, quæ actibus intenta ſalubribus, & operibus expoſita pietatis, libenter & ſollerter exſequitur, digne præmiſſa conſiderans, & debita meditatione perluſtrans, ad divini nominis honorem, gloriam & exaltationem catholicæ Fidei, animarum fidelium ſalutem, eoſdem in Eccleſia univerſali honorificentiæ potioris impendiis judicavit attollendos, ut ab ea tanto propen-

Digitized by Google

penſius honorari ſe ſentiant, quanto ipſam præ ceteris extollentius illuſtrarunt. Verum quia olim fœlicis recordationis ſanctiſſimus in Chriſto Pater INNOCENTIUS Papa ſecundus, auditis laudabili vita, virtutibus & meritis multifariis, quibus beatus STURMIUS Abbas Monaſterii prædicti Fuldenſis varie redimitus & exornatus; quique plura opera ſancta, in Dei Eccleſia, & præſertim Fuldenſi Monaſterio & circumjacentibus terris perfecit, & de omnibus prædictis informatione, ſub atteſtatione fide dignorum recepta, in Synodo plenaria Romæ apud Eccleſiam Lateranenſem celebrata, fretus deſuper conſilio Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum, eumdem beatum virum inter Sanctos & Electos Dei honorari, atque diem ſui obitus 17. Decembris, ipſo die ſancti Ignatii Epiſcopi & Martyris, cum gaudio ſollemniter, ob omnipotentis Dei & ſanctæ matris Eccleſiæ honorem, per ſuam bullam celebrari & feſtivari præcipit; quam nos ſanam, integram, non vitiatam, non cancellatam; ſed omni prorſus vitio carentem vidimus, & in noſtris manibus habuimus, cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis: Innocentius, &c. *ut ſupra*. Nos igitur piis ducti conſiliis, digniſque ſtudiis, motivis & rationibus excitati atque moti, dignum, decens & congruum valde judicantes, ut quos Rex regum, Dominus dominantium honorare dignatur, eiſdem ab hominibus devota reverentia merito in hac valle impendatur; & præcipue in mente revolventes, quod in Eccleſia & Monaſterio Fuldenſi prædictis, dies obitus præfati beati viri Sturmis ſub duplici officio celebratur, feſtivatur, & veneratur; & membra a capite, ſubjectos a ſuperioribus ſuis non liceat neque honeſtum ſit diſcrepare & diſcedere; immo in his quæ ſancta & honeſta, & pro ſulute animarum per ſanctos Patres edita pie noſcuntur, debeant & teneantur ſequi & ſe conformare; vos omnes & ſingulos tamquam Fidei Chriſtianæ zelatores rogamus, ne notam perfidiæ alicujus incurratis, & in Domino JESU-CHRISTO exhortamur & vos invitamus, & quantum valemus præcipimus, ut ſingulis annis ſollemniter & devote hanc diem obitus beati Sturmis primi Patris veſtri & Abbatis Eccleſiæ Fuldenſis, dominæ veſtræ in temporalibus, venerari, feſtivare & celebrare non tardetis. Quin immo, primis Veſperis, Miſſæ ſollemni, & aliis officiis divinis ſollemniter peragendis, ipſo die obitus ſancti Sturmis, cum orationibus veſtris, eleemoſynis & aliis piis miſericordiæ operibus, interſitis, Et ut eo ferventius & facilius inclinari ad colendum, celebrandum & feſtivandum ipſum feſtum valeatis, quo uberioribus donis ſpiritualibus vos refectos conſpexeritis, animare vos volentes; omnibus vere pœnitentibus, qui hanc diem celebrare, feſtivare & venerari ſtuduerint, & ſedulas orationes effundere, & largitiones pias facere curaverint, & divinis officiis interfuerint, in remiſſionem omnium ſuorum peccatorum, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum Kiliani & ſociorum ejus Eccleſiæ noſtræ Herbipolenſis Patronorum ſuffragiis in Domino confiſi, quadraginta dies indulgentiarum de injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Si quis vero hanc paginam violare præſumpſerit, omnipotentis Dei maledictionem, & beatorum Kiliani & ſociorum ejus & noſtram indignationem ſe noverit incurſurum. In quorum omnium præmiſſorum robur, firmitatem & teſtimonium hanc litteram noſtri ſigilli muniminis appenſione juſſimus communiri. Datum & actum in caſtro noſtro montis Mariæ Virginis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo nono, die dominica, quæ fuit penultima menſis Novembris.

AN.CHR. 779 17. Dec.

3. *Sancti Sturmii reliquiæ hactenus in Fuldenſi Eccleſia adſervantur, caput quidem ſeorſim argentea in effigie, ceteræ fere partes in loculo peculiari, quas anno 1613. die Martii 12. inſpexiſſe ſe adſirmat Brovverus, quum in gratiam Sereniſſimi Ducis Bajoariæ Vvillelmi aliquot Sanctorum tumbæ reſeratæ ſunt. Addit Brovverus obſervatum a ſe, hujus Sancti corpus prægrandibus fuiſſe contextum oſſibus, quorum complura ex templi ruina apparebat exportata.*

Digitized by Google

CIRCA AN. 780 25. Febr.

VITA SANCTÆ WALPURGIS ABBATISSÆ HEIDENHEIMENSIS IN GERMANIA,

Auctore WOLFHARDO Presbytero Haſenrietano ſub finem ſæculi 9.

Ex tomo 4. antiq. Lect. Caniſii & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Valpurgiæ.

1. SANCTA WALPURGIS, ſeu Walpurga, aliis Walburgis Galburgiſve, Abbatiſſa Heidenheimenſis, diſtinguenda eſt tum a Vvalpurge Virgine Vveſtfalica Cœnobii Hereſienſis ſeu Nienbeerſenſis, de qua in Actis S. Remberti Bremenſis Archiepiſcopi Sæculo ſequenti; tum a S. Werburga Vulferii Merciorum Regis & S. Ermenildæ filia, nonnullis Vvalpurga dicta, cujus Vitam ſuperius exhibuimus ad ann. 715. Hæc de qua hoc loco agere inſtituimus, plures meruit ſcriptores, qui ipſius rebus geſtis deſcribendis & illuſtrandis contulerunt operam, præter auctores qui de SS. Vvillibaldo & Vunebaldo ipſius fratribus ſcripſerunt.

Vitæ hujus ſcriptores.

2. Primus occurrit, non S. WILLIBALDUS ipſius frater, a Centuriatoribus deſignatus, cujus tamen nullum de S. Vvalpurga reperitur monumentum; ſed WOLFHARDUS Presbyter Monaſterii Haſenrietani ſeu Haſerenſis Ordinis S. Benedicti in diœceſi Eiſtetenſi, conditi a Carolo Magno, quod poſtea Arnulfus Imperator ad ſæculares Canonicos tranſtulit. Scriptionem ſuam Vvolfhardus nuncupavit ERCHANBALDO Eiſtetenſi Epiſcopo ab anno (ut ajunt) 884. ad 902. cui ſcriptioni poſtea tres libros miraculorum adjecit, promiſſo inſuper Dialogo de S. Vvalpurge in libri 4. Præfatione, quem an compoſuerit, dubium eſt. Secundus Auctor ADELBOLDUS, anno 1008. ordinatus Trajecti inferioris Epiſcopus, teſte Vvillelmo Heda in lib. de Ultrajectinis Epiſcopis. Tertius MEDIBARDUS ſeu Medingaudus, obſcuri nominis & temporis Poeta, ſanctæ Vvalpurgis geſta rhythmice celebravit, cujus hic verſus in ſua Præfatione:

Proſam Vvolfhardus, rhythmum fecit Medibardus.

Quartus ADELBERTUS Abbas Heidenheimenſis eadem perſtrinxit in ſua Relatione hiſtorica, de qua egimus in Vita S. Vunebaldi ad ann. 771. Quintus Philippus ex Abbate Bariſienſi Ordinis Ciſtercienſis creatus Epiſcopus Eiſtetenſis anno 1306. His auctoribus ſuccedunt Sanctimoniales Cœnobii S. Vvalpurgis intra muros Eiſtetenſes, quæ ex aliorum lucubrationibus epitomem fieri curarunt, arte impreſſoria, ſtilo vero, ordine & forma ex originali antiquiſſimo libro ſui Monaſterii, non nova cupientes, ſed vetera ad plurimorum memoriam reducere cupientes: cum plerumque apud Cœnobium S. Vvalpurgæ Ordinis almi Patris S. Benedicti, in quo corpus ejuſdem virginis S. Vvalpurgæ requieſcit, Legenda & Vita ejus ſine numero expoſtuletur. Hanc Vitam cum libris quatuor miraculorum a Vvolfhardo ſcriptis anno 1594. typis mandavit illuſtravitque Petrus Stevartius Doctor Leodicenſis, Eiſtetenſis Academiæ Præfectus. Eamdem cum aliis tum a Caniſio, tum a Gretſero vulgatis recenſuit & commentariis eruditis explicavit Godefridus Henſchenius in Bollandiano Februario, quibus Lectiones de S. Vvalpurge legi ſolitas in nonnullis Eccleſiis adjecit. Nos unum Vvolfhardum hic exhibemus, omiſſis quibuſdam hinc inde miraculis: qua de re Lectorem admonuimus ſuis locis. Alia qui volet, adeat Bollandum ad 25. Febr. apud quem ceteros Auctores reperiet præter Adelberti Relationem, quæ apud Gretſerum lib. 2. Obſervat. in Vitam Vvillibaldi edita eſt. Legat etiam Stevartium, legat & Joannem Spagnolium Doctorem Theologum Cœnobii Remigiani apud Remos nuper Archipriorem qui S. Vvalpurgis Vitam gallice edidit.

Memoria.

3. Celebris fuit memoria S. Vvalpurgis ſæculo 9. ut conſtat tum ex ipſius reliquiis varia per loca diſtributis, tum ex Oratoriis ipſi dedicatis: de quibus in Appendice ad Vvolfhardum agemus; tum denique ex ipſius miraculis apud Eiſtetenſes, Movvenheimenſes & Tilenſes in Ducatu Gelriæ: cujus rei argumenta præſtat Vvolfhardus & epiſtola duplex Cuſtodis Tilenſis ad ADELBOLDUM Trajectenſem Epiſcopum ab anno 1008. ad 1027. in quibus epiſtolis apud Bollandum editis varia S. Valpurgis miracula Tilæ facta commemorantur.

4. Quæ deſunt hiſtoriæ S. Vvalpurgis, ſupplenda ſunt ex Actis ſanctorum Vunebaldi ad annum 771. & Vvillibaldi ad annum 781.

PRÆ-

Digitized by Google

CIRCA AN. 780 25. Febr.

PRÆFATIO AD ERCHANBOLDUM Epiſcopum.

DOmino *beatiſſimo Deoque vere digniſſimo* ERCHANBALDO *Pontifici*, WOLFHARDUS *Presbyter ſuus*, *in ipſo qui eſt via & veritas & vita*, *viam*, *veritatem & vitam depoſcit invenire*. Exigis a me, Pater per ſæcula memorande & Præſul nominatus in orbe, ut ſigna atque portenta quæ per opinatiſſimam nunc in ſæculo Chriſti virginem WALPURGAM noſtris temporibus divina peregit clementia, cura diligentiſſime indagata ad laudem & nomen vivificæ Trinitatis, necnon ad excitandos animos dominicæ plebis, prout eadem contulerit liberalis & deifica Trinitas, ſedulus adnotare decertem. Gravis ſiquidem gravi ſcelerum pondere prægravato a te mihi imponitur ſarcina: quoniam peccatis obnoxio horrendum eſt tractare de ſacris, & miſcere aliena non propriis. Verum quoniam, glorioſiſſime Pontifex, virum deſideriorum te fore comperio, & cum Daniele Propheta ſemper nova de abditis indagare curioſius cerno; artor nimis, & immenſis circumquaque ſeptus anguſtiis quid eligam penitus ignorans, primum oppilatam pudore mentis faciem obfirmo; quoniam indignum me eſſe non ambigo: dein obedientiæ normam primam humilitatis adſpiciens formam, ſi jubentis dicta ſuperba aure contemnam, timeo ne legem prævaricationis incurram: tum ad memet clavum retorquens, imperitiæ infirmitate langueſco; inde imbecillitati, necne ſcrupuloſitati meæ vires haud proprias, ſed olympiacas objicio. Rurſus, ſi aggredi, licet trepidus, pertentavero, ne a lectore philocompica [a] noter infamia; perhorreſco, dum omiſſis philoſophicis ac præclaræ indolis viris, qui in Prophetiis calami nomine deſignantur, ego qui nec viridis junci extimo vocabulo mereor titulari, incomto arduum opus exordiar ſtilo: & dum mundialium plurimorum indomita ſuperbia quæ Sanctorum vias ac vitas calce proterit petulanti, & mira eorum ſi qua audierit, pediculoſa aure percipit, audiens me inaudita, & tamen veraciſſima in patulo proferre prodigia, canino incipiat dente corrodere, & veriſſimis falſa præferre. His atque aliis innumeris vallatus anguſtiis, quia ſum refertus contagiis acſi ericius ſpinis, ut verbis Salomoniacis loquar, frequentiva meditatio mentis meæ eſt afflictio carnis. Quocirca ad arcem confugiens, his verbis clamabo ad Dominum: Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam: ut ipſo adjuvante, cujus ſum licet labiis carnis conditio, juſſionis tuæ perſolvatur exactio. Commendo ergo me iterum atque iterum meritis Virginis & tuis, Pater, precibus indefeſſis, quo mihi eundi impetrent callem, & felici itinere perducant ad calcem. Eccl. 12. 12.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. DE *origine* S. WALPURGIS *Virginis*.
II. *Qualiter B. Vvalpurgis poſt obitum fratrum ſuorum Abbatiſſa facta eſt*.
III. *De eo ubi lux cœleſtis emicuit in diverſorio Virginum*.
IV. *De eo ubi Virgo Chriſti moribundam puellam ad vitam reparavit*.
V. *Ubi B. Vvalpurgis migravit a ſæculo*.
VI. *Ubi apparuit* OCCARIO *Epiſcopo*.
VII. *Ubi fines Eiſtatenſes adiit*.
VIII. *Ubi apertum eſt mauſoleum Virginis*.
IX. *De eo ubi caducus Reliquiis Virginis obviavit*, *& curatus eſt*.
X. *De alio caduco curato*.
XI. *De Abbatiſſa* LIUBILA *podagrica*.
XII. *De quodam a nativitate contracto*.

[a] Id eſt faſtuoſa κόμπος factus, φιλόκομπος faſtuoſus. Lege carmen Fridegodi de rebus geſtis S. Vvilfridi ad annum 709.

CIRCA AN. 780 25. Febr.

XIII. *De cereo cœlitus illuminato.*
XIV. *De matre & filia curatis.*
XV. *De muliere paralytica curata.*
XVI. *De quodam claudo curato.*
XVII. *De muliere cujus crus confractum eſt.*
XVIII. *De ſex ſignis in una muliere factis.*
XIX. *De muliere curva & erecta.*
XX. *De quodam faſtidioſo curato.*

INCIPIT VITA.

CAP. I. IGitur poſtquam felix gens Anglorum per apoſtolatum memorandi Papæ GREGORII, qui, etſi non aliarum gentium, ipſius tamen & eſſe Apoſtolus meruit, & dici, ab infidelitatis tenebris eruta pium nomen Chriſti & Chriſtianitatem cœpit amplecti; quaſi fructuoſæ arboris radix ad humorem gelidi marmoris ſurculata emiſit propaginem, & acſi ex ſurculo primæ & originariæ juventutis in fide, maximam crevit in arborem, miniſtrante illi viredinem evangelicæ fluento doctrinæ. Ex hac multæ ſubductæ increvere, ut ſe Oceani pelagus tranſponentes, & miro germine pullulantes, noſtris efficerentur ſaltibus altiores. Hujus eminentis arboris ramus beatus exſtitit BONIFACIUS, orthodoxus Antiſtes, qui ob fidei cunctis imitabile meritum fines patrios & dulcia rura poſtponens, dum ignotum exſulando adiit callem, ſummi Pontificii Magontiæ infulatu ſuſcepto, alienam in nobis quaſi propriam cœpit habere tellurem. Ejuſdem floridæ atque frondoſæ arboris Britannicæ rami ad nos uſque exſtitere protenſi duo beati cum caſtiſſima ſorore virgine Chriſti WALPURGA Chriſti Confeſſores WILLIBALDUS & WUNEBALDUS, qui ſimiliter ob amorem cœleſtis patriæ peregrinari cupientes, ipſum qui peregre profectus eſt in regionem longinquam, accipere ſibi regnum & reverti, & ipſi præcincti lumbos caſtitatis tegmine, lucernas bonorum operum in manibus portantes, ſecuti ſunt Regem. Quorum prior poſt multam tenuis corporis macerationem, qua ſe per multa diverſarum regionum afflixerat ſpatia, obedientiali norma ſibi ingeſta, ordinante eum prælibato piæ memoriæ Antiſtite Bonifacio, Pontificii pervenit ad culmen, & Eiſtatenſis Eccleſiæ Paſtor fidelis ſortitus eſt gregem: ibique cœleſtem & angelicam inter homines vitam ducens, veniente hora dominicæ vocationis, oves quas rexerat, ſummo Paſtori ſalutari Domino conſignavit, & ad ipſum mercedem recepturus ſine beatiſſimo evolavit. Alter vero totum ſe Chriſti ſervitio mancipans, mundana omnia corde liquidiſſimo reſpuit, & locum qui dicitur *Heidenheim*, ſibi ad incolendum delegit, ibique oratione ſe munivit, ſpe roboravit, fide armavit; & eamdem, quam cum fratre ſuſceperat monachicam vitam, ſtrenue bajulavit, multoſque ad bene vivendi regulam prævius invitavit. Deinde, cum tempus ſupernæ remunerationis advenit, cœli januas jam ſecurus intravit, molemque exterioris hominis in prælibato Heidenheimenſi loco condendam reliquit, in ultima dominici examinis die ipſam & non aliam cum Sanctis aliis recepturus. Tum ille, quem ſuperſtitem hac dimiſit in vita, Vvillibaldus ſcilicet Præſul egregius, quem propter ſacroſancti ſui Præſulatus apicem fratri in ordine ſcribendi prætulimus, licet poſt fratris beatiſſimum finem aliquantos vixerit annos; germani proprii corpus exanime cura diligentiſſima condere curavit, &, ut dignum tanto viro fuerat, peregrinum jam a ſæculo & civem Angelorum cum hymnis & canticis ſepelivit.

II. Hactenus memoriam beatorum germanorum, Vvillibaldi ſcilicet & Vvunebaldi, paullulum exarando percurrimus; ut ſciret plebs Chriſto devota, viros cœleſtis militiæ & angelicæ vitæ, unius ejuſdemque meriti habuiſſe ſororem, Vvalpurgam videlicet ſponſam Chriſti & virginem. Nunc quia ad eamdem ipſa patrocinante calamum flectere nitor, de his ſatis dixiſſe ſufficiat.

ficiat. Poſt diſceſſum igitur beati Vvunibaldi miræ ſanctitatis viri, Vvalpurgis virgo imitabilis pie viventibus, univerſis collectis Sanctimonialibus vere quibus potuit Chriſto devotis, in loco prænominato *Heidenheim*, dominicis inſtantiſſime incœpit inhærere mandatis, relictis atque calcatis mundialibus omnibus rebus ceteriſque plurimis ac innumerabilibus iſtius mundi tranſitoriis pompis. Noctibus igitur atque diebus in oratione perſiſtens, vigiliis atque jejuniis ſemper incumbens, caſtum a primæva originis viredine corpus cuſtodiens, ſeipſam totam Domino commendabat attentius, ut quam munierat fide, caſto conſervaret & corpore: ſicque Dominum protectorem ſemper in cunctis operibus ac prævium habuit, & quodcumque petiit, impetravit. CIRCA AN. 780 25. Febr.

Contigit namque ut in ipſo quod frater ejus edidit Monaſterio *Heidenheim* dum ipſa Chriſto ſedulo ſerviens moraretur, & peracta veſpertina ſynaxi, revertente ipſa de Eccleſia ad ſolitum diverſorium, noctem proximam cœcæ tenebræ minarentur, ac quidam cuſtos ejuſdem Eccleſiæ nomine GOUMERADUS, lumen prævium ſtolidus negaret petenti; illa, ut eſt mos ſanctarum mentium, injuriam ſibi illatam patienti animo geſtans, Sanctimonialibus, prout ratio dictaverat temporis, menſam cœnandi gratia adeuntibus, incœnata lectiſternia petiit: tum mirum in modum in communi earumdem Sanctimonialium dormitorio tanta lux uſque ad pulſum matutinalis officii coruſcavit, ut eadem præ nimietate ſui fulgoris terræ intima penetrare videretur. Stupentibus itaque quæ viderant ſacratis Deo univerſis & præ gaudio exſultantibus cunctis, ad matrem Vvalpurgem convenere devote, & viſum lucis terrificæ narravere: At illa ſe totam convertens ad Dominum, lacrymis fuſis iſtam prorupit in vocem: Tibi, Domine, cui ancilla humilis deſervire decrevi a cunabulis, collato de munere gratias refero, qui ad excitandos famularum tuarum mihi cohærentium animos, me indignam luminis tui ſolamine viſitare dignatus es, & tetri horroris caliginem craſſam miſericordiæ tuæ radiis evacuaſti: & id non meis meritis valet adſcribi, verum gratuitæ tuæ munificentiæ pietatis, & precibus mei & tui devoti famuli fratris. III.

Præterea virgo memorata & ſemper in ore tenenda Vvalpurgis exitum fratris ſui Vvunibaldi, ut ſexui moris eſt feminarum, graviter pectore gerens, contigit, ut quadam veſpera, nullo ex Monaſterio vel leniter ſentiente, egrediens ad domum cujuſdam divitis deveniret, & ante fores ejuſdem quaſi peregrina quædam & ignota ſola conſiſteret. Quo dum eam dominus domus ſive familiæ, intrinſecus famulatus officia præbens, ſenſiſſet adſtantem, quæque foret perſona, neſciret; æſtuante patrefamilias cum domeſticis univerſis, ne rabida canum ſuorum audacia, qualiſcumque eſſe videretur perſona, dilaniando diſcerperetur, juſſit ut quæ quidem eſſet, ocius indicaret. Tum illa, Nequaquam, inquit, me tui, quod vereris, canes inſano dente contingere quibunt, nec Vvalpurgam (ſic enim nuncupor) mordere valebunt. Ipſe nempe, qui me ad domum tuam perduxit incolumem, ad locum unde veni reducet valentem; & qui me ad tuum te ignorante pertulit atrium, ipſe domui tuæ medicinæ conferet donum, ſi totis viribus eumdem credideris Medicum medicorum. Quo audito, vir illuſtris a loco, quo ſederat, illico proſilivit, & animo conſternatus, quare ad oſtium nobilis perſona & omnipotentis ancilla conſtiterit, requiſivit. Illa vero non ſine cauſa ſe veniſſe adſeruit. Tum vir memoratus cum omni veneratione eam in domo excepit, & omnem famulatum debitæ ſervitutis exhibuit. Ubi ventum eſt ad noctis moras ſoporis ſilentio temperandas, ſacram Virginem non alicubi pauſare volentem in cubiculum languentis filiæ trepidus introduxit: erat enim languor cordis jam penetrans fibras, & intercepto vitalis flatus anhelitu, mortis compendium parato itinere portas oris hiantis adire tentabat. Tum pater ejuſdem puellæ labiis palpitantibus mugiens ejulabat, & natæ cariſſimæ amaris lacrymis IV.

CIRCA AN. 780 23. Febr. funebria præparabat. Mater vero intimo cordis arcano jam pene præmortua, & pendula in planctu, voce dimiſſa exhalantis filiæ opperiebatur egreſſum, cui jam luctuoſa familia paraverat buſtum. Verum Domini clementiſſima miſeratio qui occidit & vivere facit, percutit & ſanat, a morte minaci languidam revocavit, & orante per totam noctem Virgine ſancta in craſtinum puella ſana ſurrexit. Quo parentes viſo miraculo laudes omnipotenti Deo reddiderunt. Dein ei plurima xenia adhuc tremuli offerentes, & ex aſſe ejus ſe ſanctis orationibus commendantes; illa Chriſtum mira gerentem habens, pecuniam reſpuit, & ad Monaſterium unde venerat repedavit: & quanto magis divinam in ſe clementiam vigere conſpexit, tanto ad artioris vitæ ſe gradus extendit.

V. Hæc duo tantum præclara miracula quæ Virgo beata peregit in vita, huic inſerere dignum putavi opuſculo, quæ noſtram ad memoriam pervenere, ne ad alia quæ hactenus Dominus per eam operatus eſt, & operatur quotidie ſignorum prodigia, ipſo Domino largiente fideliter tranſiens, eadem omiſiſſe culparer. Stultum nempe videtur rei veritatem a calce narrando incipere, & ſic ad titulum capitis pervenire: ideoque prius acta ſtilo currente deſcripſi, ut ſequentia Virginis interceſſionibus etiam valeant adnotari. Dum igitur ſacra virgo VValpurgis totam ſe in Dei amore firmaſſet, & mundum cum ejus concupiſcentia ſuperaſſet, fide plena, moribus inſignis, charitate referta, ſapientia decorata, caſtitate gemmata, miſericordia redimita, humilitate fulcita, & omnibus virtutibus adornata, vocanti Domino, mortis accepto compendio, acceptura remunerationis præmium obviavit, & ex hujus mundi lacrymoſa voragine felici fine deceſſit *a*, & in eodem quo in ſancto propoſito Chriſto ſervierat Monaſterio, haud ſine maximo lamentantium ejulatu, officium ſepulturæ mortalis accepit. Ibidem ergo aliquantum corporis a compaginatione quieſcens, ſuis, quos ſuperſtites in mundo reliquit, beatis interceſſionibus auxilium præbuit, & ut mater filios educavit.

VI. Parvo denique interjecto tempore, quo ſacræ Virginis cineres in eodem loco tellus avara retinuit, contigit decedentibus prioribus ejuſdem Eccleſiæ Paſtoribus, OTKARIUM *b* venerabilem virum Eiſtetenſem cathedram meruiſſe. Qui dum minus quam depoſceret honeſtatis ratio, idem Monaſterium quo beatæ Sanctimonialis oſſa tegebantur, excoleret; quadam nocte corporis quiete ſopitum, dum terræ ei tenebræ ſilentium miniſtrarent, hujuſmodi eum alloquio Virginem compellaſſe narratur: Cur, inquit, OcKari, qui Præſul dici & eſſe meruiſti, domum Dei in qua corporis ſopore quieſco, & ſepulcrum in quo carne repoſita ultimum judicii diem exſpecto, inhoneſte hactenus tractare voluiſti? Nam ſervorum huc coeuntium lutulentis pedibus quotidie calcor, & indecentibus veſtigiis premor. Sciens igitur ſcito, quoniam tale aliquod indicium pandam, quo non recte te erga me & domum Dei egiſſe comperias. Sed ſi reum te fore cognoveris, veniam merearis. Quod modico explicito tempore rei probavit eventus. Nam ſtatim in proximo, dum erecti eſſent parietes ejuſdem fabricæ prominentes, & trabium ſpatioſa compago ſequenti die patentibus muris deberet apponi; ſubito facto jam noctis ſilentio, murus aquilonaris terratenus ſeſe revolvens, præcipitium egit horrendum, terroremque haud nimium tam domeſticis curæ familiaris, quam cunctis circumquaque manentibus inauditum incuſſit.

Facto

---

a Nimirum 5. *Kal. Martii hoc eſt in craſtino S. Matthiæ Apoſtoli*, inquit Philippus Eiſtetenſis Epiſcopus tum in ipſius Vita, tum in Actis S. VVillibaldi cap. 31 & quidem ante S. VVillibaldum, a quo juxta S. VVunebaldum eccleſiaſticæ ſepulturæ commendata dicitur; anno proinde circa 780. Lege Appendicem infra.

b Otkarius ſive Otgarius, Otgerusve, ſextus Eiſtetenſium Epiſcopus, in catalogo Epiſcoporum Eiſtetenſium Democharis, Bruſchii, & Gretſeri dicitur S. VValpurgam cœlitum numero adſcripſiſſe conceſſu & juſſu Hadriani Pontificis: qua de re infra in Append numero 1. Otkarius Eiſtetenſi Eccleſiæ præfuit medio ſæculo 9. Henſchenius in Commentario prævio ad hanc Vitam, num. 24. arguit Democharem, Bruſchium & Gretſerum, qui Otkarii pontificium ab anno 858. ad 881. definiunt, quod Otgarius jam Epiſcopus anno 848 interfuerit Synodo Moguntinæ: ita ut vix ad annum 870. pervenerit, ſi annos dumtaxat 23. rexit Eccleſiam Eiſtetenſem.

Digitized by Google

Facto autem mane cum ad hujuſmodi ſpectaculum omnes pavidi conveniſſent; cuſtos qui tunc ibidem REINFRIDUS inerat, calle directo prælibato Præſuli tremulis labiis nuntiavit. Qui intelligens viſionem quam prius in ſomnis viderat, eſſe completam, cum ſuis illo uſque tetendit, atque cum omnibus pene comprovincialibus Eccleſiam repolivit, quam etiam ſacro chriſmate dedicavit. Dein cum in orbem tranſiſſent dies, memoratus Antiſtes Archypresbyteros WLTONEM & ADALUNGUM illuc ſedulus deſtinavit, OMMONEM quoque cum Sanctimoniale LIUBILA ex Monaſterio *Movvenheim* a cum eis abire præcepit, ut ſacros cineres Virginis cum ſumma diligentia elevarent, ac cum hymnis ac pſalmorum concentibus ad Eichſtatenſe Cœnobium deportarent. Hi vero juſſa felicia proſpero itinere complentes, reſonantibus in cœlum campanarum melodiis & concrepantibus undique canorum ſpiritualium euphoniis, pia viſcera rure in quo hoſpitata fuerant, flentes præ gaudio extulerunt, & ad jam dictum Monaſterium *b* devexerunt. Quod factum eſt 11. Kalendas Octobris. Ea vero cum debito honore illo delata, diebus interjacentibus ternis, corpus ſanctum Wunibaldi Confeſſoris egregii ad locum eum unde Sororis tulerat cineres, idem Antiſtes reportari præcepit, id eſt 8. Kalendas Octobris. CIRCA AN. 780. 25. Febr.

Poſtquam autem B. Walpurgis fines Eichſtatenſes per ſemetipſam viſere dignata eſt, & fratris rura reviſens, ab omnibus gaudenter excepta; contigit volvente temporum climate, ut memorata Sanctimonialis Liubila a propinquis & affinibus, necnon & ab aliis circummanentibus ita foret artata, ut etiam vi ſive ingenio a materna eam prope expellerent hereditate. Verum illa totis viris reluctante, incidit ei divinitus ſalubre mentis conſilium, ut a venerabili ERCHANBOLDO Pontifice, qui adhuc Eichſtatenſis ſedis infula decoratur, ſanctas Virginis Reliquias licet anxia poſtularet: ut ſi divino munere concedente ejus mereretur ditari cineribus ſanctis, proprii ſolatia juris Deo & Virgini conſignaret, & in manu Pontificis donativa in perpetuum traderet. Quod quia a Deo ſumſit initium, ab ipſo finis meruit obtinere augmentum. Et licet prius tentando difficillimum videretur, felix tamen & deſiderabile votum felicem ſumſit effectum. Accepto præterea idem Epiſcopus ſuper hoc negotio Regis & regalium virorum conſilio, Virginis patrocinia *c* ſancta ſe daturum eſſe promiſit: quod & opportuno poſtea tempore fecit. VIII.

Anno ab incarnatione Domini noſtri JESU-CHRISTI octingenteſimo nonageſimo tertio, Indictione tertia, regnante felici proſperitate ARNULFO ſereniſſimo Rege, apertum eſt mauſoleum B. Vvalpurgis Virginis in Baſilica, in qua locata fuerat tempore Otkarii Epiſcopi. Mittens igitur prudentiſſimus ac ſagaciſſimus in omnibus negotiis Erchanboldus Epiſcopus religioſos Archipresbyteros cum aliis boni meriti ſuos, oſſa dicata ſacræ Virginis juſſit exquiri, & inventa diligenter attrectari, ſummaque cum reverentia partita recondi, ita ut optatæ diu Reliquiæ darentur Liubilæ, & theſaurus ejuſdem corporis per ſæcula ſuæ ſervaretur Eccleſiæ. Hi denique, ad quos juſſio pervenit Antiſtitis, eamdem ocius licet ſimplici corde titubantes accelerare curarunt. Cumque ſe totos dominicæ miſerationi committerent, & in pſalmis & hymnis ſine ceſſatione perſiſterent; fodientes invenerunt cineres amplectendos beatæ Matris noſtræ Vvalpurgis, quaſi lympha tenui madefactos, ut quaſi guttatim ab eis roris *d* ſtillæ extorqueri valerent. Qui licet tanta eſſent humiditate referti, nec pulviculus tamen manibus contrectantium quoquo pacto valuit adhærere. Sublata demum pro qualitate incomparabilis theſauri deſiderantiſſima portione, reliquum loco reſtituerunt ſuo. Quis vero mœror, quæve angoris triſtitia Ei- IX.

a *Movvenhim* ſeu *Mouhim*, modo civitatula ſub ditione Comitis Palatini Neoburgici, non procul Vvendinga Bajoariæ & Pappenhemio: cui Monaſterio præerat *Leubila*, Philippo *Neubila*.

b In Eccleſiam S. Crucis, quæ poſtea S. Vvalpurgis dicta eſt, uti in Appendice videbimus.

c Sic paſſim Sanctorum Reliquias appellant Auctores mediæ ætatis.

d Stillicidium hoc, ut vocant, ſeu oleum ſanctæ Vvalpurgis ex ſacris ipſius reliquiis hactenus emanare dicitur, infra in Appendice num. 3.

CIRCA AN. 780 25. Febr. ſtatenſes invaderet cives, cum tanta pignora partirentur, putantium dominam Vvalpurgam ſibi penitus ablatam; qui verum agnoſcit ut veritas poſcit, veriſſimus fateatur. Ego autem illis qui neſciunt, ut & populares ignari videntur, verba conſolationis impendo, dum tantum Reliquias eſſe ſublatas vera ratione confirmo. Hæc ita geſta ipſe mihi ſcribere deſideranti narravit, qui terribili huic rei dum ageretur interfuit, & datas Reliquias apto lucello recondidit.

X. Interea dum tanta optata muneris patrocinia cum magna exſultantium gloria deferrentur ad jam dictum locum Monaſterium puellarum *Movvehim*, ubi ventum eſt ad villam S. Bonifacii quæ dicitur *Mulinheim*, quidam caducus puer onerato ſacro pondere feretro obviavit, & ſub eodem poſitus, ipſam quam quæſierat ſanitatem recepit. Tunc ſubito, ut commeantes hodieque fatentur, tanta vis in eodem loco fragravit odoris, ut nares portantium, præeuntium, & ſequentium feretrum vix ferre potuiſſent. Eodem die priuſquam Eccleſiam ad quam ferebantur Reliquiæ Virginis inferrentur, parvulus quidam, nomine Rudolfus, qui adhuc vita incolumi reſtituta tripudiat, eadem quam ſupra taxavimus paſſione quaſſatus, & a matre illo uſque perductus, dum feretrum attigit, omnium membrorum ſanitatem recepit, & ad domum unde venerat hilaris recurrit.

XI. Poſtquam vero ejuſdem Virginis xenia ſacroſancta in Baſilica quæ ſita eſt in honorem Opificis & Salvatoris Domini noſtri JESU-CHRISTI, cum populi laude plenaria ſunt ſuper altare *a* locata; nocte ſequenti dum memorata Sanctimonialis Liubila, quæ in iſto Monaſterio tunc erat, & adhuc permanet Abbatiſſa, cum aliis Deo ſacratis feminis in ipſo opido propter traditionem quam fecerat B. Vvillibaldo jure hereditario ejuſdem Monaſterii, ſicut lex Sualaveldica *b* continet, moratura tribus in domo extranea noctibus ſopori membra dediſſet, gravique incommodo podagræ quateretur; adſtitit ei quidam veneranda canitie Clericus, qui eam ita compellans ait: Liubila, cur dormis? quare non ſurgens ad Eccleſiam pergis? Cui illa, ut hactenus adſerit, ſimilis dormienti reſpondit: Ut quid nunc ad Eccleſiam eundum eſt, cum ſigna matutinalia necdum pulſata ſint? Ego quippe nec illic inceſſu pedum pergere valeo, niſi manibus aliorum delata exſtitero. Qui ait: Vade celeriter, ne moreris, quia B. Vvillibaldus Eccleſiam cum multo agmine petit, qualiter ſanctam ſuam ſororem reconditam habeas, a te curioſe perquirere volens. Quæ ſtatim, acſi nihil incommodi pertuliſſet, exſurgens, & de loco ad locum exſiliens, Baſilicam ad quam tendebat, ſaniſſima ingreſſa eſt, Deoque ſimul grates & Virgini pro adepta ſoſpitate rependit.

XII. Quidam pauper nomine Leibolfus, ex utero genitricis parientis ita contractus & curvus eſt natus, ut quaſi monſtrum aliquod cerneretur a cunctis: qui dum inter plures, qui ad patrocinia Virginis convolabant, in eodem Monaſterio victus pariter & remedii quæreret ſolatium, quadam nocte dum lectiſternia dormiens premeret, beata virgo Vvalpurgis ei per viſum apparuit, & ut ad Eccleſiam pergeret imperavit. Quo reſpondente ſeſe algoris canitiem perhorreſcere, & glaciales injurias formidare, ideoque nec a loco quietis audere ſaltem exſurgere; illa ad eum blandis eloquiis inquit: Vadens vade, miſelle, celeriter, quoniam ego a te illo quo nunc premeris algore deterſo, fervidam membrorum compaginem miniſtrabo, & hujus in recompenſatione mercedis, ſcabella *c* mihi quibus adhuc curvis artubus uteris, donare debebis. Qui licet ſegnis Eccleſiam introivit, & paullulum commoratus, inde ad Hoſpitale, unde venerat, anxius

a Et tamen ſancta Vvalpurgis ob eam cauſam aliquando miracula facere deſtitit, teſtante S. Odone Abbate Cluniacenſi in lib. 2. Collat. cap. 28. infra in Appendice num. 5. Lege Præfationem huic Sæculo præfixam.

b Sualaveldia pagus ſeu tractus, in quo Heidenheimenſe Monaſterium, modo ad Vvirtembergenſem Comitatum ſpectat.

c *Tripedias* vocat infra. *Scabellorum* etiam ſeu *ſcamellorum* meminit Adrevaldus in libro de Mirac. S. Bened, cap. 36. Sæculo 2.

Digitized by Google

xius rediit. Surgente vero optata diei aurora, iterum Baſilicam adiit, & ante feretrum Virginis beneficium accepturus acceſſit. Circa tertiam vero horam ſubito palpitando ſe volutare cœpit & in pavimento reflectere. Cum ecce tripediæ quibus ſua uſus eſt in vita, divinitus e manibus, acſi evulſæ, ante altare projectæ ſunt: ſicque membris omnibus ſolidatis atque erectis, ſtetit & ambulavit, qui prius natibus miſerabiliter repens, prioris vitæ curſum laborioſum impleverat. Idem namque ſanus & valens in miniſterio ejuſdem uſque hodie deſervit Eccleſiæ: ut cunctis liquido demonſtretur, qualis cujuſve meriti apud Deum hæc ſancta ſit Virgo, quæ hujuſmodi & ſimilia impetrare meretur. CIRCA AN. 780 25. Febr.

Hoc igitur patrato miraculo ADELBERTUS Alamanniæ Comes illuſtris illo uſque devotus advenit, cereum non modicum detulit, & altario pronus impoſuit, pro ſe ſuiſque ſuppliciter Dominum & Virginem exoravit; ſicque benedictione petita ad propria remeavit. Suſcipiens autem eamdem candelam Liubila, quia præfato Comiti familiariſſima eſt & cara, candelabro erexit, & inaccenſam tunc forte reliquit. Quarto vero die cœlitus lumen accepit, tribuſque diebus & noctibus in ea lumine perdurante, quarto nemine emungente, extincta eſt. Hora autem qua divinitus *a* comas radiantis ignis adlambuit, videlicet nona, ita ſe ſponte oſtia obſtruxere Eccleſiæ, ut nullus infra duarum fere horarum ſpatii quantitatem patula habere mereretur & pervia. Deinde is qui obſtruxit Chriſtus apparuit, & patentia intrare volentibus fecit. XIII.

Duæ præterea Virginis præſidia requirentes illuc devenere mulieres, mater cum filia, utraque manuum curvedine inhoneſta, de vico qui dicitur Vvemedinga *b*. Hæ dum erectis in cœlum oculis cordis auxilium ab ipſo, qui fecit cœlum & terram, ſupplici devotione depoſcerent, & Miſſarum ſollemnis intereſſent; divina meritis Virginis eis adfuit virtus, & in exordio feſtivi Miſſæ conceptus mater adepta eſt ſoſpitatem, laudans Deum & Virginem. Tum nata parentis dubios in tremulo pectore animos geſtans & fluctivaga mente conſiſtens, ineffabile ei de matris reddita ſanitate tripudium intulit, de ſua vero nodoſa contractione gemebat. Videbat jam ſuam quam natura dederat genitricem obpanſis manibus cœli benedicere Conditorem, verum adhuc in ſe miſellam cernebat regnare curvedinem. Hæc dum ſæpius nutabunda mente reflectens conſiſteret, finito ejuſdem Miſſæ canore, ab ipſo qui ſe initium & finem voluit propalare; & ipſa ſanitatem meruit obtinere. Tunc eadem mater cum filia, Moniales cum Matre Liubila, necnon & adſtans omnis communis ſexus familia, exſultantibus animis cum hymnis & canticis reddiderunt Domino laudes in cœlis, qui ſolutionem tribuit compeditis, & erectionem largitur alliſis. XIV.

Delata eſt ad idem Monaſterium mulier quædam, nomine Reginſvvindis, quæ ipſius eſt vicina Eccleſiæ, ita membris omnibus deſtituta, ut niſi vehiculo, duobus videlicet deferentibus, lacertis inſertis & altrinſecus oneratis, quoquo pacto illo pervehi potuiſſet. Quæ ante altare feretrum adhuc Virginis continens, a ſuis diligenter expoſita, gratam, Vvalpurga interveniente, a Domino ſtatim adepta eſt ſanitatem, & omnes qui interfuere, audierunt Largitori ſalutis eam gratias referentem. XV.

Fuit quidam vir de vico vocamine *Megenshaim* c, nomine Vvolfgerus, qui pedem unum ſuper alterum ita connexum habuerat, ut infra ſeptem annorum lacrymoſum illi circulum ſedens, numquam cibi edulium ſumere potuiſſet. Mirum enim in modum pes vicino & comiti pedi inhæſerat, & reſidendi quietem morbus inſaniens claudicanti negaverat. Is ad jam dictum ſacræ Virginis arciſterium opportuno temporis climate veniens, & non inceſſu pedum ambulando, ſed quaſi cum baculo miſere ſaliendo, ſpatioſa interjacentia rura perluſtrans, totum ſe illius piæ miſerationi contribuit, ſtatimque ſalutem ambulandi recepit. XVI.

Eſt

a Forte *Divinitas*. Sic enim Philippus: *Hora autem qua divina virtus comas radiantis* (ignis) *abſterſit*, &c.

b *Vvendingen*, non inelegans civitas in finibus Bajoariæ, teſte Stevartio.

c Aliis *Magericcbesheim*. Stevartius conjicit legendum *Merasbem* vicum prope *Monheim* in diœceſi Eiſtetenſi.

Digitized by Google

CIRCA AN. 780 25. Febr. XVII. * Franconia * al. immutato

Eſt vicus in Francia *, qui ab incolis appellatus eſt Bergila, ubi quædam exſtitit femina, quæ Engilſvvindis eſt nuncupata. Hæc dum a loco ad locum equitans, pro opportunitate negotii adjacentis feſtinare voluiſſet, equo quo jam caſura in proximo reſidebat, lapſu agili & horrendo perlapſa eſt. Crure namque pavidi corporis hujuſmodi præcipitio ruinæ confracto, & artuum omnium bajulo eidem miſere minutato *, quæ alienis conata eſt inceſſibus uti, duorum annorum vergente reflexu propriis haud meruit frui. Tandem miſerator & miſericors Dominus injuriis miſeræ ſolita pietate compatiens, Virginis ſuffragantibus meritis, metam lacrymoſi ei præſtare voluit doloris. Dum igitur lucifugæ noctis teterrimum chaos diei gratiam moleſtaſſet, & membra languentia eadem ſtratu ſingultuoſo componeret, ac palpebris tremuloſis quietis ſaltem gratiam deguſtaſſet; adſtitit ei domina Vvalpurgis, quæ nobis a Domino condonata eſt venialis, veniam munifica repromittens, ſi dubietate ſemota fidem panderet cordis. Vade, inquit, muliercula, gratiæ ignara ſalutis, & archiatrum tuæ ſtude perquirere ſectionis: & dum eum ad hujuſmodi officium liberalem inveneris, de ſecata tibia intus abſtractis oſſiculis, ſalutis a Chriſto poſtmodum gratiam impetrabis. Tum illa ut audivit ſuæ remedium ſoſpitatis, totis niſibus Omnipotenti grates rependens, ſuffragium accelerans adiit archiatri. Complens denique viſionis juſſa ſalubris, & oſſibus minutis evulſis, priſtinæ gratiam indepta eſt ſanitatis. At ubi vidit divinæ ei miſerationis ſubſidium adfuiſſe, lætabunda & laudans inceſſu pedum Virginis Monaſterium adiit, rei geſtæ ſeriem patule peroravit, & oblationibus quas detulit altari impoſitis, etiam partem confracti ad indicium veridicæ adſertionis oſtendit, ibique ſui corporis vehiculariam partem relinquens, partem revocavit ad patriam. Quam ancilla Chriſti Liubila partem adſumens, argento fabricare præcepit, & in eadem Baſilica ſuſpendit, ut ſi quis hoc audiens incredula mente perſtiterit, illo veniens, oculos ſuæ cœcitatis aperiat: & dum viderit partem feminei corporis muro dependere fabricatam, ſaltem confuſus abſcedat, & ſua de ſtoliditate veniam deprecans erubeſcat.

Cetera omiſſa.

LIBER SECUNDUS

Complectens aliquot miracula anno 894. patrata in Parthenone Movvenheimenſi.

OPeræ pretium duxi, quoniam mira, quæ per ſuam famoſiſſimam Chriſtus quotidie operatur & operatus eſt Virginem, jamdudum tenui chartula colligere cœpi, ut ea quæ ſunt indaganda requiram, & diligenti appoſita vigilantia, prout vires ſuppetunt, indagata perſtringam. Non quiſquam, ut reor, talia ac tanta, quæ hactenus patrata ſunt in præfato Monaſterio Virginis ſuffragantibus meritis, ac diebus pene ſingulis patrantur prodigia, ex aſſe valeat explicare: quippe cum tanta ſint numeri quantitate ut vix valeant promi eloquio linguæ: verum ut ſponſio humilis, Patris præcepto pareat imperantis, & pedetentim lepidi viam carpat & cœpti itineris, ut, quo tendit, Trinitatis opificæ dirigatur auxiliis. Curioſum ceterum Lectorem, ſecundum incipiens libellum admoneo, ut barbariſmorum fœdam congeriem in hoc opuſculo floccipendat, & veritati in vulgari eloquio fidei aurem apponat, & quod hic invenit, ſimpliciter perlegat, & acſi in ſterquilinio margaritam exquirat: ſicque fit, ut & ſua fideliter tollat, & noſtra incontaminatus omittat. Ceriferæ namque ſæpius apes, licet obſtruſis vaſculis hyblæa mella diffundant, cloacis tamen ſqualentibus inſidere non recuſant.

I N-

Digitized by Google

CIRCA AN. 780 25. Febr.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. DE muliere, quæ raſile perditum invenit.
II. De illuminatione cæcigenæ.
III.* De eo ubi ſacculus cum eulogiis inventus eſt.
IV.* De eo ubi ſpatha perdita inventa eſt.
V.* De curatione caduci.
VI.* Ubi peregrinus occiſus eſt, & mortuus probatus eſt.
VII.* Ubi puella viſionem accepit.
VIII.* De illuminatione cæci.
IX.* De puero qui cæcus natus viſum recepit.
X.* De muliere cæca.
XI. De duobus caballis furatis, & matutinalibus boris repertis.
XII.* Ubi claudus puer ſanatus eſt.

* Hæc omiſſa.

ANNO ab Incarnatione Domini noſtri JESU-CHRISTI octingenteſimo nonageſimo quarto, Indictione tertia *a*, Regni quadrimodi *b* ARNULFO retinente dominium, anno octavo quo obtinuit principatum, Eiſtetenſem procurante ERCHANBOLDO famoſo Epiſcopo Præſulatum; quædam votiva complens deſideria mulier, cum eo quem nuptialis copula ei dederat viro, Dominum qui prope omnibus ſe eſt invocantibus in veritate, deprecatura jam cunctis pene cognitum adiit Monaſterium noſtræ & multorum Fidelium Matris. Ubi dum pro commiſſis a primæva viredine facinoribus univerſis rea tunderet pectora pugnis, ac ſæpius ſæpiuſque interventiones piæ quæreret Virginis, benedictione ſolita munerata, vehicularia petiit adjumenta. Viam ergo qua venerat lætiſſima carpens, & de his omnibus quæ audierat & viderat plurima, mente revolvens, in prima reverſionis manſione, riſile *c* quo ſuper aurem orale confixerat, caſu perdidit accidente, ipſa qualiter perdidiſſet, penitus neſciente. Hæc dum viro ſuo factum clancule fateretur diſpendium, ille concorporalem ſibi & gratiſſimam conjugem mox improvida notavit incuria, & leni modulatæ vocis increpavit eloquio, cur more laſcivientium puerorum illud quod ſecum tulerat, perdidiſſet incauta. Tum illa ad præſidium rediens quod prius requiſierat Matris, inquit: Si tuæ, domina Walpurgis, miſereri dignaris ancillæ, & vocem audire diſponis indignæ, damnum mihi rei reparato præſentis ademtæ. Hæc dum verba peroraſſet, jacens ante ſimul diſcumbentes eos pariter patenſque apparuit riſile, non aliud, non mutatum, verum idem quod ei prius auxilium præbuit capitale, &c. CAP. I.

Quia igitur ſupra portitoris prius cæci memoriam egimus, dignum eſt ut qualiter gratiam viſionis meruerit enarremus. Dum ergo idem ipſe (Ratfridus namque adhuc vivens vocamine nuncupatur) prius cæca caligine premeretur, & geminis orbibus mala albuginaria, quæ vulgo perulas nuncupamus, obnoxia pateretur, nullumque omnimodis intuitus lumen geſtaret in capite, quo vel exiguæ lucis igniculum videre potuiſſet, duas ad Monaſterium veniens illic hebdomadas percomplevit. Contigit interea ut quadam die pro ſe miſello Dominum & Virginem precaturus Eccleſiam introiſſet. Cumque Miſſarum ſacroſancta ſollemnia uſque ad Evangelii dominici euphoniam traherentur, præfatus cæcus appoſita dextero, quam erexerat, manu oculo, perulam caliginoſam, quæ in eam divinitus cecidit, Sanctimonialibus quæ Miſſæ canore intererant, gaudens ad intuendum devexit, & in uno oculo viſum recepit, ibidemque pro collato munere debitum famulatum impendit. * II.

*Hic quinque miracula omiſſa.

Pauper quidam famoſi Comitis ADALBERTI, nomine Frideradus, quem VIII.

---

a Legendum *tertia decima*, quæ Indictio à die 24. Septembris incœpta eſt anno 894.

b Scilicet *Bajoariæ* cum Pannonia, Boemia, Moravia, quod fuerat Carolomanni parentis; *Franciæ Orientalis* cum Turingia, Saxonia, Friſia, quod fuerat Ludovici patrui; *Alamanniæ*, quod fuerat Caroli Craſſi itidem patrui; & *Lotbaringiæ*: quibus Regnis præfectus eſt Arnolfus Carolo Craſſo abdicato anno 897. uti Henſchenius obſervavit.

c Riſile, an raſile, videtur eſſe acus oblongior, qualem hodie uſque geſtant mulieres Remenſes ad caput ſcalpendum & crines diſcriminandos; *orali*, id eſt capitis tegumento inſigi ſolita.

CIRCA AN. 780 25. Febr. quem oculis corporalibus videntem adſpexi, & de menſula paupertatis meæ panis portionem porrexi, ab ipſo primordio quo eum genitrix ſinu expoſuit genitali, cœcitatis obſcuratus eſt fœditate. Qui cum jam in matura ætate, tetra caligine preſſus, priores tenebras ferret ad ſenium, propria ducatum ei præbente ſorore, limina Walpurgis adiit benedictæ. Quo dum fatigatus jam itinere perveniſſet, petiit ut ante altare Virginis duceretur, quatenus opportuna quæ ſecum tulerat munuſcula ſuper illud imponens, veniam de peccatis conſequi mereretur. Deductus ergo ad aram, ubi mauſoleo Virginis propiavit, laſſeſcentibus omnibus continuo membris, rogavit ut potuit, ſe ocius ab altari reduci, aptumque ſibi ſedile requiri. Quod dum protinus fieret, paullulum tremebundo corpore requievit. Tum ſubito dilapſus in terram, cœpit pallida membra ſaxoſa volutare tellure, & quaſi ultimum clauſurus diem, ſeſe creberrime in pavimento reflectere. Deinde cum potius ab adſtantibus de funere ejus tractaretur, quam de luminis quam quæſierat dignitate; nil unquam videntes ocelli, ſanguinis madefacti cruore, guttatim in terram ſtillare cœpere, ac pavimentum uberrime cruentare. Cumque eadem quæ tunc inerat hora tranſiſſet, diu negatum meruit viſum, & tam ipſe quam omnes qui aderant, Altiſſimo gratias retulerunt. *

* Et hic duo prætermiſſa.

XI. Vulgata igitur opinione celeberrimæ Virginis & pene per orbem univerſum longe lateque diffuſa, Reginenſis * quoque urbs quondam regalis & inclyta, ſuos ad idem Monaſterium tranſmiſit cives, pro modulo affectus prius deliberati & conſciæ facultatis, placituras Altiſſimo eulogias deferentes. Qui voto potiti optabili, cum magno Baſilicam intravere tripudio. Ubi dum apertis ſcriniis cordis & corporis quædam altario illis & introeuntibus cunctis expoſito, quædam etiam xenia ab ara liquidiſſimi pectoris mitterent polo, experta luminibus auribuſque pro qua venerunt ratione, acceptaque quam quæſierant benedictione, quia eis tardior hora incubuit, in vicino Monaſterii caſtrametati ſunt, die altero ad propria reverſuri. Verum opacæ noctis ſilentio veniente ſomnoque januas luminum jamjamque quieſcentium clementius adeunte, fures qui a furvo, id eſt nigro traxere etymologiam priſcam, cujuſdam Alamanni, vocamine Ratharii, cernentes fatigata ex itinere Reginenſium membra ſopore nimio prægravata, nulloque vigilante cuſtode per diſtenti latitudinem campi jumenta fore * diſperſa; duo quorum cœca obſcurior nocte cupido cor jam tetrum intraverat poſſidendum, unus clancule apprehenſo capiſtro, alter arrepto renum cingulo, caſſam duorum equorum diripuere capturam. Rapta igitur iidem inefficaci latrunculi præda, adſcenſiſque quæ ceperant procaci temeritate jumentis, iter ad patriam remeandi arripuere gaudentes. Sed is qui ſe in Sanctis ſuis glorioſum atque laudabilem cunctis oſtendit, gaudium præſumtionariæ aviditatis in ruborem mœroremque convertit, ut mundialis controverſia ſtoliditatis palam agnoſceret, quid Chriſti in cœlis & in terris omnipotentia valeret. Nam rapaces alieno portati vehiculo, equitandi peritiam vanis exercuere vigiliis, craſſiſque in tenebris circa Monaſterium Deo amabile, omni niſu atque conamine rura paterna calcare, procul dubio æſtimantes, dum domos proprias læta altrinſecus fabulatione adire quaſi agiles voluiſſent, facta roſea matutinalis temporis luce, in proximo culturali ſacræ Virginis a ſemetipſis inventi ſunt arvo. Quis autem eos terror invaderet, quæque verecundia totos per omnia poſſideret, difficile eſt mente tractare, verbis exprimere, ac pagina feſtinanti ad alia adnotare. Tandem cupidi quoquo pacto ad ſe reverſi, miraculum per ſanctæ interceſſionem Virginis agnovere patratum: & rubore tremoreque ineffabiliter caſtigati, qui prius alienis conati ſunt furtiviſque frui vehiculis, ad propria repedarunt greſſibus propriis, relictis in quibus antea gaviſi fuerant equis. Quo dominicæ oſtentationis ſigno omnes qui viderunt vel audierunt, mirati ſunt: ſed amplius hi qui juſſu divino jumenta perdita recipere meruerunt. Agentes ſane unicæ Trinitati gratiſſimas laudes, Ratiſponenſes hi qui vene-

* Ratiſbonæ

Digitized by Google

venerant cives, tam pro adquiſita quam quæſierant Eccleſiæ benedictione, quam pro ſigni admirabilis munere, redierunt ad propria, narrantes fideliter de his omnibus, quæ geſta erant in via. * CIRCA AN. 780 25. Febr. *Hic omiſſa claudi curatio.

LIBER TERTIUS

Complectens miracula ibidem anno 895. patrata.

VOLVENTE temporum inſtantium adhuc lacrymabili ſerie, variantur etiam pariter mentium humanarum multimodæ qualitates. Quo conſtat, non ſemper hominem agere valere, quod ei adjacet velle: verum cum labitur exterior mundus, inclinatur & interior animus variis ictibus terebratus, ut ab affectu concepto jam prius frequentius concidat, in quo dudum fixo gradu ſtabat. Sicque fit, ut corpus dum quod non appetit percipit, obtineat detrimentum; & animi affectus promtus habeat præmium.

Exigente namque tuæ, Pontifex venerande, dominationis imperio, pro tenuiſſimi capacitate ingenii duos jam pridem miraculorum ſemper mente & ore retinendæ Matris Walpurgis libellos ſuccincto populariæ orationis perſtrinxi commento. Verum multipartitis anfractuum ſæcularium occupationibus preſſus, pene duorum decurſis hebdomadibus circumrotantium temporum, ad initium tertii pervenire nec quivi, nec merui. Nunc autem quia meta ſecundi jamjam initium poſtulat tertii, ipſum utinam habere merear ducem, cordiſque exigui benigniſſimum directorem, qui ſua ſapientia os aperuit muti, & linguas infantium facit eſſe diſertas.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *De eo, ubi mulier cœca illuminata eſt.*
II. * *De pane mulieris, qui a ſinu perditus & poſtea inventus eſt.* * Hæc omiſſa.
III. * *De pulvillo domi perdito & invia invento.*
IV. * *Ubi homo quidam vvantos perdidit.*
V. *Ubi vas in itinere inventum eſt.*
VI. *Ubi in una eademque femina quinque facta ſunt miracula.*
VII. * *De femina clauda, & ſanata.*
VIII. *De tribus cœcis illuminatis.*
IX. *De piſce in via mirabiliter invento.*
X. *Ubi mulier muta curata eſt.*
XI. * *De bubus quatuor in via inventis.*
XII. * *Ubi porcus a lupo direptus eſt.*

MEMORANDÆ dominicæ Incarnationis anno octingenteſimo nonageſimo quinto, quædam e familia beatorum Martyrum Gordiani & Epimachi, Campidunenſis ſcilicet Monaſterii puella, a nativitate cœca, nomine Guntrada, dum gratiam in loco celebri Domini audiret famoſam, cœpit etiam & ipſa totis anhelare præcordiis, ut ad ſacrarium venire mereretur beatiſſimæ Virginis. Cujus dum membra ſoporem feliciſſimæ quietis modicum deguſtaſſent, adfuit in ipſo dormitionis articulo qui eam ita compellans ait: Cur miſera geminis orbata luminibus, furvis ita ſopita quieſcis in tenebris, & non magis blandæ lucubrationis domeſtica, de ſalute tecum ruminando conquiris perneceſſariæ ſoſpitatis? Nam licet te conſueto more matutinalis atque diurna lux gratanter excipiat, cœcam tamen haurit * a tenebris, orbam remittit ad tenebras. Verum ſi tetrum a te repellere niteris chaos, & diſtenſas cœli cupis cernere nubes, necnon & virentes contemplari tellures; importuni ſoporis ſegnitiem mitte, ſolitæ quietis caſſam ignaviam reprime, & ad Monaſterium *Monheim* ducatu concito perge. Et cum felici illuc greſſu perveneris, prius actas & nitide coctas atque in buxula obtruſas altario Oblatas [a] im- CAP. I. * Caniſ. forte hauſtis.

[a] Etiam S. Radegundis teſte Fortunato in ipſius Vita Sæc. 1. n. 16. *Oblationes ſuis manibus faciens, locis venerabilibus inceſſanter diſpenſavit.* Lege Præfationem primo hujus Sæculi tomo præfixam, ubi de Oblatis.

Digitized by Google

AN.CHR. 780 25 Febr. impone, ſicque totam te rerum Opifici & Virgini trade. Cum autem eaſdem aræ locaveris oblatiunculas, binæ e vicino venientes gallinæ ipſas voraci comedent dente, talique edulio paſtæ, altaris excubiis deſudabunt. His ita dictis, verbiſque cum ſalutifera viſione ſubductis, reſiduum quod ſupererat noctis puellula lætabunda peregit. Noctis vero horrore finito, cum jam vaſti æquoris Oceani lymphæ lautas Titanis arvis remitterent comas; a lecto in quo membra ſopori tradiderat, hilari mente proſiliens, ſumtus itineris adquiſivit, comitem ac præviam puellam adſumſit, & callis ignara felicis iter arripuit. Sicque per devia tranſiens rura, Monaſterio, quod nutabunda quærebat, meruit propinquare. Sed priuſquam illius terminos adiiſſet, reminiſcens ſuæ ſaluberrimæ viſionis cœlitus nuntiatæ, oblatas decenter excoxit, in buxula repoſuit, viamque carpere cœpit. Ubi vero ventum eſt ad diu optatum Baſilicæ aditum, die celeberrima Palmarum ad veſperam finiente, cum intimo cordis gemitu Oratorium introivit, ſeſeque in terram proſternens, atque a tetris luminum cavernis falſa lacrymarum flumina fundens, ut juſſio viſionis attentius imperarat, ex aſſe uni ſe Domino & ſalutiferæ Virgini commendavit. Cumque diu longa protraheret in oratione ſuſpiria, tandem a pavimento in quo jacuerat, humilis exſurrexit, ad aram acceſſit, oblatas quas detulerat tremulis digitulis ſuperingeſſit, & haud longe modicum ab eadem ſe pauſatura ſemovit: cum ecce duæ quas creverat in viſione gallinæ, id eſt Sanctimonialibus * geminæ, ſtantes juxta altare, impoſitas abſtulere oblatas, rem pro qua cœca venerat, ſollicite requirentes. Quibus ipſa ejuſdem rationis ordinem retexuit, & ad calcem uſque perduxit. Finito eloquio linguæ, adfuit ſolamen ſtatim ex Virgine. Nam Omnipotens de cœlo ſemper proſpiciens ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, ſtatim ſuper credulam de cœlo reſpexit, & vacuatis luce luminibus ſolis radios miniſtravit. Expaveſcens ergo de lumine, quia cernebat quod non viderat ante, illuminatori ſuo Chriſto & interventrici Virgini cum ceteris adſtantibus gratias egit, & ſana diſceſſit *.

* f. Sanctimoniales

* Hic tria omiſſi.

V. Pari etiam modo, dum GISILA matrona pernobilis, uxor BURCHARDI, WALACHONIS *a* Comitis filii, quæ antea matrimonio juncta fuerat Comitis MEGINGAUDI *b*, orationis cauſa, ut ſolita eſt, Cellam Virginis adiiſſet, in primis pro ſe ſuiſque omnibus Domino ſupplicavit: dein erigens ſe, & ſigno dominico muniens, eas quas ſecum detulerat obtulit eulogias. Ubi ventum eſt ad pauperum Chriſti eleemoſynam partiendam, datis cibi ſtipendiis congruentis, dum etiam pocula ſedula miniſtraret, vas quod hannipa *c* nominatur, quo mixtio agebatur, inter manus propinantium ita exinanitum eſt atque ſubductum, ut nullus adſiſtentium ullo modo ſcire potuiſſet, quanam ratione perditum eſſe videretur. Sciebat ſane, conſcientia propria teſte, propinatrix, nec quodam caſuali more fore dilapſum, nec a manu diſpenſatrici eſſe direptum, neque aliqua fraude ſubductum. Verum animo æſtuabat obliquo; quoniam nil tale viderat, nil ſimile auditu perceperat: mirabatur, quia oculatim quod prius manibus vectitabat, jam nullo furante vel rapiente carebat. Quid plura? Ubi horæ diei protenſa eſt dilatio, ſpes quoque recipiendi vaſculi mire ſubducti pariter ſublata eſt. Igitur completis pro quibus venerat cauſis, ad ſua diſpoſito itinere redire conati ſunt. Dumque de pluribus, ut mos iterantium eſt, inter ſe ſermocinarentur & quærerent, vaſis quoque perditi mentio adſuit copioſa. Tum ſubito eminus quidam illorum adſpiciens, vidit idipſum in medio viæ itinere vas jacere expoſitum immutatum. Quod tollentes, & dominæ jam dictæ cum nimia admiratione adferentes, una cum eadem gratias retulere gaudentes. A quo ſtatim loco

a Hinc corrigit Henſchenius Anonymum Erfordenſem de Lantgraviis Haſſiæ, qui Anonymus Burchardi patrem dicit fuiſſe Ludovicum, & avum alterum Ludovicum, quem tradit a Carolo Craſſo anno 885 conſtitutum Lantgravium Turingiæ: cui tum præfuiſſe Popponem probat Henſchenius ex Annalibus Fuldenſibus, Reginone & aliis. De Burchardo infra cap 10.

b Megingaudus Comes, Odonis Regis nepos, ab Alberico ejuſque ſociis in Monaſterio S. Sixti quod vocatur Rotila, dolo interfectus eſt 5. Kalend. Septemb. anni 892. ex Annalibus Mettenſibus.

c Galli noſtrates *un hanap* appellant vas pocillatorium anſa inſtructum, Germanice *hennapi*.

loco ad Cœnobium remiſerunt, ut ibi mirabiliter ſervaretur, ubi Chriſtus per Virginem mirabilia operatur. CIRCA AN. 780 25 Febr.

VI. Vicus quidam in Bajoaria regione, pago *Chelesgovve*, *Adalolteslocb* nuncupamine vocitatus, multis, mihi quoque iſta fideliter ſcribenti pleniſſime cognitus, in quo quædam adhuc in vita ſuperſtes eſt muliercula, nomine Aſnia, in qua ſuperna miſeratio, ſuffragantibus Matris noſtræ meritis, quinque evidentiſſima operari dignata eſt ſigna. Nam labili & tremulo corpore tota caduca, inſuper obſiſtente obice inflexibilis linguæ miſerabiliter muta, ad cunctis notum Monaſterium eſt adducta, ut ibi inveniret remedium, ubi multi quæſitum invenere præſidium. Cumque inibi lacrymoſas ad Dominum funderet preces, vox in ſublimi audita eſt ſupplicantis, & ſociata lacrymis ſanitate corporea, incolumis mulier remeavit ad propria. Sed inſipidæ multorum ruſticanorum ac ſæcularium mentes, dum dona a Domino & præmia conſequuntur indebita, non ad laudes nec ad dignas gratiarum ſe præparant actiones: quin magis pro dignis munus ſe cœleſte percepiſſe æſtimant meritis, aut certe nullis præcedentibus meritis, ſed ſolum divinæ auxilio miſerationis: ita in bono deficiunt opere, ut nequaquam ſtabiles inveniantur in fide. Quod hujus mulierculæ fortuitus probat eventus, dum rei geſtæ narratur auditus. Veniens namque domum tota reſtituta ſaluti, infra decem ferme hebdomadarum circulum, nullas, ut opinor, debitas Altiſſimo retulit grates: quin potius ſegnitiæ temporalis incuria preſſa, mentem lubricam ad caduca reflexit, & haud obliviſcendæ propriæ oblita eſt ſanitatis. Unde poſt explicatam prælibati temporis quantitatem, dignatus Deus omnipotens ſalubri caſtigatione ſuam commonere ancillam, ne tanti muneris feliciſſimo dono ingrata fore videretur; quadam nocte hujuſmodi viſionis eam aggreſſus eſt voce: Cur, inquit, muliercula, jam enim Domino grata, de perceptis tantis beneficiis cœleſti gratiæ hactenus exſiſtere voluiſti ingrata? Redi igitur ad mentem tuam omni dubitatione ſubmota, & quid in te deifica virtus ſit operata, nubilo cordis deterſo recogita; undeque tibi ſalus indignæ provenerit, curioſiſſima animi ſcrutatione pertracta. Et cum incunctanter tuæ tenebras ignorantiæ diligenti examinatione diſcuſſeris, ſurgens concito gradu, ad *Moenheim* Monaſterium perge: ibique competenti completa oratione, a DEITHILDA cuſtrice Eccleſiæ ad operandum propriis manibus aliquid operis accipe, ut ſcias de reliquo tuæ dominæ debitum impendere famulatum, a qua inſperatæ ſalutis meruiſti commercium. Quod ſi non feceris, ſcias te proculdubio aliquam in tuo corpore invenire moleſtiam, ut ipſa vexatio intellectum auditui conferat, quem lenis admonitio non regebat, * *&c.* * Et hic unum omiſſum.

VIII. Interea dum hæc agerentur, quidam ignoti tres a nativitate advenere cœci & pauperie urgente mendici, corporis & luminis ſolatium requirentes, & lacrymoſis ſingultuum vocibus poſtulantes. Quos cum materfamilias Liubila cum devotis Deo famulabus humaniter ſuſcepiſſet, & victus alimoniam miſericorditer miniſtraſſet; viſum eſt eis ut ſuffragia Virginis attentius implorarent, quatenus viſum a primæva origine inexpertum ejus meritis & precibus adipiſci mererentur. Motibus igitur quibus poterant in Eccleſiam intravere, & facta oratione votiva, tangi ſibi cœca lumina oculorum de cambuta [a] Virginis petiere. Quod dum factum eſſet, ſenſim viſus incognitus pervenit ad orbes, & irradiati radiis jubaris lucem crevere gaudentes. Id omnes qui videre & audiere, mirati ſunt, & ei qui ſolus mirabilia magna fecit, gratias non modicas retulerunt.

IX. Quadam die dum ego ad idem Monaſterium aliquid novi ac deſiderabile audire cupiens adveniſſem, & fideli animo ſi quid auditu dignum exſiſteret quod ad notitiam perveniret requirerem; adfuerunt duæ ex Virginis famulabus DIETHILDIS & RUATHILDIS, quæ meæ ſatisfacerent volun-

[a] Scipio ſeu baculus S. Vvalpurgis ſerico incluſus, Coloniæ in monte S. Vvalpurgis, quæ Patrum Societatis JESU Eccleſia eſt, adſervari dicitur.

RCA AN. 780 25. Febr. voluntati, mihique cum cautione & chartula reſidenti, inter alia hujuſce modi retulere miraculum. Accidit namque, ajunt, ut multorum moris eſt quærentium Dominum & ſuorum interventiones Sanctorum, ut quidam orationis cauſa idem Oratorium adiiſſent. Intrantes vero in Eccleſiam, dum adoraverunt viventem in ſæcula, etiam beatiſſimæ Walpurgis pronis vultibus quæſiere ſuffragia. Completoque pro quo venerant voto, inſuper accepta benedictione quæ comes in eundo exſiſteret animæ; viatici quoque corporalis eulogiam a matrefamilias accepere. Erat enim tempus abſtinendi a carne: & idcirco ea quæ manus largientis invenerat, ſecum animo devoto tulere, ſcilicet panem, caſeum, atque cerviſiam. Dum ergo ab eis piſcis quæreretur, & negante qualitativi temporis vice minime adipiſci potuiſſet, onerati ſarcina ſuperius exarata, iter cœpere redeundi ad propria. Cumque plurima fabulantes comitantium more incederent, ventum eſt ad locum, ubi grata & virentia jumentis gramina pro temporis congruentia invenirentur. In quo exonerato eorumdem pondere jumentorum, de Dei donis ac datis & benedictionibus Virginis percepturi ſeſe in fenum viride proſtraverunt. Tum is qui eorum ſarcinis manum immittere familiarius conſueverat, ſiſtarcias *a* evidenter aperiens, .'. miro admodum modo inviſum antea & intactum adſpexit & ſuſtulit piſcem, *&c.*

X. Duo a regione Turingia BURCHARDI Comitis milites, Deitharius atque Heio, ſacræ Virginis quæſiere præſidia, adducentes ſecum feminam quamdam humanæ modulis loquelæ carentem, ut ibi Domino miſerante mereretur accipere gratiam, ubi multi multiplicem conſecuti ſunt veniam. Quo dum proſpero itineris calle, alacri corde veniſſent, deſiderio potiti priore, ſuis pro piaculis indulgentiam, fuſis a fundo pectoris precibus petierunt. Dein allata munuſcula altario imponentes, mulierem etiam mutam, quam ſecum a patria adduxerunt, animo devoto & credulo corde Omnipotentis largifluæ miſerationi & Virginis commendaverunt munificæ pietati. Illa etiam quia lingua non potuit, humiliati ſpiritus contritione indulgentiam poſtulavit. Peractis pro quibus venerant cauſis, ad ſua redire conati ſunt, eamdem ſecum mutam mulierculam ad patriam revehentes. Cumque de ejus exquiſita & non inventa ſalute triſtes ad propria repedarent, quadam nocte cum laſſa omnes quieti corpuſcula tradidiſſent, ipſa quoque ſomnifero pauſaret in lectulo, adfuit ei quædam elegantis ſpeciei miræque venuſtatis puella, quæ ei flatu placidiſſimo inſufflavit in aures. Quæ ſtatim evigilans, & de eadem felici viſione curioſa meditatione pertractans, ligatæ ei ſolutum eſt vinculum linguæ, & modulos promtæ cœpit exercere loquelæ, referens debitas munerum largitori laudes, qui locatis ſecum in ſuperis Sanctis plurima valere donavit in terris. Unde comites & univerſi qui audiere mirati, lætiſque meatibus proprias reviſere tellures. Sed prudenti animo cogitantes non decere tam evidens miraculum reticeri, notum per ſuos Monaſterio ſacræ Virginis facere ſtuduerunt, ut Dei famulabus & omnibus fideliter audientibus fieret cognitum, quod in eadem femina divinitus eſt oſtenſum. *

* Item duo hic reſecata.

LIBER QUARTUS

Complectens alia miracula ibidem patrata.

VOlueram hujus opuſculi breviloquio metam imponere diſſolutam: verum concurrentium jugiter mirabilium rerum atque ſignorum deſiderabilis novitas iterum iterumque ad ſcribendum impellit atque provocat, & ut perfecto opere ad finem uſque perducam, frequenter invitat. Non enim in initio galeati militis prœliantis virtus adſcribitur, verum in fine

a Græcis σιταρχία commeatum annonamque ſignificat: Latinis *ſitarcia*, corrupte *ſiſtarcia* ſumitur pro ciſta aut caniſtro vel mantica, qua edulia comportantur, 1. Regum cap. 9. verſ. 7.

Digitized by Google

ſine efficacis victoriæ virtus cum favore a referentibus propalatur. Dignum eſt enim ut laus prædicetur in fine, & finis decoretur in laude, Domino dicente: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Quapropter libelli quarti, Chriſto favente, exordium capiam, ut & tranſcurſis ſtilo currente glorioſis ſacræ Virginis miraculis, ad promiſſum dialogum veniam, & in eo pro ingenioli quantitate admiſſo ſudore decertem. Si quid ergo in hoc opuſculo inviſum & inauditum Lector invenerit, pia mentis intentione percurrat, & Dominum ſolum mirabilia facientem agnoſcat. Non enim membranis adnotata eſſent, ſi mirabilia non fuiſſent. Legimus namque, quia ſigna non fidelibus, ſed infidelibus data ſunt. Unde credimus in noviſſimis temporibus atque periculoſis multa inaudita operari Chriſtum per ſuam amabilem Virginem velle prodigia, ut beſtiales innumeræ in ſæculo hominum mentes, quæ prædicantium converti deſpiciunt verbis, ſaltem inauditis inclinentur ex ſignis. Quiſquis ergo legere & audire deſiderat, cordis ſi eſt rubiginem tollat; & dum me vera ſcribere experimento didicerit, credat, ſciatque me non ſignorum eſſe fictorem, verum fideliſſimum exceptorem, ut pro hoc labore liberari merear a peccatis, precibus & interventionibus Virginis.

CIRCA AN. 780 25. Feb.

Matt. 24. 13.

1. Cor. 14. 22.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. De * *quodam claudo curato.*
II. * *Item de alio claudo curato.*
III. * *Ubi claudus alius eſt ſanitati reſtitutus.*
IV. *De muliere pedibus reſtituta.*
V. *Ubi item alius debilis pedibus ſanatus.*
VI. *De muto & claudo ſanatis.*
VII. * *De dæmoniaca curata.*
VIII. * *De cæca, quæ viſum recepit.*
IX. * *Ubi cæcus quidam illuminatus eſt.*
X. *De alio cæco illuminato.*
XI. *De illuminatione alterius cæci.*
XII. * *De muliere, quæ cibi, & potus communem victum multo tempore non potuit percipere.*

* Hæc omiſſa.

CAP. IV.

Si de omnibus, qui illic inceſſu pedum potiti ſunt claudis voluero texere orationem, ante deficiat dies, quam ſignorum evidentia plurimorum. Verumtamen ea quæ ad memoriam veniunt, non æſtimo ſilentio conticenda, quoniam, ut legimus, Dei narranda ſunt opera, cujus ſunt inexquiſita judicia. Ideoque quamdam feminam Manſwindam ad mentem reducere feſtinemus, ut ipſa quoque qualiter curata ſit enarremus. Ex villa namque quæ dicitur Truthinga adveniens, & medelam corporis animæque in Monaſterio quærens (erat enim pedum debilitate deformis & inhoneſta) diutius ad cœlum orationis voces e pectore lugubri deſtinavit, &, ut ſui Omnipotens miſereri dignaretur, prolixo precatu flagitavit. Cui mox divina virtus & miſeratio adfuit, & greſſum quem perdiderat, integerrimum reparavit.

In ipſa villa in qua Monaſterium celebre ſitum eſt, puer vocabulo Beretgiſus erat, in quo vivifica Trinitas ipſum idemque operari dignata eſt ſignum. Fuit enim per tres annos greſſuum ambulatione privatus, ita ut ad nullius fructuoſi operis exercitium habilis eſſe videretur. Quem tollens nimia referta mœſtitia genitrix, nuncupamine Ratila, ad baſilicam detulit ſalutarem, ibique ante oculos divinæ majeſtatis expoſuit, & ejus inenarrabilem miſerationem cum lacrymis & gemitu poſtulavit. Videns itaque de excelſo cœlorum habitaculo Dominus mulieris fidem, curavit infantem, & matris precibus fecit ambulantem. Quo audito, domina utriuſque infantulum tradidit eidem Eccleſiæ jure perpetuo poſſidendum, ut ibi quamdiu adviveret, ſervitii jura impenderet, ubi vires ad famulandum recipere meruiſſet.

Similiter Romanus quidam adveniens, & in porticu aquilonari cum carru-

Digitized by Google

CIRCA AN. 780 25. Febr. ca in qua delatus fuerat miſerabiliter jacens, ſequenti die poſtera ambulandi meruit facultatem.

VI. Accidit præterea quodam tempore, ut HILDEGARDA [a] domina, pacifici Regis LUDOWICI filia, orationis gratia cum LUITPOLDO famoſiſſimo Comite ad jam dictum Monaſterium deveniret. Non ergo immemor beneficiorum ſacræ Virginis, præſertim cum ſciret & crederet multa ibidem facta eſſe, & pene quotidie fieri miracula; adduxit in comitatu ſequenti ab ortu originario mutum, ut ſi diſpoſitione ſuperna gratiſſimum directi faminis donum mereretur percipere, audita apertius crederet, dum viſa fidem auditis darent. Luitpoldus quoque, ut ſuſpicor, non diſpari deſiderio tactus, commeantem ſecum detulit claudum. Ubi dum eadem nocte quieſcerent, matutinali veniente ſynaxi, omnes in Eccleſiam celeriter feſtinarunt. Cumque Dei famulæ inibi ſervientes dominicos cœpiſſent concrepare concentus, adſtantibus etiam his qui ſecum detulere prædictos debiles, mutus ſoluto vinculo plectri, clara cœpit loquelas emittere voce, & mirabilem Deum in Sanctis ſuis cordis jubilo collaudare. Et non ſolum ille, verum etiam omnes qui officio matutinali intererant, omnipotentem Deum collaudabant. Cernens ergo ille, quia, ut deſideraverat, ita rei eventus impleverat; magno exhilarati cordis repletus tripudio, elevatis in cœlum manibus, gratias omnipotenti retulit Deo. Sequenti denique ejuſdem felicis horæ momento, & Luitpoldi prætaxati Comitis fuſtifer claudus cœpit exſilire gaudenter, ac Salvatorem ſuum benedicere congruenter. Idem etiam Comes venerabilis, ut cognovit ſuum, quem detulerat, claudum exſilientem & laudantem Deum, lætitia cordis exſultans, mirificum benedixit Dominum.

Ut ergo jocunditas gratulantium duorum cumulantius augeretur, duo evidentia & aperta miracula tertium roboravit. Nam quædam cujuſdam clauduli mater, cum vidiſſet præeuntia ſigna duo eſſe patenter oſtenſa, & ipſa ſuum, quem expoſuerat lamentabili editu natum, ſubintulit ad curandum. Sic præcedentibus curatis duobus, poſtremo adſtantibus univerſis ſanatus eſt tertius. His ternis duo præcipue deſiderantes viſis miraculis redierunt ad ſua, iſta narrantes e plurimis. *

* Hic tria prætermiſſa.

X. Quodam itaque contigit tempore, ut pro admonendis atque in Dei timore roborandis Dei ancillis, ipſum Monaſterium, juxta morem frequentius conſuetum, probus piuſque Pontifex ERCHANBOLDUS viſitaret, & in eis ſanctæ prædicationis creditam mellitis labiis ſereret annonam. Cumque adhuc in eadem Cella conſiſteret, & pro lucrandis Chriſto animabus attentius deſudaret; quidam a partibus Franciæ cum agmine Clericorum & pauperum flamina devehentium, & *Kyrie eleiſon* voce canora canentium, a nativitate cœcus pauper advenit, & niſibus quibus potuit, in Baſilicam cum conviatoribus introivit. At ubi fixis genibus in oratione fibram etiam cordis erexit, & pius Dominus ſuam aurem placidam propitius inclinavit, fuſamque pauperis precem audivit, lumen quod natura negaverat, ſua mira potentia condonavit. Quo viſo, Præſul & omnes qui adfuere miraculo, laudes in excelſis reddiderunt Deo.

XI. Non incongruum videtur, ſi ſequens præcedenti æquiparetur miraculo, cum cœcus ille fuerit, qui, ut diximus, patenter ibi lumen accepit; orbus & iſte, de quo ſeries texitur, qui etiam in eadem Eccleſia diem videre promeruit. Tranſeunte namque feſtiva ſollemnitate Paſchali, dum albaria ſequens adveniret hebdomada, ADALBERTUS Comes nominatus, a rure Francorum illuſtrium Monaſterium petiit. Ubi dum divinum Officium ſtans in Baſilica cum ſuis audiret, incognitus quidam adfuit cœcus, & inter ceteros ſtetit adductus. Nec mora, facta ad Deum prece humillima, lux ejus noctem fugavit ab oculis, cernentibus & mirantibus qui aderant univerſis. Cumque talem in ſe agnoviſſet virtutem, Creatori reparatorique ſuo retulit laudem: redienſque ſanus & incolumis ad patriam, illud quod in ſe divina peregit dignatio, ubicumque potuit, divulgavit.

Cetera omiſſa.

A P-

---

[a] Hæc *coram Arnulfo accuſata, regiis poſſeſſionibus privata, exſul in Monaſterio Chemiſſen vixit: in gratiam recepta, ſua majori ex parte recepit*, inquit Regino ad annum 894.

CIRCA AN. 780 25. Febr.

APPENDIX

De ſanctæ Walpurgis canonizatione, feſtis diebus, oleo, reliquiis, & locis ſacris.

1. SANCTIMONIALES *Eiſtetenſes in Vita S. Vualpurgis ajunt, ipſius* canonizationem *per Erchanboldum Eiſtetenſem Epiſcopum* obtentam a Sede apoſtolica: quæ quidem canonizatio facta eſt, *inquiunt*, ipſo die Apoſtolorum Philippi & Jacobi, in quo uſque hodie celebratur feſtum canonizationis ejus. Cujus rei gratia eodem die, omni anno, proceſſio ſollemnis ab Eccleſia cathedrali per Epiſcopum & Canonicos fit ad Eccleſiam parochialem S. Vualpurgis, ibique Officium divinum ſumma cum celebritate a Canonicis perficitur, eiſque reliquiæ ſeu ſtillicidium (*id eſt oleum*) ejuſdem ſanctæ Virginis ad potandum miniſtratur. *At Bruſchius & ex eo Gretſerus in catalogo Epiſcoporum Eiſtetenſium ſcribunt, S. Vualpurgem ab Otkario Epiſcopo Cœlitum numero adſcriptam fuiſſe, nutu ac juſſu Hadriani Pontificis. Et quidem Otkarius curavit S. Vualpurgis corpus e terra levari: quo ritu Sanctorum canonizatio tum temporis celebrabatur. Et tamen* elevatio *S. Vualpurgis facta eſt* 11. Kalend. Octob. *non vero* Kalendis Majis *ſeu* feſto Apoſtolorum Philippi & Jacobi: *quo nihilominus die* feſtum Canonizationis ac Translationis ejus communiter celebratur, *inquit Philippus Epiſcopus in ipſius Vita. Ut ut ſit, ad* elevationem *S. Vualpurgis ab Otkario factam interveniſſe Romani Pontificis conſenſum, non exprimit Vuolfhardus; certe non Hadriani, qui poſt Otkarii mortem Sedi Romanæ impoſitus eſt anno 884.* Canonizatio.

2. *Pluribus feſtis diebus colitur S. Vualpurgis. Natalem ipſius* 5. Kalend. Martii *conſignant Philippus & Sanctimoniales Eiſtetenſes, ipſoque die celebrat Eiſtetenſis Eccleſia. Elevationem* 11. Kalend. Octobris *factam, tamen* 4. Idus Octob. *celebrant nonnulli; aliam Tranſlationem* Kalendis Majis. *Quia vero* reliquiæ S. Vualpurgis per totum mundum, ut *ſcribunt Sanctimoniales Eiſtetenſes, hoc eſt* ad diverſas per totum Francorum Regnum provincias, *ut in Lectionario Trajectenſi, diſperſæ ſunt; fit ut quo quæque Eccleſia die illas excepit, celebritatem in ipſius honorem inſtituerit.* Feſti dies.

3. *De oleo e S. Vualpurgis reliquiis emanante Philippus agit bis verbis:* Pro finali concluſione adnotare decrevimus, quod ſanctum corpus glorioſæ Vualpurgæ Virginis in altari publico ejuſdem Monaſterii (*de quo infra*) caute ac reverenter longe præfatus Antiſtes Erbertus (immo *Otkarius*) recondidit: ubi miracula uſque in hodiernum diem continuata feliciter crebreſcunt. Nam de membris ejus virgineis, maxime tamen pectoralibus, ſacrum emanat oleum, quod gratia Dei & interceſſione B. Vualpurgæ Virginis cæcos illuminat, ſurdos audire facit, & greſſum claudis reddit, cunctiſque debilibus optatum effectum devote petentibus miſericorditer indulget. Quam etiam gratiam curationis ipſi experti ſumus. Nam gravi infirmitate ægrotantes, ad excidium vitæ devenimus: & rememorantes gratiam quam B. Vualpurgis ſuis dilectoribus indeſinenter oſtendit, præcepimus de oleo ſacroſanctæ ſuæ emanationis nobis copioſius adferri, & deſiderabili hauſtu phialam plenam ebibimus, orantes in hæc verba, &c. Eadem die criticavimus *, & brevi poſt tempore ſanitati omnimode reſtituti ſumus. Hoc quoque ſciendum, quod hora celebrationis Miſſarum cum Sacramentum corporis & ſanguinis JESU-CHRISTI in altari conficitur in quo recondita eſt, frequentius necnon uberius oleum de ſacro corpore ejus diſtillat. Unde hæc hora pro receptione ejuſdem olei diligentiſſime obſervatur. Et ſi phialæ in quibus ſacrum oleum recipiendum eſt, non directe vel perpendiculariter diſtillationi ſupponantur, guttæ ejuſdem olei ſibi cohærent dependentes ad modum botri vel favi mellis, nequaquam in alium locum decidentes. Sed poſtquam negligentia corrigitur, & vaſa in quibus munde ſacrum oleum recipi debet, diſtillationi aptantur, eiſdem ſine omni cooperatione illabitur. Per quod aperte monſtratur, ut in vaſa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vaſis omnino ſe præſervat. Et ſæpe compertum eſt, quod receptum in vaſe etiam mundo, ſi immunde vel irreverenter teneatur, vel ad locum ubi peccata illecebræ perpetrari conſueverunt deportetur, omnino evaneſcit, vel orificium vaſis ipſum oleum nequaquam ad effectum ſanationis egreditur. Ex ſcriptis etiam colligimus & certa relatione fide dignorum intelleximus, quod civitas Eiſtetenſis una cum tota diœceſi, eccleſiaſtico interdicto quodam tempore ſuppoſita fuerat, propter quaſdam damnoſas injurias, quas Epiſcopus qui tunc præerat, a Baronibus terræ & incolis ſuſtinuit. Extunc liquor ſacræ emanationis ſtillare ceſſavit, uſque in diem qua Eccleſia reſtituta eſſet indemnitati. Et idem venerabilis Epiſcopus cum univerſitate civitatis indicto jejunio nudipes & abſque lineis ad Monaſterium beatæ Vualpurgis adſcendit, devote ac ſubnixe cum univerſitate populi ſui ſupplicans, ne effectu tantæ benignitatis, ſicut eſt emanatio ſacri liquoris, inamplius civitas privaretur. Et accedens ad altare dictus Pontifex, Miſſarum ſollemnia adſtante populo devote peregit, & in confectione Sacramenti & ejuſdem perceptione ſacratiſſimus liquor, qui infra ſpatium unius anni nequaquam diſtillaverat nec ullo modo ſe oſtenderat, adeo abun- Oleum.

* id eſt ſudorem ſanitatis indicem emiſimus.

CIRCA AN. 780 25. Febr. de erupit, ut ampullam dimidiæ pintæ capacitatis vel unius ſerici * adimpleret. *Addit Philippus*, quod etiam idem ſacrum oleum tantæ munditiæ ac meracitatis exſiſtit, ut ſine omni corruptione & fœda maculationis feculentia per ducentos annos ſervatum conſimilis puritatis invenitur cum illo, quod hodierno die de ſtillicidio ejuſdem ſacræ emanationis ſuſceptum eſt. *Eadem fere teſtantur Sanctimoniales Eiſtetenſes. De hoc oleo ſingularem Tractatum edidit Gretſerus, Ingolſtadii anno* 1610. *editum, in quo leguntur hæc verba cap.* 1. Condita ſunt lipſana B. Vvalpurgis Virginis Eiſtadii in ſummi altaris lapide duro, ſolido, excavato & ſuperne concluſo, eo ipſo loco quo a ſacrificante Sacerdote corpus & ſanguis Domini immolatur: ita ut probabile ſit, hanc tumbam fungi vice ſepulchri, quale in omnibus aris conſecratis ex ipſo conſecrationis ritu & præſcripto viſitur. Infra prædictum lapidem eſt cavitas ſeu foramen quadratum, in quo deſtillat ſtillicidium de lapide ſuperiore, qui ſacra Virginis oſſa tenet. Videas guttas modo majores, modo minores, piſi aut nucis avellanæ magnitudine de lapide ſupino dependentes, quas omnes excipit late patens argentea concha. *Varia miracula refert Gretſerus & ex eo* Bollandus, *quibus ſuperſedemus. Iſtius olei mentionem facit Vvolfhardus in libro* 1. *cap.* 9.

** f. feriæ, quod eſt vas vinarium oblongum fictile.*

Reliquiæ in Parthenone Eiſtetenſi, 4. *Reliquiarum S. Vvalpurgis magna pars ſervatur in Parthenone Sanctimonialium Benedictinarum, in editiore urbis Eiſteti loco, ubi olim templum S. Crucis ſtabat: quod poſtea eo translatis Sanctæ Reliquiis, a S. Vvalpurga nomen accepit. Hujuſce Monaſterii primus conditor eſt Otkarius ſextus Eiſtetenſis Eccleſiæ Epiſcopus, quem Translationis auctorem fuiſſe ſuperius legimus; inſtaurator & amplificator Heribertus Epiſcopus XV. cui Leodegarius ſeu Leutgarius munificentia ſua adfuit, Monacharum in eodem loco reſtitutor, uti ex Philippo aliiſque refert Gretſerus in Obſervat. lib.* 1. *cap.* 19. *Etiam quamdam ſanctarum reliquiarum portionem obtinuerunt Sanctimoniales Movenheimenſes, ex lib.* 1. *Vvolfhardi cap.* 9. *ad quas plurima referuntur facta miracula libris tribus ſubſequentibus.* *Movenhimenſi, & alibi.* *Particulæ item earumdem reliquiarum Furnis, Antuerpiæ, Coloniæ Agrippinæ, aliiſque in locis, prout late docet Henſchenius in Commentarii prævii* §. 6. & 7. *ubi etiam de variis templis S. Vvalpurgi conſecratis agit. In quadam mſ. Hiſtoria Francorum hæc leguntur anno ſecundo Rodulfi Regis Francorum, Chriſti* 924. Eo anno corpus S. Remigii & quorumdam aliorum Sanctorum corpora Hunnorum metu intra Remenſis civitatis mœnia a ſuis Monaſteriis ſunt delata: cum quibus etiam S. Galburgis Reliquiæ, ad quas ſæpe fiunt miracula, ſunt ibidem poſitæ.

Baſilicæ & Oratoria. 5. *In templis S. Vvalpurgi dicatis celeberrimum eſt Parthenonis Eiſtetenſis, de quo ſupra.* Ceſtræ *in Britannia inſula* Cœnobium *erat S.* Vvilburgæ, *ab* Hugone Conſule, *id eſt Comite Ceſtrenſi conſtructum, teſte Orderico Vitali in Hiſt. lib.* 8. *pag.* 671. Tilæ *in Ducatu Gelriæ ad Vvabalim fluvium baſilica Vvalpurgina & collegium Canonicorum in ea inſtitutum, anno* 1315. Arnhemium *in opidum ad Rhenum translatum eſt. Alia duo templa* Zutphaniæ *in Gelria,* & Groningæ, *quæ urbs eſt Friſiæ occidentalis primaria. Nec prætermittendum hoc loco id quod S. Odo Abbas Cluniacenſis de quodam Oratorio S. Vvalpurgis commemorat in lib.* 2. *Collationum cap.* 28. Eſt Eccleſia, *inquit*, B. Gualburgis in hac vicina nobis regione, in qua miracula fiunt. Contigit autem, ſicut domnus Berno Abbas refert, ut ejuſdem S. Gualburgis Reliquiæ ſuper altare aliquot dies manerent. Sed mox miracula ceſſaverunt. Tandem vero ipſa Virgo cuidam ex infirmis apparens; Id-

NOTA. „ circo, inquit, non ſanamini, quia Reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, ubi „ majeſtas divini myſterii ſolummodo debet celebrari. Quod cum ille cuſtodibus refer- „ ret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt. *In palatio* Attiniacenſi *ad Axonam Carolus Calvus exſtruxit S. Vvalpurgis Oratorium, quod una cum ipſo palatio a Nortmannis everſum eſt. Pace & quiete Gallis reſtituta, alia eidem Virgini ædificata eſt Eccleſia, quam Hugo Campaniæ Comes a Philippo Francorum Rege ob connubium cum filia ejus Conſtantia initum accepit in dotem, ac poſtea anno* 1102. *donavit Cœnobio Moliſmenſi, cui hactenus Prioratus titulo ſubjacet: prout ex Vita Gallica S. Vvalpurgis ab Spagnolio edita intelligimus. Diſtat hæc Eccleſia & vicus S. Vvalpurgis dictus, vulgo S.* Vvaubourg, *altero miliari ab Attiniaco villa quondam regia. Denique in diœceſi* Argentinenſi *Theodoricus Comes Montis-Pelgardi conſtruxit Cœnobium Monachorum Benedictinorum, in honorem S. Vvalpurgis, quod poſtea Fridericus I. Imperator amplificavit.*

VITA

Digitized by Google

VITA SANCTI VIRGILII

AN.CHR. 780 27. Nov.

EPISCOPI SALTZBURGENSIS IN BAJOARIA,

Auctore anonymo, S. Eberhardi Epiſcopi itidem Saltzburgenſis diſcipulo, medio ſæculo 12.

Ex tomis 2. & 6. antiq. Lect. Henrici Caniſii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Hanc *lucubrationem anonymo S. Eberhardi diſcipulo adſcriptam edidit Henricus Caniſius in tomo 2. antiquarum Lectionum, eamdemque poſtea recenſuit tomo 6. Sed quia hæc lucubratio res geſtas S. Virgilii non ſatis explicat, quædam ex probatis Auctoribus hic præmittenda ſunt. Martyrologia de eo ſilent.*

2. *In primis vero Arno Saltzburgenſis Epiſcopus, Caroli Magni æqualis, in Adnotatione ſeu Indiculo ſuo, ubi de Cella S. Maximiliani, Virgilium* Abbatem *Monaſterii S. Petri appellat his verbis:* Urſo Capellanus Ottonis * precit *, ut ei ipſas res, *hoc eſt medietatem poſſeſſionis a duobus fratribus conceſſæ ad cellam S. Maximiliani*, ex integro daret ad beneficium: & ita Otilio fecit, & tulit hoc per vim de Monaſterio Saltzburgoe. Cœpit autem Virgilius Abba hanc ipſam quærere * ad Otilionem Ducem: & Otilio voluit illud comparare cum eo quod habuit ad Lauſom, & hoc Virgilius nullatenus conſenſit: & ita Otilio permanſit retinendo injuſte, quod de Salzburg Monaſterio retraxit.

Virgilius Abbas,

* Otilionis * petiit.

* queri

3. *Hic eſt Virgilius, de quo S. Bonifacius conqueſtus eſt apud Zachariam, ut patet ex ejus reſcripto inter Bonifacianas epiſt.* 140. Hoc intimatum eſt, inquit, a tua fraterna ſanctitate, quod Virgilius ille (neſcimus ſi dicatur Presbyter) malignatur adverſum te, pro eo quod confundebatur a te, erroneum ſe eſſe a catholica doctrina, immiſſiones faciens Otiloni Duci Bajoariorum, ut odium inter te & illum ſeminaret: ajens quod & a nobis eſſet abſolutus, unius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinavit fraternitas, diœceſim obtinere: quod nequaquam verum eſt, quia mentita eſt iniquitas ſibi. De perverſa autem & iniqua doctrina, quam contra Deum & animam ſuam locutus eſt, ſi clarificatum fuerit ita eum confiteri, quod alius mundus & alii homines ſub terras ſint; hunc accito Concilio ab Eccleſia pelle Sacerdotii honore privatum. Attamen & nos ſcribentes prædicto Duci, evocatorias de prænominato Virgilio mittimus litteras: ut ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inventus, canonicis ſanctionibus condemnetur. *Ex his verbis duo colligimus: unum, Otilone adhuc ſuperſtite Joannem Virgilii deceſſorem mortuum fuiſſe, nec ſediſſe annos 21. ut in Metropoli Saltzburgenſi legitur: cum ipſius demortui ſedem Virgilius Zacharia Pontifice*, Indictione prima, *hoc eſt anno 748. ambiiſſe memoretur. Alterum, cauſam diſcidii Bonifacium inter & Virgilium fuiſſe ſententiam de Antipodum populis quam Virgilius tuebatur, alii vero eatenus ut erroneam cum Lactantio rejiciebant. Addit Zacharias:* Pro Sidonio autem ſupradicto & Virgilio Presbyteris, quod ſcripſit ſanctitas tua agnovimus. Illis quidem, ut condecebat, comminando ſcripſimus: tuæ autem fraternitati plus credulitatis quam illis admittetur. *De eodem Virgilio intelligenda videtur alia Zachariæ epiſtola ad Bonifacium, quæ inter Bonifacianas eſt ordine 143. in editis, quæ tamen 144. eſſe deberet: nam duæ ſub eodem numero 142. in editis habentur.*

a S. Bonifacio accuſatus.

4. *Rediit poſtea in gratiam Virgilius, an vivo Bonifacio incertum. Concilio Dingolvigenſi ſubſcripſit Epiſcopus anno 772. apud Baronium. Sane ejus ſanctimoniam & integritatem nemo melius prædicaverit, quam Alcuinus in ſubjecto epigrammate 231.*

poſtea purgatus.

Precurſor Domini magnus Baptiſta Joannes,
Atque pius Præſul pariter Martinus & ipſe
Nominibus ſacris iſta junguntur in ara,
Ante pedes quorum lachrymas hic funde, viator.
Quæ cernis veniens lector * inclyta tecta,
Virgilius fecit Domini deductus amore,
Egregius Præſul meritis & moribus almus:
Protulit in lucem quem mater Hibernia primum,
Inſtituit, docuit, nutrivit . . . . amavit.
Sed peregrina petens Chriſti jam propter amorem,
Delicias mundi & patriam contemſit amatam.

* ſo lector

AN.CHR. 780 27. Nov.

Per mare, per terras, partes pervenit in iſtas,
Multiplicare ſtudens tota virtute talentum
Doctrinæ, populis & ſpargere ſemina vitæ.
Vir pius & prudens, nulli pietate ſecundus.
Maximus Eccleſiæ Princeps, & claviger aulæ
Cœleſtis, Chriſtus proprios huic tradidit agnos.
Hanc regat ætherio clementer nomine Petrus,
Cum Sanctis pariter quorum hic corpora pauſant,
Qui precibus populum Chriſti tueantur amicis.
Tempora depoſcant nobis & proſpera vitæ
Præſentis, necnon æterni gaudia regni.

5. *In his verſibus plura notanda occurrunt : primum, Virgilium genere Scottum ſeu Hibernum fuiſſe : ſecundum, S. Petri Eccleſiam ab eo fuiſſe magnificentius erectam : tertium, S. Martinum ea in Eccleſia cultum fuiſſe, antequam perſuaſio de S. Martini Epiſcopi Turonici corpore iſtuc (ut ajunt) delato induceretur. Lege quæ de illa translatione referuntur apud Caniſium in tom. 6. pag. 1221. & librum de prima translatione corporis S. Theobaldi Eremitæ Vicentini in Sæculo ſexto,* ubi corpus Martini præcipui Confeſſoris in Turonis direptum *fuiſſe perhibetur. Lege etiam ea quæ de S. Rudberto Saltzburgenſi Epiſcopo dicta ſunt ad annum 717.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. AD præſentem beatiſſimi Patris noſtri Virgilii memoriam ſuperna beatorum ſpirituum curia & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia : quæ dum tantæ prolis felici feliciter adſumtione donatur, multorum multo felicius per eam filiorum cotidie adquiſitione multiplicatur. Exſultet & ſupernæ felicitatis filia in hujus adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ Patronum jam ſibi videt in cœlis, quem Paſtorem habebat in terris : quem ſicut in via ducem ſociumque laboris acceperat, ſic per ejus ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri non deſperat. Præcipua vero ac ſingulari lætitia ad tanti viri præconia, noſtra ſpecialiter concurrat Salzburgenſis Eccleſia, quam ab idololatriæ nuper purgatam erroribus primus ipſe in Carinthia verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fecundavit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornavit, &c.

Virgilius Hibernus,

2. Beatiſſimus igitur VIRGILIUS in Hibernia inſula de nobili ortus proſapia, litterarum ſtudiis ita animum applicuit, ut inter doctos ſui temporis atque climatis doctiſſimus haberi potuiſſet. Morum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit, ut tamen non virtute relicta, invidiam quorumlibet placando, dictum illud exoptabile in ſe digne meruiſſet transferre: *Dilectus Deo & hominibus*, &c. Ut itaque Dominus miſericordiam ſuam a progenie in progeniem oſtenderet, ſervum ſuum Virgilium, ſtrenuum utique dominicæ vineæ plantatorem & futurum Carinthiæ Apoſtolum, de natali ſolo Hiberniæ in Franciam miſit : ubi ab illuſtri Francorum Rege Pippino, qui Major-domus dicebatur, apud Cariſiacum * honeſte exceptus fuit. Et quia litterarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberavit, Rex eum ſicut tubam evangelicæ prædicationis libenter audiendo, ſecum fere duobus annis propter Dei amorem retinuit.

in Franciam venit ad Pippinum.
* Creſſy

Epiſcopus Juvavenſis creatur.

3. Temporibus vero Ottilonis Ducis Bavarorum, qui tunc cum tota Norica provincia ſubjectus fuit prædicto Regi Francorum, Salzburgenſis Eccleſia, quæ ab antiquo vocabulo a Juvando dicta fuit Juvavia, proprio carebat Epiſcopo. Sed rex Pippinus, Princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ non modico ſuſpirans deſiderio ; Epiſcopatum Salzburgenſem pro debito regiæ magnificentiæ ſancto conceſſit Virgilio, eumque prænominato Duci Noricorum, utpote amico cariſſimo, tranſmiſit ſummo cum honore excipiendum. Vir itaque Domini diſſimulata ordinatione ferme duorum annorum ſpatiis habuit ſecum laboris & coronæ participem Epiſcopum comitantem de patria, nomine DOBDA, ad perſolvendum epiſcopale officium. Poſtea ad inſtantiam populi, necnon aſſidua Coepi-

Coepiſcoporum ſuorum exhortatione inductus, ab ipſis unctionem epiſcopalem ſuſcipere conſenſit, ordinatuſque eſt a provincialibus Præſulibus anno nativitatis Domini 766. *, 17. Kal. Julii. AN.CHR. 780 27. Nov. * al. 67.

4. Deinde prout commiſſæ diſpenſationis auctoritas exigebat, quod ore die nocuque docuit, operis exhibitione implere non ceſſavit, in vigiliis, in jejuniis, & in charitate demum non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant utilitatem proviſionis, tanto ſollicitius ſtuduit promovere, quanto ſtatus Salzburgenſis Eccleſiæ tunc nuper initiatus & exiguus, poſtea Deo cooperante, ut liquido apparet, religione & poſſeſſionibus famoſiſſimus, id expoſtulare videbatur. *Ut ſe gerit.*

5. Quippe fabricam Monaſterii immenſo opere & egregia diſpoſitione a fundamento conſtruxit, corpuſque S. Rudberti quod poſt obitum ſuum in Eccleſia B. Petri Principis Apoſtolorum requievit, una cum ſede epiſcopali quæ in prætaxata Eccleſia ſimiliter per aliquot annos exſtiterat, divina commonitus inſpiratione tranſtulit in eum videlicet locum, in quo uſque ad præſentia tempora perduravit. *Monaſterium reficit. Epiſcopi ſedem transfert.*

6. Temporibus vero glorioſi Regis Francorum DAGOBERTI, SAMO nomine quidam Sclavus, manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illius. qui venientes negotiatores Dagoberti Regis juſſit interficere, & regia exſpoliavit pecunia. Quod cum comperit Dagobertus Rex, miſſo exercitu ſuo damnum quod ei Samo contumaciter intulerat, juſta præcepit ultione puniri: & ſic demum Regis ſervitio ſubacti ſunt. *Sclavos a Dagoberto ſubactos,*

7. Non multo poſt tempore cœperunt Huni eoſdem Quarantanos hoſtili ſeditione graviter affligere: fuitque Dux tunc eorum BORUTH nomine, qui Hunorum exercitum contra eos videns, interim Bavaris nuntiare fecit, rogans eos ſibi in auxilium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes expugnaverunt Hunos, & obfirmaverunt Quarantanos, ſervitutique eos Regum ſubjecerunt, ſimiliter & confines eorum. Duxeruntque inde obſides ſecum in Bavariam, inter quos erat filius Boruth nomine CARASTUS, quem pater ejus more chriſtiano nutriri & baptizari poſtulavit: quod ita factum eſt. Similiter de CHETIMARO filio fratris ſui fieri rogavit. Mortuo autem Boruth, juſſu Francorum Regis, Bavari CARASTUM Chriſtianum factum petentibus eiſdem Sclavis remiſerunt, & illi eum Ducem fecerunt. Sed poſtea ille anno tertio defunctus eſt. Iterum autem permiſſione domini Pippini Regis, ipſis populis idem petentibus, CHETIMARUS Chriſtianus Ducatum ſuſcepit; ſuggerente vero quodam Presbytero, nomine MAJORANNO, qui a S. Virgilio in Juvavo Monaſterio manus impoſitionem acceperat, quem ſecum propter doctrinam chriſtianæ Religionis retinuit, ad Juvavenſe Monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſervitium Dei a declinavit, ſingulis annis quoad vixit, in ſignum ſubjectionis ſuæ aliquod obſequium illuc perſolvendo. *quorum Dux Boruth, poſtea Caraſtus Chriſtianus, tum Chetimarus*

8. Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux Karantanorum petiit S. Virgilium Epiſcopum viſitare populum gentis illius, eoſque in Fide firmiter confortare. Quod tunc ille minime implere valuit: ſed ſua vice miſſo ſuo Epiſcopo nomine MODESTO, ad docendam illam plebem, & cum eo Vvatonem, Reginbertum, & Gozarium, atque Latinum Presbyteros ſuos, & EKihardum Diaconum cum aliis Clericis, dans ei licentiam conſecrare Eccleſias, ordinare juxta Canonum definitionem, nihilque ſibi uſurpare quod decretis ſanctorum Patrum contrairet. Qui venientes Karantanis, dedicaverunt ibi Eccleſiam S. MARIÆ, & aliam in Liburnia civitate & in aliis quamplurimis locis: ibique Modeſtus Epiſcopus permanſit uſque ad finem vitæ ſuæ. Eo igitur defuncto Epiſcopo, poſtulavit iterum Chetimar Dux Virgilium Epiſcopum, ſi fieri po- *Ipſe ad Fidem adducit per ſuos.*

a Hoc loco venit in mentem id quod Arnolfus in lib. 1. de mirac. S. Emmerami cap. 12. ſcribit de quibuſdam, *qui capita cum manibus religioſe altari S. Emmerami imponentes, profeſſi ſunt ſe Martyri perpetuos cenſuales.*

AN.CHR. 780 27. Nov. tuiſſet, ad ſe veniret : quod ille renuit, orta ſeditione quod carnicula * dicimus : ſed inito conſilio dimiſit ibi LATINUM Presbyterum. Et non multo poſt orta alia ſeditione exivit inde ipſe Latinus Presbyter. Ea vero ſedata miſit iterum Virgilius Epiſcopus Madelhohum Presbyterum, & poſt eum Vvarmannum * Presbyterum. Mortuo autem Chetimaro & orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, uſquedum WATUNC * Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intente poſtulavit, ut ad confortandam in Fide prædictam terram aliquos deſtinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis & incremento ſanctæ Eccleſiæ conſulens, miſit Heimonem * & Reginbaldum Presbyteros atque Majorannum Diaconum cum aliis Clericis, viris utique religioſis & honeſtæ converſationis. Et non multo poſt miſit iterum ibidem eumdem Heimonem & Dupliterum ac Majorannum Presbyteros alioſque Clericos cum eis. Iterum miſit eis Gozarium, Majorannum, ErKenbertum & Auguſtinum Presbyteros : poſt eos Rembaldum, Reincharium Presbyteros, item Rembaldum, Guntharium.

* al. carinula

* al. Vvargimannum

* al. Vvaltunc

* al. Hermonem

Diœceſim ſuam viſitat.

9. His ita geſtis, ad exſtirpandam funditus & eliminandam ſi qua vigere viſa eſt barbaricæ ſuperſtitionis idololatriam, atque ad confortandam penitus in Fide, frequenti prædicatorum diligentia plantatam ſuæ diœceſis Eccleſiam providens, ac provida circumſpecti Paſtoris vigilantia per villas & provincias verbum vitæ ubertim ſeminando, diu deſiderabiliter optatam ovibus ſuæ propriæ viſitationis præſentiam exhibuit. O quanta Principum cujuſcumque regionis obviam illi cum pompa procedentium exſultatio! quam laudabilis ſpiritalium virorum viciſſim ſtipatim, immo certatim dominum & patrem ſuum invitantium devotio! quorum profecto petitionibus vir ille ſanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens, Eccleſias conſecravit, & per Karinthiam ſenſim tranſeundo ad fines Hunorum, ubi Dravus influit Danubium, quo etiam poſtea tempore ARNONIS primi Archiepiſcopi territorii Salzburgenſis termini Chronicis atteſtantibus extendebantur; ſaluberrimæ viſitationis uſus officio pertranſiit, palmiteſque cœleſtis vineæ propagando, Clericis ad ſacros Ordines promovendis, ut ſingulos arbitrabatur dignos, benedictionis ſuæ manum impoſuit.

Obiit anno 780.

10. Inæſtimabilis igitur ſanctitatis & meriti beatus Dei Præſul Virgilius, feliciter & ſtrenue laboris ſui curſu conſummato, poſt emenſas pelagi mundani tempeſtates, ad metam hujus peregrinationis & ad portum ſalutis JESUM-CHRISTUM declinans, diſſolutionem ſui corporis juxta neceſſitatem conditionis humanæ imminentem ſibi divinitus revelatam longe ante præſcivit. . Rediens itaque celerius & memoratam civitatem ſuam intuitus, amariſſime fundendo lacrymas, hunc viſus eſt decantare verſiculum : *Hæc requies mea*, &c. Celebrato denique divini Sacramenti myſterio, leni morbo correptus, anno dominicæ Incarnationis 780. *a*, 4. Kalend. Decembris obdormivit in Domino : cujus corpus in latere meridiano Monaſterii, cujus ipſe duodecim annis fabricator, & in tertiodecimo conſecrator exſtitit, prout tantum decuit Pontificem, honorifice fuit repoſitum : ſacer autem ſpiritus ejus civium conſortio gaudet ſuperporum.

FRAG-

---

a Sic legendum, tametſi in recenſione per Caniſium facta numerus Kalendarum ad annos adjunctus eſt, ac mendoſe repoſitum 784. rectius in priori editione anno 780. uti & in libro de miraculis infra, ex quo diſcimus hoc loco reponendum eſſe *quinto Kalend. Decembr.* quo die Sanctus Virgilius in Faſtis Benedictinis colitur.

Digitized by Google

AN.CHR. 780 27. Nov.

FRAGMENTA

Ex libro donationum Eccleſiæ Saltzburgenſis in tomo 6. Caniſii pag. 1147. *capp.* 5. *& ſeqq.*

11. In illis temporibus OTILO Dux ab æmulis ſuis * hujuſmodi cauſa. Fratres duo Carlomannus & Pippinus Reges Francorum Otilonem Ducem Bajoariæ rebellare conantem bello ſuperant. Fuit autem cum domino Pippino Rege in Francia multis diebus. Inde reverſus & accepto Ducatu ſuo, tradidit ad Juvavenſem ſedem villam quæ vocatur *Metminheim* & manentes ſuos 20. cum territorio & ſilva & molendinis cum omni appendicio ſuo. Dedit in eremo ejuſdem loci appendente locellum qui dicitur *Eſelvvanch* & lacus duos, & ad *Parnſee*, & in his locis venationem & piſcationem. Otilo victus, * ſupple exagitatur. In Eccleſiam munificus.

12. In peregrinatione Otilonis Ducis, fuit cum eo quidam Preſbyter Capellanus ejus, URSUS *a* nomine, qui de illa genealogia erat ſupradictorum hominum de Albina, quos THEODOBERTUS Dux tradidit Deo & ſancto Maximiliano ad *Pongou*, quando dominus Rudbertus Epiſcopus illam ibi Eccleſiam dedicavit. Et quia propter Sclavos crudeliſſimos paganos eadem cella multis erat temporibus deſolata; idem vero Preſbyter venit ad Otilonem Ducem, & petiit dari ſibi in beneficium, hoc ipſum quod Theodobertus Dux, ut prædictum eſt, dedit ſancto Maximiliano & domino Rudberto Epiſcopo ad ſedem ſuam. Et Otilo Dux neſcius erat, qualiter dominus Rudbertus eumdem locum ad *Pongou* primo cœpit conſtruere, & Eccleſiam ibi ædificavit & conſecravit, concedentibus Ducibus THEODONE & THEODOBERTO filio ejus. Sed & hoc neſcivit, quod Theodobertus Dux ipſos homines ibidem tradidit, & ipſam cellam cum omni traditione ſua confirmavit ſancto Rudberto Epiſcopo ad ſedem Juvavenſem epiſcopatus ſui: deditque Otilo Dux, ut prædictum eſt, Urſo Preſbytero ſuo hoc ipſum ad Albinam, & ipſam Cellam in beneficium. Urſo dat Cellam S. Maximiliani.

13. Poſtea vero cum Virgilius peregrinus, donante Otilone Duce, ſuſcepit regimen ipſius Juvavenſis ſedis & epiſcopatus, cognita ſupradicta cauſa venit ad Otilonem Ducem & dixit ei omnem hanc cauſam ab initio per ordinem: rogavitque ſecundum juſtum judicium hoc reddere ſancto Petro ad ipſam Sedem. Sed Otilo noluit eumdem Preſbyterum ſuum contriſtare, neque tollere ei illud beneficium. Tunc autem cœpit Virgilius Epiſcopus medietatem inde quærere propter illum ſervum ſuum ſancti Rudberti, Tonazanum nomine, qui hoc ipſum primo cum Ledi vicino ſuo invenit. Hoc igitur Otilo Dux reddere noluit, ſed comparare hoc voluit a Virgilio Epiſcopo cum eo quod habuit ad *Louſſi*. Sed Virgilius hoc omnino tenuit, & dixit Preſbytero: Quo amplius tu illic laboraveris, & quo plus ibidem de tuo dederis, eo amplius habebit ſanctus Petrus, atque ſanctus Rudbertus. Nam ſi tu illis hoc injuſte abſtuleris, ſicut nunc factum habes ad tuam perniciem, non ad tuam utilitatem; venient dies, cum illud reddetur per bonorum hominum & Deo fidelium voluntatem ac poteſtatem. Illam tamen medietatem quam quæſivit Epiſcopus, non potuit ei Otilo Dux contradicere. Porro Virgilius Epiſcopus juſſit ibi domum ſuam ædificare, & omnem medietatem de eo, quidquid ad ipſam Eccleſiam venerat, in omnibus quibuslibet cauſis S. Rudberto conquiſivit, & ſuos Preſbyteros ibi jugiter manere fecit, qui hoc providebant: & ideo magna contentio ſæpiſſime contigit. Idem autem Urſus Preſbyter una cum adjutorio Otilonis Ducis fecit ibi aliam Eccleſiam, cum qua voluit ipſam medietatem S. Petro a Juvavenſi poteſtate abſtra- Virgilio fruſtra renitente.

---

a De eo Arno in devotione ſupra in Obſervationibus præviis.

AN.CHR. 780 27. Nov. *Eccleſia ibi conſtructa ab eo excommunicata.*

ſtrahere, & unum vacantem Epiſcopum nomine LIUTI ibidem advocavit qui ipſam diſcordiæ Eccleſiam conſecravit. Quo cognito Virgilius Epiſcopus excommunicavit eam, & appellavit eam Diſcordia: & omnibus Presbyteris contradixit, ut nemo ibi cantaret Miſſam, nec aliud officium Dei. Et ita excommunicata permanſit, quouſque Virgilius Epiſcopus vixit.

Teſtes a Virgilio citati.

14. Hæc omnia Virgilius Epiſcopus a viris valde ſenibus atque veracibus diligenter perquirere ſtuduit, poſteriſque ad memoriam ſcripta dimiſit. Quidam vero ex eis, qui iſta illi dixerunt, diſcipuli [a] S. Rudberti fuerunt, & juniorum ejus quidam filioli, ex quibus erat ISINHARDUS vir nobilis & filiolus beati ſenis CHUNIALDI Presbyteri, & MATERNUS, DIGNOLUS quoque diſcipulus ſancti Rudberti, atque JOANNES, alii quoque, qui hoc a ſenioribus audierunt, hæc ita omnia narrantes. Ex quibus Dulciſſimus [b] Presbyter, Othmarus frater ejus Presbyter, Madelhoch Presbyter, filius MADELGORI Cancellarii Theodonis Ducis; Ruffolus Presbyter, Amandus Presbyter, Latinus frater ejus, Ebo Presbyter, Paldo Presbyter, Rembertus Presbyter, Heimo Presbyter, item Vitalis Presbyter, Salomon Presbyter; Benedictus Diaconus, Syndonius Diaconus, Joannes Subdiaconus, Wolfhardus Subdiaconus; Arnhalmus Monachus, Germanus Monachus, Tazzo Monachus, Emicho Monachus; & iſti laici, UGO Comes, IMMIN Comes, HEIMO Comes; Gerhardus Judex, Sigibaldus Judex; Anno, Eber, Rudloch, Salaho, Joannes, Egilolf: omnes iſti nobiles & veraces viri fuerunt.

Otilo dictam Cellam amplificat.

15. Præfatus quoque Dux Otilo divino compunctus amore, cœpit ædificare & ampliare Eccleſias Dei, & ſervos diligere: ipſam Cellam ſancti Maximiliani, quam beatus Rudbertus Epiſcopus primo per conceſſum Theodonis Ducis conſtruxit, quamque idem Dux ad Juvavenſem ſedem tradidit, cœpit Otilo Dux diligere, & in amorem Dei ampliare. Congregari autem ibidem fecit Clericos & Deo ſervientes, pro remedio animæ ſuæ.

ex cap. 11. Cellæ Ottingæ initia.

16. Cella quæ dicitur Ottinga, temporibus domini Pippini Regis & Taſſilonis Ducis nepotis. Guntherius quidam Comes in pago *Chiemingen*, in propria hereditate ſua conſtruxit Eccleſiam pro amore Dei & animæ ſuæ ſalute, ad ſervitium Dei & Sanctorum ejus: convocatique illuc S. Virgilium Epiſcopum eodem anno, quo ad epiſcopium ordinabatur; dixitque ei ſe velle ibi Monachos congregare & Abbatem illis conſtituere, & ſua proprietate eis tantum ibidem contradere, ut victum & veſtimenta habere valerent: & quidquid ibidem cum proximis ſuis augmentare cum juſtitia potuiſſet, ad Dei ſervitium & Sanctorum ejus promtiſſime hoc faceret. Tunc itaque Virgilius Epiſcopus requiſivit ab eo, in cujus dominio voluiſſet ut ille Abbas eſſet & Monachi, quos illic congregaſſet. Et ille primitus ei hoc dicere noluit. Dixitque ei Epiſcopus: Neque ego tibi Eccleſiam conſecro, nec Monaſterium, nec Abbatem, niſi ſecundum Canones ſciam, ad quem locorum illorum rectitudo & donatio conſtare debeat: & voluit inde abire. Denique idem Comes Guntherius divino compunctus amore cognovit, quod Epiſcopus ſecundum Canonum ſtatuta incedere vellet: promiſit ſe hoc ipſum quod ibi conſtructum habuit ad Monaſterium perficere velle, & cum omni proprietate ſua eamdem Eccleſiam ſi conſecraſſet, ad Salzburgenſem ſedem epiſcopatus & ad illam * dominationem pleniter per omnia ſecundum Canones tradere velle, & per omnia inde ita facere, ſicut Virgilius Epiſcopus illum doceret. Et tunc demum conſenſit Virgilius Epiſcopus, & conſecravit ipſam

** illius*

---

[a] Si Rubertus anno 626. mortuus eſt, ut putarunt hactenus omnes; qui Virgilius, anno 766. conſecratus Epiſcopus, ejus diſcipulos videre potuit?

[b] De Dulciſſimo hæc leguntur in eodem libro Donationum cap. 2. *Ladi quoque & Urſo frater ejus commendaverunt domino Rudberto Epiſcopo nepotes ſuos nomine Voernbarium & Dulciſſimum ad diſcendas litteras & officium Dei ad Juvavenſem ſedem ſuam* &c.

Digitized by Google

ipſam Baſilicam in honore S. Stephani, & omnem locum hunc. Quo facto Guntherius tradidit per pallium altaris Virgilio Epiſcopo ipſam Eccleſiam cum omnibus, quæ ibidem antea perdonavit tradere. Commendavit autem hoc pleniter Monaſterium in manus Epiſcopi ad regendum ſecundum Canones, ſicut & ceteras Eccleſias diœceſis ſuæ, ut ipſam cum Sede ſemper eſſet. Poteſtatem vero Epiſcopo dedit regendi ipſam familiam, Abbatemque ibi ordinare & monachos de ipſa ſede *a* ibidem ponere, ſive Canonicos. Tunc quoque tradidit ibidem de ſuo proprio villam quæ dicitur *Holzbuſſ*, cum manſis ſeptem, & cum omnibus rebus ad eamdem villam pertinentibus. Deditque aliam villam juxta lacum Chieminge, Uſinga vocatam, cum manſis ſeptem. Poſtea vero una cum conſilio & conſenſu Taſſilonis Ducis petiit dominum Pippinum Regem, qui conceſſit ei tributales viros de ſuo miniſterio manentes * quatuordecim ibidem ad firmamentum: qui & ita fecit. Interea vero ipſe & uxor ejus Hadeburch dederunt ibidem ambo pariter hereditatem ejuſdem Hadeburgæ, *&c. b*

AN.CHR. 780
27. Nov.
NOTA.

* f. moventes

LIBER MIRACULORUM.

Ex ejuſdem Caniſii tomo 6. pag. 1178.

1. ANNO vero dominicæ Incarnationis 1181. decima quarta Indict. 14. Cal. Martii, ſub Alexandro Papa III. apoſtolatus ipſius 21. & ultimo; regnante ſereniſſimo Principe FRIDERICO Romanorum Imperatore Auguſto, anno regni ejus 28. & conregnante ſibi filio ejus HEINRICO Romanorum Rege glorioſiſſimo; Ottone de *Vvitelinſpach* inclyto Duce Bavariæ Ducatum tenente; ſupramemorati fabrica Monaſterii, quæ ſchiſmatis perſecutione conflagrante ante aliquot annos diruta & diruenda deperierat, ſumtibus & juſſu præclariſſimi paſtoris CHUNRADI Salzburgenſis tunc Archiepiſcopi, apoſtolicæ Sedis tunc in Alamannia Legati, Cardinalis Presbyteri S. Marcelli, Sabinenſis Epiſcopi, modo autem Moguntinenſis Archipræſulis, dum a fundamentis cœpit ædificari, ſancti Spiritus cooperante gratia & divinæ majeſtatis ſuffragante clementia, corpus beati Virgilii, quod ob immenſi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari.

Monaſterium Saltzburgenſe reſtitutum anno 1181.

S. Virgilii corpus retectum.

2. Quadam die factum eſt, ut lapides e muro elapſi, aliquantulum intro ſpectandi aditum tranſeuntibus præbuiſſent: diligentius aliquibus hoc ipſum conſiderantibus, concavitatis patuerunt indicia, & picturæ vetuſtioris deaurata illic viſa ſunt ſchemata. Porro Canonicis hujus rei novitatem perquirentibus, & latius ejuſdem muri aperturas patefacientibus, inventa eſt B. Virgilii, octavi poſt S. Rudbertum Salzburgenſem Epiſcopum, tumba & depicta imago, ejuſdemque imaginis hujuſcemodi epigramma:

Virgilius Templum conſtruxi ſchemate pulchro.

Et præterea dies obitus ejus 5. *Calend. Decembris.*

Idem vero dignus Deo Pontifex, ut in Annalibus noſtris reperimus, majoris Eccleſiæ, in qua & ſepultus fuit, primus exſtitit fundator, & B. Rudberti ac ſedis epiſcopalis in ipſam Eccleſiam, qua nunc eſt, pius tranſlator. Tempus etiam quo dictus Pontifex obierat, anno Incarnationis Domini 680. in eiſdem Annalibus invenimus.

3. Ad

a Vides Monachos etiam tum in Eccleſia cathedrali fuiſſe. Nunc Cella Ottinga poſt varios caſus eſt Collegium Canonicorum ſæcularium in opido Ottinga, vulgo *Ottingen*, ad Ænum fluvium, *Inne*. Lege Hundium in Metropolis parte 2. de Monaſteriis, ad vocabulum *Oting*.

b Lege caput 13. in quo *Virgilius Epiſcopus caſtellum ad Svvicherum ad Louffi comparaſſe* dicitur & alia quædam ab Helmone & Fridberto.

Digitized by Google

AN. CHR. 780 27. Nov.

3. Ad tantæ igitur rei ſpectaculum plurimis novarum rerum cupidis (ut fieri ſolet) confluentibus, non pauci a doloribus diverſis ſunt alleva- ti. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei Reliquias venerantibus, juve- nis quidam Diaconus & Eccleſiæ ejuſdem Canonicus, inter ceteros dictum locum patefaciens, ille vana curioſitate magis quam pia devotione acce- dens, præſumtuoſe effoſſa humo manum ſiniſtram venerandis oſſibus inje- cit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & in proſperum hoc ipſum (ſicut rei probavit eventus) ſucceſſurum non fore adſerentibus. Verum ille hæc omnia corde obſtinato parvipendens, nihil de ſanctarum violatione Reliquiarum, quæ tot annis intactæ ac decenti veneratione ab- ſconſæ latuerant, curabat. Interea fama inventionis ſancti Præſulis cre- breſcente, mulier de civitate *Salzburg*, cum in partu multis diebus labo- rans periclitaretur, per revelationem nocturnam admonita, candelam ad menſuram ſui corporis, ſuper famuli Dei ſepulcrum tranſmiſit, candelaque incenſa ſtatim puerum enixa convaluit.

Diaconus Sancto injurius, a dæmone arripitur,

4. Sane Diaconus ille, quem præmiſimus, horum miraculorum incre- dulus, oblationes Fidelium, quæ jam pia devotione a plurimis illuc de- ferebantur, rapere, & uſibus ſuis attrahere non timuit. Nec ea temeri- tate contentus, mulierculam ibidem orantem, ipſe ſanctas Reliquias ſub- ſannans, irreverenter præſumſit repellere. Juſte igitur divina ultione ſta- tim correptus a dæmone, oculis terribilibus, ore hianti circumquaque di- ſcurrens, Sacrarium introivit, primamque vexationis ſuæ & veſaniæ no- tam in quodam Presbytero, Eccleſiæ Theſaurario, quem tunc forte ſo- lum illic repererat oſtentans, ipſum Presbyterum pugnis, alapis cæſum unguibuſque diutiſſime laniavit. Superveniente autem uno ex manſiona- riis Eccleſiæ, cum Presbyter præfatus e manibus arrepticii ſublatus, inte- rius Sacrarii cubiculum oſtio poſt ſe clauſo confugiſſet; ipſe arrepticius dæmone plenus, ad ſui ipſius internecionem cœpit armari: & cum jam alium non videret in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus omnibus exutus, utpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit, plurimiſque ictibus valido conatu pectus cœpit transfodere, Presbytero & manſionario prædicto intuentibus, & præ pavore nimio accedere aut inhi- bere eum non audentibus. Verum cum pectus & manus vulneribus mul- tis cruentaſſet, nec tamen uſquequaque (Deus ipſum ad majorem & evi- dentiorem famuli ſui Virgilii oſtentationem reſervavit) præcordia perfo- raſſet; collapſus ad terram, toto conatu collum & guttur incidere tenta- bat. Tunc itaque Presbyter & manſionarius qui prius ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem videntes, audaciter erumpentes ſuper ipſum irruunt, ferrumque de manu ejus eripiunt. Jam vero plurimi cla- more excitati, ad ipſum juvenem concurrere cœperunt: ſed ipſe elapſus in tenebris, quia erat crepuſculum, curſu velociſſimo turrim conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, tum ad alia necis ſuæ convertitur argumenta, funemque campanæ laquei vice collo circumdans de feneſtra turris exſilivit. Duo autem e pueris eveſtigio ipſum inſecuti, ubi turrim adſcendebant, pendentem eum & palpitantem invenerunt, retractumque Dei gratia juvenem a laqueo abſolvunt, & inter manus trahentes ad in- feriora deducunt. Porro cum ad viciniam ſepulcri Beati Virgilii eſſet ad- ductus, intra ſemetipſum frendens cœpit obniti, & retrorſum labi & corruere, manumque ne oculis ſanctum videret ſepulcrum admovere. Reportatur igitur ad Sacrarium, concurrit Clerus univerſus, pſalmi, ex- orciſmi, letaniæ ſine intermiſſione dicuntur. Cum in ipſis letaniæ pre- cibus nomen ſancti Virgilii inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud poſſederat, auditum ſancti nominis non ſuſtinens, frendens & dentibus horribiliter ſtridens, rugitum teterrimum emittebat, juve- nemque infirmum crudeliter diſcerpebat. Evidenter itaque cunctis qui ad- erant, quod ob illatam ſanctis oſſibus injuriam ita vexaretur conjicienti- bus,

ſibi ipſe manus infert.

Digitized by Google

AN.CHR. 780 27. Nov.

bus, ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatiens, ſpumamque ejectans refertur, ſonantibuſque campanis plebs totius civitatis convenit. Admotus autem ſepulcro, ipſum ſepulcrum conſpuebat, dæmonque jam aperte incendium, quo a S. Virgilio pateretur proclamans, ac manum ſepulcri violatricem tentans & geſtiens dentibus corrodere; niſi ipſa manus abſcinderetur, ſe non exiturum teſtabatur. Tum vero tantus ab utroque ſexu clamor exortus eſt, ut vox continuata cum lacrymis non poſſe finiri videretur. Effertur deinde ab Eccleſia, & in lecto reponitur. Ubi dæmon a Sacerdotibus per tremendum judicium & his ſimilibus adjuratus, cur vas Dei in ſuam redegiſſet poteſtatem, in hæc verba prorupit: Ego non ſponte, ſed coactus veni; candelas & alias oblationes a viri Dei ſepulcro ego abſtuli, & niſi quantocius hæ reſtituantur, magiſter meus cum ſeptem nequioribus intrabit ſpiritibus, & in perpetuum hic manebit. Cum vero candelæ diu quæſitæ, rurſum ad dæmonis indicium inventæ eſſent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miſerabile ſcopis *a* numero pariſicatis candelarum cædendum, ipſique juveni poſt redditam ſanitatem, diebus viginti jejunandum. Poterat autem in afflicto juvene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas, videri miſeria, & unde non præſentes, ſed & abſentes non parvum potuiſſent percipere terrorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis & incenſis in Eccleſia, juvenis præmemoratus ad ſepulcrum beati Præſulis totius multitudinis precibus & lacrymis comitatus refertur. Ubi dum ſcopis, ſicut oſtenſum fuit, diutius cæderetur, adſtanteſque univerſi auxilium & miſericordiam beatæ Dei genitricis MARIÆ, necnon & ſanctorum Nicolai, Rudberti, Virgilii præcipue, ſuſpiriis intimis expoſcerent; ſpiritus ille nequam cum ſtrepitu & ſibilo non modico aufugit, multis circumſtantium diſceſſum ejus & impetum ſentientibus. Scopis cæſus liberatur.

5. Liberatus ille a dæmonio & refectus ſacramento vivifico, ad lectum ſemivivus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indiciis manuum & ſcriptis intentionem animi expoſuit quod lingua non potuit: quia taciturnitas hæc, ſicut poſtmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus vero a reverendis Sacerdotibus, ut fidem circa ſe geſtis adhiberet, & Sanctum Virgilium miraculis clareſcere crederet; manu & ſcripto renuit, & quamdiu renuit, uſum loquendi non recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rurſuſque dominico ſacramento communicaſſet, & Sacerdos ſubintuliſſet, Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum qui aperuit os Zachariæ Prophetæ; ſubito gutture & lingua reſoluta, Credo, exclamavit, ſtatimque loquendi uſum cum ſanitate priſtina recepit. Eucharistia bis refectus, mutus fandi uſum recipit.

6. Cum autem eo modo ſanatus reſpiraſſet, Monaſteria etiam & Eccleſias ſingulas, gratias Deo & Sanctis agens circuiſſet, quia fex ejus nondum fuerat exinanita, ad priſtinum reverſus eſt reatum, Sanctique illius meritis ſine intermiſſione in vicinia ſepulcri & in conſpectu populi exprobrans, iterato meruit caſtigari, quia caſtigatus noluit emendari. Interrogatus enim, ſi circa ſe geſtorum meminiſſet, contumelioſe ſubjunxit, ſe ſepulcrum ſancti Pontificis, ſi non ab interrogatione quieſcerent, profanaturum & omnimodis everſurum. Nec mora quaſi percuſſus ad terram decidit, & ab adſiſtentibus elevatus, aliquantulum convaluit. Nec contentus eo, cum unus ex Canonicis infirmus ad ſepulcrum ipſa nocte fuiſſet delatus, ipſe juvenis cum reliquis Canonicis pro Iterum in crimen & pœnam relapſus,

a Scopas non raro ita uſurpat Petrus Damiani tum in cap. 8. de vita Eremitarum, tum in Opuſc. 14. de Origine Fontis-Avellanæ. *Dantur*, inquit, *ex more tria millia ſcoparum pro unius anni pœnitentia*, *ſive* 25. *pſalteria*, *aut* 25. *Miſſæ*.

Digitized by Google

AN.CHR. 780 27. Nov.

pro infirmi ſalute illo oraturus occurrit : verum temerarie & cum ſubſannatione ut infirmum ſanaret oravit, alioquin ſe non crediturum aliquos meritis ipſius Sancti liberari. Sed & his ſimilia adjiciens non orando, ſed ſubſannando, opem allato infirmo flagitabat. Confeſtim igitur tumulo ſupereminens, tectum cum fragore maximo ita intremuit, ut lapidibus grandinis concuſſum eſſe videretur. Juvenis etiam ille qui a dæmonio liberatus, & pro ſua quoque frequenter præſumtione caſtigatus, adhuc in ſua pertinacia permanebat, jam denuo percuſſus coram omni plebis multitudine proſtratus, incendio ſe conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Eccleſia, tamdiu intolerabili dolore eſt detentus, donec ſe in Sanctum Dei peccaſſe confitens, ad plenum credidit, & ad plenum liberatus eſt. Curatus autem demum, ea quæ prius celaverat, vexationis ſcilicet ſuæ ordinem expoſuit : quod nimirum tempore illo, quo (ſicut prædictum eſt) mulierem de ſepulcro Sancti repulit, ſpiritus ille immundus cum vento vehementi in ſpecie veſpertilionis os ejus intravit. Deinde cum tempus curationis ejus adeſſet, beatum Nicolaum, quem ipſe ſpecialiter venerabatur, & præterea ſanctum Virgilium adveniſſe, velumque nigerrimum & longiſſimum & nigerrimum utroſque ab ore ejus protraxiſſe, ſanctumque Nicolaum ſubintuliſſe : In fratrem noſtrum graviter peccaſti, verumtamen pro tua apud Deum interceſſimus ſanitate.

tandem fit ſanior.

7. Et quoniam omnibus ſe invocantibus conſuetæ pietatis opem beatus Dei famulus ſingulis pro neceſſitatibus ſuis ſemper exhibuit, quiddam mirabile & ſatis memorabile ſubnectendum eſt, quod Monachus quidam de *Rottenbaklach*, diutino languore ſcapulæ laborans, dum in comitatu Abbatis ſui quodam tempore iter ageret, prætaxata paſſione graviter correptus, accepta via defecit, viribus corporis deſtitutus. Ceterum juxta monachicæ Regulæ *a* rigorem forte diem, in quo flagella carnis Monachi de more ſuſcipiunt, adeſſe contingit, & cum ceteris qui tunc aderant etiam ille morbidus coram domino Abbate proſternitur caſtigandus : partem quoque dorſi, videlicet ſaniorem plagis exponens, cum bene exaratam ſenſiſſet, alteram quoque cui pepercerat, in honore Sancti Virgilii flagellari ſuppliciter poſtulavit : poſt cujus petitionis effectum plenariæ ſalutis adeptus eſt præſidium. O prædicanda & laudanda Chriſti pietas, quæ tanta celebritate merita beati Virgilii longe lateque declaravit, ut ejus fama omnes eis maximas nationes impleverit ! Si ergo fidei conſtantia, vel recuperandæ ſalutis gratia Saxones atque Boemi ad tumbam viri Dei de longe invitantur, mirari non oportet.

Monachus ſcapulis dolens, mire curatur.

NOTA.

Plura alia hic omiſſa minutiora miracula.

VI.

a Id eſt juxta morem illius temporis : nam flagellatio in S. P. Benedicti Regula, præterquam in contumaces ac pueros delinquentes, nulla præſcribitur. Antiquum ejuſmodi flagellationum in Ordine noſtro uſum docet Synodus Aquiſgranenſis anno 817. habita, in qua ſtatuitur cap. 14. *ut nudi pro qualibet culpa coram Fratrum obtutibus non flagellentur* : quas tamen flagellationes alius ab alio ſemper excipiebat, non ſtatis diebus, ut hoc loco, ſed ubi culpa exigebat.

Digitized by Google

VITA SANCTI GREGORII CIRCA AN. 781 25. Aug.

ABBATIS ET RECTORIS ECCLESIÆ TRAJECTENSIS AD RHENUM,

Auctore S. LIUDGERO Mimigardevordenſi Epiſcopo, ipſius diſcipulo.

Ex Vitis illuſtr. virorum Chriſtophori Brovveri Soc. JESU.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM *S.* GREGORII *Abbatis, adminiſtratoris Eccleſiæ Trajectenſis* * *ad Rhenum, a* S. LIUDGERO *Epiſcopo Mimigardevordenſi ipſius diſcipulo ſcriptam fuiſſe, docet in primis* ALTFRIDUS *Epiſcopus in S. Liudgeri Actis.* Erat S. LIUDGERIUS, *inquit*, in ſcripturis ſacris non mediocriter eruditus, ſicut in libro ab eo compoſito de vita venerabilium ejus Doctorum, GREGORII ſcilicet & Albrici, aperte probatur. Sed & primordia ſancti Bonifacii adventus atque ordinationis quæ fuerant in alio opuſculo, *ſcilicet S. Vvillibaldi*, prætermiſſa, pulcro ſermone ipſe conſcripſit. *Quæ omnia S. Liudgerus exſequitur in ſubjecto libro, quem Chriſtophorus Brovverus anno* 1619. *vulgavit, Notationibuſque illuſtravit: cujus libri aliquot fragmenta jam ediderat Nicolaus Serarius in Hiſtoriæ Moguntinæ lib.* 4. *S. Gregorii geſta perſtringunt* Joannes de Beka *&* Vvillelmus Heda *in Hiſtoria Trajectenſi, &* Joannes Gerbrandus *in Chronici Belgici lib. 6.* Vitæ Scriptores. * Utrecht

2. *Gregorium Monachum ac Monachorum Patrem ſeu Abbatem fuiſſe argumenta non pauca perſuadent, tametſi in ſubjectis ipſius Actis nulla monaſticæ profeſſionis mentio fiat. Quippe is adoleſcens rudis & litterarum expers S. Bonifacio adhæſit, inſtitutuſque videtur in monaſticis rebus, ſive in comitatu Bonifacii & ſociorum Monachorum, ſive in Cœnobio Ordorfenſi, quod primum S. Bonifacius ædificaſſe dicitur; ſive in Fritislarienſi. Nam in Monaſteriis ab ipſo conditis pueros fuiſſe educatos, patet ex epiſtola* 17. *in qua jubet, ut poſt mortem Vvigberti Abbatis Fritislarienſis* Wigbertus Presbyter & Megingordus Diaconus magiſtri ſint infantium. *Certe Gregorius in Eccleſia Trajectenſi Abbas & Pater fuit Monachorum, quos ipſe inſtituebat informabatque. Sic enim Auctor libri de vita S. Liudgeri apud Brovverum cap. 6. Gregorius Liudgerum* paterna in Monachorum Monaſterio ſollicitudine erudiiſſe *fertur. Quo ſpectat etiam illud Altfridi in eadem Vita:* Illi, *parentes ſcilicet Liudgeri*, commendaverunt eum viro venerabili GREGORIO diſcipulo & ſucceſſori S. Bonifacii Martyris Domino nutriendum: qui libenter eum ſuſcepit, & comperta ſagacitate pueri ſtudioſe illum erudiebat. Crevit itaque Liudgerus proficiens in timore Domini, & depoſito ſæculari habitu, (*notanda hæc verba*) in Trajecto Monaſterio totum ſe contulit ad ſtudium artis ſpiritalis. Unde Patri Gregorio & ceteris tanto dignior & acceptior, quanto fuit & monaſticis eruditionibus illuſtrior, *quas tamen Caſini necdum vivente Gregorio didicerat; ſed in Cœnobio Trajectenſi. Et quidem Monachos in Trajectenſi Eccleſia a Sancto Villibrordo inſtituta primum exſtitiſſe, dubitare nos non ſinunt antiqua Principum Francorum inſtrumenta in gratiam ejuſdem Eccleſiæ, a Joanne de Beka & Vvillelmo Heda relata: quæ licet in nonnullis interpolata, ſuſpecta ſane iis in locis eſſe non debent, in quibus* Monachorum Eccleſiæ Trajectenſis *fit mentio: ſiquidem jam a multis ſæculis Monachi ceſſerunt Canonicis, a quibus ea in gratiam Monachorum ſubornata fuiſſe ſuſpicari non licet. Dubitat nihilominus Brovverus*, num ſimile quid fuerit *in Eccleſia Trajectenſi*, quale de ſancto Anſchario Bremenſi Epiſcopo legitur, qui Bremæ congregationem ſanctorum virorum inſtituit: qui, ut Adamus memoriæ prodidit, habitu quidem uſi canonico, Regula vivebant monaſtica, genere quodam miſcellaneo medioque. *Verum Adamus Bremenſis Canonicus Clericos Bremenſes nuſquam Monachos, (quod de Trajactenſibus dicitur) ſed* Canonicos *appellat. Certe Joannes a Leidis in Chronici Belgici lib.* 4. *cap.* 4. *referens diploma Caroli magni pro Eccleſia Trajectenſi, exprimit utrumque nomen* Monachorum & Canonicorum. *Lege adnotata ſuperius ad Vitam S. Vvillibrordi.* Gregorius an Monachus.

3. *Ceterum Gregorius numquam Epiſcopus, aut Archiepiſcopus fuit, contra quam Scriptores Trajectenſes Joannes de Beka & Vvillelmus Heda ſentiunt; ſed* Presbyter *dumtaxat &* Abbas. *Quippe S. Liudgerus in vita ſequenti num.* 20. *Gregorium morbo extremo correptum*, Abbatem & præceptorem *ſuum vocat. Conſentiunt Altfridus aliique ſcriptores in Actis S. Liudgeri.* Non enim fuerat, *inquit Altfridus*, idem Gregorius ad gradum epiſcopalem ordinatus, ſed Presbyterii perſeveravit in gradu. *Et Anonymus apud Brovverum:* Commendaverunt Liudgerum cuidam Gregorio grandium meritorum viro, qui diſcipulus ſimulque ſucceſſor S. Martyris Bonifacii, Trajectenſi ſedi Presbyter Epiſcopi vice præfuit. *Huc ſpectat Lulli Mogontiacenſis Epiſcopi epiſtola, quæ eſt inter Bonifacianas* 45. *inſcripta* GREGORIO, duplici Presbyteratus Abbatiſque honore decorato, *in qua Lullus, tametſi* ætate junior, *egregia dat monita Gregorio, quem* carum collegam & præceptorem pium *vocat: in his*, ut in hac temporali poteſtate & terreſtri ditione, qua auctore Deo, *inquit*, jam nunc uteris, dominicæ ſententiæ ſemper memor ſis, ſonantis: Regnum meum non eſt de hoc mundo, *&c.* Non Epiſcopus, ſed Abbas.

CIRCA AN. 781 25. Aug.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. SAcrarum Scripturarum præceptis monemur, ut diligamus Dominum ex toto corde, diligamus & proximum tamquam nos ipſos: & ut illos proximos noſtros veraciter arbitremur, qui ſpiritalibus magis intenti ſunt quam carnalibus, atque ad eorum ſe promiſſa uſque in diem noviſſimum piis operibus præparare non ceſſant: quos non carnalis generatio extollit inaniter, ſed ſpiritalis regeneratio fructificare facit & proficere. Charitas iſta quamvis omnibus domeſticis catholicæ Fidei quæ per dilectionem operatur, maxime tamen ſanctis Patribus & Præpoſitis noſtris exhibenda eſt, ſicut ſanctus Apoſtolus adhortatur dicens: *Rogo vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum, pacem habete cum eis*. Quæ eſt iſta notitia, qua Præpoſitos noſtros plus ceteris noſſe præcipimur, niſi ut eis & viventibus debitum honorem, & obſequium ſincera intentione impendamus; & eorum pia & profutura exempla poſt obitum illorum non ſolum a memoria noſtra numquam recedant, ſed ea etiam ad aliorum ædificationem indeſinenter ſermonibus repetere & dilatare non ceſſemus? quatenus id veraciter fieri valeat, quod idem Apoſtolus alio loco de ipſis ſpiritalibus patribus noſtris hortatur & dicit: *Quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem*: ut qui in præſenti mortalitate veſtigia illorum & exempla & mente retinemus & actu, in futura immortalitate, ſecundum Evangelii dictum, gaudium Domini noſtri ſimul cum eis mereamur intrare. Ad illud pervenientes, dum largiente gratuita gratia Chriſti intraverimus felicitatem perennem, nemo tollet a nobis in ſempiternum: quoniam ad illud in initio, pio Conditoris propoſito conditi ſumus, & poſt lapſum primi hominis in mortem, Redemtoris noſtri miſericordi viſitatione ad idem revocati, ad quod perventuri in die noviſſimæ neceſſitatis, ſi certiſſima ſpe in diebus mortalitatis hujus, & hortamenta ſequimur ſpiritualium Patrum, & ſemper nobis maxima gaudendi cauſa ſit ipſe Deus. Igitur quoniam ut dixi clare teſtimoniis ſanctæ Scripturæ, ſpiritalibus Patribus honorem merito impendendum, & poſt præcepta dominica eorum juſſis nihil præferendum; paucis jam aperire curabo, ob cujus reverentiam & dignam memoriam, hanc præfatiunculam præmiſerim, pauca de innumeris benefactis ejus donante gratia Chriſti & meritis ipſius ſuffragantibus ſcribere incipiens.

Patribus ſpiritualibus maxime charitas & recordatio debetur.

1. Theſſ. 5.

Hebr. 13.

Matth. 25.

INCIPIT VITA.

Gregorius nobilis Francus, auctoris præceptor,

2. EST enim mihi ſermo iſte de domno GREGORIO Abbate & præceptore meo ab infantia: qui de nobili ſtirpe Francorum *a* progenitus, nobilitate morum & ſapientiæ documentis nobilitatem ſæculi ornavit ac ſuperavit. Quam utique ſpiritualem nobilitatem & prudentiam adſecutus eſt a ſancto Martyre BONIFACIO Archiepiſcopo & Magiſtro ſuo: qui in diebus nobiliſſimi Principis Francorum Regis KARLI de Britannia & gente Anglorum clariſſimum quoddam ſidus Franciam veniens, ſub Regibus KARLMANNO & PIPPINO ejuſdem Regis Karli glorioſiſſimis filiis, quaſi ſol rutilans in ſanctitate, expandit radios virtutis ſuæ & prædicationis, omniaque prope Regna vivens in corpore largiſſimis dapibus doctrinæ ſuæ

---

a Trevirum fuiſſe ajunt. Patrem habuit Albericum infra num. 3. memoratum, qui in Teſtamento Adelæ Abbatiſſæ Palatioli ſuperius ad annum 734. relato, ipſius Adelæ filius dicitur; Adela vero filia Dagoberti Regis, Auſtraſiorum ſcilicet, uti Henſchenius interpretatur. Certe ADDULA hic num. 3. Albrici mater, Gregorii avia appellatur. Porro apud Vuillelmum Hedam in Hiſtoria Trajectenſi Gregorius matrem habuiſſe fertur S Vvaſtradem, in Eccleſia Suſterenſi diœceſis Leodicenſis humatam, cujus feſtum celebratur 12. Kalend. Auguſti. De Gregorii fratribus infra num. 13.

CIRCA AN. 781 25. Aug.

ſuæ reficiens, & fide melioravit & vita. Atque poſt tranſitum ſuum de hoc mundo per ſanctum martyrium, eadem Francorum Regna per electa grana diſcipulorum ſuorum, in exemplum dominici ſeminis fructificare fecit, & proficere uſque in hodiernum diem. Inter quos B. Gregorius columna Eccleſiæ Dei inventus eſt: qui in diebus religioſiſſimi Regis Pippini ſuccedens Magiſtro, genti Freſonum miſſus eſt Prædicator: cui Magiſtro & Bonifacio Martyri B. Gregorius hoc modo adhærere cœpit & diſcipulatum ejus ſubire. *S. Bonifacii diſcipulus & ſucceſſor;*

3. Cum ipſe electus Dei Bonifacius Martyr poſt tredecim [a] annos peractæ in Freſonia prædicationis, quibus in Auſtrali parte laci Almari [b], pauper evangelicus & propemodum ſolitarius ſanctam ſeſſionem ſuam tribus in locis peregiſſet, quorum vocabula locorum ſunt hæc. Primus vocatur Wyrda [c], in ripa fluvii Rheni, ubi ſeptem annis habitavit. Secundus vocatur *Attingohem* juxta amnem Fehta [d], ubi habitavit annis tribus: quo in loco primum cœpit habere diſcipulum nomine GEMBERTUM. Tertius locus appellatur Feliſa, qui propior erat gentilibus & paganis, ubi tribus ſimiliter annis manſit. Poſt hos, inquam, tredecim annos dum admonitus a Deo ad Haſſos & Turingeos orientales regiones Francorum iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum cauſa, pervenit ad Palatiolum [e] Monaſterium Virginum prope Treveris civitatem, in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa nomine ADDULA, religioſa valde & timens Deum. Quæ cum vidiſſet athletam Dei peregrinum & egentem, gratulabunda ſuſcepit eum in hoſpitium ſuum, implens dominicam adhortationem: *Hoſpes eram, & collegiſtis me*. Cumque ille ſacer ſanctus viator Bonifacius ſecundum ſolitum morem ſuum Miſſarum myſteria peregiſſet, ut propemodum omni die agere conſuevit, ſederunt ad menſam, ipſe ſcilicet & ancilla Dei Addula Abbatiſſa cum familia ſua. Cœperunt autem ad ipſum ſanctum convivium plus quam epulas, ſolatium ſanctæ Scripturæ expetere, quo fieret fides audientium accenſa, ſpeſque & charitas renovata in Deum, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Tunc quæſitus eſt Lector, & juxta Dei voluntatem inventus eſt electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper a ſchola & palatio reverſus, ſub laico adhuc habitu quaſi quartum-decimum aut decimum-quintum agens ætatis annum, Dei inſtinctu venit ad aviam ſuam, id eſt ad matrem patris ſui ALBRICI ſupradictam Abbatiſſam Deum timentem Addulam: datuſque eſt ei liber: qui accepta benedictione, cœpit legere, & juxta modum ætatis ſuæ bene perlegere. Intelligens vero Magiſter ſagacem mentem pueri bonamque indolem, cœpit eum conſummata lectione his verbis moderate laudare & dicere: Bene legis, fili, ſi intelligis quæ legis. Ipſe autem adhuc temporis ſapiens ut parvulus & loquens ut parvulus, ſe ſcire profeſſus eſt quæ legebat. Dic mihi, inquit, quomodo intelligis quæ legis? Ipſe vero repetebat ab exordio lectionem ſuam, volens legere ſicut prius. Præceptor autem ſanctus diſtulit eum paullulum, & dixit: Non ita, fili, quæro ut dicas mihi lectionem tuam, ſed ſecundum proprietatem linguæ tuæ, & ſecundum naturalem parentum tuorum loquelam ediſſere mihi quæ legis. Hac ille ratione convictus, confeſſus eſt,

quem poſt prædicationem in Friſia, — *in Palatiolo Parthenone,* — *Matth. 25.* — *Gregorius ex lectione laudatus*

[a] Niſi hos annos computes a prima S. Bonifacii profectione in Friſiam, hic numerus conſtare non poterit: ſiquidem in ſecunda profectione per tres annos dumtaxat moratus eſt in Friſia Bonifacius, antequam in Turingiam ſe conferret, ut conſtat ex ipſius Actis ſupra ad annum 754.

[b] De lacu Almari ſeu Ælmari lege adnotata ad Vitam S. Bonifacii ſupra pag. 25.

[c] Vverda opidum, nunc Cæſaris Inſula, ad Rhenum, medio itinere inter Coloniam & Vvaſaliam Reliquiis S. Suidberti Epiſcopi decoratum, diſtinguendum a Vorda opido Batavorum ad Renum itidem ſitum. De aliis Vverdis (quod nomen inſulam ſignificat) dictum in Elogio ſancti Suidberti ad annum 713.

[d] Fetha amnis non procul Vollenhovio opido influit in Flevum lacum, qui Friſios a Batavis dirimit.

[e] In prælaudato Teſtamento Adela dicitur accepiſſe locum Palatiolum a Pippino Majore-domus permutatione facta, ibique condidiſſe Monaſterium in honorem S. Mariæ Virginis & Apoſtolorum Petri & Pauli, in quo *Monacharum cœtum diſciplina & Regula* S. BENEDICTI *viventium aggregavit*. Iſte locus ab urbe diſtans paſſuum circiter tria millia in Septentrionem, nunc mœnibus auctus, Canonicorum collegio ceſſit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781 25. Aug. quia non poſſet facere. Sanctus vero ait Bonifacius : Vis, fili, ut ego tibi dicam ? Volo, inquit. Tunc B. Bonifacius : Repete, ait, ab exordio lectionem tuam, & diſcrete lege. Quod dum faceret, exorſus eſt ſanctus Magiſter, & clara voce cœpit prædicare & Matri & omni familiæ.

hortantem ſecutus eſt, 4. Quæ prædicatio ex quo fonte proceſſerit, claret in converſione Gregorii ingenioſi pueri & ſagacis, quia non ab humana facundia, quæ frequenter ad tempus deludit; ſed ex Spiritus-ſancti gratia, ſecundum promiſſum Evangelii, in modum fluminis aquæ vivæ de ventre fluxit doctoris (Joan. 7.) : & cor prudens ac docile pueri Gregorii tanta virtute & velocitate penetravit, ut ad unam incogniti eatenus Magiſtri exhortationem & prædicationem oblivifceretur & parentum & patriæ: ipſaque hora, dum compleſſet Magiſter ſanctus prædicationem ſuam, nolens ab eo ultra disjungi, (Addula avia invita.) ivit ad aviam ſuam prædictam Abbatiſſam venerabilem Addulam, dicens, ſe velle cum homine pergere, & ad diſcendos divinos libros diſcipulatum ejus ſubire. At ipſa carnali affectu conſtricta, illico repulit eum, & omnimodis hoc fieri poſſe renuit : quia utique non noſſet hominem, neque quo iret. Sed ſicut ſcriptum eſt (Cant. 8.): *Aquæ multæ non potuerunt exſtinguere charitatem;* puer Gregorius in propoſito ſuo permanſit, & dixit ad Addulam aviam ſuam : Si non vis mihi dare equum ut equitare poſſim cum eo, pedibus ambulando abſque dubio vadam cum illo. Sic ergo altercando de ignoto itinere diutius diſceptabant ad invicem : ſed tandem prævaluit charitas electi pueri Gregorii, & ut dignum erat, carnalem amorem vicit dilectio ſpiritalis. Videns ergo famula Dei Addula, quia prudens erat femina, animum inflexibilem pueri, dedit illi pueros & equos, & dimiſit eum ire [a] cum ſancto Magiſtro in opus quod compleverunt ſimul uſque ad ſanctum martyrium ejus. Intelligis, Lector pius & prudens, quem ſecutus ſit electus puer Gregorius in hoc facto, ut inconſultis parentibus omnibuſque propinquis, & ipſa quæ præſens erat reſiſtente avia, tam ſubito mutaretur. Idem enim ſpiritus videtur mihi in hoc tunc operari puero, qui Apoſtolos Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei ad illud inflammavit, ut ad unam vocem Domini relictis retibus & patre ſequerentur Redemtorem. Contemtis igitur parentibus & patria, omnibuſque retro relictis quæ carnaliter blandiri poterant menti adoleſcentis, ſecundum (Pſal. 16.) Pſalmiſtæ dictum beatus puer Gregorius propter verba labiorum Dei ſecutus eſt vias duras. Durum namque erat & valde aſperum, ut qui in patris domo multum divitis in jocis & deliciis erat nutritus, unum peregrinum & pauperem hominem ſequeretur, neſciens quo iret; & in tantum ei obediret, ut omnes alios homines & potentes ſæculi & proprios parentes tamquam ſurdus non audiret, dummodo illius præceptis obſecundaretur in omnibus. Quanta enim auctoritas lucebat jam tunc in futuro Martyre Bonifacio, æſtimare quis poterit, quæ cor pueri tam ſubita immutatione incitavit ? aut quis ardor charitatis ad obediendum ignoto Magiſtro mentem juvenis inflammavit, ut ſubito oblitus ſui, ſecutus ſit Chriſti pauperem, omnis mundanæ ſubſtantiæ inopem ? Non hoc fecit amor auri & argenti, non cupido prædiorum & ſuperba jactantia, quorum nihil erat in cauſa : ſed hoc fecit artifex ſummus, unus atque idem ſpiritus Dei, qui omnia operatur in omnibus dividens ſingulis prout vult.

Turingiam adit cum eo, 5. Tunc Electi Dei iter deſideratum peragentes venerunt Turingiam. Porro ad augmentum boni ſui, & ad comprobandam mentis eorum conſtantiam & longanimitatem, in tanta paupertate invenerunt populum illum, ut vix ibi ullus haberet unde viveret, niſi de longinquo parum quid colligeret, ut ad modicum tempus ſuſtentaret penuriam ſuam. Nam (a Saxonibus vaſtatam.) tota illa regio in confinio paganorum rebellium poſita, illo tempore incenſa erat, & hoſtili manu vaſtata. Quæ tamen penuria nequaquam terrere pote-

[a] Id contigit anno Chriſti 722. quum Bonifacius dimiſſo in Friſia Vuillibrordo, ad Haſſos & Turingos ſe convertit, Gregorio jam annum quartum-decimum prætervecto, qui proinde anno Chriſti 708. natus eſt.

poterat miniſtros Chriſti, ut ob id ſubterfugerent, quo minus adnuntiarent eis omne conſilium Dei: ſed juxta exemplum apoſtolicum cœperunt laborare manibus ſuis quæ opus erant ſibi & eis qui cum illis erant, atque cum illo populo in tentationibus ſuis firmiter permanere, & circumquaque prædicando invitare ad cœleſtia regna. In his ergo ſtudiis perſeverantes, ſecundum formam primitivæ Eccleſiæ erat eis cor unum & anima una: & augebat Deus quotidie multiplici numero, qui ſalvi fierent in idipſum.

CIRCA AN. 781
23. Aug.
1. Cor. 14.
Actor. 4.

6. Tunc fama ſancti magiſtri & futuri Martyris Bonifacii cœpit dilatari per omnia orientalia Regna Francorum. Cœpit quoque & electus adoleſcens Gregorius in diſcipulatu ejus proficere ætate & ſapientia, & in tantum amabilis fieri magiſtro, ut quaſi unicum filium eum diligeret, jam adjutorem fidelem illum habens in omni opere bono. Hic autem tantus profectus Electorum Dei non eſt initiatus per opulentiam & mundanas delicias, neque per ſecuritatem & proſperitatem vitæ mortalis; ſed in fame, & nuditate, & laboribus multis. In quibus omnibus & opere manuum vivere cogebantur, & nonnumquam vicinam paganorum perſecutionem ob metum mortis cum populo ſimul in civitatem fugere, ibique in arto pane & anguſtiis per dies plures habitare, donec collecta multitudine ſua cives manu validiore eos iterum effugarent. Hoc ergo certamen quoniam per innumeros vicos inter paganos & Chriſtianos gerebatur, idcirco hinc & inde magna pars regionum illarum redacta erat in ſolitudinem. In tam forti autem & perículoſa in diebus illis decertatione, in tanta pugna & perturbatione dimicantium populorum, electus Paſtor Bonifacius numquam ceſſare potuit a cuſtodia & inſtructione gregis ſui: verum tanto fuit conſtantior & paratior pro ovibus ſuis animam ſuam ponere, quanto rabiem luporum frequentius vidit & atrocius imminere. Similiter & fidelis diſcipulus ejus Gregorius adjutor infatigabilis in opere Dei cum magiſtro permanſit in cuſtodia & educatione gregis Chriſti, factus ſecundus Paſtor.

Virtutibus, maxime patientiæ ſtudet.

7. Eo uſque autem hæc ita gerebantur, donec per gratiam Chriſti triumpharet chriſtiana manus, & pax plena Dei Eccleſiis redderetur. Et erant magis ac magis creſcentes ac proficientes in opere Domini, ſicut inpræſentiarum cernitur, conſiderantibus regiones illas. Sed quid nos miſeri, pigri & inertes in pace Eccleſiæ Dei dicturi ſumus, qui non gregis lucra, ſed commoda noſtra ſemper quærentes, vix unquam in cuſtodia ovium, contra rabiem luporum vel unum latratum minimi ſermonis emittimus? qui, ſicut dixi, in pace Eccleſiæ pigri ſumus & ſomnolenti in cuſtodia gregis, in lucris vero carnalibus nimirum ſtrenui & pervigiles. Iſti autem de quibus loquimur, in tanta perturbatione & bellorum certamine, non ſolum in ſui intima & caſta cuſtodia mundis cordibus permanſerunt; ſed etiam in lucro gregis & diſcipulorum documentis tanta benedictione Dei dilatati ſunt, & propria vigilantia per Dei adjutorium multiplicati.

Auctoris digreſſio in ſegnes & mercenarios Paſtores.

8. Tunc priores & prudentiores Francorum, qui electum Dei Martyrem Bonifacium, ejuſque diſcipulos venerabilem Gregorium & ſocios ejus in tanta virtute operum & fortitudine conſtantiæ noſſe & intelligere potuerunt, cœperunt eis & ſua offerre diligentius de die in diem, & laudem tantæ beatitudinis & unitatis apud Regem Francorum ſeniorem KARLUM non celare. Cœpitque & ipſe Rex virum Dei Bonifacium velle videre, juſſitque eum venire ad ſe. Qui cum veniſſet, non ſtatim in initio honore ſibi condigno receptus eſt a Rege, ſed ſic competenter dilatus: quia fuerant quidam pſeudo-doctores & adulatores, qui famam ſancti viri & diſcipulorum ejus obfuſcare & impedire conati ſunt apud Regem a. Verumtamen

Bonifacius cum ſuis apud Carolum laudatus & ab eo arceſſitus,

ſed ob calumniatores deſpectus,

a Et tamen Carolum Tuditem faviſſe Bonifacio, & eum in conſpectum admiſiſſe, conſtat ex epiſtola ipſius Caroli, quæ eſt inter Bonifacianas 32. *Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domeſticis*, aliiſque Regni Francorum Optimatibus directa cum hoc exordio: *Cognoſcatis qualiter Apoſtolicus vir in Chriſto Pater Bonifacius Epiſcopus ad nos venit, & nobis ſuggeſſit, quod ſub noſtro mundeburgio vel defenſione eum recipere deberemus*, &c. quod tamen etiam commendatitiis Gregorii Papæ ad Carolum litteris tribuendum eſt.

CIRCA AN. 781

25. Aug.

Luc. 7.

redit in Turingiam

men ex illo die crevit amor & honor hominis Dei & diſcipulorum ejus apud omnes, qui fidem illorum & vitam ſcire & inveſtigare interius deſiderabant: & juxta dictum Evangelii, juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis. Redierunt Electi Dei iterum ad ſua, & in cœpto opere ſine ulla hæſitatione permanentes in Turingis & in Haſſis, ubi tunc temporis maxime opus erat doctrina illorum ob vicinitatem paganorum & indoctam plebem. Ibique cœperunt ab offerentibus propter amorem Dei & ſalutem animarum

Eccleſias conſtruit.

ſuarum modica loca territoriaque ſuſcipere, & in eis Eccleſias conſtruere, & in hoc quoque opere, ſicut & in prædicatione ſua, cum benedictione Dei multu proficere: de quibus locis eſt unus in Turingia, nomine *Erpesford*, & alius in Haſſis, *Frideslar*, cum ceteris nonnullis, quos initiaverunt Electi Dei, & excoluere cultu divino. Tunc creverunt loca divitiis, crevitque numerus diſcipulorum; ac virtute operum proficiebat. Crevit etiam beatus adoleſcens Gregorius cum ſuo Magiſtro in omni operum virtute & decore ſapientiæ divinæ, ſecundum formam Magiſtri, a quo didicerat. Et ſic in his omnibus, ſecundum Pſalmiſtæ dictum, qui Electis Dei legem dedit in virtute operum, dedit & benedictionem in multiplicatione & profectu diſcipulorum: & ſic ibant de virtute in virtutem quotidie in melius proficientes & creſcentes in omni opere bono.

Pſal. 83.

Carolo Martello mortuo, anno 741.

9. Interea, dum hæc ita geruntur ab electis Dei Bonifacio & diſcipulis ejus, ſucceſſerunt in regno patri Karolo religioſi filii CARLMANNUS & PIPPINUS, patre debitum univerſæ carnis perſolvente & tranſeunte de hoc mundo. Tunc pii filii patri ſuccedentes in regnum, quia eis undique per gratiam Chriſti major quies erat largita bellorum quam fuiſſet patri, cœperunt in regno ſuo, inſpirante Deo, religionis officia intentius quærere, & meliorare. Cœpit & hoc audire B. Bonifacius futurus Martyr, & diſcipuli ejus: cœperuntque frequentius approximare palatio quam feciſſent, & loqui cum Regibus, & prædicare ſecundum datam ſibi a Deo gratiam populum Dei in ipſo palatio. Et in tantam gratiam venerunt apud Reges ſupradictos & omnem populum Francorum, ut omnes una voce dicerent & concordarent, B. Bonifacium digniſſimum eſſe epiſcopatu & omni honore, exceptis illis pſeudo doctoribus *a* & adulatoribus, quos ſuperius dixi: qui & eum interficere aliquando moliti ſunt; ſed non dimiſit eum Dominus protector ejus venire in malevolas manus eorum, donec adnuntiaret, ſecundum dictum Pſalmiſtæ, brachium & potentiam Dei generationi quæ ventura erat. Igitur ipſi ſoli cœperunt contradicere, & eum blaſphemare quantum potuerunt, atque adfirmare, non eſſe eum dignum epiſcopatu, quod peregrinus erat. In tantum erant tunc ſanioris conſilii laici quam Clerici, videntes ſapientiam Dei & gratiam eſſe in homine illo, ut quo amplius perverſiſſimi illi, non dico Epiſcopi, quibus nomen illud datum eſt immerito, eum vituperare conati ſunt, tanto amplius diligeretur ab hominibus, & laudibus efferretur, quoadusque in certamen venirent coram Regibus & coram univerſo Senatu populi Francorum. Sed quid opus eſt dicere de illa diſceptatione quam habuerunt tunc ad invicem, illi ſcilicet perverſiſſimi, quos nominare nolo, ex una parte; & S. Bonifacius ex altera cum diſcipulis ſuis Gregorio & ſociis ejus; dum confuſi, & refutati ab omni Senatu & ab ipſis Regibus, inde diſcederent adverſarii, & S. Bonifacius futurus Martyr ad hoc perveniret, ut abſque ullius contradictione, una omnium voce eligeretur in epiſcopatus ſublimiſſimum gradum, & Maguntia metropolitana Eccleſia ei daretur a Regibus providenda & regenda *b*. Ex eo die quantum claruerit ſapientia ipſius omni Regno Francorum, quantaſque Synodos cum religioſis Regibus ad correctionem popu-

Bonifacii crevit auctoritas.

Falſis doctoribus adverſantibus ipſius promotioni,

Pſal. 70.

Maguntinus Antiſtes deſignatur.

a Fortean Clemente & Aldeberto, peſſimis hæreticis, de quibus in Actis S. Bonifacii, niſi quod Auctor etiam Epiſcopos notat infra: an Virgilium? quem Bonifacius apud Zachariam accuſavit invaſi epiſcopatus, ex lib. 2. Othloni cap 9. & Clemens ſe Epiſcopum venditabat, ibid. cap. 4. Huc ſpectat Concilium Romanum ibidem; & Sueſſionenſe, in quo Aldebertus & Clemens damnati anno 744.

b Id factum eſſe anno 745 aut inſequenti, probavimus in Vita S. Bonifacii, ad lib. 2. Othloni cap. 7.

Digitized by Google

populi poſtea inſtituiſſet, non in iſto opuſculo modo dicendum eſt, dum in modum ſolis effulſerit in templo Dei, ac prædicatione ſua & exemplis omnes nebulas effugarit infidelitatis & hæreticæ pravitatis: quoniam & iſta omnia in libello de paſſione ipſius ſcripto plene & lucide manifeſtantur. CIRCA AN. 781 25. Aug.

10. Ad hæc autem univerſa non modice adjutus eſt ab electis diſcipulis ſuis, poſt Magiſtrum clariſſimis prædicatoribus & columnis Eccleſiæ Dei: quorum unuſquiſque civitatem & regionem ſuam, ſicut Lucifer mane oriens, illuminavit exemplis. Et doctrina ſua B. GREGORIUS Trajectum *, antiquam civitatem, & vicum famoſum *Dorſtad a* cum illa inradiavit parte Freſoniæ, quæ tunc temporis Chriſtianitatis nomine cenſebatur. Idem uſque in ripam occidentalem fluminis quod dicitur *Lagbeki*, ubi confinium erat Chriſtianorum Freſonum ac paganorum, cunctis diebus Pippini Regis. LULLUS Maguntiam metropolitanam civitatem cum maxima parte Chriſtianorum Freſonum, qui in parochia urbis illius conſtiterunt, incoluit. MEGINGODUS, venerabilis Pater & paſtor gregis ſibi commiſſi, civitatem *Virzeburg* cum ſuis adjacentiis in ſua ſorte ſale ſapientiæ & doctrinæ ſuæ condivit & cuſtodivit. WILLIBALDUS, electus Dei Antiſtes, epiſcopatum quod nuncupatur in *Hebſtedi b*; in parte proxima nobis Baguariorum; idem in *Nordgoe*, ſimili modo, ut pius Pater a fundamentis illud erigens melioravit & cuſtodivit. Necnon & germanus prædicti Willibaldi, nomine WINNIBALDUS, Presbyter, Magiſtro meo B. Gregorio valde carus, & ipſe locum & regionem ſuam ſancte & feliciter illuſtravit: qui poſt obitum ſuum quid vivens fecerit, magis miraculis oſtendit. STURMI vero venerabilis Abbas, unus ex numero illo Electorum Dei, quantum profecerit in eremo ſua poſt martyrium ſancti Magiſtri, Bocauna ſilva in teſtimonio eſt: quæ prius omnimodis inculta erat ac deſertum, nunc autem ab oriente uſque ad occidentem, a ſeptemtrione uſque ad meridiem, Eccleſiis Dei & electis palmitibus Monachorum repleta eſt. Qui etiam Sturmi Abbas hoc meruit privilegium a Deo & ſancto Magiſtro præ condiſcipulis ſuis, ut ipſum locum quem Magiſter ſanctus elegit ad ſepulturam corpori ſuo, poſſidere mereretur & initiare, & ſanctum corpus ejus martyrizatum in eodem ſuſcipere: & in tantum provehere & glorificare eumdem locum, ut ante obitum ſuum de hoc mundo, quadringentorum circiter Monachorum, exceptis Pulſantibus *c* & aliis minoribus perſonis, quorum numerus multiplex erat valde in ipſo Monaſterio, poſito juxta fluvium Fulda, Pater extiterit & præceptor. Duo autem ex illis Electis Dei, WIGBERTUS & BURGHARDUS, ante Magiſtrum migrarunt a ſæculo. Sed non ſunt illi abſque palma electionis ſuæ, dum ad regna cœleſtia Magiſtrum præcedere meruerunt, & in regionibus ſuis pro Sanctis Dei habentur & coluntur ab omnibus, qui vitam illorum & virtutem cum Deo noſſe potuerunt. Cernis, o Lector intelligens & diligens, quanta chariſmata in uno homine fuerint; & quid pauper ille, qui ſolitarius dudum in Freſoniæ partibus fuerat, per tempus oſtenſionis ſuæ fecerit ad fructum Eccleſiæ Dei. Non autem ipſe hæc per ſe potuit, ſed ſecundum Apoſtolum, *gratia Dei cum eo fecit hæc univerſa, & ſtabilivit*. Igitur quia paullulum propter communem laudem diſcipulorum ſancti Magiſtri Bonifacii a propoſito itinere narrationis elapſus ſum, nunc iterum ad id redeam unde digreſſus ſum.

Adjutores habet Gregorium & alios.

* Utrecht

1. Cor. 15.

11. Tunc B. Bonifacius Martyr futurus, lubentibus religioſis Regibus, cum conſenſu omnis Senatus populi Francorum, miſſus eſt Romam ordinan- Bonifacio Romæ ordinato Epiſcopo,

a Nunc opidum ſitum ad Rheni ripam, eo in loco ubi e veteri Rheno profluit Lecca, hic *Lagbeki* dictus. *Beech* enim vel *Bach*, Teutonicis flumen, prænomen Leccam vel Leggam admittit, ut recte Brovverus monet.

b Alii *Eicſtat* appellant. Lege Acta S. Vvillibaldi & aliorum hic nominatorum ſuis locis.

c Id eſt Novitiis. Lege Haeftenum in lib. 4. tract. 2. Diſquiſit. 1. in Regulam S. Benedicti. Quamquam Adelardus Abbas Corbejenſis *Clericos Canonicos Monaſterii*, *Pulſantes* vocat in Statutorum lib. 1. cap. 3.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781 25. Aug. nandus in epiſcopatus gradum ad Gregorium Papam tertium *a* a primo; ibique ei nomen ſuum modo omnibus notum & divulgatum, ſimul cum benedictione & gradu epiſcopatus, ab facundiam linguæ & gratiam labiorum a Deo ſibi donatam, inditum eſt ab apoſtolico Pontifice BONIFACIUS, qui antea WINFRIDI vocabulo cenſebatur. Sicque ſanctus vir, & gradu decoratus & nomine, coram omni Clero & familia beati Petri Principis Apoſtolorum & coram ipſo Gregorio Papa proſtravit ſe, & oravit, ut propter Deum & amorem S. Petri ibidem illico in ipſa Eccleſia cum ſupplici devotione pro ſe flecteret genua omnis Clerus qui præſens aderat, & unanimiter omnes orarent Dominum, beatumque Petrum interceſſorem invitaret & auxiliatorem orationis ſuæ, ut bono fine & Deo placabili terminare mereretur & concludere dies ſuos. Qui etiam omnes, inſpirante Deo, unanimiter cum ſumma devotione inclinantes ſe coram Reliquiis B. Petri Principis Apoſtolorum, compleverunt petitionem ejus, ſacra oratione & Paſtoris & gregis fuſa ad Deum. Quæ oratio cum ſanctis meritis ipſius conveniens quantum valuerit apud Deum omnipotentem, teſtatur ſanctum martyrium ejus peractum in diebus ſenectutis, etiam tunc nimiæ imbecillitatis corporis ſui, dum in decrepita ætate poſitus, vivere in hoc mundo non valeret diutius. Ecce quomodo ſapiens architectus & electus Dei Pontifex Bonifacius, non ſuper fluidam arenam humani conſilii & ſuperbæ contumaciæ, ſed ſuper tutiſſimam petram divini conſilii & apoſtolicæ humilitatis ædificavit domum ſuam. Et idcirco, dum venirent flumina humanæ adverſitatis ac perturbationis, flarentque venti diabolicæ tentationis & calliditatis, & impingerent in domum Matth. 7. ejus, non potuerunt eam movere: quia ſecundum Domini dictum, fundata erat ſuper firmam petram, quæ petra erat Chriſtus. Noſter modo interceſſor & certiſſimus patronus apud Deum, conſideravit perpendens, in quanto periculo & miſeria, humana conſtituta ſit infirmitas. Non in ſemetipſo poſuit fiduciam ſuam, juxta morem ſuperborum partis adverſæ: ſed ad humilitatem apoſtolicam & filiorum Dei recurrit, in largitatem divinæ miſericordiæ & devotam ſupplicationem Eccleſiæ Dei ſolidavit ſpem ſuam. Sic enim & Apoſtoli Chriſti, eorumque ſucceſſores & cohæredes in regno Dei, in omni labore & tribulatione ſua, oratione Eccleſiæ Dei ſine intermiſſione adjuti, omnia potuerunt implere quæ eis præcepta erant a Domino. Eja Præſules & Prædicatores populi Dei, eodem honore & pari gradu in hoc ſæculo decorati, adſpicite & intelligite, & adſumite exemplum juſti hominis: ut cum vocati a Deo & electi ab Eccleſia Dei, non muneribus obcœcati, ad gradum epiſcopatus & ad regimen ſanctum acceſſeritis, juxta formam ejus vos inſtituere, fructumque adferre valeatis permanſurum in vitam æternam.

Gregorius ubique comes adhæret, 12. Et in illo quoque itinere, dum ſanctus Martyr Bonifacius Romæ, ſicut ſuperius dictum eſt, ſacro gradu ſublimatus eſt, B. Gregorius Præceptor meus, electo Magiſtro infatigabilis comes permanſit; intrans, & egrediens, & pergens ad imperium ejus, ſicut ſemper ſolebat in omni opere bono. Et non ſolum in hoc eodem itinere, meritum humilitatis & obedientiæ ſuæ peregit, ut dignum eſt juniores ſubdi ſenioribus & majoribus ſuis in omnibus; ſed etiam plura volumina ſanctarum ſcripturarum, largiente Domino, illic adquiſivit, & ſecum inde ad profectum proprium diſcipulorumque ſuorum non modico labore advexit domum. Sed & pueros duos duobus ſecum diſcipulis adductis. cum conſenſu Magiſtri in diſcipulatum ſuum, MARCHELMUM *b* videlicet & MARCUVINUM de gente Anglorum, ſecum inde adduxit. De quorum ſeniore Marchelmo religioſiſſimo & ſancto viro, ut dignum eſt, donante Deo,

a Hic duplex menda. Neque enim Bonifacius a Gregorio tertio, ſed ab ejus deceſſore cognomine, ordinatus eſt Epiſcopus; neque primum in epiſcopali ordinatione nomen accepit Bonifacius: quod utrumque ex S. Bonifacii Actis conſtat. Certe alia quædam facta præpoſtere narrat Auctor, ut refutatio pſeudo-Sacerdotum ſupra num. 9. quæ longe poſt Bonifacii ordinationem facta eſt.

b Hic eſt Marchelmus, S Suidberti Epiſcopi comes ac diſcipulus, cui ſpuria de S. Suidberto commenta tribuuntur ſub nomine Marcellini, ut in S. Suidberti Elogio demonſtratum.

Digitized by Google

Deo, ſuo loco aliquid plenius dicam. Tunc felix comitatus, Magiſter videlicet ſanctus & diſcipuli ejus electi, & propriis meritis & interceſſione omnis Cleri ac familiæ S. Petri commendati Deo & Sanctis ejus, reverſi ſunt domum, creſcentes & proficientes ex illo die in omni opere bono; docentes & inſtruentes in via Dei, qua ipſi ibant, non ſolum populum & Proceres Francorum: ſed etiam ipſos Reges religioſos ſale ſapientiæ divinæ non mediocriter condierunt. Et ſic in conſenſu & unanimitate Regum, & cuncti populi per omne Regnum Francorum cœperunt quotidie magis magiſque detrimenta fieri diabolo, & incrementa Eccleſiæ Dei; hæreticæ pravitates non apparere, & catholica Fides in omnibus rutilare, ac Religio munda & immaculata longe lateque clareſcere.

CIRCA AN. 781 25. Aug.

13. Sed quia adhuc uſque communiter & mixtim, nunc de ſancto Magiſtro & Martyre Bonifacio, nunc de Beato Gregorio electo diſcipulo ejus, modica quæ potui ex magnis, de ſancta eorum converſatione ob utilitatem audientium & exemplum futurorum litteris commendare curavi; deinceps ſpecialiter Beati Gregorii facta & virtutes, & ſalutiferæ prædicationis documenta, quibus erudiri licet indignus, & intereſſe merui ab infantia, paucis aperire non negligam. Et primo, dignum & memorabile opus ab eo evangelice paractum, intimandum exiſtimo, quod de remiſſione & indulgentia inimicorum mirabili charitate & poſteris profuturo exemplo implevit. Fuerunt ei fratres nobiles & eximii de patre generati, & de matre ejus nati alii fratres, & tempore & viribus ſecundum ſæculi dignitatem minores: quibus neceſſe erat in obſequio eſſe majorum. Factum eſt autem, ut aliqui ex majoribus fratribus honorati a Rege, mitterentur in longinquiora Regna Galliarum; illuc & ſubſequi, & inhærere neceſſe erat junioribus. Dum vero poſt ſpatium temporis peracti, & parentes viſitare placeret & patriam; accepta licentia a ſenioribus ſuis, duo uterini fratres præceptoris mei Gregorii cœperunt ire, & propoſitam carpere viam, ut ad Franciam, id eſt naturale ſolum, pervenire potuiſſent. Qui dum irent in via, juvenili audacia amplius ſecuri quam oporteret, in quadam ſilva, latronum crudeli manu circumdati & occiſi ſunt. Quod ſtatim tam lugubre nuntium dominos eorum celari non potuit, qui in illis diebus principatum non modicum ipſis in locis habuerunt. Quod ut audierunt, miſerunt circumquaque ſatellites ſuos, qui eoſdem latrones & carnifices exquirerent & comprehenderent. Qui & inventi & comprehenſi, & ligati ſtatim adducti ſunt: & licet digni haberentur omni pœna, & crudeliſſima morte interfici; tamen ob reverentiam & amorem fratris eorum domni Gregorii, cogitabant, ut eum aliquid in hoc conſolarentur poſt mortem carorum, ſi ipſos homicidas & interfectores eorum ad ejus dominium & præſentiam pervenire facerent, ut ad ſatisfactionem & mitigationem doloris ſui, quali vellet morte ipſe eos interfici juberet. Quod & fecerunt; duos ex illis præſentari jubentes, carnaliter dumtaxat cogitantes ſecundum ſtultam ſapientiam ſæculi hujus, quæ inimicis pie parcere non novit. Ipſe vero, ut erat vir ſpiritalis, doctus a Domino JESU-CHRISTO & ſancto Evangelio ejus, in quo didicerat ſcriptum: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt*, ſpiritaliter eos & gratanter ſuſcepit; cogitans utrimque, & de ſua ſalute ſempiterna, & de fratrum interfectorum abſolutione: exemploque poſteris profuturo, & juſſit eos abſolvi, & balneari, veſtibus indui mundis, atque cibis refici. Tunc ad ſe ductis præcepit dicens: Ite in pace; & cavete, ut non ulterius tale malum perpetretis, ne deterius vobis aliquid contingat. Et juſſit in pace deduci, admonens paterna charitate, ut a ceteris propinquis ſuis caute ſe cuſtodirent. Quid nos modici & infirmi ad hæc dicturi ſumus, qui nec minimi verbi læſionem abſque ultione, ubi facultas ſuppetit, ferre valemus? dum de perfectis talia cognoſcimus, penſemus, ubi

Necis fratrum ſuorum auctoribus parcit.

Matth. 5.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781 25. Aug. noſtra infirmitas proſtrata jaceat, quæ numquam tale aliquid vel mente concepit: ut flere magis libeat, quam aliquid dicere. Forſitan obtinebunt nobis veniam lacrymæ apud pium judicem Deum, qui in meritis fiduciam habere non poſſumus.

Stephani Papæ licentia verbum Dei Friſiis prædicat. 14. Sed & hoc ſilentio minime tegendum eſt, quod Marchelmo venerabili viro narrante didici, cujus ſuperius memoriam feci: quia poſt martyrium ſancti Magiſtri, a quo per gratiam Chriſti & meritum ſanctitatis ejus omnes confines nationes illuminatæ ſunt, ipſe quoque Beatus Gregorius a STEPHANO apoſtolicæ Sedis Præſule & ab illuſtri & religioſo Rege PIPPINO ſuſcepit auctoritatem ſeminandi verbum Dei in Freſonia: in qua primus S. WILLIBRORDUS, cognomento Archiepiſcopus, in converſione gentis illius initiavit rudimenta Chriſtianæ Fidei cum diſcipulis ſuis. Deinde ſeneſcente eo in opere Dei, & ſtabilito epiſcopatu in loco qui nuncupatur Trajectum & alio nomine *Vviltaburg*, & migrante ad Dominum de hac luce, ſucceſſit Sanctus Bonifacius idem Archiepiſcopus & Martyr, quem oculis meis ipſe vidi candidum canitie & decrepitum ſenectute, plenum virtutibus & vitæ meritis. Quo tempore in ejus diſcipulatu, ſicut ſuperius memoravi, B. Gregorius præceptor meus ab ineunte ætate fuerat enutritus, cui & ſucceſſit *a* pius hæres ejuſdem gentis Freſonum Paſtor & Prædicator ordinatus a Domino, & a Principibus ſupradictis Eccleſiæ Dei. Eademque charitate, ſicut & fidei firmitate, qua prædeceſſores ſui, ſanctus videlicet Willibrordus Archiepiſcopus & Confeſſor & Bonifacius Martyr atque Archiepiſcopus, larga & melliflua eruditione populum irradiavit ſimul cum Chorepiſcopo & adjutore ſuo ALUBERTO *b*, qui de Britannia & gente Anglorum veniebat, magnis vitæ meritis pollens: & eadem benevolentia juxta vires Domino ſtuduit animarum lucra adquirere.

Auctor S. Bonifacium vidit.

Diſcipulos recte informat Gregorius, 15. Quod etiam & in diſcipulorum multiplici benedictione ditatus eſt Beatus Gregorius, nemo dubitat a Deo ei datum fuiſſe, qui ejuſdem electi viri & vitæ meritum penſare voluerit, & pretioſiſſimum ſapientiæ ejus theſaurum inveſtigare. Propterea & hoc dignum eſſe memoria videtur, qualiter diſcipulos ſuos ſimul cum eis communi vita converſando, ut pater filios educarit & dilexerit, ſingulisque tanto charitatis glutino jungeretur, ut apoſtolicum illud ſanctum & præclarum teſtimonium non tantum ex ore proferret ad ædificationem audientium, ſed opere & veritate ad imitandum cunctis oſtenderet, quod de vocatione & electione omnium gentium a Beato Petro Apoſtolo dictum conſtat: *Quomodo in omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*. Non enim ex una qualibet gente ejus erant diſcipuli congregati, ſed ex omnium vicinarum nationum floribus adunati; & tanta familiaritate & manſuetudine lætitiaque ſpiritali illuminati ſunt, ut luce clarius daretur agnoſci, quia de uno patre ſpiritali & de matre omnium charitate generati ſunt & coadunati. Quidam enim eorum erant de nobili ſtirpe Francorum, quidam & de religioſa gente Anglorum; quidam vero & de novella Dei plantatione diebus noſtris inchoata Freſonum & Saxonum; quidam autem & de Baguariis, & Suevis, vel de quacumque natione & gente miſiſſet eos Deus: quorum minimus ego ſum, modicus & infirmus alumnus. Quibus omnibus undecumque, quaſi ad unum ovile collectis, pius Pater & Paſtor Gregorius & ſpiritalia nutrimenta doctrinarum & eloquiorum Dei, & corporalia alimenta eadem devotione procuravit & donavit: & ita inſpiratus a Deo exarſit in amore & inſtitutione diſcipulorum, ut nullus pene præteriret dies, quo non primo mane paterna ſol-

Actor.10.

Liudgerum in iis,

a Non tamen ordinatus Epiſcopus, ut patet tum ex Actis S. Bonifacii, tum ex Obſervationibus prævii ad hanc Vitam.
b De Aluberto Gregorii Chorepiſcopo in commiſſa Trajectenſium cura, plura leges in Actis ſancti Liudgeri Sæculo proximo ad annum 809.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781. 25. Aug.

licitudine conſedens, ſingulis quibuſque venientibus, prout quiſque quæſivit, poculum vitæ propinaret, & irrigaret eloquio Dei.

Diſcipulos habuit Epiſcopos & doctos.

16. Ipſorum quoque diſcipulorum ejus plurimi tam nobiles erant, tantoque præditi ingenio & doctrina Dei, ut ad arcem epiſcopatus a & merito vocarentur, & venirent; plurimi vero eorum, æqualiter edocti & diſciplinati, etſi non tanto gradu ſublimati ſunt, meritis tamen non erant exigui, ſed ſcientia & charitate Dei eximii. Operæ pretium & dignum eſſe videtur, ut quoquo modo valeam, ſingulorum teſtimonia, ſuis in locis, & ſigna charitatis non abſcondam. Interim tamen de B. Gregorio, quæ cœperant, pauca de multis, ad profectum audientium proferre conabor: quoniam peccati reus eſſe pertimeſco, ſi de cognitis, & tam profuturis bonis, vel extrema quædam narrare non incipiam.

Eleemoſynam aliaſque virtutes exercet.

17. Erat enim vir ille venerabilis, ſecundum Sapientiæ dictum, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in theſauris pecuniæ: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Deo, & eleemoſynas ejus divulgat Eccleſia Sanctorum. Noverat utique ſcriptum; & opere noverat & veritate, non ſermone caſſo: *quia radix eſt omnium malorum cupiditas*: & idcirco eam quaſi immane præcipitium & inferni foveam exhorruit, & præcavebat in omnibus. Sicut enim cupidi pecuniarum, & avari qui animam ſuam venalem habent, timent ne prodant & perdant lucra terrena; ſic metuit vir ille ſanctus, ne forte abſcondendo ea & cuſtodiendo perderet cœleſtia. Et idcirco quotieſcumque auri & argenti in poteſtatem ejus aliquid devenerat, ſtatim expendere curavit, & pauperibus diſtribuere, ut vir evangelicus ſecundum Evangelii mandatum faceret, & theſaurizaret ſibi theſauros in cœlo, ubi nec ærugo nec tinea demolitur, & fures non effodiunt nec furantur. Et quoniam totam ſpem ſuam tam firmiter & expedite collocavit in cœleſtibus, nihil eum nocere potuit nec inretire, quod de terrenis & caducis delectabile eſſe videbatur in mundo. O virum venerabilem & electum, manſuetum & pium, cœleſtibus ſemper intentum, & de caducis & terrenis minus curantem: quod & habitu monſtrabat & actu! Nullum in eo locum invenit ſuperſtitio veſtium & ciborum, non jactantia, & detractio: ſed uno eodemque æquali cum ceteris veſtimento & victu ſemper contentus erat: & ex hac linguæ & vitæ munditia foris innotuit, quantæ puritatis dilectione cor ejus interius plenum erat. Ex ſimplici vero veſtimentorum uſu atque ciborum, monſtravit exemplo auditoribus ſuis, quod ſermone docuit ex præceptis Dei & Sanctorum ejus. Nam legerat ſcriptum beato Petro Apoſtolo admonente: *Non in veſte pretioſa*: & Coapoſtolo ejus Paulo adhortante didicerat, quoniam *eſca & potus non eſt regnum Dei*; *ſed juſtitia*, *pax*, *gaudiumque in Spiritu-ſancto*. De potu vero ejus quid dicam? in quo ei tantum erat temperamentum, ut vix unquam, ſecundum Apoſtoli dictum, modico vino uteretur, quod non eſſet aqua mixtum. Et non tantum in ſemetipſo hoc adimplevit apoſtolicum dictum; ſed & omnes ſibi ſubjectos vehementer ſemper admonuit, ut numquam ebrietatis malum incurrerent, ſed velut inferni foveam præcaverent atque vitarent. Et de vitiorum omnium deſtructione virtutumque ædificatione in ſua prædicatione propheticum illud frequenter proferre ſolebat: *Poſui te ut evellas & deſtruas*, *& diſperdas & diſſipes*, *& ædifices & plantes*; volens auditores ſuos omnes dictum hoc intelligere, quia numquam virtutum decor & bonorum operum ædificium ſurgit, niſi vitiorum labes & immunditia deſtruatur. Sed & apoſtolicum illud glorioſum & omni laude dignum teſtimonium, propter incitamentum charitatis Dei & proximi atque deſiderium regni cœleſtis, frequentiſſime in concluſione prædicationis ſuæ ſolebat aptare: *Quod oculus non vidit*, *nec auris audivit*, *neque in cor homi-*

Eccl. 31. — 1. Tim. 6. — Matth. 6. — *Veſte vulgari uſus.* — 1. Petr. 3. — Rom. 14. — *Sobrietati deditus.* — 1. Tim. 5. — Jerem. 1. — 1. Cor. 2.

a Idem teſtatur Altfridus in Vita ſancti Liudgeri num. 8. quos inter numerandus ipſe Liudgerus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781 25. Aug. *hominis adſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe*. Sciens igitur prædicator pius his duobus teſtimoniis, prophetico ſcilicet & apoſtolico, intentis auditoribus multum conferri per chariſma abſconditum Spiritusſancti, quod & Prophetam implevit & Apoſtolum; & idcirco tam ſedulo in cœleſti prædicatione ſua hoc uſus eſt oraculo & hortamento virtutum.

Obtrectatoribus ſuis benignus. 18. Et quoniam ſuperius uno operis teſtimonio, quod tam religioſe vir Dei Gregorius ſecundum dominicam orationem de remiſſione implevit, multa bonorum operum inſignia demonſtrantur; libet & illud referre; qualiter fecit in quotidiana converſatione ſua de omnibus obtrectatoribus ſuis, qui ei aliquando derogabant propriis vitiis inſtigati: qualiter eos non quaſi pro detractoribus exhorruit & odivit, ſed quaſi amicos & Pſalm. 37. adjutores ſemper amavit & adiit; & ſecundum Pſalmiſtæ dictum, tamquam ſurdus eos non audiens, & quaſi mutus non aperiens os ſuum, benigne cum eiſdem converſatus eſt, nihilque eis negavit, quæ amicis impendere debuit. Unde hoc ei, niſi gratia ſuperna largiente, præ munditia mentis egregiæ venire potuit, quod tamquam parvulus tam oblivioſus injuriarum, tam tenax virtutum fieri valuit? Sagitta enim ſermonis Domini non tantum ejus corporis aures tetigit, ſed etiam cordis aures veraciter penetravit, & illuminavit: ubi in Evangelio, parvulo ad ſe vocato, adhuc rudes Apoſtolos ſuos, & cum ipſis ſimul omne hominum genus viam regni cœlorum qualiter intrare debeant admonuit, dicens: *A-* Matth. 18. *men dico vobis, niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Hoc ergo & cum familiaribus & cum extraneis non ſemel exercuit, ſed aſſidue, niſi ubi diſtrictio diſciplinæ & correctionis inter ſubjectos aliud exigebat. Sed dum vir iſte tam humilis & pa- vindice Deo. tiens, pro amore divino tam contemtibilia & ſuæ perſonæ indigna & ferre voluit æquanimiter, & potuit; evenit hoc, quod in diebus ejus pene omnibus qui eum noverant incognitum non erat: quia pene omnes hi qui tanto viro honorem debitum impendere noluerunt, ultione divina percuſſi ſunt, & ad cognitionem ſui, licet coacti & inviti, reducti: ut palam daretur intelligi ſcire volentibus, quia ſub divina cuſtodia fortiter intus protegebatur, quamvis interdum ante oculos hominum ſuperborum ferre videretur indigna opprobria. Sed quid hoc attendere voluerit & imitari, non mediocriter ei proficiet ad introitum regni cœleſtis: dum omnes, qui eamdem viam præceſſerunt, talia paterentur, ſecundum dictum Actor. 5. & formam Apoſtolorum, qui ibant flagellati a conſpectu concilii gaudentes & dicentes, quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Eleemoſynæ præcipue deditus. 19. Verum quia inter virtutes maximas opus eleemoſynarum ab ipſo Domino & Redemtore noſtro eſt ordinatum, & omnes Scripturæ ſanctæ novi Teſtamenti & veteris hoc opus ſalutiferum laudant & glorificant; de largiflua eleemoſynarum datione Beati Gregorii ad memoriam poſteritatis & imitationis exemplum pauca ſunt proferenda. Floruit enim vir ille virtutibus aliis multis, ſed maxime in eleemoſynarum ſacra purificatione fuit ſemper intentus, in tantum ut nihil ſibi auri, nihil argenti præter Eccleſiæ neceſſaria miniſteria unquam reſervare voluiſſet. Sed & de alia ſubſtantia ſua, eadem benignitate largus habebatur & dilatatus, pauperibuſque Chriſti ſemper proficuus, & pius: nihilque ſibi ex ea, excepto victu quotidiano & veſtitu ſimplici, voluit reſervare, ponens ſpem ſuam totam magis in tremendi examinatione judicii, quam in præſenti locupletatione theſaurorum & divitiarum mundi. Ideoque tam facile pro amore Chriſti omnia largiri potuit quæ habebat, ex cujus ore Lucæ 11. & exemplo eadem didicerat quæ faciebat: *Quod ſupereſt vobis date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis*. Conſideravit eadem fide & charitate ſanctos Patres in veteri Teſtamento a Deo donatos, eadem ſpe re-

Digitized by Google

remunerationis ſempiternæ de eleemoſynarum operibus fructuoſis ſemper fuiſſe ſollicitos : unde & in Pſalmo ſanctus Propheta pro beatitudinis teſtimonio hujus operis devotionem poſuit dicens : *Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem : in die mala liberabit eum Dominus.* Sed & alius Propheta de eodem opere ſancto laudabiliter canit & dicit : *Sicut aqua exſtinguit ignem, ita eleemoſyna exſtinguit peccatum.* Dominus quoque ipſo pro hoc opere in die tremendo Sanctos ſuos gratia ſua & benedictione ſempiterna effert & extollit dicens : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi : quia eſurivi, & dediſtis mihi manducare ; ſitivi, & dediſtis mihi bibere ; nudus fui, & operuiſtis me,* &c. Talia Beatus Gregorius de utroque Teſtamento, in quibus doctiſſimus erat, intelligendo & penetrando præcepta & divinam Scripturam, legem vertit in opera : & non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, in lege Dei ſemper erat. Eja milites Chriſti, audite & intelligite, & adſumite exempla Patris hujus rectiſſima & præclara, ut vobis etiam adhuc in corpore viventibus, & intentibus ac diligentibus ea, inde creſcat gratia Dei, largiens vulnerum noſtrorum remedia, unde illi creverunt tantarum virtutum ornamenta.

[CIRCA AN. 781. 25. Aug. — Pſal. 40. — Eccleſ. 3. — Matth. 25.]

20. Talibus ſucceſſibus & vitæ meritis beatus Abbas meus & Præceptor Gregorius, dum ſemper in melius creſcendo proficeret, & prope jam ad ſeptuaginta annorum ætatem tam carus Deo quam cunctis hominibus perveniret : adfuit dies, in qua militem ſuum Dominus adhuc meliorando ſubvehere vellet ad ſublimiora, & remunerationis ei præmia largiri, quæ meritis ejus debebantur & operibus fructuoſis. Tactus itaque eſt ea moleſtia corporali in ſiniſtro latere, quam paralyſin Medici vocant : & creſcente eadem moleſtia & ingraveſcente per dies ſingulos, ſecundum Scripturæ teſtimonium, flagellavit Deus filium ſuum in hac peregrinatione, quem e vicino erat recepturus ad patriam cœleſtium manſionum : tribus enim annis ante obitum ſuum, arreptus eſt illa infirmitate. Sed erat languor talis, ut in primis & ambulare poſſet, vel manu deduci ad profectum proprium & ſubditorum ſuorum ; loqui quæ ad ædificationem pertinebant. Quod utique agere non eſt oblitus ; ſed ſicut ſemper ſolebat, tradere non deſtitit auditoribus ſuis libros divinæ legis & monita ſalutis æternæ. Nam & condiſcipulis melioribuſque meis in eadem moleſtia plures tradidit libros, & mihi modico LUDGERO librum Sancti Auguſtini tradidit, quem Enchiridion, id eſt Manuale ipſe nuncupavit.

[Paralyſi decumbens tribus annis, — Hebr. 12. — ſubditorum profectui vacat. — Ludgero dat S. Auguſtini Enchiridion.]

21. Hæc ita agendo beatus homo Gregorius, a profectu ſpiritualium ſucceſſionum in ipſa ægritudine ſua numquam deſinendo, auxit per ſingulos dies ſanæ mentis ſapientia, licet imbecilli corpore, quod ſibi ſuiſque ad ingreſſum regni cœleſtis & gaudium proficeret ſempiternum. Tertio tandem anno inchoatæ ægritudinis, quaſi auri more quod per ignem tranſiit, corporis fatigatione purgatus ad id pervenit, ut ubicumque opus erat, inter diſcipulorum manus portare neceſſe eſſet. Et nec tunc quidem vir venerabilis ab opere Dei unquam ceſſavit : ſed aut divinos libros legere coram ſe, aut pro eadem mentis ſuæ exercitatione ad cœleſtia pſalmos cantare aſſidue fecit : ſicque ad extrema perducto imbecilla membra corporis, quæ jam tunc lecto ſemper ſuſtentare neceſſe erat, candida facta ſunt ac nitida ad inſtar lactis vel lanæ albæ, ut innoteſceret videntibus in quanta munditia ſpiritus intus haberetur coram oculis Dei. Tunc cœperunt conqueri & contriſtari qui ibidem adfuerunt utriuſque ſexus neceſſarii amici, tam de ejus tranſitu citius imminente, quam de tardatione electi filii ejus ALBRICI, in quo totius domus *a* ſpes magna incubuit : qui tunc temporis in Italia erat regali ſervitio occupatus, & nemini notum quando eſſet

[Viribus deſtitutus, — ad Albrici reditum ex Italia reſervatus,]

a Nempe ſtirpis ac generis ſui, ex quo prodiit Albricus in commiſſa Trajectenſium cura poſt Gregorium ſucceſſor, at Epiſcopus, ut ex Actis S. Ludgeri conſtat, ubi Albricus Gregorii *nepos* dicitur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 781 25. Aug. eſſet venturus. Hæc audiens Pater Deo dilectus Gregorius, cœpit condolere mœrentibus, de ſe ipſo ſecurus, & de filio ſollicitus: & conſolatus eos cœpit, ſicut frequenter ſanus corpore ante ſolebat inter communia colloquia, propheticum illud proferre ac dicere: Nolite timere, non tranſibo, inquit, antequam ipſe veniat. Quod quam veraciter ſpiritu prænoſceret, rei probavit eventus. Nam triduo vel quatriduo ante tranſitum ejus, venit diu optatus & electus filius ejus Albricus inopinate, cunctis neſcientibus, excepto Patre ſpiritali, qui ejus adventum longe ante prædixit.

animam agit ante Oratorium Salvatoris, 22. Tunc continuos illos tres dies aut quatuor in communi utilitate & totius familiæ ſalubri negotio dum ducerent, ſano ſenſu quæcumque deſiderabant invicem conferentes; venit ei dies extremus mortalitatis hujus, ad ingreſſum regni & perpetuæ ſaluti prædeſtinatus. Circumſteterunt eum diſcipuli ejus, deſiderantes adhuc quamvis infirmum Patrem diutius ſecum habere, & de eo optando dicere ad invicem: Non moritur hodie, non moritur hodie. Ipſe vero, viribus adſumtis, quibus valuit: Hodie, inquit, volo licentiam habere. Et his dictis, juſſit ſe ante Oratorium ſancti Salvatoris a diſcipulis portari, & oſtium aperiri: ibique oratione facta & communione ſacri corporis & ſanguinis Domini accepta, adſpiciens ad altare, mente cœleſtibus intentus, ad Dominum perrexit *a*, cui tanto tempore ſincera mente ſervivit; præſtante eodem Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Patre & Spirtu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Viatico accepto,

AN.CHR. 784 16. Julii

SANCTI FULRADI ABBATIS
MONASTERII S. DIONYSII IN FRANCIA, ET FRANCORUM REGIS ARCHICAPELLANI,
ELOGIUM HISTORICUM.

Fulradi duo. 1. FLORUERE *in Gallia* FULRADI *duo unus poſt alium, uterque Abbas: primus Monaſterii S. Dionyſii prope Lutetiam Pariſiorum: alter Cœnobii S. Quintini apud Auguſtam Veromandorum: prior Pippini ejuſque filii Caroli Magni; poſterior Ludovici Auguſti cognomento Pii principatu. De primo hic agere inſtituimus, præmiſſis nonnullis rebus de Monaſterio Dionyſiano, cui is præfuit.*

Monaſterii Dionyſiani initia. 2. *Inſigne vereque regale S. Dionyſii Monaſterium Dagobertus Magnus Francorum Rex quinto ab urbe Pariſiaca lapide ædificavit, eoque loci Monachos inſtituit, qui Agaunenſium perpetuum pſallendi ritum obſervarent. Hic ritus ibidem perſeveravit ad tempus Aigulfi quinti (ut putant) Abbatis, a quo abrogatus fuiſſe dicitur apud Fredegarium & Scriptorem libri de geſtis Dagoberti; poſtea reſtitutus, ut patet ex diplomate Pippini Regis*, dato 8. Kal. Octob. an. 17. regni in ipſo Monaſterio S. Dionyſii, *quo bonorum confirmatio a Pippino fit* eo ſcilicet ordine, ut ſicut tempore anteriorum Regum ibidem in ipſa ſancta Baſilica pſallentium per turmas fuit inſtitutus, ſicut Ordo ſanctus edocet, die noctuque perenniter in ipſo ſancto loco celebretur. *Præterea, teſte*

b Anno ſcilicet ætatis 73. (nam ſeptuagenarius paralyſi correptus, tribus annis ſuperſtes vixit ex num. 20.) Chriſti vero 781. Siquidem annum quintum-decimum agens, Bonifacio adhærere cœpit anno 722. ex notatis num. 4. Diem ſignat Molanus in Additionibus ad Uſuardum 8. Kalend. Septemb. In Annalibus Leodicenſibus a Vvillelmo Heda citatis ſepultus dicitur Gregorius cum matre S. Vvaſtrade in Suſterenſi Cœnobio nobilium Virginum Benedictinarum diœceſis Leodicenſis. Repugnat Joannes de Beka in Alberico, quem in æde ſacra S. Salvatoris (quæ tum primaria erat Trajecti Eccleſia ex dictis in Obſervationibus ad Vitam S. Vvillibrordi) Gregorio conſepultum fuiſſe adfirmat. Sane in Oratorio S. Salvatoris extremum ſpiritum reddidiſſe perhibetur ſupra.

Digitized by Google

teſte Audoeno in lib. 1. *de vita S. Eligii cap.* 32. Eligius fabricavit mauſoleum ſancti Martyris Dionyſii, & tugurium ſuper ipſum marmoreum, miro opere de auro & gemmis: criſtam quoque & ſpecies in fronte magnifice compoſuit: axes quoque in circuitu throni altaris auro operuit, & poſuit in eis poma aurea rotundilia atque gemmata: operuitque & lectorium & oſtia diligenter de metallo argenti: ſed & tectum throni altaris axibus operuit argenteis. Fecit quoque & repam in loco anterioris tumuli, & altare extrinſecus ad pedes beati Martyris fabricavit: tantumque illic ſuppeditante Rege ſuam exercuit induſtriam, atque ita ſuum defudit ſpecimen, ut pene ſingulare ſit in Galliis ornamentum, & in magna omnium admiratione uſque in hodiernum diem. *Demum* Dagobertus *poſt ſuam ipſius mortem* ſepultus eſt in Eccleſia S. Dionyſii, *inquit Fredegarius*, quam ipſe prius condigne ex auro & gemmis & multis pretioſiſſimis ſpeciebus ornaverat. *Eumdem ſepulturæ ſuæ locum elegerunt poſteri Francorum Reges fere omnes: adeo ut Dionyſiana Baſilica evaſerit commune Regum Chriſtianiſſimorum conditorium.* AN.CHR. 784 16. Julii.

3. *De iſto Monaſterio ejuſque baſilica ita loquitur Audoenus in lib.* 1. *de vita S. Eligii cap.* 32. *aliique mediæ ætatis Auctores, quaſi in ipſa Pariſiorum civitate ſitum fuerit. Verum familiare illis Auctoribus eſt, ut urbis cujuſque nomine etiam ſuburbana, id eſt loca urbi vicina comprehendant, uti fuſe & erudite demonſtrat Hadrianus Valeſius, qui Monaſterio Dionyſiano primariam ſedem primarioſque cultores, Monachos ſcilicet, vindicavit in diſceptatione de Baſilicis capp.* 8. *&* 9 *& in defenſionis parte poſteriori capp.* 5. *&* 6. *Cujus argumentis quidquam addere non ſinit viri clariſſimi diligentia, qui hoc in argumento nihil prætermiſit. Sane inſuper unicum mihi occurrit teſtimonium ex Vita beati Adalberonis Mettenſis Epiſcopi, in qua vir pius donaria pretioſa Eccleſiis multis, in his* S. Dionyſio Pariſius, S. Remigio Remis, *tranſmiſiſſe perhibetur ſuo tempore, hoc eſt ante medium ſæculum decimum, quo & Remigiana baſilica mille circiter paſſibus ab urbe Remorum diſtabat, modo pomœrio urbis incluſa; & Dionyſiana, nemine ſecus ſentiente, eo ubi nunc cernitur in loco ſita erat. Iſtius Monaſterii dignitas brevi obſervationum noſtrarum compendio contineri nequit: alia otia ſuumque volumen exigit grandis materia. Id unum hoc loco juvat adnotare,* Sigobertum Reclauſum baſilicæ S. Dionyſii Martyris Romam ad limina S. Petri & S. Pauli miſſum *a Carolo Tudite fuiſſe, uti legimus in Appendice Chronici Fredegariani. Ad Fulradum veniamus, cujus res geſtas Godefridus Henſchenius erudito commentario illuſtravit in Februario Bollandiano.* Situs & primarii cultores.

4. *Fulradum in Aleſatia provincia natum fuiſſe probant ampliſſimæ ejus poſſeſſiones in eo pago conſiſtentes, quas Monaſterio Dionyſiano contulit, nempe* Monaſterium Lebraha, cella S. Hippolyti, *aliaque prædia, de quibus poſtea dicemus. Accedit quod Carolomanno in Auſtria regnanti adhæſit, & (ſicuti ajunt) in Monaſterio Lebrahenſi voluit ſepeliri. Parentes ſuos hactenus ignotos,* Riculfum *&* Ermengardem, *nominat in ſuo ipſius teſtamento, quos clariſſimos fuiſſe conſtat, tametſi de illis nihil ad noſtram pervenit memoriam. Certe dignitas Archicapellani, a Fulrado adminiſtrata, nonniſi ſummatibus & primariis viris concedebatur. Fratrem habuit* Gaustbertum, *ſororem* Waldradanam, *utrumque laudatum in prædicto Teſtamento, quod inferius ex autographo referemus.* Fulradi patria & parentes.

5. *Quantum apud Pippinum Regem valeret Fulradi auctoritas, diſcimus ex Sancti Bonifacii Epiſcopi Maguntini epiſtola* 92. cariſſimo Conſacerdoti Fulrado Presbytero *inſcripta, qua eum rogat,* ut ſuis verbis glorioſum & amabilem Regem Pippinum ſalutet, & illi magnas gratias referat de omnibus pietatis operibus quæ ſecum fecit, *& ut imminentem ſui ipſius obitum ei indicet; diſcipulos commendet, Lullum in primis, quem ſibi Epiſcopum ſubſtitui poſtulat. Nec minoris erat ponderis apud Romanos Pontifices Fulradi nomen. Nam teſte Hadriano Papa in litteris ad Tilpinum Remorum Antiſtitem,* Auctoritas.

ſan-

AN.CHR. 784 16. Julii. ſanctæ memoriæ Bonifacius Archiepiſcopus & amabiliſſimus Fulradus, Franciæ Archipresbyter, tempore Zachariæ & Stephani multum laboraverunt, ut Pallium Abeli Archiepiſcopo Remenſi tranſmitteretur: *idemque ipſe Fulradus Tilpino Pallium ab Hadriano conceſſum detulit, ut ex prædictis litteris conſtat.*

Legationes. 6. *Hinc eſt quod varias legationes ad Romanos Pontifices obivit: quo munere feliciter defunctus eſt. Prima cum Burchardo Vvirtziburgenſi Epiſcopo ab eo ſuſcepta eſt anno 749. ut Zacharias Papa de Francorum principatu in Pippinum conferendo conſuleretur. Idem etiam Stephano Papæ in Galliam accedenti obviam a Pippino miſſus, eumdem poſtea Romam reduxit. Roma cum litteris Papæ ad Pippinum reverſus, iterum iſtuc proficiſcitur, ut Pentapolim & Æmiliam, quas Aiſtulfus Pippino compellente reſtituere Pontifici Romano promiſerat, ipſe in manus Stephani reſignaret: quod & præſtitiſſe, obſidibus & clavibus Stephano datis, auctor eſt Anaſtaſius vulgatus. Aiſtulfo exſtincto Deſiderius cum per Ratchiſi factionem Regnum Langobardorum obtinere non valeret, miſſo Fulrado cum valida Francorum manu, conatus adverſariorum compreſſit. Denique Fulradus apud Hadrianum Papam egit, Pontifex ut Pallium Tilpino Remorum Archiepiſcopo per ſe mitteret. Eumdem etiam ad Hadrianum Papam legatum a Carolo fuiſſe cum Adone Abbate, conſtat ex epiſtola 61. codicis Carolini. In his omnibus quantæ ſemper integritatis fuerit, probant litteræ Stephani & Pauli Pontificum Romanorum ad Pippinum Regem.*

Archicapellani dignitas. 7. *His in litteris aliiſque honoris cauſa nuncupatur* Pippini Conſiliarius, Capellanus palatii, Franciæ Archipresbyter, *id eſt ſummus palatii Capellanus: cujus officium erat* omnem palatii Regum Francorum Clerum ſub cura & diſpoſitione ſua *habere, uti Hincmarus ex libro Adelardi Abbatis Corbejenſis docet in Opuſculo* 14. *Hinc Fulradus Alcuino* Paſtor ſacræ capellæ *appellatur. Id muneris Pippino regnante conſecutus, etiam Caroli Magni principatu retinuit, ut patet ex Hincmari loco citato: tametſi Guillelmus Peiratus in commentario de palatinis Capellanis condito, ſuſpicatur mendum irrepſiſſe in Hincmari textum, cenſetque Fulradum hanc dignitatem adminiſtraſſe tempore Pippini & Carlomanni: at* Carolomanni *loco errore amanuenſium ſuffectum vocabulum* Caroli Magni. *Certe in diplomatis non paucis Fulrado conceſſis a Carolo Magno, nuſquam (ſi non me fallit memoria) Fulradus* Capellanus *vocatur.*

Abbatis munus. 8. *Ante vero quam id muneris obtinuiſſet Fulradus, jam Abbas erat Monaſterii Dionyſiani. Legi varia diplomatum exemplaria, in quibus Fulradus Abbas exprimitur: nec tamen quo ſignanter anno regimen prædicti Cœnobii inierit, adſequi licuit. Jam Abbatem eum fuiſſe anno nono Childerici Regis conſtat ex quodam Pippini Majoris-domus Placito, cujus hæc verba:* Cum reſediſſet inluſter vir PIPPINUS Majorem-domus Attiniaco in palatio publico ad univerſorum cauſas audiendum vel ad recta judicia terminandum, ibique veniens Fulradus Abba de Monaſterio domni Dionyſii, ubi ipſe pretioſus Domnus in corpore requieſcit, advocata RAGANE Abbatiſſa nomine legitemo interpellabat, repetebat ei, eo quod ipſa Ragane vel Agentes in partes ſui Septemolas res S. Dionyſii poſt ſe malo ordine retenebat injuſte ∴ in pago Tellau, quem CHEREBALDUS & conjux ſua AILBERTA per eorum teſtamentum ad caſa S. Dionyſii condonaverant, *&c.* Datum quod fecit menſis Junius dies viginti, annum nono regni Childerico Rege. *Hoc in diplomate, quod primaria manu deſcriptum cum aliis permultis in Archivo Dionyſiano adſervatur, notatu dignum eſt ſigillum cereum diplomati adfixum, in quo exhibetur effigies Chriſti Domini ſtantis, hinc inde Angelos duos habentis, unum ad dextram cum cereo, alterum ad ſiniſtram cum thuribulo. Erat ergo Fulradus Abbas* anno nono Childerici Regis, *id eſt anno* 750. *tametſi Bonifacius epiſtolam* 92. *inſcribit* Fulrado Presbytero, *non Abbati, ob eam quam ſæpe retuli rationem, quod ii ſcilicet Abbates qui Presbyteri erant, paſſim omiſſo Abbatis nomine Presbyteri appellarentur. Exſtat & aliud diploma* datum anno ſecundo Pippini Regis, *quo in diplomate* Fulradus Abbas *dicitur.*

9. *Is*


Digitized by Google


9. *Is varia obtinuit privilegia in gratiam Monaſterii Dionyſiani & aliorum ab eo pendentium. Egregium illud eſt quod Stephanus Papa ſecundus, aliis tertius vocatus, Monachis Dionyſianis tribuit facultatem habendi proprium Epiſcopum, qui epiſcopalia munia in ipſo Monaſterio & in cellis ei ſubjectis exerceret. Hocce privilegium, quod mutilum exhibet Sirmondus in tomo 2. Conciliorum Galliæ, integrum ego cum aliis viris clariſſimis Claudio Freſnio Cangii domino, Antonio Vione Herovallio, & Joanne Baptiſta Cottelerio legi in primaria charta, cujus exemplum hic ad amuſſim reddere viſum eſt haud otioſum.* AN.CHR. 784 16. Julii. Privilegia per eum obtenta.

STEPHANUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, FULRADO, *Deo amabili Preſbytero & Abbati venerabilium diverſorum Monaſteriorum Deo auſpice fundatori, & per ſeriem omnibus ſucceſſoribus ejus viciſſim Abbatibus in perpetuum.* Quoniam ſemper ſunt concedenda quæ rationibus optantur congruis, oportet ut devotio conditoris ſancti oraculi in præſtandis privilegiis a nobis augeatur. Igitur quia poſtulaſti a nobis, dilectiſſime noſter fili, quatinus in Regno Franciæ, ubi & ubi tibi placitum fuerit, in ruris atque mœniis diverſorum locorum, ſive in his quæ tuæ propietatis ſunt, in his etiam quæ per emptionis paginam tibi advenerunt, ſive in rebus parentum tuorum, vel undecumque tibi advenerint, Monaſterio conſtruendi licentiam tribueremus, ipſaque Monaſteria ſicut a te ſine refragatione de aliquo Judice vel reclamatore conſtructa ſunt, ita libera ſub jure ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo auctore deſervimus, a nobis firmata privilegiorum in futuro permaneant. His igitur quam piis deſideriis faventes, ac noſtra benedictione id quod petis effectui mancipantes, per hanc apoſtolicam auctoritatem tibi ceteriſque ſucceſſoribus tuis Abbatibus Cœnobii ſanctorum martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, licentiam & poteſtatem concedimus ædificandi Monaſteria, ubicumque in Franciæ Regno volueritis, ſive in locis proprietatis veſtræ, ſive in his quæ per comparationis ſeriem, vel conceſſionem Regum, vel parentum veſtrorum dono, vel undecunque, vel ubicunque vobis quolibet juſto modo obvenerint. Et quoniam ad preces CHLUDOVII, filii Dagoberti Regis, domnus LANDERICUS Pariſiacæ urbis Epiſcopus, a ſua & omnium ſucceſſorum poteſtate deinceps, cum conſilio ſuorum Canonicorum & fratrum ſuorum Coepiſcoporum regionis illius, Cœnobium veſtrum & omnes ad eum ſervientes Clericos quorumcumque ordinum in procinctu veſtri Monaſterii abſolvit; nos etiam idem, & habere vobis Epiſcopum per ſingulare privilegium concedimus, qui de vobis ab Abbate vel a Fratribus in Monaſterio veſtro electus, & a Fratribus noſtris Epiſcopis de illa regione conſecratus, illa veſtra Monaſteria a vobis ædificata provideat, & vice noſtri nominis ubi & ubi fuerint regat, & prædicationi tam in ipſo veſtro Monaſterio, quam in ſibi ſubjacentibus deſerviat. Ut autem alicujus Eccleſiæ Epiſcopus vel Sacerdos illa Monaſteria a vobis ædificata aliquo cupiditatis vinculo deceptus invadat, & illi Epiſcopo quem tu vel ſucceſſores tui elegerint & ordinare fecerint, per invidiam aut per quamlibet occaſionem aliquam contradictionem inferat, omnino prohibemus: ſed ſint reliqua veſtra Monaſteria ſub apoſtolica ditione, ſicut & ipſe ſanctus locus conſtitutus eſt, ad quem ipſa omnia prædicta Monaſteria pertinere videntur. Hoc autem Chriſti Dei & Domini noſtri & beati Petri Apoſtolorum principis, & noſtra qua prævalemus auctoritate promulgantes ſancimus, ut iſta quæ dictavimus ita roborata permaneant, & nemo Epiſcoporum de quacumque Eccleſia Preſbyterum vel Diaconem ordinare, vel aliquod eccleſiaſticum miniſterium celebrare, vel Concilium convocare in prædictis Monaſteriis audeat, niſi ille quem Abbas illo in tempore exiſtens, ad hæc officia peragenda invitaverit. Tuas autem & tuorum Monaſteriorum cauſas tu atque tui ſucceſſores per tempora quæ ventura ſunt, ad noſtram & apoſtolicam audientiam reportare & reclamare per noſtram præceptionem Stephani privilegium de proprio Epiſcopo Monaſterii Dionyſiani.

Digitized by Google

AN. CHR. 784. 16. Julii. nem licentiam habeas : & cum veneris ad nos, vel Legatos tuos miſeris; nullus interea te vel illos videlicet tuos ſucceſſores condemnare valeat, vel res tuas quoquomodo invadere præſumat. Si quis autem vel Rex, vel Epiſcopus, vel aliquis de poteſtatibus hujus ſæculi, contra iſtam noſtram auctoritatem facere voluerit, & de noſtra & apoſtolica auctoritate aliquid fraudare temptaverit, habeatur ſicut ſacrilegus, nec habeat partem, neque ſocietatem in regno Chriſti & Dei; ſed ſit anathema maranatha in perpetuum : qui autem noſtram hanc & apoſtolicam auctoritatem conſervaverint, benedictione cœleſti repleantur a Domino Jeſu Chriſto in ſæcula ſæculorum. Bene valete. Datum 4. Kalend. Martias, imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino a Deo coronato magno Imperatore, anno decimo octavo imperii ejus, ſed & Leone majore Imperatore ejus filio anno quarto, Indictione decima.





Hadriani confirmatio. 10. *Iſtud privilegium habendi proprium Epiſcopum, anno 757. conceſſum, confirmavit Hadrianus Papa I. facultate data*, ut penitus liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicuti a priſcis temporibus, *inquit*, & uſque hactenus fuit. *Hadriani litteras edidit Sirmondus in tomo 2. Galliæ Conciliorum, & ante ipſum Dubletus cum mendoſis chronologicis notis. Ex his Hadriani verbis colligitur, jam ante multum tempus, quam Stephani privilegium ratum haberet, fuiſſe in Eccleſia Dionyſiana Epiſcopum proprium, immo ante obtentum ab Stephano privilegium : quo in numero cenſendus videtur* TURNOALDUS *dictus* Epiſcopus & cuſtos baſilicæ S. Dionyſii *in Chilperici Regis diplomate, cujus exemplar hactenus integrum habetur : cenſendus etiam* HERBERTUS *Epiſcopus ejuſdem loci, de quo in lib. 1. de miraculis S. Dionyſii cap. 6. infra.*

Stephani aliud privilegium. * f. domum 11. *Præterea Stephani Papæ aliud privilegium exſtat etiam apud Sirmondum, quo itidem Fulrado* diebus vitæ ſuæ *concedit* hoſpitale poſitum infra baſilicam B. Petri, quod tenuit Ratchis Monachus ; necnon & domnum * poſitam juxta Monaſterium B. Martini, quam tenuit Nazarius Monachus. *Nec mirum quod Stephanus Papa ita erat affectus tum erga S. Dionyſii Cœnobium, tum erga Fulradum Abbatem. Meminerat quippe commorationis ſuæ* apud venerabile Monaſterium *iſtud, & receptæ inibi ſanitatis meritis Apoſtolorum & S. Dionyſii : qua de re exſtant ipſius Stephani litteræ apud Sirmondum.*

Monaſteria & Eccleſiæ a Fulrado conditæ. 12. *Cellas ſeu Monaſteriola nonnulla condidit Fulradus, Lebrathenſe ſcilicet & Cellam Sancti Hippolyti, eaque Reliquiis Sancti Alexandri & Sancti Hippolyti muniti ac prædiis ditata Monaſterio Dionyſiano attribuit. Et tamen* Cella in valle Lebrath *ædificata per Carolum Magnum dicitur in Chronici Senonienſis libr. 2. cap. 9. his verbis* : In ipſa etiam valle, in inferiori loco, quia ſpatioſior erat, famoſiſſimus Imperator Carolus Magnus Cellam in honore Beati Dionyſii ædificavit, in qua corpus ſanctiſſimi Papæ Alexandri & Martyris a Roma delatum collocavit, & eam magnis redditibus ampliavit : cujus etiam Eccleſiæ pavimentum diverſo colore marmoreo artificioſe, ſicut hodie in aliqua parte ſui apparet, ſubſtravit : quæ adhuc Cella ad Monaſterium Beati Dionyſii pertinere dignoſcitur. *At Cellam Sancti Hippolyti a Fulrado conditum fuiſſe* in ſua *ipſius* proprietate, *conſtat ex diplomate Caroli Magni dato*

regni

Digitized by Google

regni anno ſexto. Utramque banc Cellam cum in precarium tradere vellet Ludovicus Abbas Dionyſianus, rem detulere Monachi ad Epiſcopos Vermeriæ congregatos anno 853. *exhibito Teſtamento*, quod ſanctæ recordationis Abba Fulradus *de illis condiderat*, necnon & privilegio quod exinde ſancta Sedes apoſtolica per beatum Stephanum Papam eidem Monaſterio ſuper præfato Teſtamento fecerat. *Quibus inſpectis Patres id fieri probibuerunt*, definientes juxta ſacram & divinam auctoritatem atque ſecundum Teſtamentum præfati piæ recordationis Fulradi, necnon & ſecundum decretum apoſtolicæ Sedis, nullo unquam tempore jam dictum Monaſterium S. Alexandri cum rebus ſibi pertinentibus a majore Monaſterio S. Dionyſii quocumque ingenio divellendum, nec beneficiario, nec precario jure diſtrahendum. *Monaſterium Lebraba in Aleſatia, in valle Leporum, vulgo* Leberaw, *ad amnem Leberam quondam ſitum, inter Seleſtadium & opidum Markircham, modo everſum jacet, eoque loci opidulum ultimis bellis miſere labefactatum ſupereſt cum aliqua parte Eccleſiæ: cujus loci* Prior Joannes Boreas, beati Dionyſii Monachus, *notatur in Necrologio Argentogilenſi* 10. Kalend. Martii. *Eccleſia vero S. Hippolyti, vulgo* S. Bilt, *prope Seleſtadium hactenus viſitur. Locus olim* Fulrado-villare *appellabatur. S. Hippolyti corpus in Monaſterium Dionyſianum tranſlatum eſt ante multos annos. Ad bæc Fulradus alias Cellas ædificavit, aut certe reſtituit, nempe S. Privati in ditione Salonenſi, diœceſis Mettenſis, quam Cellam* Fulradus in ſuâ proprietate infra Hairebertingas ſuper fluvium Brailia in Ducatu Alamannorum, in Comitatu Hurma novo opere *conſtruxiſſe fertur in quodam diplomate Caroli Magni. In libello de tranſlatione corporis S. Viti in Saxoniam, referendo Sæculo inſequenti, laudatur Fulradus, quod* corpora beatorum Martyrum Alexandri & Hippolyti tranſtulerit *Roma, ſimul* & corpuſculum beatiſſimi pueri ac Martyris Viti, *quod* in prædio ſuo poſuiſſe *dicitur, &* Eccleſiam nomini ejus fabricaſſe. *Aliam Cellam ſuo ipſius nomine appellatam in Voſago exſtruxit, ubi collocavit S. Cucupbati Reliquias, poſtmodum Dionyſianæ baſilicæ illatas: cujus Cellæ aliarumque meminit in ſuo Teſtamento, quod poſtea producemus.*

13. *His aliiſque rebus geſtis clarus Fulradus ad ſuperos migravit anno* 784. *& quidem* 17. *Kalend. Auguſti. Annum ſignant fragmentum veterum Annalium a Cheſnio editum in tomo* 2. *Hiſtor. Francor. pag.* 21. *& Chronicon Moiſacenſe in tomo* 3. *diem vero Necrologium Argentogilenſe his verbis:* 17. Kalend. Auguſti obiit domnus Fulradus noſtræ congregationis Monachus & Abbas: *tametſi die* 17. *Februarii obiiſſe dicitur apud Jacobum Dubletum, qui S. Fulradi corpus in Monaſterio Lebraba ſeu S. Alexandri ſepultum fuiſſe fatetur, ubi hactenus ejus memoria colitur. Patres Synodi Vermerienſis jam laudati* piæ & ſanctæ recordationis Abbatem *vocant Fulradum, cujus epitaphium ſcripſit Alcuinus in hunc modum.*

AN. CHR. 784 16. Julii.

Fulradi obitus & cultus.

Epitaphium.

Presbyter egregius valde & venerabilis Abba,
  Strenuus actu, opere; pectore, mente pius;
Corpore FULRADUS tumulo requieſcit in iſto,
  Notus in orbe procul, noſter in orbe Pater.
Inclytus iſte ſacræ fuerat Paſtorque capellæ:
  Hic decus Eccleſiæ promtus in omne bonum.
Hæc domus alma Dei magno eſt renovata decore,
  Ut cernis, Lector, tempote quippe ſuo.
Iſte pios Patres magno dilexit amore,
  Relliquias quorum hæc domus alma tenet.
Credimus idcirco cœlo ſocietur ut illis,
  In terris quoniam ſemper amavit eos.

His verſibus innuere videtur Alcuinus, Fulradum ſepultum fuiſſe in baſilica Dionyſiana, quam ipſe inſtauraſſe perbibetur in ſequenti libro de miraculis S. Dionyſii,

 quem

Digitized by Google

AN.CHR. 784 16. Julii. *quem una cum ſociis ſuis* Patrum *nomine forſan hic deſignavit Alcuinus. Ex eo loco, ſi id ita eſt, translatum fuit corpus Fulradi in Monaſterium Lebraha, & quidem (ut ſuſpicari licet) die 17. Februarii, qui dies depoſitionis poſtea creditus eſt, qui fuerat translationis aut elevationis.*

Succeſſores. 14. *Fulrado in regimine Abbatiæ Dionyſianæ ſucceſſit* MAGINARIUS teneris ab annis nutritus *a Fulrado, teſte Alcuino, qui ejus itidem epitaphium compoſuit: ex quo intelligitur, Maginarium* perparvo tempore rexiſſe ovile, *& in medio ætatis flore correptum* ſub pedibus Magiſtri *ſui* requiem *ſeu tumulum habuiſſe: quod ſane argumento eſt, Fulradum in æde S. Dionyſii primitus jacuiſſe, uti & Maginarium. Hunc excepit* FARDULFUS *Abbas, Deſiderii Langobardorum Regis antea familiaris, eoque ſubacto per Carolum Magnum in Franciam exſul abductus: de quo exſtant verſus apud Cheſnium in tomo 2. pag.* 645. *& Alcuini epigramma* 117. *Is eſt* FARDULFUS, *mendoſe* Ardulfus, *per quem* detecta fuit *Pippini* conjuratio *adverſus Carolum patrem: quique* ob meritum fidei ſervatæ, Monaſterio S. Dionyſii donatus *eſt anno* 792. *teſte Eginhardo in Annalibus. Fardulfus ſucceſſorem habuit* WALTONEM, *Walto* HILDUINUM, *ut conſtat ex libro ſequenti miraculorum.*

Diſciplinæ reſtitutio in Monaſterio Dionyſiano. 15. *Tempore procedente lapſa eſt monaſtica diſciplina in Cœnobio Dionyſiano, quam reſtituere conatus eſt per Benedictum Anianæ Abbatem Ludovicus Auguſtus, qui demum iſtud opus feliciter exſecutus eſt* anno 19. imperii *ſui. Ejus rei diploma exſtat apud Sirmondum, in quo teſtatur Imperator,* Aldricum Metropolitam Senonicum cum ſuffraganeis ſuis, necnon & Ebbonem Metropolitam Durocortorum cum ſuis ad memoratum Monaſterium veniſſe; & habito conventu, quod idem Monaſterium Ordini monaſtico conſtructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit; & in eo ipſe Ordo uſque ad tempus quo ſceptra imperialia ipſe ſuſcepit, ibidem utcumque viguerit, manifeſtis indiciis Regumque antiquis & modernis Præceptis & Epiſcoporum privilegiis ac Fidelium donationibus palam cunctis eſt factum. *Hinc patet Monachos a condito Cœnobio uſque ad id tempus iſtic perſtitiſſe, tametſi plurimi defecerant a recta diſciplina. Certe in Nevelongi nobilis Haſbanienſis litteris, datis* 4. Non. Aprilis, anno 37. regnante Karolo Rege, & anno 5. *imperii ejus, hoc eſt anno* 805. *quarum litterarum primarium exemplar vidi ac legi; in his, inquam, litteris Nevelongus* Abbati FARDULFO & congregationi baſilicæ domni Dionyſii res proprietatis ſuæ ſitas in pago Haſbanio, in loco qui vocatur Haſca ſuper fluvium Lachara, *concedit* in luminaria & in ſtipendia Monachorum.

Societas cum Remigiano. 16. *Paullo poſt, id eſt anno* 25. *imperii ejuſdem Ludovici, Monachi Dionyſiani ad meliorem frugem revocati, ſocietatem piorum operum ac ſuffragiorum inierunt cum Cœnobitis Remigianis urbis Remenſis, qui ex ipſis propagati erant. Iſtius ſocietatis litteræ vulgatæ ſunt in tomo* 4. *Spicilegii, ubi Monachorum Dionyſianorum nomina exprimuntur, quos inter* HLUDOVICUS Imperator, *item* Hludovicus Rex *numeratur: itemque* HINCMARUS Diaconus & Monachus, *factus poſtea Remorum Archiepiſcopus; &* GODOFREDUS Epiſcopus, *is ſcilicet qui ex privilegio Stephani & Hadriani Pontificum Monaſteria & Eccleſias Abbatiæ ſubjectas procurare debebat; aut certe Epiſcopus certæ ſedis ex collegio Dionyſiano adſumtus. Utriuſque prædicti monumenti hoc loco meminiſſe haud ab re viſum eſt.*

Viri illuſtres. 17. *Floruere in eo Cœnobio quamplures viri illuſtres, in his* SUGERIUS & MATTHÆUS de Vindocino *Abbates; uterque Regni adminiſtrator, ille ſub Ludovico VII. hic ſub Ludovico IX. Rege ſanctiſſimo. Quidam alii viri pii ac præcipui ex Necrologio Argentogilenſi recenſendi ſunt poſt librum tertium de miraculis S. Dionyſii infra.*

Teſtamentum Fulradi. 18. *Supereſt ut referamus Fulradi Teſtamentum, cujus duo exemplaria Auctoris propria manu ſignata, prolixius unum, alterum brevius reperi in Archivo Monaſterii S. Dionyſii. Et quidem alterius Teſtamenti meminit Fulradus in fuſiori Teſtamento, quod referre integrum ſufficiet cum ſuis mendis, quales in ipſo*

auto-

autographo commiſſæ ſunt ex vulgari ejus ævi Notariorum idiomate, quæ Romaniſca ſeu corrupta Latina lingua dicebatur. AN.CHR. 784 16. Julii.

TERMINUM vitæ pertimeſco, quando de hunc ſæculum ero migraturus, ut aliquid de peccatis meis per confeſſionem & largitatem de proprias pecunias meas, quæ ad Eccleſiarum & ad loca ſanctorum beatorum Martyrum Dionyſio, Ruſtico, & Eleutherio, ubi ipſi Domni corpore requieſcunt, in loco qui dicitur Cadolago, ubi plurima ſervorum Dei turma laudes Chriſti die noctuque adeſſe videntur, ut in alimonia eorum & ſuſceptionem hoſpidum, vel in elemoſina ſenodicorum pauperum, viduarum, orſanorum, & in lumen Eccleſiarum conferre debeam, ut Dominus per ſuam miſericordiam & interceſſionem Sanctorum, & orationes & pauperum mihi in pace & miſericordia debeat recipere, qualiter portionem merear habere in vita Beatorum. Ego FULRADUS acſi indignus Sacerdos vocatus, filius RICULFO & ERMENGARDE quondam, dono donatumque in perpetuum eſſe volo omnes res proprietatis meæ, quidquid de ſucceſſione parentum meorum mihi obvenit, vel de dationibus Regum ſeu de comparato vel commutationes vel traditiones, quantumcumque mihi & germano meo GAUSTBERTO traditum fuit, & quicquid ipſe germanus meus Gauſtbertus mihi tradidit, & villas denominatas, quæ Theudericus mihi tradidit: id ſunt, Blitthario-villa cum appendiciis ſuis; Auricas, Machera cum appendiciis earum; Gamundiis cum appendiciis ſuis. Similiter quantumcumque Hartbertus in ipſa loca habuit: & Cocalingas, Villare, & quæ Hermenlindis mihi tradidit: ſimiliter Sechingaſt Faginulvincas cum integritate: ſimiliter Fredishaim, ſimiliter Hundinishaim & Mauchinhaim & Beniſthaim, quæ CHRODHARDUS mihi tradidit cum appendiciis earum: ſimiliter villas & loca quæ Wido mihi tradidit, Guirmari, Audaldo-villare, Radberto-villare, Grutſinhaim, Anſulſeshaim, Scaſerishaim, & reliquas res per loca diverſa tam in Aliſacius, quam quæ in Mordinnavia, quæ mihi Wido tradidit, & per mea præſtaria modo, ſeu uſufructuario aliquas habet; Waltario-villare, Tornugo-villare Victornigas, Adimartia * villa, Deſtrago, Hagraddo-villare, Warnugo curte, Filicione curte, Sicramno curte, quantumcumque in Aliſacius & Mordenavia & Briſegavia *, quicquid mihi traditum fuit, & datum per ſtrumenta cartarum: ſimiliter in Saloninſe & Scarponinſe, & Calmontinſe, & Bleſinſe, & Roſalinſe, quicquid in ipſos pagos viſus ſum habere tam terris, manſis, campis, pratis, ſilvis, vineis, cultis & incultis, aquis aquarumve decurſibus, mancipiis, ſervis, ancillis, litis, undecumque moderno tempore veſtitus ſum; totum & ad integrum greges cum paſtoribus, & omne ſubpelectile ad partes ſancti Dionyſii a die præſente, pro animæ meæ & genitore meo RICULFO, & genitrice mea ERMENGARDE, & germano meo GAUSTBERTO, & BONEFACIO, & ſorore mea WALDRANE, & pro genealogia mea: ut per interceſſione S. Dionyſii cum ſociis ſuis mereamur adipiſci vitam æternam. Similiter Salona, ubi ædificavi Eccleſiam in honore ſanctæ MARIÆ, ubi requieſcunt ſanctus Privatus Martyr, S. Ilarus Confeſſor, quicquid ibidem datum fuit de conlata populi, & ipſe populus mihi tradidit; omnia & ex omnibus, ſicut per Teſtamentum meum confirmavi, a partibus S. Dionyſii ipſa Cella debeat aſpicere, tam illas commutationes, quæ cum ANGALRAMNO Epiſcopo feci, quamque & reliquas commutationes, ſimiliter & alia Cella quæ dicitur Audaldo-villare, ubi ſanctus Ipolytus requieſcit; & tertiam Cellam infra vaſta Voſgo ædificavi, ubi ſanctus Cocovatus requieſcit ſuper fluvium Laima, quæ dicitur Fulrado-cella: ſimiliter quarta Cella infra Alamania, quæ dicitur Arebertingas, ubi ſanctus Veranus requieſcit: ſimiliter quinta Cella, quam Adalongus mihi tradidit, quæ dicitur Adalongo-cella, ubi ſanctus Jorgius requieſcit: ſimiliter ſexta Cella, ubi ſanctus Vitalis requieſcit, ſuper fluvium Nettra, quæ Haſti mihi

* al. Adartereca

* Briſgovv

AN.CHR. 784 16 Julii. mihi tradidit, quantumcumque ad ipſas aſpicere videntur, & conlata populi ibidem delegavit, tam terris, manſis, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, vineis, farinariis, greges cum paſtoribus, ſervis, ancillis, litis, aurum, argentum, codices, eramen *, ornamenta Eccleſiarum, patellas ad ſalo faciendum in vico Bodatio ſeu Marſallo uno cum ſeſſis eorum, ſicut dixi, & omne ſubpellectile, quantumcumque ad ipſas Cellas repertum fuerit, totum & ad integrum a die præſente ad partes ſancti Dionyſii delegavi; & dum ego vixero ipſas res in mea poteſtate habere debeam, poſt meum quoque diſceſſum abſque ullius Judicis contradictione a partibus ſancti Dionyſii debeant revertere, & nullus heredeſque meorum poteſtatem habeant contra hanc traditione mea agere. Et ſi conaverit, inferat una cum ſociante fiſco auro libras 50. argento pondus 100. coactus exſolvat, & quod repetit evindicare non valeat cum ſtipulatione ſubnexa. Actum publice Hariſtalio, anno nono & quarto regnante Carolo glorioſiſſimo Rege Francorum & Langobardorum, atque Patricio Romanorum. Ego FOLRADUS Capalanus S. In Dei nomine MAGINARIUS conſenſi & S. Signum ✠ TEUDRICO. HAMERADO ✠ conſenſi. Signum ✠ WLFARDO. Signum ✠ HADRATTO. Signum ✠ GISLAMARO. Signum ✠ HILDRADO Comite. Signum ✠ BALDULFO. Signum ✠ EHRODONE. Signum ✠ HAINRICO. Signum ✠ ANSELMO Comite palatii. Signum ✠ FOLRADO. Signum ✠ HARTGERO. Signum ✠ HARIHARDO Comite. Signum ✠ RICGAVIO. Signum ✠ TEUDULFO. Signum ✠ HILDRADO. Signum ✠ ERLEBERTO. Signum ✠ GUNDACCRO.

* æramen, forſan ſigna Eccleſiæ ſeu campanas ex ære.

Anno nono & quarto regnante domno Carolo glorioſiſſimo Rege Francorum & Patricio Romanorum. Actum publice Hariſtalio. Ego ADARULFUS rogitus & ordinatus a domno Fulrado ſcripſi & ſubſcripſi.

19. *Hoc in teſtamento notandum primo* CHRODARDUM, *cujus in eo fit mentio, eſſe ipſummet Chrodardum Comitem, cujus habetur exemplar venditionis partim lacerum in Archivo Dionyſiano, inſcriptum* Fratri Folrado Abbati emtori, *actum in villa quæ dicitur* Mareleja publice, 16. Kal. Aug. anno 16. regni domni glorioſiſſimo Pippino Regis, *quibus in litteris Chrodardus Comes quædam prædia Fulrado vendit*, ſita in Ducato Alamannorum in pago Briſagavienſi. *Secundo* THEODORICUM *Comitem, e ſubſcribentibus unum, fuiſſe Caroli Magni propinquum, ex Annalibus Eginhardi ad annum 782. Tertio annum hic ſignatum coincidere in annum Chriſti Domini 778. qui erat nonus Caroli regnantis apud Francos, quartus ejuſdem apud Langobardos. Quarto in extremo inferiori margine autographi inſertam eſſe feſtucam : qua deſignari exiſtimo traditionem per feſtucam, uſitatam apud antiquos.*

20. *Fulradi Elogio ſubjicere juvat libros tres de miraculis S. Dionyſii, quæ Fulrado Abbate ejuſque ſucceſſoribus Maginario, Fardulfo, Waltone, & Hilduino patrata ſunt : ex quibus libri duo priores rogatu* SAMUELIS *Monachi (ut puto) Dionyſiani, laudati in fine libri ſecundi, ſcripti ſunt a Monacho Dionyſiano anonymo, Caroli Calvi principatu ineunte : tertius vero exeunte, ut patet ex delatione corporum cap. 1. relata, cui Auctor interfuit.*

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS.

De virtutibus & miraculis Macarii Areopagitæ Dionyſii ſociorumque ejus.

Auctore Dionyſiano Monacho anonymo, qui vixit Caroli Calvi principatu.

Ex mſſ. codicibus Dionyſiano & Victorino.

PLURIMA miraculorum Dei, quæ in diverſis locis præclare geſta feruntur, duabus ex cauſis litteris non eſſe mandata exiſtimo : aut quia ſui frequentia viluerunt; aut quod ea qui accurato illuſtrare poſſent eloquio, penitus deſuerunt. Quippe ſapientiæ ſtudium multos apud nos neglectum eſt annos; liberaleſque artes diu ſunt intermiſſæ. Signa autem quæ a temporibus KAROLI famoſiſſimi Imperatoris, qui diſciplinas adeo excoluit, ut earum ipſe quarumdam munere ſagaciſſime fungeretur, late micuerunt, negligentia magis quam inertia teguntur. Indignum id quidem divina majeſtate, ac noſtra devotione crediderim. Siquidem cum rerum geſtarum ſeriem, nonnulla etiam ne ipſo quidem relatu digna, multa præterea fabuloſa, neſcia Dei operoſe vetuſtas tradiderit, ut ea adhuc ſtudioſe legamus, ſive rerum magnitudine, ſive ſcriptorum lepore provocati : quanto magis nos veræ Fidei cultores, quæ hoc tempore Dei noſtri exercet potentia, ad laudem ipſius, ſeu futurorum ædificationem, & ardentiſſime debemus inquirere, & comperta ſagaciſſime in libros conferre? Itaque cum multa memoriæ digna præclariſſimos Martyres Chriſti Dionyſium, Ruſticum & Eleutherium, tam in loco ubi eorum oſſa ſita ſunt, quam extra, late divinitas oſtenderit, quæ adhuc celebri fama partim audita, partim etiam viſa vulgantur, pauca ex his in unum digeſſi : & quamvis innumera per tot annorum curricula obſoleverint, dedi tamen operam, ne omnia deperirent oblivione. Nec arbitretur quis me dubia, ſed quæ a digniſſimis fide viris audierim, aut quæ ipſe viderim edidiſſe. Non enim Deum aut Sanctos ejus credo artifici mendacio delectari, ſed veritate, in qua Religionis noſtræ ſumma conſiſtit. Ergo narrationis noſtræ hoc erit exordium.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *De milite pallam holoſericam de Monaſterio B. Dionyſii violenter efferente, quod nefas gravis ultio ſubſecuta eſt.*

QUIDAM Primorum SIGEBERTI *a* Regis aliquando ad Baſilicam beatiſſimi Martyris Dionyſii venit, non ut pro admiſſis veniam poſceret, ſed ut admiſſa augeret. Quippe quia templum copioſis comtum ornamentis audierat, aliquid inde aſportare cupiebat. Abſentibus itaque cuſtodibus venerandam Baſilicam ingreſſus, holoſericam pallam, auro, gemmis atque margaritis decoratam, quæ ſanctum tegebat ſepulcrum, præſumit, & (indignum dictu) audet efferre. Regreſſus ergo neſcio qua adactus neceſſitate navim ingreſſus eſt, & inter alios quidam ſuorum, cujus præ ceteris probata ei erat fides, ferens ducentos aureos de collo pendentes. Hic ergo haut longe a litore acta navi, nullo impactus in aquam decidit, eumque undarum violentia, incertum quibus finibus, ita abſcondit, ut nulla deinceps nautarum induſtria quiverit inveniri. Territus itaque ipſe poſtulat relictum litus repeti, ne & ipſe pari caſu debitas penderet pœnas : moxque præfatam pallam velociſſime loco reſtituit, veniam ſui reatus efflagitans. Quod quamvis fecerit, ultione tantum ſacrilegii incumbente, antequam volveretur annus vitam finivit.

II. *De milite qui dum auream columbam capere nititur, propria lancea transfigitur.*

ALTER ſceleſtis pedibus ſupra ſanctum ſepulcrum calcare auſus, auream columbam *b* lancea deponere ſatagebat : cum repente elapſus, Deo ſacrilegium ulciſcente, eadem lancea latera trajectus, alliſiſque teſticulis occidit. Nec putandi ſunt ſancti Martyres ævum in cœlo agentes hominibus quod in terra contemſerint aurum

a Sigibertus is eſt Chlotharii primi Francorum Regis filius, ut patet ex Gregorio Turonico Epiſcopo, qui duo prima hic deſcripta miracula refert in lib. 1. de gloria Martyrum cap. 72.

b Id genus aureæ columbæ ciboriis ſeu turritis Sanctorum ſepulchris imponebantur cum cruce, ad eum fere modum quo galli gallinacei ſpecies cum cruce in templorum noſtrorum ſummo campanili exhibetur. Tale quid factitabant Langobardi, teſte Paulo Vvarnefridi in lib. 5. cap. 34. *Si quis enim ſuorum aut in bello aut quomodocumque extinctus fuiſſet, conſanguinei ejus intra ſepulcra ſua perticam figebant, in cujus ſummitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc verſa eſſet, ubi eorum dilectus obiſſet.*

AN.CHR. præferre; ſed ideo Deum in paucis eorum, immo ſuas ulciſci injurias ne ſacrilegia im-
780 pune agentium exemplo multorum infectæ animæ in perpetuum pereant.

III. *De quodam qui de quadam Eccleſia B. Dionyſii fecit ſtabulum equorum, & inde graviter caſtigatus, poſtea Monachus effectus eſt.*

FULRADUS quondam Cœnobii beatorum Martyrum Abba, cuidam nomine ANDRAMNO villam, quæ Bernegium dicitur, jure beneficii largitus eſt. Nam præter famulatum quem illi devotus exhibebat, portionem hæreditatis ſuæ Cœnobio contulerat. Porro in eadem villa Eccleſia ſita eſt, beati Dionyſii reliquias continens. Hac ille novus dominus velut communi domo cœpit uti, inque ea accipitrem aſſidue contra fas ponere; porticum vero quæ ei erat contigua, in ſtabulum equorum redigere. Temeritas conſuetudinem obtinuerat, cum beatus Dionyſius talia diu non ferens, digna prorſus invectione correxit. Erat ejuſdem villæ colonus, cui erat nomen Madalvvino. Qui cum quadam nocte ſopore membra laxaſſet, viſus ſibi eſt memoratam Eccleſiam expetiſſe, atque in ea Miſſarum ſollemnia quæ celebranda eſſent præſtolari. Videt interea introire

NOTA. ſenem Clericum pontificalibus veſtibus exornatum, ferentemque in manu baculum a capite arcuatum in ima reflexum, qualibus antiquiores Pontifices uſos fuiſſe, ad Memorias eorum ſuſpenſi declarant: eumque a ſe ſciſcitari quid ibi ageret. ſe vero reſpondiſſe, ut ſacramentis intereſſet de more veniſſe, atque ita loci Presbyterum ſuſtinere. Approbat ſenex viri devotionem, & parum mutata vultus tranquillitate; Vides, inquit, ut me Andramnus deſpiciat, ut ſtercoribus avium ſuarum reliquias noſtras inficiat? Tum librato quem manu gerebat baculo accipitrem ictu petiit, mortuumque in terram dejecit. Limen vero domus egreſſus, queritur ab Andramno ſuæ domus veſtibulum in ſtabulum commutatum equorum: eique rurſus interminans, quem præſtantiorem ibi equum invenit, baculo percuſſit, ictumque mors ſecuta eſt. His geſtis foras digreditur, & veluti adſtantem eumdem Andramnum invenit. Cui torvo vultu cur ſe deſpiciat, ſuamque immo Dei domum fœtidam ſtercoribus reddat objiciens, ſuram leniter tangit, & ne ultra talia admittere audeat interdicit. Sic portam viſus eſt egredi, & inſequente memorato Madalvvino in adverſam ſilvam concedere, & reflectens oculos, ſequaci ut ad domum propriam rediret imperare. Expergefactus homo rem narrat uxori. Illa viſionem laudare, utque domino eam nuntiet ſuadere. Surgit itaque, adit dominum, eumque magna tibiæ moleſtia reppetit laborare. Ita (mirabile dictu) ſomnium res vera facta erat. Sollicitatum ſe viſione quam ei exponere vereretur adſeverat. Jubet ille nihil metuens dicat, ſomniatori nihil ſiniſtræ viſionis ſuccenſeri eventu oportere. Cumque quod viderat enarraſſet, tremefactus ingenti pavore Andramnus, cuidam ſuorum, qui forte adſtabat, imperat accipitrem adferat, & equi qua diligentia adſerventur mature renuntiet. Interim tibiam ſolvit, calciatus denique jam erat, & locum quo viſus fuerat attactus, nigrefacta carne putrefieri reppetit. Sic cuncta qua viſa erant indubitanter acta probata ſunt. Et inſuper tumeſcente tibia & dolore in ſuperiores partes cruris porrecto, greſſus diu viro negatus eſt. Quem licet poſt multum tempus recepit, non tamen deinceps priſtinam ſanitatem adeptus eſt, perſeverantia infirmitatis Deo tum illum, tum etiam qui noſſe poſſent admonente, ne prædia Eccleſiarum populentur aut negligant; præter viſibiles, alios ea habere dominos & rectores. Siquidem ipſe Andramnus rei magnitudine perterritus, ad Cœnobium clariſſimi Martyris Dionyſii ſociorumque ejus ſe contulit; ibique attonſus comam, quod negligenter admiſerat diligenter confitendo deflens, reliquum vitæ ſuæ tempus ſub religioſo habitu geſſit.

IV. *De milite qui receptus hoſpitio, operimenta tecti juſſit foco imponi, qui paullo poſt male interiit.*

MILES quidam PIPPINI Regis aliquando ad Cœnobium beatorum Martyrum divertit, & benigne receptus abiegnam domum in qua hoſpitaretur accepit. Hora forte noctis tertia, ligna foco ſubjicienda defuere: quippe quæ data fuerant, in longum protracta vigilia jam defecerant. Itaque hoſpes famulum qui ei ad ſerviendum delegatus fuerat cœpit urgere, injuriis eum adficiendum niſi fomenta igni ſufficeret comminans. Quo negante ſe amplius quam expenderat accepiſſe; jubet ſuis operimenta tecti vellant, & foco continuando ſubjiciant. Id cum illi maturius quam felicius exegiſſent, omnes ſecedere foras jubet: quibus egreſſis ſeſe in ignem congeſtum injecit. Quod cum ejus miniſtri ſenſiſſent, certatim irruentes dominum igne eripiunt, eumque iterato incendia repetere laborantem turbati detinent. Inter hæc frigidam ſibi ſuperfundi aquam depoſcit, toto ſe corpore ardere ingeminans. Aqua itaque perfuſus negat ſe quippiam refrigerii conſecutum, ſed quod tecto beati Dionyſii aliquid detraxiſſet, inexſtinguibilia pati incendia miſerabili voce proſequitur. Viri ergo tam triſti fortuna perterriti, domo eum humeris efferunt, & ante veſtibulum baſilicæ deponunt. Ubi inſtar carbonis omni corpore nigrefacto, mœrentibus illis oppetiit: tamen propter generis nobilitatem in Eccleſia principis Apoſtolorum Petri humatus eſt. Hu-

Digitized by Google

jus rei memoria multos diu temeritate cohibuit, ab his qui viderant non ibi tantum, verum & longe lateque vulgata.

V. *De quodam qui claudus a nativitate per triginta annos, in Eccleſia beati Dionyſii ſanatus eſt.*

TEMPORE memorati PIPPINI Regis quidam a nativitate claudus, cui erat nomen Otholdo, circuitis per triginta annos Sanctorum Memoriis, quadam die carruca impoſitus ad Cœnobium beati Dionyſii perlatus eſt. Is ad ejus templum deductus, ante altare quod primum in honore Domini Salvatoris dicatum eſt, cum oraret, ſuffragantibus Martyribus & Deo miſerante ſubita donatus eſt ſanitate. Hujus neceſſitatem FULRADUS Abba miſerans, (ſiquidem nec genus nec patriam noverat) & ſanitatem a Deo interceſſione beati Dionyſii collatam complectens, eum inter ſtipendia Monaſterii quotidiana ſumentes conſtituit. Ita attonſus, & juſſis majorum pro viribus fideliter paruit: & quos dies vixit, Deo & beato Dionyſio pro captu gratias egit.

VI. *De ruſtico cujus manui furcilla adhæſit, quia Dominica triturabat, qui Sanctorum meritis ſanatus eſt.*

EODEM fere tempore quidam incola vici, qui beatorum Martyrum veneratione magnifice inſignis habetur, poſt horam nonam dominici diei annonam excutere auſus eſt. Inde purgare eam cum aggreſſus eſſet, furcillæ qua id ſatagebat ſiniſtra ejus manus adhæſit tam valide, ut nullus digitorum ſaltem emoveri aliquo poſſet conamine. Cerneres miſerum opus quod cœperat diſſimulare, avidius velle, idque divinam non ſinere ultionem. Poſtera die acceſſit ad HERBERTUM Epiſcopum, (Moris quippe ei fuit Eccleſiæ aliquamdiu Epiſcopos *a* habere:) eique peccata ſua confeſſus eſt. Jubet Epiſcopus furcillam utrimque præcidi, evocatiſque Fratribus ut pro eo Dominum precarentur obtinet. Sic una cryptam beati Dionyſii ingredientes, pro eo cum Fratres devote orarent, Sanctorum meritis ſparſis digitis reſoluta *b* manus amiſſum plene recepit officium. Finitimis magnum id pavorem incuſſit, & ut vacare a ſimili opere dominicis diebus deberent, diu apud multos effecit. NOTA.

VII. *Miraculum ſupraſcripto conſimile.*

TALE quid cuidam etiam alii contigit. Nam cum ad Monaſterium beati Dionyſii pergeret, reperit avena onuſtum plauſtrum, quæ ad idem Monaſterium vehebatur. Porrigens ergo manum, mergitem violenter abripere voluit: ſed continuo acceptus manui ejus adhæſit. Summo igitur cum rubore ad baſilicam Sanctorum venit, ibique dies multos cum mergite poſtquam fecit, priſtinam ſanitatem Sanctorum interceſſione adeptus eſt. Merges deinde ante veſtibulum appenſus hujuſcemodi temeritatem multo tempore cohibuit.

VIII. *De caſu ſuperioribus conſimili.*

IN diſſimili re ſimilis fortuna alii proceſſu temporis evenit. Siquidem ad ſæpe dictum tendens locum gregem vervecum Cœnobii in via offendit, concupiſcentia ut exitus indicavit, ductus: dum ex eo arietem cornu apprehendit, in equum cui inſidebat illum levare atque ſubducere geſtiens, illico cornu manui adhæſit: jamque ſe volentem nec valentem dimittere aries in terram depoſuit, equum per diverſa palantem vinctum quis reperit, nec ejus dominum requiſivit. Furem ergo furto prodente, uterque ad Eccleſiam deducuntur: poſt tres dies alterius ſoſpitas prece Martyrum redintegratur, alterius carnes cibus cuſtodum efficiuntur, & cornu ad teſtimonium rei geſtæ ante fores baſilicæ appenſum multo tempore viſum eſt.

IX. *De Claudo ab origine ſanato.*

QUIDAM Saxo tranſmarinus ex eis qui Angli dicuntur, in communi luce fine communi greſſus officio fuſus, poſt longa tædia ætatis admonitus per quietem eſt Pariſiacam in Gallias regionem quærere, in qua præclarus Martyr Dionyſius cum ſociis ſuis digna veneratione coleretur: certus eorum interceſſione deſperatam penitus incolumitatem ſe recepturum. Refert propinquis ſomnium, utque eorum miniſterio quo vocatus ſit deferatur efflagitat. Sic propinqui ejus avidi ſanitatis, compoſitum corbe eique immiſſo vecti præfatum ab origine claudum adferentes, ſanandum

 Marty-

a Hinc patet, nonnullis Monaſteriis a jure communi exemtis proprios fuiſſe Epiſcopos, id quod de Dionyſiano probant inſuper litteræ Stephani & Hadriani Pontificum ex dictis ſupra tum in Elogio Fulradi, tum in hujus Sæculi præfatione.

b Quæ ſequuntur ad caput 14. in exemplari Dionyſiano avulſa, ſupplentur ex Victorino.

Digitized by Google

AN.CHR. 784. Martyribus in conſpectu omnium qui aderant exponunt. Propinquis ergo rei exſpectatione ſuſpenſis, optatam diu tandem recepit incolumitatem, & quorum fuerat pietate devectus, de ſanctiſque Martyribus gratulans, comes in redeundo effectus eſt.

X. *De Comite qui prata Sancti violenter depaſcens, graviter flagellatus interiit.*

BERTRANDUS quidam Comes iter faciens tempore æſtivo, divertit temere in pratum fonti, qui vulgari vocabulo Tricina dicitur, contiguum, ibique figi juſſit tentoria. Quod cernens famulus Monaſterii qui illud adſervabat, acceſſit ad Comitem ea reverentia qua Majores famuli adeunt: dixitque pratum ſancti Dionyſii eſſe, & inſuper Fratribus delegatum: non eſſe æquum, aut opinionem ſancti Dionyſii contemni, aut quæ Fratrum eſſent inconſulte invadi. Alluſit ad verbum Bertrandus, non egere ea herba S. Dionyſium, qui in cœlo olim cum Domino regnaret: illi potius timendum ne verberibus affectus prato denuo tolleretur. Ille pavore correptus propere Fratribus rem defert. Itaque claves Eccleſiæ per cuſtodem Comiti dirigunt Fratrem: communis precatio refertur, exeat de prato, præſertim cum paſſim herba reperiatur; ſibique videri contra religionem eum egiſſe, quod ad beati Dionyſii baſilicam orandi gratia non declinaſſet. Cuſtos quæ injuncta fuerant cum peroraſſet; Claves, ait Comes, non adfers, ut earum timore abſcedam: quare ſcias nec me exiturum, nec equos opportuna hic paſcua habentes, hinc quo fame pereant abducturum. Contra cuſtos: Qui ita hactenus, inquit, ſancto Dionyſio reſtiterunt, non eis proſpere ceſſit. Tum Comes ingenti furore ut abſcederet imperat, adjungens niſi maturaret, ſummis eum adficiendum injuriis. Quo recedente, ſeſe ad dormiendum (meridies quippe erat) compoſuit. Cumque obdormiſſet, viſus eſt ei quidam Clericus baculum manu ferens qui ſibi diceret, in ſuos domeſticos quare talia præſumpſiſſet, ſuoque prato ſine licentia uteretur; qui etiam verbis verbera adjiceret. Hac in ſomnis depreſſus anguſtia, vociferari comes cœpit. Concurrentes autem ſui vix eum evigilare fodientes latera coegerunt. Jubet ergo terrentem ſui admoneant, eumque qui ſibi tam crudeles plagas inferret intiment. Illis negantibus aliquem ſe præter ipſum videre, adfirmans eos mendaces ſibi adjutorium ferre nollentes, quippe cum is de quo diceret ante ſe ſtaret; tandem intelligens quem offendiſſet; Sancte, inquit, Dionyſi, remove hæc flagella a me, & miſerere mei. Interea jubet homines & equos ſuos excedere prato: ipſe vero inter has quas retuli voces vita exceſſit. Corpus vero ejus in Eccleſia ſancti Marcelli extra Monaſterium concedentibus Fratribus conditum eſt. Hinc animadvertendum, quam inviſum Deo ſit genus omne ſuperbiæ; & eum in hominibus, non vires & potentiam, ſed naturam & ſingulorum merita intueri.

XI. *De milite qui temere depaſcens ſegetem B. Dionyſii, & equum amiſit, & ipſe graviter attritus, & poſtea ſanatus eſt.*

JOANNES quidam, miles PIPPINI Regis, Pariſio digreſſus carpebat iter per viam, quæ in vicum ſanctorum Martyrum ducit. Et quoniam hinc inde agri Monaſterii meſſibus albere cœperant, equum ſuum in alia intendens contraria, depaſcere ſegetem permittebat. Occurrit ei forte Monaſterii famulus: queritur ſegetem conculcari. Tum miles: Sanctus Dionyſius, ait, ſcio quod hac ſegete non veſcetur. Vix verba finierat, cum repente equus in terram mortuus corruit: ipſe vero greſſus officio privatus eſt, adeo ut ne moveri quidem loco, nedum ambulare pedibus poſſet. Nuntiatum eſt id Pippino Regi, qui haut longe a Monaſterio aberat: & quia hominem plurimum diligebat, talia paſſum indoluit. Miſit itaque ei argenteum vas, quod S. Dionyſio offerret, jubens ut ad ejus ſanctam domum protinus deferretur: in qua cum tradito vaſe oraret, pleniſſimam conſecutus eſt ſanitatem: ut omnes manifeſte intelligerent, & labores ſuorum B. Dionyſium curare, & petentibus, ſi velit, abſque dilatione poſſe ſuffragium ferre. Vas autem hactenus in theſauro Eccleſiæ B. Dionyſii permanet.

XII. *De quodam mente capto ſanitati reddito.*

QUIDAM homo mente captus, nomine Berningus, luſtratis multis Sanctorum locis, nihilque remedii conſecutus, templum ſanctorum Martyrum dum ingreſſus fuiſſet, olim emotam mentis ſoſpitatem continuo recepit: & mirum in modum, quem diu obſervata ars medicaminibus non potuerat, Martyrum ſalutaris interceſſio in momento curavit.

XIII.

Digitized by Google

AN.CHR. 784

XIII. *De eo qui columnam igneam rapiens, a dæmonio raptus, & poſtea liberatus eſt per merita Martyrum.*

COLUMNAM præterea quidam ex proxima Cœnobii villa, quæ Waſconis *a* dicitur, ligneo muro, quo FULRADUS Abba ambitum Monaſterii porrexerat, detractam ad domum proximam vexit. At ubi inciſam igni aptavit, continuo maligno ſpiritu arreptus eſt, & cœpit terribili voce accitos ita hortari: Ite, ligna domini noſtri Dionyſii furtim ſubducite, ut pariter ludere valeamus. Vinctus autem poſtera die ad limina Sanctorum adductus eſt, & ſex continuo menſibus vexatus, ita ut ſi quos poſſet attingere, morſibus laniare geſtiret, dicens: Ut ſocii mei ſitis, ligna glorioſorum Martyrum ut ego furamini. Tandem oratione Sanctorum ſpiritu immundo fugato amiſſum mentis ſtatum recepit. Hinc ergo colligendum, quantum a communibus quæ Deo voto Fidelium oblata ſunt, diſtent, quando ne parvum vitium inoleſceret, tam diutina pœna ad correctionem multorum punitum eſt.

XIV. *De eo qui clavum unum furatus de Eccleſia, ſiti urebatur, & furto reddito ſanatus eſt.*

CUM baſilicam Sanctorum, diruta priore quæ cœpta a PIPPINO Rege, auguſtius a KAROLO *b* Regni ſucceſſore conſummata eſt, opifices architectarentur; unus clavorum, quibus tecto tabulæ adfigebantur, cecidit, ſuſceptumque eum quidam Herlebertus intra faſciolam tibiæ recondidit: tribuſque horis exactis cum jam quod fecerat oblitus eſſet, graviſſima ſiti corripitur. Cumque ad puteum qui Eccleſiæ eſt vicinus acceſſiſſet, hauſtam aquam ori appoſuit, ſed eam recipere faucium ſpiramina non valebant. Itaque ſiti ingraveſcente, multiſque eventum mirantibus, ingreſſus Eccleſiam memoratus Herlebertus Presbyterum vocabulo WIDRIUM obvium habuit, eique quid pateretur expoſuit. At ille: Vide, ait, fili, ne alicujus furti pœna a te exigatur. Ille qui criminis conſcius non eſſet, primo negare, dein paullulum in memoriam prioris actus revocari: ita demum Sacerdoti cauſa expoſita, clavum ab eodem reddere juſſus, utque ad puteum regredi deberet admonitus, ſitim quæ contigerat ſalubri aquæ potione fugavit. NOTA.

XV. *De quodam qui de ſummitate turris in terram corruit, ſed inlæſus inventus eſt.*

BASILICAE fabrica completa, impoſitaque turri *c*, in qua ſigna (ut moris eſt) penderent; FULRADUS venerandus Abba, qui operi magnanimiter inſtiterat, dum diu deſideratum opus conſideraret, adſpexit necdum lignorum ſummota inſtrumenta, quibus nixi artifices prædictæ turris cacumen erexerant. Tum cuidam nomine Airrado ſibi adſtanti imperat, ut velociter adſcendens, eadem jam inutilia inſtrumenta deponeret. Id cum ille acceleraſſet, vinculum quo in alta ſublatum nectebatur lignum, ictu inconſiderato præciſum diſſolvit. Lignum quod vi tenebatur reſiliens, eumdemque Airradum percutiens, de tanta altitudine ante baſilicam ſancti Petri in terram præcipitavit. Ita eo in terra depoſito, cum & alii plures, tum etiam ipſe Abba accurrit, auctorem ſe ejus mortis eſſe proclamans. At vero ille inlæſus adſurgens, ſeſe videntibus magnum ſtuporem incuſſit. Creditum eſt id ſanctum Dionyſium obtinuiſſe, ne fabrica ſuæ domus alicui intuliſſe videretur exitium.

XVI. *De quodam qui tigillum pauperculæ tranſiens collo impoſuit, ſed deponere non potuit niſi per auxilium Martyrum.*

BERTRADA *d* clariſſima Regina matre magni Karoli vitam in Monaſterio beatorum Martyrum degente, quidam famulorum ejus, nomine AUTBERTUS, per eam quæ Major-villa * dicitur, tranſiens, videnſque inibi tectum ſitu putrefactum, tigillum inde abripuit, & collo impoſitum ad Monaſterium devectare cœpit. Inſecuta mulier cujus erat domicilium, querula voce obteſtabatur, ne de villa quæ ferebat efferret. Cujus prece contemta cum vicum ingreſſus jam eſſet, obriguere ſubito illius & brachia & manus, nec deponendi tigilli facultas fuit. Quo audito pia Regina juſſit eum ex continenti ad Eccleſiam duci Sanctorum. Sequenti die procedens ipſa Fratres Mona- NOTA. * Merville

---

a Ignotus hodie iſte locus, qui tamen Dionyſiano opido contiguus erat: de eo iterum infra in cap. 7. lib. 2.

b Meminit iſtius inſtaurationis Carolus in ſuo ipſius diplomate de Luzarca villa, dato 5. Kal. Martias, anno 7. regni ſui.

c Turris hæc poſt renovatam ab Sugerio baſilicam hactenus perſiſtit.

d Bertrada obiit *anno* 783. ex vetuſtis Annalibus Francorum; & quidem 4. *Idus Julii*, ex Necrologio Argentogilenſi Annales Metenſes ſcribunt anno præcitato BERTAM (nam & hoc nomine vocabatur) *obiiſſe* 4. *Idus Julii & ſepultam eſſe in Cauciaco*, hoc eſt in baſilica S. Stephani Monaſterii Cauciacenſis, vulgo *Choiſy*, prope Compendium ad Axonam fluvium: *ſed inde tranſlatam Pariſius ſepultam eſſe juxta virum ſuum in Eccleſia S. Dionyſii Martyris*: ubi ejus tumulus juxta Pippini mariti ſepulcrum hactenus cernitur.

Digitized by Google

AN CHR. 784 Monaſterii evocat, & viro venerabili BENIAMIN *, qui tum eorum primus videbatur, omnem legitimam emendationem admiſſi ſpondet, rogans ut pro abſolutione viri (necdum quippe tigillum pridie collo impoſitum depoſuerat) Dominum precarentur. * infra cap. 17. Quibus voluntatem Reginæ libenter explentibus, viro integerrima libertas opitulante Martyrum auxilio reddita eſt. Regina his viſis glorificavit Deum & ſanctos Martyres ejus, & munera templo devotiſſime auxit.

XVII. *De quodam qui faſciculum ſegetis furatus de agro ſanctorum Martyrum, deponere non potuit, donec furtum confeſſus eſt.*

EST ager Cœnobio vicinus, qui cum aliquando operoſe cultus lætiorem ſegetem produxiſſet, & furum inſidias ſollicite cuſtos adhibitus ſui præſentia ſummoveret; quidam nomine, non etiam tunc opere Chriſtianus, noctu opportunitatem ratus, ad agrum memoratum abiit, & illicite faſciculum ex ſegete componens collo aptavit, & ad domum propriam quæ in vico erat redire cœpit. Vix quantum jactus eſt lapidis proceſſerat, & ecce videt Clericum contra in via ſtantem per ſubluſtrem noctis umbram. Hiſque eum compellans: Cur, ait, furto Martyrum aſportas annonam? Quo negante, & quia de ſuis laboribus eſſet adſerente, agrum Clericus ex quo meſſem furaretur inſinuat. Ille auſus tum etiam adſerenti contraire, reflexis in ſiniſtram vultu & oculis, cum agrum de quo veniret oſtendere conaretur; illico mendacii & furti obnoxius, ora qua verterat immobiliter tenere coactus eſt, dextra inſuper manu qua faſciculum ambiebat, divina ultione in ſuperioribus juncta. In hac confuſione & anguſtia pervigili ibi acto, dum illuxiſſet, evocat ad ſe cuſtodem, quid pateretur inſinuat. Adductus ergo ad baſilicam Martyrum, tres ibi ita exegit dies. Inde candelam ad memoriam beati Dionyſii cum obtuliſſet, Theſaurarius *a* Eccleſiæ BENIAMIN, cujus paullo ante * meminimus, ei * cap. 16. cereum accenſum de altari miſit, moxque incolumitatem adeptus eſt. Ita quod paſſus fuerat prodens, & expertam ſanitatem divulgans, non modo ſibi, verum & aliis quam prius fuerat utilior factus eſt.

XVIII. *De milite qui perſicum de horto Sanctorum rapiens & famulum percutiens manu aruit, ſed ſatisfaciens ſanatus eſt.*

MILES quidam magni Imperatoris KAROLI, natione Bajoarius, ad ſanctum locum tendebat; jamque in vico poſitus, quia via quæ ad baſilicam Martyrum duceret, per medios Fratrum hortos patebat, videt comminus perſicum maturos fructus habentem, acceſſitque ad eam ut aliquod ſibi perſicum legeret, jocundo eorum allectus viſu. Hortolanus contra, Leonaſtus vocabulo, querula voce prohibere, Fratrum fructus inconſulte a nonnullo fas eſſe præſumi. In hac ergo ſententia ad eum accedens, fructus eripere conabatur. Miles indignitatem perſonæ non ferens, pugno eum percuſſit. Tum vero hortolanus: Sancti Dionyſii, inquit, fructum violenter aufers, & me innoxium inſuper cædis? Illico manus militis quæ perſicum ambiebat obriguit, ita ut eam explicare nullo niſu valeret. Qua ultione percuſſus confert ſe eveſtigio ad memoriam Martyrum, reum ſe non ſolum voce, verum etiam pœna proteſtans. Nec mora equum cui inſederat. & quas manu gerebat armillas offert, & multatæ manus confeſtim munera recipit. Tum alacris: O beate, inquit, Dionyſi, magnus es quidem potentia, & in devotos bonitatis pietate inſignis, ſed non minus in contrarios animoſus. Hoc miles eventu correptus ſoſpes abiit: perſicum in veſtibulo domus de pariete ſuſpenſum, multos annos rei geſtæ dedit indicium.

XIX. *De duobus quos ultio ſecuta eſt in Eccleſia, quia furtum fecerant: qui confeſſi liberati ſunt.*

TEMPORE MAGENARII Abbatis, qui Fulrado feliciter decedente, Cœnobio ſuffectus eſt, civis quidam Pariſiacus ad Sanctorum memoriam orandi ſtudio venit. In revertendo iniqua depravatus concupiſcentia, obicem ferreum, quo fores veſtibuli fulciebantur, ſub veſte occuluit, ſicque extra vicum proceſſit. Tum huc illucque circumſpiciens & neminem videns, collo impoſuit, & cum ſe urbem petere cogitaret, ad atrium Sanctorum regreſſus eſt: & quia onus deponere non valebat, ibi pondere ferri gravatus noctem ſic duxit pervigilem. Semper tamen ſe ambulare credebat. Poſtera die cuſtodes eum ita ſtantem reperiunt, multiſque inſigni ſpectaculo mirantibus receptum veſtem ſuo loco reſtituunt. Simile quid ejuſdem Abbatis tempore cuidam Clerico contigit. ISAMAN vocabatur, erat vero natione Hiſpanus. Nam venit cum ſociis inſtante ſacratiſſimo die Cœnæ Domini in templum Sanctorum ut oraret, & ab altari primo in honorem Domini & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI dedicato, cujus & ſupra * me- * cap. 4. minimus, cereum abſcondite accipiens, foras exire voluit, ſed non permittebatur cum furto.

a In litteris Ædelvulfi Anglorum Regis, datis *anno* 857. *anno regni ejus* 19. *in Lundonia civitate*, HUMGERUS Theſaurarius Monaſterii S. Dionyſii memoratur.

Digitized by Google

furto. Cum igitur egreſſum, non fores quæ apertæ erant, ſed ſola culpa latrocinii negaret; quidam cuſtodum egredi eum jubet: ſiquidem alii qui confluxerant, jam receſſerant. Tum ille exitum ſibi negari una & peccandi facultatem confeſſus, cereum oſtendit, ſeque dum id facinus indulgeatur, nequaquam ultra quid acturum ſimile pollicetur. Cereo autem reſtituto, copiam abeundi illico promeruit. AN.CHR. 784

XX. *De eodem quod reliquias ſanctorum Martyrum aut linteum flamma quæ cetera combuſſerat non combuſſit.*

INSIGNIS non tantum gloria, verum & potentia KAROLUS, cum bellum adverſus Saxones ſuſceptum, contra quam gentem a Francis diu animoſeque pugnatum eſt, memorabili induſtria adminiſtraret, ſui præſentia vires exercitus acuens; FARDULFUM qui Magenario luce excedente Cœnobio Sanctorum regendo ſucceſſerat *a*, inter alios qui ad ferendum pondus prœlii & gentis audaciam comprimendam evocati undique confluxerant, contigit adfuiſſe. Hic pignora beatorum Martyrum *b* ſecum ferri fecerat, & cuſtodes Clericos qui ſecum proficiſcebantur delegaverat, uti eis viciſſim ſibi ſuccedentibus debita exhiberetur religio: quorum quidam vocabulo ROTHARDUS, adhibita eis candela, incertum qua urgente neceſſitate, obſerato domunculæ oſtio abiit. Sollemnis ara tum lignea tabula erat, quæ linteo adoperta modum altaris effecerat. In eam itaque candela decidens tota conflagravit, ſed ne linteum quidem quo tabula celabatur aduſtum. Præclarum ſane & ſtupendum miraculum, lineam veſtem igne ſuperpoſito non torreri. Cerneres reliquiarum obtentu linteum naturam mutaſſe, & alimentum focis amicum merito Martyrum repente duratum. Supervenientes cum cuſtode & alii, exuſta candela reliquias & linteum integra reperere: cinis ejus tantum quod contigerat indicabat. Levatum ergo linteum excutientes, cum nec integritatem, nec candorem amiſiſſe probaſſent, ingenti gaudio exſultantes rei geſtæ ordinem ad Fardulfum Abbatem deferunt. Qua cognita, una cum eis ſollemnes Deo & ſanctis Martyribus gratias egit. NOTA.

XXI. *De eo quod ſex homines & undecim equi mortui ſunt, Deo vindicante injuriam ſancti Dionyſii.*

BOSULFUS, ipſius Abbatis Clericus, reliquias beati Dionyſii ſecum in Italiam quondam tulit, & conſtructa Eccleſia in honorem ejuſdem præclariſſimi Martyris, & de ſua hæreditate ditata, eas poſuit in ea Fidelibus profuturas. Quadam die Pippini Regis Italiæ homines pratum, quod ipſe eidem Eccleſiæ contulerat, introierunt. Quod cernens, acceptis iiſdem reliquiis perrexit ad eos, utque diſcederent in amore Dei & beati Dionyſii, cujus eſſet pratum, veneratione obſecravit. Illi conſuetudine humani, immo ſuperborum ingenii, qui nihil præterquam quod vident pertimeſcere ſolent, velut effeta & inutilia precantis verba contemſere. Itaque ſubito Deo contemtus injuriam vindicante, ſex ibi homines mortui & undecim equi exſtincti ſunt. Quæ res ſatis aperte monſtravit, nec invadendas res eſſe Eccleſiæ, nec Dei Sanctorumque ejus, cum juſta eſt, obteſtationem eſſe temnendam.

XXII. *De puero qui furatus vaſculum in Eccleſia beati Dionyſii graviter ægrotabat, & furto reddito ſanatus eſt.*

SOLLEMNIS dies beatorum Martyrum imminebat, ad quem devote celebrandum frequens populus affluebat. Ut autem ſacra Miſſarum celebratio peracta eſt, ex more charitatis ſtudio Clericorum cœtus qui undique convenerant, uti corpora cibo reficerent invitati ſunt ab eodem Abbate. Cum his ergo laicali habitu puer intromiſſus, non ſine ſui pœna fictile vas eſt furatus. Nam illud concupiſcens abdidit, & reverſus ad domum matris detulit. Eadem nocte graviſſima febre correptus, laborare ea ægritudine vehementiſſime cœpit. Ingraveſcente ergo moleſtia mater dolore anxia, illacrymans quærebat a puero, ſi forte cauſam tanti languoris noſſet. Neſcio, ille ait, ſed ſuperiori nocte venit ad me quidam Clericus, & furti me arguens, quam gere-

---

a Nimirum anno fere 792. ut colligitur ex Annalibus Eginhardi, ubi in editis apud Cheſnium is dicitur ARDULFUS librarii errore, ex dictis ſupra in Elogio Fulradi num. 14.

b Hinc patet S. Dionyſium, quem priſci quique Francorum Reges *Patronum ſuum ſpecialem* vocare ſolent in diplomatis Cœnobio Dionyſiano conceſſis, jam tum in bello audiſſe ut Galliæ defenſorem; ob idque ipſius Reliquias per Monachos delatas in caſtra fuiſſe. Sane Carolus Calvus in procinctu prœlii apud Caroli-vennam initi cum Nortmannis, adivit ſepulcrum B. Dionyſii, ut per eum cœleſtem opem flagitaret: & anno 1214. Franci Philippo Rege adverſus Ottonem Imperatorem dimicantes, *beatum Dionyſium Francorum Apoſtolum in cordis anguſtia* invocaſſe dicuntur in libro de Triumpho S. Landeberti Epiſcopi Leodicenſis Steppis obtento, cap. 15. De ſacerdotibus in caſtra cauſa religionis deductis exemplum eſt Conſtantini Magni apud Euſebium in lib. 3. de ejus vita cap. 56. de patrociniis, id eſt Reliquiis Sanctorum in caſtra portandis, lege canonem 2. Synodi Germanicæ apud Liptinas confirmata, relatæ ſupra ab Othlono in lib. 2. de vita S. Bonifacii cap. 1.

Digitized by Google

AN. CHR. 784 gerebat manu me virga percuſſit. Tum illa, Dic: inquit, fili, ſi aliquid ſurripuiſti. Minime quidem puer, ſed tantum fictile vas a Monaſterio ſancti Dionyſii huc detuli. Mater intelligens ob eam rem filium ægrotare, linteum & candelam in vota ſumens, una cum puero ad Monaſterium venit: & reddito vaſe votiſque ſalutis, continuo filii meruit ſoſpitatem.

XXIII. *De reliquiis beati Dionyſii, quæ manum perjurare volentis bis ſubterfugerunt.*

EJUSDEM Abbatis tempore, homo quidam vocabulo Wanilo, in ſervitium beati Dionyſii quærebatur. Re ad LANTBERTUM Comitem delata, Juramento ſecundum legem libertatem ſe poſſe tueri Wanilo reſpondit. Statuta ergo die adfuere Comes & Monaſterii Præpoſitus, nomine AGLEBOLDUS, habens ſecum partem digiti ſancti Dionyſii, auro inſtar manus affabre compoſito incluſam. Proferuntur Comitis reliquiæ, ſuper quas homo juramentum perſolveret. Contra Agleboldus Præpoſitus rogat NOTA. ſupra manum quam attulerat juret. Conſentiente Comite atque Judicibus, in clypeo cum aliis reliquiarum patrociniis indicatrix veritatis manus componitur. Ad quam dum applicare manum juraturus Wanilo vellet, ſacrilegum tactum evitans (mirabile dictu) aurea manus longe reſilivit: ut vero ille manum amovit, divina virtute acta reliquias continens aurea manus ad priorem locum reverſa eſt. Cumque adhuc homo in propoſito perſeverans manum rurſum applicuiſſet ſicut prius, ceſſit iterum aurea manus. Sic illo tum & Judicum, tum etiam ſua ſententia convicto, virtutem ſancti Dionyſii in commune omnes qui aderant ſummis laudibus extulere, per quem Dominus tam celebre miraculum oſtendiſſet. Manus prædicta inter alia præcipua ornamenta ad Memoriam Martyris appenſa, hodieque a pejerandi auſu obſtinatos quoſque deterret.

XXIV. *De matrona quæ loquelam perdidit, quia ancillæ dare veniam noluit, quæ confugerat ad Eccleſiam beati Dionyſii de Strata.*

MEMORATI Abbatis homo nobilis, cui erat Beldela nomen, habuit uxorem quæ Angilrada dicebatur. Hujus ancilla corruptore admiſſo dominam timens, ad Eccleſiam beati Dionyſii quæ Strata *a* dicitur confugit, die qua beati Joannis nativitatis feſtivitas agebatur. Presbyter loci, nomine Martinianus, claves baſilicæ adſumens, ad dominam adulteræ pro ea interceſſurus abiit. Matrona viſum Presbyterum ad convivium vocat. Ille abnegare, donec exponeret quam ob cauſam veniſſet. Qua annuente, claves Eccleſiæ profert, pro fugitiva ad quem confugiſſet memorans ſedulo rogat. Matrona cum Presbyterum vehementi deprecatione ſe urgere vidiſſet, mota animo numquam eum ne verbum quidem indulgentiæ auditurum a ſe juramento firmavit. Protinus ergo loquendi officium perdidit, & nec illud quod petebatur, nec prorſus aliquid omni vitæ ſuæ tempore edicere valuit: & quam loquendo & potuerat & noluerat, tacendo culpam ancillæ ignovit.

XXV. *De muto cui redditus eſt uſus loquendi.*

POST Fardulfi obitum WALTO *b* gubernandi Cœnobium beatorum Martyrum curam ſuſcepit. Hujus tempore quidam vir, nomine Ermenarius, in pago Aurelianenſi ortus, qui diu loquendi officio caruerat; cum proximam ſanctorum Martyrum feſtivitatem audiſſet, cum aliis quos chriſtianus ad eam colendam provocabat affectus, ad eorum venerabile templum pervenit. Vigiliæ a Fratribus devotiſſime agebantur, & ipſe copioſiſſime quæ confluxerat multitudini permixtus, divinarum laudum fruebatur auditu. At ubi beati Zachariæ hymnum Fratrum caterva inſonuit, lingua diu ſuo munere vacans Sanctorum interceſſione uſum naturalem recepit. Credo, Deus antiquum innovans miraculum, ut ortu Baptiſtæ Joannis diu obſtruſa organa multatæ vocis parentis Zachariæ in hunc hymnum reſolvit; ita merito ſui Martyris ſub ejuſdem concentu, qua cauſa incertum, tamen privata communi munere labia reſeravit. Siquidem ille caſtiſſimam in deſertis egit vitam; hic inter tela horrentia paganorum elegit propter Deum ducere peregrinam. Ille Salvatorem in terra ambulantem digito demonſtravit devotus: hic eum devicta morte cœlo terraque regnare tum verbis, tum etiam evidentibus miraculis, infidelibus teſtatus eſt. Extremæ fœditatis ſtuprum Joannes redarguens immeritam ſubiit capitali ſententia mortem; Dionyſius cum fornicantes erga deorum, immo dæmonum cultum ad Creatoris agnitionem ſedulo reflectere conatus eſt, ab obnitentibus perſecutionem paſſus pertulit vitæ mortalis diſpendium, cœlique lucratus eſt regnum. Ambo Deo accepti, ambo ſenatui cœleſtis curiæ adſcribi digniſſimi.

XXVI.

a Hactenus nomen retinet, vulgo *ſaint Denys de l' Eſtree*, in vico Catulliaco, non opido S. Dionyſii adhærens: qua in Eccleſia hactenus beatorum Martyrum trina cenotaphia viſuntur.

b Corrigendi ergo vulgati indices Abbatum Dionyſianorum, in quibus Fardulfo ſubjicitur Hilduinus, Vvaltone penitus expuncto, quem Decanum dumtaxat fuiſſe perperam fingunt. Fuerat is Cœnobita, dein Abbas Sancti-Gallenſis, teſtante Ratperto in libro de caſibus Monaſterii S. Gall. cap. 4. Sed ab Eginone Conſtantienſi Epiſcopo inde ejectus, *cum conſenſu* Caroli *Imperatoris ad vicinum Monaſterium, quod Auva nominatur, commoraturus devenit: ubi poſtea Abbas electus atque ordinatus, ad ultimum Monaſterium S. Dionyſii ſuſcepit regendum.*

Digitized by Google

XXVI. *De muliere contracta ſanitati reſtituta.*

EJUSDEM Abbatis tempore quædam femina ex vicina Cœnobii villa, quæ Cava *a* dicitur, nomine Grimoildis, quæ olim ambulandi uſum amiſerat; impendente Martyrum die natali, non abſque recuperandæ ſalutis fiducia aulam ingreſſa eſt. Cumque ante ſanctum altare ſe traheret, virtus divina ad laudem ſuorum Martyrum adfuit, eamque priſtinæ ſaluti ſtupentibus in medium omnibus reſtituit. Non ab ea poſthac ſcamellorum quæſita ſuffragia, non ipſius baculi expetita ſolatia: ſed plene omni liberata debilitate, beatiſſimis Martyribus gratulans firmo greſſu remeavit ad propria.

XXVII. *De Fratre latrunculo, qui per menſæ ruinam deprehenſus eſt.*

EA tempeſtate quidam in Monaſterio erat, vocabulo Airbardus. Is adoleſcentiæ laborans ætate, & occupationibus liberalibus liber, totum ſe indulſerat voluptati. Nulla enim honeſtatis cura ſaltem obducta celabat, nec vero aliquis innatus animo pudor intuentibus commendabat. Studium præterea cum & in aliis vitiis, tum etiam erga ſingularem latrocinandi cautelam exacuerat. Cumque pro his ſæpe conventus verbis promitteret, factis omnem penitus emendationis ſpem denegaret; etiam quid occulte gereret, (ſi quidem poſt generalem Fratrum refectionem furtim panem foras efferre conſueverat) declaravit. Erat tum lignea menſa ante fores refectorii ſtatuta, ſatis fidum latrunculo illi reperta perfugium. Quippe ſub eam quæcumque ſublegere poterat congerebat. Quadam die refectorium egreſſus, conſueto more panem ibi abſcondit, & fraudem ſimulationis verſutia ſubprimens, cum aliis foras egreſſus eſt. Breviſſimum horæ intervallum effluxerat, & ecce creditor tam fidæ adſervatrici adfuit, ſeque ad reſumendum cum aptaviſſet depoſitum, ruit menſa, ſuique pondere furem, ne quid moliretur diſſimulare poſſet, oppreſſum detinuit. Pendere jam tum pœnas reum judicio ceſſante humano videres, quem divina animadverſio illicita ſubinde exaggerantem veluti in nervum conjecerat. Itaque digno pondere conſtrictus, nec ſeni * ſurripere aliquo prævalens, damnatorum voces dignaſque pœnas luentium edere cœpit. Quæ cum brevi multos Fratrum acciviſſent, ſatis conſtitit omnibus furem judicio proditum, & ne quis talia contra fas juſque auderet, ſpeciali eventu generaliter interdictum. Senſerit aliquis quod volet: mihi beati Dionyſii virtus non adfuiſſe videtur, ne tot dies crimen admittenti impune cederet, & alii hujus improbitate inducti paria tentaviſſent. *f. ſe inde

XXVIII. *De puerulo ſubmerſo & incolumi reperto.*

QUIDAM etiam puerulus, Jacob nomine, nutriebatur a patre ſuo vocabulo Adalulfo, cui veſtium lavandarum in Monaſterio injuncta fuerat cura. Memoratus itaque puer cum in anguſto ponte, qui in ulteriorem partem continuabat iter, luderet, caſu in aquam decidit, nec obniti violentiæ undarum prævaluit: (ſiquidem quinque tantum erat annorum) ſed uſque ad vertiginem molendini tractus, indeque Deo opitulante perlapſus eſt. Ita a quibuſdam in publico ſublicioque ponte conſiſtentibus viſus, & (mirabile dictu) incolumis favore (ut creditum eſt) Martyrum repertus ab undis levatus eſt.

PROLOGUS SECUNDI LIBRI.

PRIMI libri miraculorum beati Dionyſii lectoris animum levare volens finem hic feci. Et recte hunc primum dixerim, quamvis in præſenti alterum tantummodo ſubjiciam: quoniam ad memorati viri declaranda merita, multa divinitus credo ſubſequentur, quæ ſive a mea parvitate, ſive a quibuslibet qui hoc ſuſcipere a me tentatum volent officium, aliis libris debeant explicari. Eorum tantum hic primus erit, quo initia Monaſterii quatuorque Abbatum ſibi viciſſim ſuccedentium tempora complexus ſum. Nunc quæ reſtant auxiliante Domino videamus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. *De quodam inſano per Martyres ſanato.*

REGIMEN præfati ſæpenumero Monaſterii, poſt Waltonem *b* HILDUINUS emeruit: cujus multa contigere diebus, quæ partim in hunc libellum contulimus, partim

a Hactenus iſtud nomen ſervat ager quidam Monaſterio vicinus, vulgo *les Caves*: nam vicus eo loci non amplius extat.

b Vualtonis obitus in Necrologio Argentogilenſi reponitur 5. *Kal. Aprilis* his verbis: *Obiit* VUALTO *Abbas B. Dionyſii*. Hilduini vero ſic: 10 *Kal. Decemb. obiit* HILDUINUS *B. Dionyſii Monachus & Abbas*. Quibus verbis conſtat, Hilduinum Abbatem regularem fuiſſe, non ſæcularem. Eodem die ſignatur ejus mors in veterrimo Necrologio noſtro Pratenſi. Hilduini vero junioris 13 *Kal. Decemb.* rectius quam in Argentogilenſi 12 Kal. Male ergo Hilduini ſenioris depoſitio notatur die 30. Octobris in fuſiori Gallia Chriſtiana. Fallitur Hepidaunus Sancti-Gallenſis Monachus, qui Vualtonem Abbatem ait obiiſſe anno 781. quo forſan regimine Cœnobii S. Galli pulſus eſt. Anno 800. Vualto Abbas tum Augienſis ſocietatem cum Vverdone Sancti-Gallenſi Abbate iniit, nec regimen Cœnobii Dionyſiani adeptus eſt ante annum 805. quo Fardulfus ſuperſtes erat ex dictis in Elogio Fulradi num. 15. In Necrologio Sancti-Gallenſi Vualtonis obitus notatur 3. *Kal. Aprilis*.

Digitized by Google

AN.CHR. 784 tim brevitati ſtudentes legentium æſtimationi reliquimus. Vir quidam nomine Bernarius morbo maniaco depreſſus, penitus ſenſum amiſerat, & velut infrenis belua occurrentes appetere, & laniare dentibus geſtiebat. Hic ad Memoriam glorioſorum Martyrum deductus, intra dies paucos largiente Domino, ad ſanctorum Martyrum gloriam, priſtinam in ſe conſecutus eſt ſoſpitatem.

II. *De quadam paralytica ſanata.*

QUAEDAM femina, nomine Berdundis, omni pene corporis ſanitate deſtituta, ad templum beatorum Martyrum parentum officio delata eſt, ibique miſeram miſerantibus ſacris Martyribus greſſu donata, & ex majore parte totius corporis optatam eſt valetudinem conſecuta. Hæc Sanctimonialis effecta, ſic vitam adhuc inter alias degit.

III. *De quadam quæ ſiniſtrum recuperavit oculum.*

ITEM alia, nomine Amalgundis, ipſius viei Catulliaci habitatrix, ſiniſtro oculo laborabat, & procedente tempore palpebrarum thecam pupilla exceſſerat. Hæc cum & ipſum dolorem, tum etiam ſui fœditatem egerrime ferret, ad ſanctos Martyres venit, & anxia eorum interceſſionem popoſcit. Ita (mirabile dictu) non ſanitati modo, ſed etiam priſtinæ reſtituta eſt formæ.

IV. *De quodam cœco illuminato.*

QUIN etiam ex eodem vico quidam, nomine Framboldus, oculorum infirmitatem incurrerat. Cumque medicorum ſolatia expetiſſet, multa ab eis paſſus, nihil aliud eorum opera, quam cæcitatem contraxerat. Sic quamplures dies lumine carens, tandem interceſſione (ut creditur) Martyrum munus luminis conſequi meruit, ut opus omne quod agere conſueverat, nunc quoque facere poſſit.

V. *De cujuſdam oculo ſanato.*

VIR quidam, cui erat nomen Frodaldus, Aquitania oriundus, oculo laborabat. Itaque fama beatorum Martyrum comperta & recuperandæ ſanitatis fide concepta, ad eorum ſacram Memoriam venit. Ibi illorum potentiam divinitus eis collatam expertus, ſoſpitate percepta ſumma cum exſultatione receſſit.

VI. *De quodam ægro ſanato.*

ALIUS, vocabulo Airbertus, ex fiſco Riogilo *, eam quam medici græco vocabulo Neverofreſim vocant, paſſionem inciderat. Cumque inremediabiliter diu multumque ingentibus urgeretur doloribus, lectica eum parentes non abſque fide impoſitum ad ſanctum detulere Cœnobium. Ibi non plus tres dies faciens, Martyrum favente ſuffragio integerrima incolumitate donatus, cunctis in medium Domino gratulantibus ad propria remeavit.

* Ruel

VII. *De quadam cæca illuminata.*

QUAEDAM femina ex villa quæ Waſconis dicitur, continuo quindecim annorum ſpatio cæcata, impendente feſtivitate Sanctorum ad eorum ſe baſilicam deduci popoſcit: quo facto, ante eorum celeberrima ſepulcra deſideratum lumen accepit. Tanto itaque laxata onere cæcitatis, non rectore modo ultra non eguit, ſed etiam lanificii uſum muliebri more exhibuit. Dicebatur autem Angalfreda.

VIII. *De quadam contracta erecta.*

EX eadem villa alia, nomine Frothildis, duos curvata annos, adeo ut ne ad momentum quidem ſe ad ſuperos erigere poſſet, duobus incumbens baculis ad venerandum templum inſtante natali Sanctorum die acceſſit, ibique peregrina ſpecie depoſita ſuam auxilio Martyrum reſumpſit.

IX. *De cæca illuminata & ſeptem aliis.*

TUNC etiam quædam mulier, nomine Chriſtiana, ex Aurelianenſi pago, quæ quatuordecim annos luce caruerat, ibi curata eſt: & ſeptem alii diverſis adſtricti languoribus, quos illuc tum neceſſitas, tum etiam ſpes coegerat, morbis Sanctorum interceſſione laxati ſunt, & populis religioſe Deo & beatis Martyribus laudes ſolventibus, incolumitatis ſuæ commercia retulerunt.

X. *De contracto erecto.*

AGEMBERTUS quidam ex villa quæ Ebronadus vocatur, nervorum compage contracta, adeo ut jam pedes tergo adhærere viderentur, ad baſilicam Sanctorum venit, & ante

Digitized by Google

ante eorum venerabilem tumbam in priſtinum circumpoſitus ſtatum, ad ſua cum exultatione reverſus eſt. AN.CHR. 784

XI. *Miraculum ſuperiori conſimile.*

ITEM alius, nomine Malbertus, æque debilis, ad annuam feſtivitatem ſcamellorum niſu occurrit; & dum ſtudioſe a Fratribus agerentur vigiliæ, quartaque lectio recitaretur, auxilio Martyrum quam quæſierat ſoſpitatem inſpectante frequentia populorum recepit.

XII. *De contracto erecto*

SIC etiam alius, vocabulo Acledeus, qui & ipſe repens potius quam incedens aulam ſacram adierat, inſtante natalitia Sanctorum feſtivitate ſoſpitatis gaudia conſecutus eſt.

XIII. *De contracto & muto ſanitati reſtituto.*

PRAETEREA alius, nomine Hildemodus, ſimili ſorte per decem annos multatus, ad venerabile templum pervenit: factaque oratione, meritis ſanctorum Martyrum oblitum diu ambulandi uſum reſumſit. Ita cum devote famularetur Monaſterio, octavo die ſanitatis adeptæ, qua cauſa ambiguum, loquendi amiſit officium. Nec vero fides adhibita caſui eſt, quoad flagellis velut pro ſimulatione urgentibus invita taciturnitas indicium fecit. Quinto demum finito die vinculis ſilentii lingua ejus laxata eſt.

XIV. *De paralytico ſanato.*

EA tempeſtate alius, vocabulo Idelfredus, ad baſilicam Martyrum deductus eſt: ſiquidem membrorum deſtitutus officio trium annorum curricula peregerat. Cum ergo implorata Sanctorum interceſſione Dei clementiam præſtolaretur, ſolatia illi ſoſpitatis plene indulta ſunt.

XV. *De quadam contracta in Eccleſia beati Dionyſii de Dugniaco ſanata.*

QUAEDAM femina ex villa quæ Novientum dicitur, genibus contractis pedibuſque veluti tergo adhærentibus fuit. Hæc quo tempore famoſi Martyris Sebaſtiani ab urbe in Gallias reliquiæ delatæ, & haud longe a civitate quæ Sueſſio dicitur, in Eccleſia beati Medardi Confeſſoris ſitæ ſunt, cum eis quos miraculorum opinio evocabat, illuc a vicinis allata eſt. Cumque ibi aliquot egiſſet dies, nec ei optata ſanitatis gaudia proveniſſent, retro gradum iter cum meantibus repetiit. Jam plurimum viæ confecerant, cum hi qui reducebant, ad locum devenere qui Dugniacus * vocatur, ubi Eccleſia in honore ſanctorum Martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii conſtructa eſt. Itaque recedentibus ſociis miſera juxta quamdam ſepem nullo eam miſerante nec hoſpitium largiente relicta eſt, atque horrorem hiemis ſub divo coacta perferre. Canis inſuper illam ita jacentem reperiens momordit, ac nemine qui illum abigeret exſiſtente cruentam reliquit. Sic vir quidam, vocabulo Agetheus, eam collegit, & inter ſacram quæ vicina erat ædem curandam ſacris Martyribus obtulit. Omnipotens ergo Deus diuturnam illius miſeratus infirmitatem, & inopinam ſanitatem reddidit, & humanæ vitæ illi ſubſidia providit. Nam repente vociferari cœpit, irruentibuſque plurimis paullatim ſe ſupra pedes colligere, donec parieti innixa uſque ad Eccleſiæ cancellos cunctis ſtupentibus proceſſit. Et ne id illuſio magis quam veritas putaretur, ejuſdem ſexus perſonæ, quas una vis clamorum coegerat, membra quæ contra naturam ſibimet adhæſiſſe memoravimus, curioſius inſpexere, eaque madentia ſanguine recenti reperere. Poſtmodum velamen ſacrum accepit, eamque quædam clara materfamilias, nomine DODA, reliquo vitæ tempote liberaliter aluit.

* Dogny

XVI. *De cœca in ſupradicta Eccleſia illuminata.*

IN hac eadem Eccleſia puella quædam ab ipſis cœca cunabulis, die dominica dum Miſſa adſiſtente plebe celebraretur, munus luminis (ut & plures & veraces viri teſtantur) percepit.

XVII. *De infirmis cujuſdam oculis cito ſanatis.*

VIR quidam, nomine Giſlehardus, ex villa quæ Major * dicitur, nimiam oculorum paſſus caliginem, anxius ad templum Sanctorum venit, votumque ibi Deo & ſacris Martyribus fecit, tantamque in brevi prece (ut credimus) eorum conſecutus eſt ſanitatem, ut ne veſtigium quidem alicujus infirmitatis in ejus remanſerit oculis.

* Merville

AN.CHR. 784

XVIII. *De puella in oculo ſanata.*

QUAEDAM puella, Amſindis vocabulo, in dextro oculo glaucomam perferebat. hanc mater ſua cum fide ad ſanctum locum adduxit. Ibi vero cum quatuor dies egiſſent, quinto integerrimam conſecuta eſt ſanitatem.

XIX. *De quodam a morbo canceris ſanato.*

VIRI cujuſdam, nomine Hucberti, pedem dextrum canceris morbus corruperat, jamque ejus medietatem victor tenebat. Hic itaque medicorum diffidens, Martyrum confidens auxilio, ad eorum ſe baſilicam contulit. Illic octo diebus devote peractis, pene jam deſperatam interventu eorum incolumitatem emeruit.

XX. *De mulieris ſanata mammilla.*

EODEM morbo quædam femina, Ermentrudis vocabulo, ex villa Spinogilo * afficiebatur. Siquidem pene totam ejus mammam ſiniſtram occupaverat ſerpens virus mortiferum. Quare ſpem ſuam in Domino ponens, ad ſanctorum Martyrum convolavit auxilium. Cumque in eorum baſilica tum devotas, tum etiam frequentes funderet preces, fidem ejus exitus felix excepit. Cancer enim ulterius procedere virtus divina prohibuit, & ſalutis remedium obnixe petenti conceſſit.

* Eſpinay

XXI. *De quadam quæ a ſacro igne in mammilla curata eſt.*

ALTERIUS cujuſdam mammillam ſacer ignis torrebat, longoſque pruritus illius ſuſtinebat dolores. Natali ergo Martyrum die ad eorum venerabilem ædem veniens, plenæ ibi reſtituta eſt ſanitati. Alia quoque femina nomine Auſtreberta, quæ viſum amiſerat, ibidem oculorum ſanitate donata eſt.

XXII. *De quodam a regio morbo ſanato.*

CUJUSDAM viri nomine Godefridi membra regius obſederat morbus, adeo ut eſſet difficile ſine pavore illum intueri. Ita ad limina glorioſorum Martyrum acceſſit, ibique diebus ſeptem moratus, eorum ſuffragio & inviſam depoſuit, & propriam formam recepit: quique prius cernentibus terroris, poſtmodum cauſa miraculi fuit.

XXIII. *De muliere ſanata.*

CUJUSDAM femina membra interius, præcipueque uterum & ſubjecta ei occupaverat. Hæc ad vigilias clariſſimorum Martyrum accurrens, eorum ope ſanitatis ſolatia retulit.

XXIV. *De Sanctimoniali a morbo naris curata.*

DEO ſacratæ cujuſdam, HILDEGARDIS nomine, ex Cœnobio quod Argentoilum *a* dicunt, polypo naris obſtructa fuerat, adeo ut excreſcens ſuperflua caro vitium intuentibus proderet. Privata ergo naturali munere Sanctos Dei expetiit, & per quatuordecim dies eorum limina frequentans ita curata eſt, ut ne veſtigium quidem priſtinæ in ea deformitatis remanſerit.

XXV. *De duabus Sanctimonialibus a ſacro igne in mammillis ſanatis.*

ALIÆ quoque duæ ex eodem Monaſterio, quarum altera Deo ſacrata, altera laica *b* fuit, ſacrum ignem diu paſſæ mammillis, ad memoriam Martyrum procedente tempore curatæ ſunt.

XXVI.

---

a Argentoilum ſeu Argentogilum, uti veteres pingunt, recentiores Argentolium, vulgo *Argenteuil*, nono lapide infra Lutetiam Pariſiorum ad Sequanam, primo quidem Cœnobium Monachorum ab Ermenrico & conjuge ejus Numma conditum; dein petente Carolo Magno conceſſum eſt Sanctimonialibus, quibus præfecta Abbatiſſa Theodrada Caroli filia: demum Sugerio Abbate locum vindicante, Prioratus (ut vocant) conventualis evaſit, Dionyſiano Monaſterio ſubjectus. Lege librum Sugerii de rebus in adminiſtratione ſua geſtis. Et tamen Adhelaidis Rotberti Regis conjux apud Helgaldum Monachum fertur *conſtruxiſſe Monaſterium in territorio Pariſienſi, villa quæ dicitur Argentoilus, ubi numerum ancillarum Dei non minimum ſub norma* S. BENEDICTI *vivere paratas adunaverit*: quod proinde intelligendum de loci inſtauratione. Argentoilo ex opido fuit oriundus Jacobus a Vitriaco Cardinalis.

b Erant in Cœnobiis puellarum Monachæ laicæ, aliæ a ſacratis, uti & virorum Monachi laici, alii a Monachis Clericis: de quibus in Præfatione hujus Sæculi, tomo primo.

Digitized by Google

AN.CHR. 784

XXVI. *De cujuſdam oculis illuminatis.*

QUIN etiam Nodelharius quidam ex præfato loco, cujus oculos adeo caligo obtexerat, ut in diſcernendis corporum humanorum hæſitaret lineamentis, cum pro reſtauratione luminis Deum & beatos Martyres in eorum baſilica precaretur, quod poſcebat obtinuit.

XXVII. *De quodam a morbo canceris liberato.*

QUIDAM fiſci Riogili (cujus ſuperius * mentionem fecimus) habitator, punctione ſpinæ canceris morbum in digito contraxerat, & tota manu ac brachio in tumorem redacto vitæ diſpendium anxius operiebatur. Ita ad clariſſimorum Martyrum ſe Memoriam conferens, incumbentem pene ſibi jam mortem eorum interceſſione evaſit. * cap. 6.

XXVIII. *De quodam mente capto curato.*

SIGEBERTUS quidam mente captus, eodem tempore domum clariſſimorum Martyrum ingreſſus, precibus eorum ſoſpes factus, & cum gratiarum actione receſſit.

XXIX. *De quadam contracta erecta.*

PRAETEREA mulier quædam, nomine Waltildis, fiſci Bonogili * habitatrix, greſſuum privata officio, dum templum venerabile frequentaret, ſalutem quam quærebat obtinuit. *Bonneuil

XXX. *Miraculum ſuperiori ſimile.*

SIC & alia, Reguiſinda nomine, dum deſtituta ambulandi uſu a ſuis illuc deportata fuiſſet, ut ſine eorum adminiculo redire poſſet accepit.

XXXI. *De quodam cœco illuminato.*

QUIDAM illuc in lucem ſine lumine fuſus, ingenti parentis fide ab Oximenſi * pago deductus eſt. Illico ut templum ingreſſus eſt, (mirabile dictu) quod numquam habuerat oculorum accepit officium. Præclarum ſane & Deo dignum miraculum. Denique qui cœci nati oculos in myſterium illuminandi humani generis humanatus aperuit, ipſe cum Patre & ſancto Spiritu mirabiliter & cuncta ſemper diſpenſans, ad declarandum Martyris ſui Dionyſii ſociorumque ejus excellentiſſimum meritum, hujus quoque cœci lumina reſeravit. Nam quid illis ab eo difficile ſit obtinere, quibus largiente ipſius gratia pro confeſſione ejus nominis non fuit difficile animas ponere? Atque utinam eorum ſacra interceſſio cœcitatem noſtræ mentis illuminet, & ne ab eorum aberremus veſtigiis dignanter efficiat. *d'Hyeſme

XXXII. *De muliere viſum recuperante.*

SUB idem tempus quædam femina Andegavenſis, Doctrudis nomine, tribus annis oculorum depreſſa caligine, opem inſignium expetiit Martyrum. Oraculum vero ſe accepiſſe dicebat, ut oleo quod forte in Eccleſia eorum dependeret, palpebras ſibi fovere debuiſſet; poſſe hoc facto ſe amiſſam recipere facultatem videndi. Ob quam rem cum æditüos fatigaret, nec quod poſceret ab eis impetrare potuiſſet; converſa ad altare, quod HILDUINUS Abba inſigni admodum opere ſanctæ Trinitati, inter alia quæ multa & præcipua Eccleſiæ ornatui contulerat, ſtatuit, preces Domino effundebat: cum repente fundo contrariæ lampadis quæ integerrima videbatur effracto, oleum quod continebat humectare cœpit marmoreum pavimentum. Illa id ſentiens, & nutu divino oblato ſibi oleo lumina tangens, remota omni caligine natalem ſortita eſt uſum videndi. Hauſtu *a* ſane ſive unguine olei quod lampadibus inſtillatum aſſiduam tumbæ præbet lucernam, multi ægroti præcipueque febribus laborantes ſæpenumero divina gratia operante curati ſunt.

a Propinatum aliquando ægrotis oleum ſanctum docet nos etiam Sulpicius in Vita S. Martini in lib. 3. Dial. cap. 2. ubi Martinus pauxillum olei benedixiſſe, atque ita *in os puellæ* ſanctificatum liquorem infudiſſe perhibetur.

Digitized by Google

AN.CHR. 784

XXXIII. *De quibuſdam militibus, qui beato Dionyſio injuriantes in amentiam verſi ſtatim mortui ſunt.*

EST villa beati Dionyſii in pago Andegavenſi, quæ dicitur Pontiniacus. Hanc procurante Presbytero Monaſterii, nomine Pugnito, Rothelinus judex vicini fiſci Baltiati, ex ejus colonia quædam mancipia retinebat. Cumque hæc res jam ad lites veniſſent, præfatus Presbyter Pugnitus LANTBERTUM Comitem adiit, utque eas juſto finiret judicio popoſcit. Comes in aliis occupatus, cuidam Vicario nomine Giramno, alii quoque ſuorum ſatellitum, vocabulo Adulfo, audiendam finiendamque cauſam quarta-decima die ſecundum jus delegavit. Dies ſtatuta advenerat, quæ & exceſſu beatiſſimi Martyris Dionyſii celeberrima erat; & ecce prædictus Rothelinus cum pluribus armatis, loricatis etiam nonnullis adſuit: mandavitque ut prior Pugnitus ei de quibuſdam cauſis ſatisfaceret, & tum ipſe quod ex eo quereretur communi judicio terminaret. Contra Pugnitus ut Comitis præcepta implerentur magis æquum reſpondit: poſſe vero deinceps quod præoccupare vellet commodius fieri. Ad hæc ille mortem Presbytero minitari, eo quod ſe accuſaſſet, ſuamque quæ juſta eſſet finire cauſam legitime recuſaret. Pugnitus non ſe armis rem tractaturum adſeruit, præſertim inermem; nec tamen ſe moriturum inultum, ſi vellent cum ſancto Dionyſio, cui mancipia ſurripuiſſent, bella conferere. His renuntiatis, ſex qui ſe loricis munierant, paullatim in amentiam cœpere converti, atque divino urgente judicio eodem die vita exceſſere. Credo, ſatis evidenter expilatorum improbitatem divina compeſcere ſeveritas voluit; & qui Eccleſiam rebus propriis privare moliuntur, cui ſententiæ ſubjaceant, hoc manifeſtare exemplo.

NOTA.

XXXIV. *De contracto ſanato.*

SED ut hujuſcemodi luctuoſa prætercam, paullulumque omiſſa repetam; Adefredus quidam officio greſſuum quindecim annos caruerat, ſanctorumque Martyrum ſuffragium expetens, poſt longa ambulandi oblivia reſtitutas ſuis pedibus alternas miratus eſt vices.

XXXV. *De quadam, cujus filum manui adhæſit, quia hora debita ire ad Eccleſiam recuſavit.*

* Strepigny

EST villa in pago Stampenſi, quæ Stirpiniacus * dicitur, in qua quædam femina, vocabulo Guntherga, cum tempore Quadrageſimæ hora nona *a* linum textili pararet operi, ſignum pulſatum eſt, quod ad audienda Miſſarum ſollemnia Chriſtianum populum evocaret. Illa aviditate finiendi operis paullulum immorata, admonita a quodam religioſo eſt, opus relinqueret, & intereſſe myſteriis acceleraret; poſſe eam alio tempore quod cœperat opportune peragere. Citiſſime, inquit illa, quod ſupereſt perficiam, tumque ad Eccleſiam properabo. His dictis cum perfectionem reſumpto opere maturaret, ſubito linum in manu ejus adhæſit, ſicque ipſa manus cum lino obriguit, ut nullo eam conatu poſſet aperire. Hoc itaque damnata modo auxilia Sanctorum expetens diverſa loca circuiit, cur id ſibi contigiſſet vulgo edicens. Pervenit ergo tandem aliquando ad glorioſiſſimorum Martyrum baſilicam, ubi eam & egomet vidi, ibique eodem quo venerat die, ſcilicet 5. idus Martias, e vinculis divinæ ultionis laxata eſt. Quod facto quid Deus aliud, niſi ut poſtponendæ ipſæ quoque noſtræ neceſſitates eſſent ſuo cultui, quo ſincere occupati & felices & beati erimus, docuit? An & memoratam feminam idcirco plures coegit adire locos, ut deſides terrerentur, ſollertes ad vitale ſtudium incitarentur? Atqui opinor & beati Dionyſii ſociorumque ejus meritum voluit declarare, ut quibus prærogativam martyrii glorioſius contuliſſet, eis quoque hanc gratiam ſpecialiter largiretur.

Auctor teſtis.

XXXVI. *De puella a duplici incommodo liberata.*

EODEM Quadrageſimæ tempore, ſabbato quod Palmarum præcedit votiva ſollemnia, ſole jam in occiduas vergente partes, quædam adoleſcentula, cui erat nomen Eliſanna, in ipſo vico Catulliaco degens, textili opere laborabat. Cum repente ferrum radioli quo fila cillebat, manui ejus adhæſit tam valide, ut cruciatum ſe cauterii ferre voce querula teſtaretur. Iſta noctu ad vigilias anxia ferenſque lumen proceſſit, & ſepulcris proſtrata Sanctorum veniam precabatur. Omnibus rite peractis, ſalutaris Evangelii lectio dicebatur, illaque adhuc remedium flagitavit, cum ferrum manu avul-

a Ex hoc loco duo diſcimus de priſca Quadrageſimæ obſervatione: unum, Miſſam hora nona celebrari ſolitam: alterum omnes, etſi feriatus eſſet dies, ad eam audiendam religione quadam fuiſſe adductos.

Digitized by Google

avulſum diſſilivit, & ream divina clementia ſupplicio liberavit. Spectares manum veluti ferventi ferro tactam, certa damnationis ſuæ indicia præferentem. Propoſuit itaque ut debitum ſacris Martyribus ſolveret. Siquidem hoc pacto a domino ſuo fuerat manumiſſa, ut denarium in annos luminaribus Martyrum conferre debuiſſet. Idque non plus quam ſemel fecerat. Inſuper locum deſerere, & Sueſſionum urbem expetere parabat. Poſtera die quidam ex eodem vico diem obierat, cujus exſequiis cum aliis ipſa interfuit. Prolixioris ergo ſepulturæ fatigata expectatione reſedit, atque in ſomnum ſoluta eſt. Tum viſus eſt illi quidam Clericus, non minus ipſo adſpectu quam veſtium dignitate conſpicuus, iſque eam cur votum, immo debitum procraſtinaret increpavit: adjungens quare locum cui reverentiam debuiſſet, deſerere, exterum querere, vitamque in eo tranſigere manuali opere moliretur. Præterea inter dicendum virga quam forte gerebat eam percuſſit, ſicque diſcedere viſus eſt. Illa evigilans, viſioniſque recordatione pavitans ruit, ac pene exanimata eſt. Tandem vero ſe in vires colligens, quæ viderat indicavit, confeſtimque obmutuit. Nimis itaque territa domum rediit, & candelas ſumens in munere, ad Sanctorum baſilicam repedavit, ac reliquum diei in precibus & fletu comſumſit. Sequenti vero nocte ad nocturnum regreſſa officium, cum heſternas devote integraret preces, ſopore depreſſa eſt, ac poſt paullulum expergefacta reſtitutam ſibi loquelam gaviſa. Tum Deo beatiſque Martyribus gratias agens domum repetiit; & ut primum interdiu fores baſilicæ patuere, duplicatum debitum libentiſſime Deo perſolvit. AN.CHR. 784

XXXVII. *De paralytica ſanata.*

PROCEDENTE paullulum tempore, ſcilicet præſentis anni Letania majore, puella quædam, Hilduis vocabulo, totius (capite excepto) corporis debilitate correpta, ad venerabile Sanctorum allata eſt templum, ibique eorum interventu membrorum omnium ſortita eſt munus.

XXXVIII. *De quodam a periculo ruinæ liberato.*

INSTANTI etiam anno, cum Eccleſiæ quæ eſt in locum, qui olim (ut perhibent) Mons-Martis, nunc felici mutatione Mons-Martyrum *a* dicitur, opifices conſumptam ſitu contignationem deponerent, vimineaque via per intercapedines trabium faƈta, eorum quidam deſuper ambularet; una earum fracta in terram delapſa eſt; opificemque ſimul depoſuiſſet, niſi (ut credimus) clariſſimorum favore Martyrum prominentem de vimineo inſtrumento ſudem, quod multo minoris quam ipſe ponderis erat, apprehendiſſet. Ita reliqui partim fragore trabis, partim clamore ſocii toto corpore pendentis evocati, funibus eum ſumma cum celeritate alligatum Dei clementiæ gratias referentes depoſuere.

Oratio Scriptoris.

HAS, faſtidientium tædia vitans, ex pluribus veluti ſpatioſo prato jocundiſſimos flores, o SAMUHEL *b*, te hortante, immo urgente paucas elegi virtutes, & ad Dei gloriam ſanctiſſimorumque Martyrum laudem, ſeu legentium utilitatem, compendioſe in unum digeſſi, devotionem noſtram intervenientibus piiſſimis Martyribus, ab illo remunerari exoptans, apud quem ne ipſius quidem bonæ voluntatis præmia pereunt.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Præfatio ejuſdem libri.

QUAM pretioſa ſit in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus, agoniſtæ divini Dionyſii ſociorumque ejus Ruſtici & Eleutherii meritis & interceſſionibus, etiam corporalibus miraculorum ſignis quotidie adſpicere merentur eorum requiſitores auxilii. Sollicite namque intueri oportet, quia ſi omnipotens Deus eorum ſuffragiis ægritudinis tranſitoriæ in tantum miſeretur, ut multi languentes ad ingreſſum Baſilicæ, in qua illorum pretioſiſſima teguntur corpora, illico ſanitatis obtineant remedium; multo magis eorum precibus noſtrarum compatietur infirmitatibus animarum, qui eodem Philoſopho nobis monſtrante pro hominibus reſalvandis iterum pati paratum ſe eſſe teſtatur. Erit autem mirabilius quiddam in illa æterna hæ-

a Nempe a martyrio ſancti Dionyſii ejuſque ſociorum, vulgo *Mont-martre*: nam eo loci cæſus Dionyſius. Lege Hadriani Valeſii poſteriorem Diſſertationem de Baſilicis cap. 1.
b An Samuel Monachus, cujus obitus in Necrologio Argentogilenſi notatur 4. Kal. Octobris.

Digitized by Google

AN.CHR. na hæreditate, ſi digno Sanctorum in hoc Sæculo fuerimus obſequio vernantes: quia 784 teſte beato Gregorio in quarto dialogorum libro, capitulo triceſimo quarto, non ſolum eos agnoſcemus bonos, quos aliquando noveramus; ſed viſos ac cognitos recognoſcemus, quos numquam videramus. Nam cum antiquos Patres in ſublimi Sanctorum collegio viderimus, eos jam per viſionem cognoſcemus, in quorum amore ſemper exarſimus. Unde per quemdam ſapientem dicitur: *Et ad aliquem Sanctorum convertere*: id eſt dilige mores, & imitare quem amas; & ſic demum diligendo quem imitaris, fac internuntium tuæ orationis ante conſpectum divinæ majeſtatis. Sed quidquid agitur, in radice intentionis penſandum eſt. Libera ſiquidem eſt voluntas dilectionis in præſenti vita; & ideo qui perfecte Deum ac Sanctos ejus diligit, diligenter diſcutiat quod petit, quia Deus novit quod præſtare debet. Sanctorum autem vita circumſpecta & circumſcripta eſt in omnibus, nec ſic libera ut petere poſſit Deo ingrata, quæ omnis maleficii caret arte. Quod beatus Petrus Apoſtolus adhuc in terris poſitus digne monſtravit hominibus, cum pro Dei virtute ſanitatem ad tempus redonavit filiæ, & iterum pro integritate virginitatis eam lectulo reſtituit ægritudinis. Quapropter quicumque fidelis pro aliquo incommodo tanti Patroni adit limina, ſi compos voti non exſtiterit, nec confeſtim ſcandalizetur, nec delictis ceſſet reputare propriis, ac Dei miſericordiam & Sanctorum deprecari interceſſionem: quatinus ſaltem illo non fruſtretur regno, ubi nullam certum eſt haberi penuriam, memor ſententiæ qua dictum eſt: *Corripit Deus quem diligit, flagellat autem omnem filium quem recipit*. Cui vero valitudo corporalis miſerante Deo ac præfatorum ſuffragantibus Sanctorum attribuitur orationibus, evangelicæ reminiſcatur mulieris in adulterio deprehenſæ, cui miſericordia miſericorditer poſt diſceſſum illam accuſantium interminata eſt dicens: *Vade, & amplius noli peccare*. De dilectione Dei in electis Sanctis hæc dicta ſufficiant: hinc ad miracula ſæpedictorum veniatur Martyrum. Sed quia teſtatur omnipotentis Dei Filius, in domo Patris ſui manſiones fore perplurimas, ibique pro qualitate meritorum diverſos diverſe remunerari; primum ordo taxandus eſt talium. Si Paulus cujus conſtitutione iſte Dionyſius ob robur fidei Athenarum ordinatus eſt Antiſtes, illarum gentium cognoſcitur Apoſtolus, quas ceteri lavacro aquæ & ſpiritu ~~in~~ regenerationis adſcivere catalogo: ergo niſi Clemens Romanæ Eccleſiæ apocryphetur Pontifex, Dionyſius totius declaratur Galliæ Apoſtolus, qui non ſolum eam primo regeneravit, verum etiam propter illam ſe ultro morti obtulit, multa noſtrorum contemporalium benivolentiam ſupergrediens dilectione. Porro poſt Clementem hujus adſertionis authenticum habentur relatores, Methodius optimus Græcorum artigraphus, Ariſtarchus æque Græcorum Chronographus, Joannes Conſtantinopolitanus Pontifex, Eugenius Toletanus Epiſcopus, Fortunatus Latinorum ſcholaſticiſſimus, & alii quamplurimi. At deriſores hujuſcemodi reclamationis per Græcorum Philoſophos, ſcientes me inertem lacone eloquentiæ, diſcant non ignarum eorum fidiſſimorum interpretum, Anaſtaſii Romanorum bibliothecarii utriuſque linguæ peritiſſimi, Euphemii Græcorum ſapientiſſimi, Hincmari Latinæ prolationis oratoris diſertiſſimi, & ante hos Gregorii hujus Dionyſii memoratoris feliciſſimi. Cujus dicta idcirco præter omnes Græcorum ſapientes iſtius ſermone fulciuntur, quia librum quem de cœleſti Hierarchia ſcripſerat, Clementi Romæ dimiſit, quem ipſe ſanctiſſimus Papa poſtquam recapitulavit: Quam, inquit, o Dionyſi, omnis evangelicæ doctrinæ repletus es inſtitutione! pergens adquire Galliarum populos. Si qui vero Bedam, non dico propter leporem eloquentiæ, ſed ob aſtum pravæ calliditatis, auctoribus his præferre voluerint, videlicet ut deleant de ſub cœlo memoriam tanti Martyris Deo omnipotenti repugnare conantes, cujus ſane memoriam in laude promiſit futuram; recurrant ad apologeticam ipſius ſuper actus Apoſtolorum retractationem, qua & reprehenſores ſuimet jugulat, & ſecutoribus erroris aditum intercludit. Sic juxta magni & admirabilis Ambroſii prolationem invenient, quia imperita malitia ſemper adverſum ſe machinatur dum neſcit.

Job. 51. · Hebr. 12.6. · Jo. 8. 11.

Caput I. *De multorum ſanitatibus.*

anno 876. IGITUR anno triceſimo ſeptimo regni piiſſimi Karoli tertii, dilectoris Dei & Sanctorum ejus avidiſſimi amatoris, imperii autem primo, peccatis populi prægravantibus, necnon evangelica ſuppeditante ſententia, qua præſcriptum eſt, ſurgere gentem contra gentem, & regnum ſuper regnum; inſuper prophetico occurſante eloquio, quo perveniſſe gladium dixit uſque ad animam; impiis mundi circuitoribus Nortmannis Sequanam ingredientibus, ac circumcirca univerſa depopulantibus, comitante turba Monachorum, pretioſiſſima Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii pridie Kalendas Decembris levantur corpora, & ad Superiorem-curtem *a*, quam eiſdem ob remedium animæ inclyta BERTA *b* Regis Magni Karoli filia tradiderat, tandem deducuntur. Quæ cum tertio

a Superior-curtis, vernacule *Conſevru*, ſita eſt in diœceſi Remenſi Laudunum verſus, ad Axonam fluvium, prope vicum Caldardam, *Chaudard*, infra cap. 10. hactenus de jure Monaſterii Dionyſiani.

b In Necrologio Argentogilenſi memoratur 5. *Idus Martii* BERTA *filia Karoli Imperatoris, quæ dedit Superiorem-curtem.*

Digitized by Google

lumine, inſuper & paralyſi a parte percuteretur dextera : cui primo (ſicut ipſo referente cognovimus) ſimili modo id ei accidit, cum quadam nocte e ſtratu ſurgeret, atque ad naturalem corporis digeſtionem iret : ſed precibus beatæ Dei genitricis Mariæ in Eccleſia vici nuncupati Arna, antequam ad auxilium ſancti Martyris ſociorumque ejus veniſſet exorandum, ab incommoditate ipſius dexteræ ſanus effectus fuerat. Quid plura? ſedet mœrens, emendationem pollicetur criminum, ſpondet non tam citam reverſionem, ſi Deus iterum miſereretur ſui : ac ſic demum nocte altera priſtinæ reſtituitur ſanitati, poſtque octo dierum ſpatium ad ſua revertitur. Qui cum aliquamdiu moraretur extra placitum, cœcus iterum ut fuerat adducitur, & tandem aliquando ab ipſa tenebrarum caligine reabſolvitur. AN.CHR. 784

XII. *De parvulo cœco illuminato.*

ÆTATE novem menſium, nomine Martinum, ante corporali intuitu carentem quam diſcretione boni malive fruentem, Blandiacæ villæ ſancti Medardi ſubjectæ poteſtati mulier, Adela nomine, ad ſuarum monitionem vicinarum beatis Chriſti vovens allaturum Martyribus, mox in ipſo vovitionis articulo pridie Idus Septembris videntem ablactavit filium.

XIII. *De puella paralytica ſanata.*

PUELLAE, nomine Manebiæ, de Tardanenſi pago & villa Draviniaca, tribus annis paralyticæ, ita ut nullo uſui patre Euſtorgio & matre Alberada aptaretur, adminiculantibus duodecimo Kalendas Septembris nobis ad confitendum Domino ſuper judicia juſtitiæ ſuæ ſurgentibus, totum ibi ſoſpitatis conſpeximus remedium.

XIV. *Apologia contra malitiam detrahentium beato Dionyſio.*

HAUD Helvitice habeo quod loquar pro Dionyſio, cum qui jam Sanctorum ſociatus in cœlo pollet exercitibus, apologia noſtra minime indigeat : ſed Raphaelitice duco revelare & confiteri opera Dei per orationes Dionyſii. Væ autem inimicis tanti Martyris ſine fine futurum adnuntio : quia ſimili, de qua fatebor in præſenti, non merentur pœna plecti, nec caſtigantur ad modicum, ut recipiantur in æternum. Quique non ſolum poſt tot tantorum exempla vivorum, verum etiam poſt tam inenarrabilia miraculorum ſigna ſanctiſſimum ſui baptiſmatis non ceſſant derogare ſeminiverbium. O perverſa & ſubdola invidia ! Si teſtimonium voces perhibentium mentiuntur de Dionyſio, interroga ſanitates ægrotantium : & ſi ſanitates ægrotantium mentiri deſipis, dicens, incredibile eſſe mortuos curare viventes reſpice ſuper præmortua Heliſæi membra reſurrexiſſe mortuum. Itaque ſicut ſanitates ægrotantium vocibus teſtimonium perhibentium adſentiunt, quia vera ſunt quæ dicuntur; ſic voces teſtimonium perhibentium ſanitatibus applaudunt ægrotantium, tum & oculi videntium adſpiciunt, quia magna ſunt quæ fiunt. Igitur quia malitia non docetur ſermonibus, ſed excitatur; ne reſpondeamus ſtultis quos malitia fecit inertes, ne efficiamur eis ſimiles; ſed reſpondeamus ſtultis quos in tali errore illaqueavit ſimplicitas, ut antequam perveniant ad pœnam, congaudeant ſe amicis Dei, immo per eos Deo reconciliatos.

XV. *De duabus mulierculis ſpaſmo laborantibus poſtea ſanatis.*

DUARUM mulierum, quarum alteram Caldarda Laudunenſium, de qua ſuperius memoraveram, alteram Broilus Remorum habuerat vicus, fide ſubverſa ab pſeudo-prædicatoribus Clericis de ſæpedicto ſepiuſque dicendo Dionyſio impiæ oggannientibus, quod Deus qui ubique eſt non alicubi requirendus ſit, cum Jacob lapidem poſuerit ubi vere Deum fore teſtatur; & Naaman non alio curatus ſit niſi in Jordane flumine; & Regum quidam Iſrael cum perfecte coram Deo ambulaverint, hoc ſolummodo ſcelere culpentur, quod in excelſis adoraverint ; & Dominus noſter JESUS-CHRISTUS non niſi in panis domo naſci voluerit, qui digne ſe manducantibus vita æterna, indigne autem ſumentibus futurus eſſet judicium; ita ibi per quindecim dies ſana * eſt reddita. Cum tandem aliquando vicinarum admonitionibus coactæ inter collectas adveniſſent turbas ſexto-decimo Kalendas Octobris, nocturnale nobis ſancta nocte dominica alternantibus officium, cœperunt ſubito coram omni multitudine eo laborare morbo qui vocatur ſpaſmus : ita ut frequentius ad ſimilitudinem phrenetici in terram corruentes, viderentur quaſi mortuæ. Hoc autem tam diu paſſæ ſunt, quouſque ſe confiterentur, ea non ſolum crediſſe quæ ab excerebratis audierant Clericis de Dionyſio, verum etiam ſæpius deriſiſſe hujus requiſitores Sancti.

* f. ſanitas

AN.CHR. 784

MONITUM.

CONSEQUITUR *in mſ. codice donatio clavi & coronæ dominicæ per Karolum Calvum; ſimul & inſtitutio Indicti per eumdem: dein ſubjicitur libellus de Reliquiis baſilicæ Dionyſianæ, una cum hiſtoria amiſſionis & inventionis ſacri clavi : quibus omnibus præponitur hiſtoria detectionis corporis S. Dionyſii factæ principatu Rotberti Regis, quo tempore de ea agemus, & forſan de reliquiis aliis hic commemoratis, deque ſollemni Sugerianæ baſilicæ dedicatione facta anno 1140.*

Interim incidit in manus meas Necrologium Argentogilenſe, ex antiquiori Dionyſiano excerptum, ex quo viros pios Dionyſiani Monaſterii nonnullos erui qui ſequuntur.

19. Kal. Febr. domnus SUGERIUS piæ memoriæ Monachus & Abbas B. Dionyſii. 14. Kal. Martii ENGELRADA Recluſa. 11. Kal. Martii domnus ADAM piæ memoriæ Abbas B. Dionyſii : 2. Id. Martii obiit Frater Rady bonæ memoriæ Converſus B. Dionyſii : 17. Kal. Maji FULBERTUS Sacerdos & Monachus B. Dionyſii profeſſus, piæ memoriæ : 4. Kal. Auguſti obiit domnus ALBERTUS, piiſſimus noſtræ congregationis Abbas & Monachus : 4. Nonas Aug. VINCENTIUS B. Dionyſii Monachus piæ memoriæ : 6. Kal. Septemb. LEUTO devotus, qui dedit Montem-Maurentiacum : Kal. Septemb. HERBERTUS Prior piæ memoriæ Monachus B. Dionyſii : 15. Kal. Octob. HUGO Prior Argentoili bonæ momoriæ. 8. Kal. Novemb. HUGO piæ memoriæ Abbas B. Dionyſii Areopagitæ. 7. Kal. Novemb. TEVINUS bonæ memoriæ Abbas : 4. eaſdem Kal. HUGO EREMITA B. Dionyſii, Monachus Sacerdos & profeſſus. 7. Id. Novemb. ODO Monachus B. Dionyſii piæ memoriæ : 6. eaſdem Id. HENRICUS piæ memoriæ & Sacerdos profeſſus B. Dionyſii Areop. Idus Novemb. THOMAS bonæ memoriæ Monachus ad ſuccurrendum. 4. Idus Decemb. HERVEUS Prior B. Dionyſii bonæ memorię. *De his ſatis.*

CIRCA AN. 786 7. Julii.

VITA SANCTI WILLIBALDI

EPISCOPI EISTETENSIS PRIMI,

Scripta a quadam Sanctimoniali Heidenheimenſi, ipſius æquali & conſanguinea.

Ex tomo 4. Henrici Caniſii & variis Gretſeri lectionibus.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores. 1. WILLIBALDUS *ſeu* Wilibaldus, Bilibalduſve, *Saxonicum nomen a Philippo Eiſtetenſi Epiſcopo latine redditum*, promta voluntas, *a pluribus Scriptoribus eſt celebratus. Hodœporicon ſeu Itinerarium ejus, quæ vitæ pars magna fuit, ab ipſomet didicit & prima deſcripſit quædam* Sanctimonialis Heidenheimenſis *ejus conſanguinea; politiori ſtilo reddidit alius* Anonymus; *tum* REGINOLDUS *Eiſtetenſis Epiſcopus in compendium redegit, quod etiam præſtitit* ADELBERTUS *Abbas Heidenheimenſis : quibus* PHILIPPUS *Eiſtetenſis itidem Antiſtes interpolator accedit. Tres primas lucubrationes vulgavit Henricus Caniſius in antiquarum lectionum tomo 4. alias duas Jacobus Gretſerus in libro de Eiſtetenſibus Epiſcopis : ubi etiam edidit aliarum lucubrationum varias lectiones, quibus Caniſianam editionem emendabimus. Primam & ſecundam de S. Vuillibaldo ſcriptionem hic exhibere ſatis fuerit: de ſingulis Auctoribus pauca præmittenda.*

Sanctimonialis, 2. *S. Vuillibaldi Vitam ſeu Itinerarium rudi minerva exaravit ante omnes* Sanctimonialis Heidenheimenſis, *cujus hæc verba in Prologo* : Ego femina fragiliſque ſexus imbecillitate corruptibilis, nulla prærogativa ſapientiæ ſuffulta; Saxonica de gente iſtinc venientium noviſſima, *indignum exiſtimans*, quod iſta omnia muto taciturnitatis ſilentio oppilatis labiis humana taceat lingua; non apochryphorum; non erratica diſſertione relata, ſed ſicut ipſo vidente & referente audivi, ſcribere deſtinavi, duobus Diaconibus teſtibus mecumque audientibus 9. Kalend. Julii, pridie ante ſolſtitia die. *Quod etiam repetit n.* 30. Non ab alio reperta niſi ab ipſo audita, & ex illius ore dictata perſcripſimus in Monaſterio Heidenheim, teſtibus mihi Diaconis ejus & aliis nonnullis junioribus ejus. *Eadem ſe Vuillibaldi & Vuunebaldi conſanguineam præfert in Prologo.* De illorum genealogiæ ſtirpe non aliunde propagatam forte de extremis ramorum cauliculis, de tantis virorum actibus aliquid memoriæ dignum lectoris manibus imponente me libet. *Ex quibus patet Vitam S. Vuunebaldi ab eadem ſcriptam eſſe, eam ſcilicet quam ſuperius ad annum 761. exhibuimus. Quod tamen hæc Sanctimonialis Vuillibaldi & Vuunebaldi non fuerit ſoror, contra quam* opina-

Digitized by Google

tertio ab ipſa villa perveniſſent miliario, eximuntur navi, & populorum caterva ſequente non modica, in ſancti Martini exponuntur Eccleſiam. In cujus itineris viatico, ſicut a quodam fideli Presbytero, nomine RODULFO, poſt didicimus, nullus ſequentium, quocumque tentus fuiſſet morbo, niſi ſanus remeavit ad propria. AN.CHR. 784

II. *De Monaſterio beati Dionyſii a Nortmannis remanente illæſo.*

SUPER iſtud omnino mirandum, quia præfati Deo odibiles locum quem Deus ad honorem ſui & memoriam præcellentiſſimorum delegaverat Martyrum, ſine alicujus pretii redimiculo dimiſerunt incrematum: præſertim cum noſſent illum quammaxime eminere in animo Ducis & Principum ejus: niſi quod iidem athletæ Domini ſuam & plurimorum Fidelium ſervavere ſepulturam, ut quorum amore flagrarunt, eos non ſolum propitios in cœlis, verum etiam habere conſepultos mererentur in terris.

III. *De puellula cæca illuminata.*

DENIQUE tertio Nonas Majas puella, nomine Folchildis, ex villa quæ appellatur Alta-ripa *a* in pago Tardanenſi ſita, cujus pater Godberrus, mater vero Ermengardis vocabatur, ad jam dictam villam per revelationem veniens, ætate ſex annorum, lumen recepit oculorum, a quibus per circulum ſeptem dierum rivos ſanguinis conſpeximus circumfluere tantos, ut nullus noſtrum ambigeret ei naturam viſus fuiſſe negatam.

IV. *De muliere viſum recipiente.*

PRAETEREA villa Vallium * in pago Laudunenſium nuncupatur, a qua prævia Lothgarde matre quædam mulier, Adalgildis nomine, adducta, triennio jam cœca, eodem mediante Majo, proprio eſt viſui reſtituta.

* Vaux ſous Laon

V. *De puellula toto corpore & oculis ſanata.*

VENTILAIS * Remorum dicitur vicus, cujus incolæ ſexto Kalendas Junii cum ad exorandam Domini miſericordiam per horum ſuffragia conveniſſent, adducitur inter eos infantula quædam, Raindindis appellata, annorum quinque, cui pater Othardus, mater Theoadis erat, ita ab ore uſque ad ſummitatem verticis exeſa vulneribus, ut nihil in ea hominis, niſi greſſum, vocem, & veſtimentum recognoſceres: ob quam debilitatem etiam naturalibus fuerat orbata luminibus. Videres in momento miſeram totam perfuſam ſanie, atque poſt paullulum nonniſi cum lumine oculorum redditam ſanitatem.

* Ventelay

VI. *De puella viſum recipiente.*

ITEM cum cuidam infantulæ, vocabulo Teodradæ, a nativitate lumine privatæ, ex vico Curiaco * in pago porcinenſi ſito, ſicut ipſa adſerente audivimus, cujus innocentiæ adſertio etiam incredulis poterat accommodare fidem; quidam miræ pulcritudinis ſenex appariuſſet, monuiſſetque tantorum adiri patrocinia Sanctorum, duce Ermenardo patre, tertio Kalendas Junias, mox in ipſo ingreſſu Eccleſiæ cœpit mirari lucernas, ac cetera pendentia quæque, oppidoque de ſibi tributo lætari lumine.

* Cuiry.

VII. *De cantatrice quadam morbo percuſſa & ſanata.*

INTEREA fit occurſus ſuper occurſum, concurrit turba populorum, deducuntur pervigiles dierum & noctium excubiæ, ibique quarto Nonas ejuſdem menſis; nobis ſancta Dominica nocte ſubventionem Dei ſuppliciter precantibus, cum quidam ruſticus irrefragabiliter muſa caneret, ac mulier, nomine Mainuidis, ex villa Poſtionis in pago Laudunenſium, de poteſtate ſanctæ Mariæ Sueſſionum, cujus pater Gerbertus, mater Mainſindis nuncupatur, coram eo ſaltaret, a reliquis ſæpius prohibita noluit adquieſcere. Tandem aliquando venitur in Eccleſiam, nocturnale peragitur officium, exeuntibuſque omnibus præfata mulier comploſis in ipſo limine pedibus, ac ſi glutino circumlitis ad terram prolabitur, atque a primo mane uſque ad Miſſarum ſollemnia immobilis manſit omni membrorum officio carens. Ad levamen autem circumſtantium nihil aliud actum eſt, niſi quod cogitabat ſe lactis perunctione mulceri. Sed ut a me licet indigno, digna tamen legenti, & quæque legeram firmiter credenti, ventum eſt ad finem Evangelii, ubi dictum eſt: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*: precibuſque triumphatorum Domini ſurrexit incolumis. Quod miraculum tantum ſtuporem civibus incuſſit, ut ab ipſa die eos nihil aliud cantare, quam laudem Domini compulerit. Jo. 3. 15.

a Altaripa, *Autrepe*, in pago Tardanenſi, *le Tardenois*, diœceſi Laudunenſi, hactenus eſt de jure Monaſterii Dionyſiani ex dono Aletramni Comitis principatu Ludovici Regis.

Digitized by Google

AN.CHR. 784

VIII. *De muliere annis novem cæcata, deinde illuminata.*

MULIER, nomine Ratrudis, a Caniaca *a* villa de Comitatu Conciaco, dum per novem annos hac luce caruiſſet, veniſſetque ad prædicta Sanctorum ſuffragia poſtulanda, comitantibus viro ejus Vvaldradro & filio Vvalthario, quem cœca pepererat & aluerat, nono Kalendas Julii viſui redditur, non ſolum læta de priſtino intuitu, verum etiam de reſpectione nati quem numquam viderat. De nonnullorum ſanitate & cœcarum illuminatione quas vidimus, credulorum auditui relatum eſt. Increduli autem dum exſtinguere volunt nomen Dionyſii Athenienſis & Ariopagitæ, habeantur non ſolum altera pars Feſcennini Siſinnii interfectoris ejus; verum etiam propter odium & invidiam qua ſervitores illius derogare convincuntur, ſpiculo beati Joannis perfodiantur dicentis :
1. Jo:3. 15. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Nos quo dum ſpiritus hos rexerit artus, ob dilatandam Domini gloriam miracula, quæ per ſuum obtutibus noſtris præſentare dignatur Antiſtitem, minime taceamus, ut & tanti Martyris amatores gaudeant, & eum iniquo odio perſequentes penes Virgilianam deliberationem pro non poſſe nocendi moriantur. Nunc propoſitus ordo ſequatur. Sed in horum deriſiones, ſi Dominus voluerit, cum de his virtutibus heroice dixero, multa ridebo.

IX. *De vaſe vacuo repleto per miraculum oleo.*

OPERAE pretium intimandum cenſeo, quod vaſculum ubi oleum ſervabatur, cum funditus fuiſſet exhauſtum, & iterum in adventum Imperatoris deeſſet unde lampades reficerentur; quippe cum præfatus liquor nec emtione, nec alicujus commodatu mutuari poterat; ingrediens quidam Diaconus noſter, nomine HACINO, qui hujus erat facti arbiter, fere plenum invenit. Ad hujus etiam fidei firmamentum adhibuimus archicuſtodem ſcopi capitum *b*, nomine OTRANNUM, qui illud vaſculum in ſimili cenſura ſe omnimodo vacuaſſe dixit.

X. *De nave per Sanctos Axonam ſine remigio tranſmeante.*

REM novam referam, & poſt maris rubri ad ingreſſum filiorum Iſrael diviſionem valde admirabilem. Dum incolæ Caldardæ * contra primo dictam villam ſuper alteram ripam Axonæ ſitæ, ut ſancta illos roborarat conſpiratio, die ſollemnitatis ſancti Petri Principis Apoſtolorum imploratum * orationis confluerent veſpertinalis; accidit non caſu, ſed frequenti conſuetudine navim clave ſeratam, nautamque archarium cujuslibet receſſiſſe negotii cauſa. Cumque magnis clamoribus vocando remigerum deficerent, ſupervenit quidam hominum iter Imperatoris Romam comitantium nomine GOZSOLDUS, definitum habens in animo non præterire Sanctos Dei, niſi per eos orationem ſuam commendaret Domino. Cœperunt etiam una levi ſuſurro navis proferre tranſſilitionem, ſi precibus beatorum Martyrum pulſaretur Deus. Nec fides eos ſancta fefellit, cui ad inſtar grani ſinapis penes dominicæ doctrinæ promiſſum etiam montis mutatio cedit. Sponte enimvero ſolvitur, & quaſi quibuſdam impellentibus nautis (mirabile dictu) venit ad eos. In quam ingreſſi protinus tranſeunt, votum ocius exſequuntur, nobis hæc omnia pandunt. Quorum e pluribus duorum hic nomina inſerenda putavi, GOZSOLDI videlicet atque GOZBOLDI, quibus quantum ad rationem credibiliorum ſuper hac re fides præbenda fuerat.

*Chaudrad

* ſupple tempore

NOTA.

XI. *De ſanatione cujuſdam cœci & paralytici.*

NEC etiam præteriri oportet, quemdam ibi Nonas Julias occurriſſe cœcum, nomine Guiboldum, ac nobis præſentibus fuiſſe illuminatum, qui erat a villa quæ vocatur Saidis, de poteſtate ſancti Remigii Remorum inclyti Pontificis, ſitaque in pago Vonciaco *c*. Qui cum quarto unde venerat remeare vellet die, ſuper proprio diſpoſiturus; non eſt porticum ipſius Eccleſiæ egredi permiſſus, antequam & reddito careret lumi-

---

a An Calniacum? *Chauny*, modo opidum ad Oeſiam fluvium ſupra Noviomagum, haud procul a caſtro quod vocant Cociacum, *Coucy*.

b Sic legitur in utroque exemplari mſ. Dionyſiano & Victorino.

c Diſtinguendus mihi videtur pagus in Campania duplex iſtiuſmodi fere nominis, uterque ad Axonam fluvium: unus paullo ſupra Attiniacum regiam olim villam, ſic dictus a Vongo, *Von* quondam caſtro, nunc redacto in vicum, de quo intelligendus Alcuinus in libro de vita S. Vedaſti: *Venerunt in quemdam pagum, qui incolarum illius conſuetudine Vungiſe pagus dicitur, prope Reguliacam villam*, (Reilly) *quæ ſita eſt ſuper florigeras Axonæ ripas*. Alter item ſupra Vongum, vocabulum ſortitus a Vonciaco, *Vouzi*, opidulo egregio ad Axonæ, ripam. Uter pagus hoc loco intelligendus ſit, non capio. Exſtat non longe ab opido de Quercu & amne Barro opidulum vernacule dictum *Sey*, tertia leuca diſtans a Vongo, forſan hic deſignatum: tametſi is locus modo non eſt de jure ſeu poteſtate Cœnobii Remigiani, neque alius quiſquam in illis partibus præter opidulum de quercu & vicum ſanctæ Vvalpurgæ. De pago Vonziſo ſeu Vongenſi lege Sirmondi Notas in Capitulare nonum Caroli Calvi.

Digitized by Google

opinatus eſt Adelbertus Abbas Heidenheimenſis aliique poſt ipſum, intelligitur ex Vita S. Vvunebaldi in hæc verba num. 22. Compertam atque conſcriptam vitam B. Wunebaldi a ſorore ejus & ab aliis venerandis viris. . . didiceram. *Capitum diſtinctiones Surianas margini appoſuimus.* CIRCA AN. 786 7. Julii.

3. *Secundus Auctor anonymus, etſi ætate inferior, gravis tamen eſt, habetque ſingularia nonnulla: tametſi fere in omnibus cum Sanctimoniali conſentit.* Anonymus.

4. *Eamdem Vitam in litteras retulit* REGINOLDUS *Eiſtetenſis Epiſcopus undecimus, ſi credimus Bruſchio in catalogo. Certe* Reginoldus hiſtorica de S. Willibaldo carmina compoſuit, *teſte anonymo Auctore, qui ſub Gundakario ſecundo res geſtas Epiſcoporum Eiſtetenſium breviter perſtrinxit ſæculo* 11. *An vero etiam S. Vvillibaldi Vitam compoſuerit, non ſatis exploratum. Huic tamen interim permittimus, lucubrationem, quam ipſius nomine Caniſius diſtinxit. Quiſquis auctor fuit, multa relatu digna de S. Vvillibaldi peregrinationibus reſecuit, nulla habet notatu digna. Porro Reginoldus Epiſcopus obiit anno* 989. Reginoldus.

5. *Sanctorum Vvillibaldi, Vvunebaldi & Vvalpurgis acta brevi compendio excepit interpolavitque* ADELBERTUS *Abbas Heidenheimenſis in* Relatione *a ſe compoſita de reſtitutione ſui Monaſterii Benedictinis facta ſub Eugenio Papa III. Is eſt Adelbertus, qui prædictis Sanctis regios parentes, & S. Vvalpurgi libellos duos de vita S. Vvillibaldi & S. Vvunibaldi germanorum primus adſcripſiſſe videtur.* Adelbertus.

6. *Horum Auctorum poſtremus eſt* PHILIPPUS *Eiſtetenſis Epiſcopus ab anno* 1306. *ad* 1322. *qui occaſione a ſe receptæ per S. Vvillibaldum ſanitatis, novum commentarium in liberatoris ſui memoriam aggreſſus, non ſolum ei tribuit regium genus; ſed patrem* RICHARDUM natione Teutonicum, Sueviæ Ducem, *demumque poſt* Offonem *neſcio quem*, Angliæ Regem, *facit, nullo idoneo fultus argumento.* Philippus.

7. *Certe Vvillibaldum Anglo-Saxonem, claro & illuſtri genere ortum fuiſſe conſtat.* Patrem RICHARDUM genere & rebus clarum *appellat ſecundus Vitæ ſcriptor anonymus: quod ſatis probat Sanctimonialis in Vita S. Vvunebaldi, qui* carnali propinquitate & ſanguinis copulatione *S. Bonifacio* ſociatus, atque glutinatus *fuiſſe dicitur num.* 7. *Hinc intelligimus, Vvillibaldum in provincia occidentalium Saxonum, uti & Bonifacium, natum eſſe, & fortaſſe in Hamtonia ſeu in hodierno Comitatu Southamtonenſi: ut propterea iter Romanum aggreſſurus, portum Hamulea-muthenſem primo adierit.* Vvillibaldi patria & genus.

8. *Vvillibaldum non tantum Caſini per annos decem, ſed etiam in Britannia ab ineunte pueritia Inſtitutis Benedictinis addictum fuiſſe, manifeſtum eſt ex Vita ſubjecta num.* 26. *ubi is per varias peregrinationes,* S. Benedicti regularis vitæ inſtitutionem *pro poſſe obſervaſſe memoratur.* Benedictina profeſſio,

9. *Eam vitæ inſtitutionem ſic ſemper retinuit, ut eam in Eiſtetenſi Eccleſia ſervari voluerit. Ubi enim* ſacri Epiſcopatus gradum accepit, in loco qui dicitur Eiſtet Monaſterium conſtruere incipiebat, atque ibidem ſacram monaſterialis vitæ diſciplinam in uſum prioris vitæ, quod videndo ad S. Benedictum, *id eſt apud Caſinum,* & non ſolum ibi, ſed & in multis Monachorum manſionibus exploraverat, in ſemetipſo oſtendebat. *Quanto tempore monaſtica iſtic diſciplina viguerit, quove tempore Monachis ſucceſſerint Canonici, nemo facile definierit.* etiam in epiſcopali Eccleſia inſtituta.

10. *Porro urbs* Eiſtet *ſeu* Eiſtadium, Aichſtadiumve, a ſuccifis quercubus (*ut putant*) *ſic dicta, quaſi* Quercopolis, *quibuſdam græcizantibus* Dryopolis, *ſua, ſi non primordia,* (*ſunt enim qui* Aureatum *urbem ab Hunnis everſam eo loci ſtetiſſe opinantur: unde Eiſtetenſes Epiſcopi nonnumquam dicti* Aureatenſes;) *certe reſtitutionem & incrementa referre debet accepta S. Vvillibaldo, cui* S. Bonifacius tradebat illam regionem, quæ adhuc tota erat vaſtata, ita ut nulla domus ibi eſſet, niſi illa Eccleſia S. Mariæ quæ adhuc ſtat ibi, minor quam illa Eccleſia, quam poſtea B. Willibaldus ibi conſtruxit. *Hæc civitas ſita eſt in Noricis ad Almonium amnem, ſub metropoli Maguntina, vulgo* Eichſtat *appellata. In Vita mſ. S. Bonifacii, ab anonymo quopiam ſcripta, dicitur* Bonifacius commendaſſe Willibaldo paſtoralis officii regimen in loco qui vocatur Heſtede: *& apud Liudgerum in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectenſis* Willibaldus electus Dei Antiſtes Epiſcopatum qui nuncupatur in Hehſtedi in parte proxima nobis Baguariorum *obtinuiſſe fertur. Aldebertus* ſuper ripam fluminis, quod Altmule vocatur, Monaſterium fabricatum *dicit: additque a Bonifacio conceſſum S. Vvillibaldo ob notæ ſanctitatis & auctoritatis opinionem, ut* primus poſt Archiepiſcopum locum teneret, & ipſe omneſque ſucceſſores ſui Eiſtetenſis Eccleſiæ Pontifices, cum neceſſitas aut tempus exigeret, ſpecialiter præ aliis vicem Archiepiſcopi gererent. *Quam Eccleſiæ ſuæ prærogativam non ſemel ab aliis ſuffraganeis impugnatam Philippus Epiſcopus ſilentio nequaquam prætermiſit. In Chronico Hermanni Contracti & in fragmento hiſtorico quod Alberti Argentinenſis Chronico præfixum eſt a Chriſtophoro Urſtitio, S. Bonifacius* auctoritate apoſtolica, duos in ſua parochia Epiſcopatus feciſſe dicitur, Wirzeburgenſem ſcilicet, cui S. Burchardum; & Eiſtetenſem, cui WILLEBALDUM comprovinciales primos Epiſcopos ordinaverit. *Et tamen in litteris tum ipſius Bonifacii, tum Zachariæ ab Othlono relatis, duarum tantum Sedium, Vvirtziburgenſis nempe & Buriburgenſis ſit mentio.* Eiſteti ſtatus & ſitus.

11. *Hoc ſancti Vvillibaldi Itinerarium non parum illuſtratur ab Adamnano in libris tribus de locis ſanctis, quos in Appendice hujus tomi referemus.*

PRO-

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii.

PROLOGUS SANCTIMONIALIS.

1. VEnerandis, immoque in Chriſto cariſſimis omnibus, ſacerdotalis infulæ honore ditatis Presbyteris, præclaræque indolis Diaconibus, & nihilominus Abbatibus, ſive omnibus popularis conditionis Proceribus, quos paſtoralis curæ privilegio pius procerum Pontifex, alios ſancto ordine Presbyteros, alios ſollicitæ pudicitiæ elegantes Diaconos, alios cœnobialis militiæ Monachos, & alios ſub diſcipulari habitu, ſollertibus litterarum ſtudiis inhærendo, docendo, ad meliora recti regiminis principatu erudiendo provexit, & ita ut egregius exercituum alumnus ſua induſtria per diœceſim diligenter quodammodo ut natos proprios mulcendo, fovendo fovere ſolebat; iſtis omnibus iſtic ſub ſacræ legis moderamine manentibus, ego indigna Saxonica de gente iſtuc venientium noviſſima, & non ſolum annis, ſed etiam moribus, & de illorum comparatione contribulium meorum quaſi homuncula; ego quidem vobis religioſis ac catholicis viris, cœleſtis bibliothecæ miniſtris, ob utilitatem memoriæ pauca perſtringendo, paullatim de primordialis vitæ ejus venerandi WILLIBALDI prooemio diſputare decreveram. Sed tamen præcipue ego femina fragilique ſexus imbecillitate corruptibilis, nulla prærogativa ſapientiæ ſuffulta, aut magnarum virium induſtria elata, ſed ſpontanea voluntatis meæ violentia coacta, velut quadam ignari parva de pectoris prudentia pauca decerpens, & ex multis frondoſis frugiferiſque arboribus florum varietate miſtorum *, exigua qualibet arte, ſaltem extremis in ramis, veſtræ memoriæ apta pauca excerpere, compaginare, ediſſerereque me libet. Et nunc reciproco ſermone iterando dico, non propriæ præſumtionis primordio, non temeritatis audacia freta, inſtanter hoc incipere, niſi ut vix audeo.

Opus hoc ſponte aggreditur.

* al. onuſtorum

2. Sed quia nunc primum Dei gratia, venerandæque viri tanti viſionis magnitudine, veſtræque auctoritatis excellentia, & nihilominus bene valido veſtræ voluntatis auxilio atque conſenſu, aliquatenus me credebam poſſe impetrare, ut tanti operis celſitudinem, tantaque miraculorum, necnon etiam virtutum ſigna, quæ Dominus pro humani generis ſalute ſe humiliando, deſcendendo, in humani corporis adſumtione, divinæ roboratus potentiæ privilegio, præſtare atque perficere dignatus eſt in hoc mundo; ſuiſque oculis venerandi viri WILLIBALDI corporaliter cognita, ſuiſque plantis per omnia palpando, penetrandoque viſibiliter comparere; hæc omnia intimando perſtringimus. Et non ſolum ſigna quæ nobis per Evangelii gratiam certa demonſtrantur, ille videbat: ſed etiam ipſa terrarum loca, ubi Dominus noſter naſcendo, patiendo, ac reſurgendo nobis apparuit; & nihilominus alia prodigiorum virtutumque veſtigia, quæ Dominus in iſto orbe terrarum promere, diffamareque dignatus eſt; ille perſpicax noſtrorum omnium pædagogus, omnia tranſmeando, fide robuſtus, fato fortunatus procaciter peragrans, omnia viſitando reperiebat atque videbat. Unde nunc certe, ut ita dicam, mihi videbatur eſſe protervum, quod iſta omnia muto taciturnitatis ſilentio oppilatis labiis humana taceat lingua, quæ Dominus ſuo ſervo per proprii corporis laborem, per viſionem oculorum oſtendendo, in noſtris temporibus revelare dignatus eſt. Iſta non apochryphorum, non erratica diſſertione relata eſſe cognoſcimus: ſed ſicut ipſo vidente & nobis referente, de oris ſui dictatione audire, & nihilominus ſcribere deſtinavimus, duobus Diaconibus teſtibus, mecumque audientibus, nono Kalendas Julii, pridie ante ſolſtitia die. Iſtos certe litterarum apices non ideo ego idiota diſputare inchoo, quod de veſtræ ſagacitatis induſtria me aliquid diffidere æſtimetis; ſeu quod bene non noverim ego multos virorum *, quos Dominus Deus noſterque Antiſtes mihi præſtantiores non ſolum virilis ſexus dignitate, ſed etiam divinæ conditionis miniſterio præferre dignatus eſt, multo magis divinæ legis eruditione, & nihilo-

Res a Vuillibaldo acceptas narrat.

* al. veſtrorum

hilominus indagatione ſollertis curæ procaciores diſponere ediſſerereque. Sed quia me, indignam tamen, de illorum genealogiæ ſtirpe, non * aliunde propagatam, forte de extremis ramorum cauliculis fore * noveram, de tantis talibuſque virorum beatitudinibus venerabiliſque vitæ eorum *a*, non ſolum in actibus, ſed etiam in itineribus variis, multifariiſque miraculorum magnitudinibus perfecte proficiſcentium *, aliquid memoriæ dignum Lectoris legendi manibus imponere me libet. Quorum alter ſummæ ſacerdotaliſque infulæ, paſtoraliſque curæ prærogativa prælatus, inclytus crucicola, magnus Magiſter WILLIBALDUS; & alter rectæ ſoliditatis iter arripiens, prava dirigens, indirecta aſperaque & ferocia polite planitans, ſpiſſas pravorum gentilium, protervaſque peccatorum ſpurcitias non deſide tepide titubanti mente, ſed felici temeritatis audacia procaciter ſupernæque ſagacitatis telo rite roboratus, inſtante labore omnia exinanivit. Qui ſacerdotali quoque prælatus infula, paſtoralique computatus honore Abbas erat, præclaruſque Chriſticola WUNEBALDUS. Iſta omnia per albas camporum planities ſulcato tramite nigra perarata veſtigia ſcripta, veſtra cara coram ſcientia præſentata, contra omnes æmulorum vituperationes, Dei gratia, veſtraque per omnia protectionis parma, & nihilominus placidæ veſtræ commendamus perceptioni, ut in omnibus læti laudemus nos liberantem, dona tribuentem Dominum.

CIRCA AN. 786

7. Julii.

* ipſa conſanguinea.

* al. deeſt non

* eſſe

* Caniſ. proficiſcentibus

INCIPIT VITA.

CAP. I.

3. PRimum igitur venerabilis ſummique Dei Sacerdotis atque Pontificis primordium vitæque illius venerandi viri S. WILLIBALDI ſublimitatem, qui ſollerter ſub ſacræ legis moderamine alma priorum exempla Sanctorum militando, ſerviendo, mente & moribus ſectando inhærebat; hujus itaque vitæ exordium & inante juventutis medietatem ad illius uſque ſenectutem proceſſum, & hactenus uſque decrepitam ætatem intimando, gracilem opuſculi hujus conjecturam glomerando orditi decreveram, ordinandoque texere.

4. Cum ille in procemio ſuæ infantiæ cunabulis amabilis atque delectabilis, blandiſque nutrientium adulationibus, præſertimque parentum circa illum magnæ devotionis affectu diurnaque ſollicitudinis providentia curam gerentium confotus atque enutritus, ad triennium uſque pervenit. Tranſactis itaque nunc tribus annorum curriculis, cum parvus ille ſeu delicatus fragili ævo, infantiali ætate, teneri corporis adhuc gereret artus; ſubito evenit, ut illum triennio gravi corporis aggravaret ægritudo, tantaque eſt arreptus corporis moleſtia, ut exiguæ membrorum ſtringerentur compages, & vix in eo permanens flatus vicinum minabatur vitæ exitum. Cumque iſtud cernerent pater & mater, editum ſuum ægrotantem, jamque uſque pene ſeminecem, timidi ecſtaſi, novaque mentis mœſtitia valde retenti, anxiari cœperunt; quod ſobolem ſuam ſibi genitam, recenti lue laſſatam exitialique diſcrimine ex improviſa nocte irretitam fore viderunt, & illum quem prius de primordialis infantiæ cunabulis ablactatum atque confotum uſque ad triennium nutriebant, illiſque ſuperſtitem & heredem habere optabant; jam exanimem ſeu exſtinctum glebaque coopertum dolere timebant. Sed omnipotens Deus mundi fabricator, cœli terræque limator, ſervum ſuum infantem, & adhuc inoletum exilibuſque membrorum compagibus tenerum hominibuſque incertum *, de corporis ergaſtulo adhuc educere nolebat, ſed ut magis * poſtea per orbem ſua norma neophytis patula panderet vitæ præmia. Sed ad priſtinam redeamus iterum præfati viri infantiam. Cumque parentes ejus magno mentis exceſſu ſuſpenſi, & de incerta filii ſui evaſione eſſent ambigui; ſumentes filium ſuum, obtulerunt illum coram illa dominica ſanctaque

Willibaldus trimus a parentibus deploratus,

* f. inſertum

* al. multis

---

a Willibaldi ſcilicet & fratris Wunebaldi, cujus utriuſque geſta edidit hæc Sanctimonialis.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii. Deo conſecratus convaleſcit. NOTA. que Cruce Salvatoris. Quia ſic mos eſt Saxonicæ gentis, quod in nonnullis nobilium bonorumque hominum prædiis, non Eccleſiam, ſed ſanctæ Crucis ſignum Domino dicatum cum magno honore almum, in alto erectum, ad commodam diurnæ orationis ſedulitatem ſolent habere. Illic ponentes illum coram cruce, Dominum Deum omnium plaſmatorem, illos conſolari, ſoſpitemque ſuum ſervare natum ſuis virtutibus obnixe flagitabant: ſicque intentiſſimis illorum precibus ſe vicem reddere ſpondebant Domino, ut ſi priſtina illius infantis reſtituta foret ſanitas, extemplo illum ſub ſacri Ordinis primordio tonſuram accipere, ſub cœnobialis vitæ diſciplina, ſub divinæ legis moderamine militando Chriſti famulatui ſubjicere promiſerunt. Statimque poſtquam illi vota voverunt, verba conſummaverunt, filiumque ſuum cœleſti commendaverunt Regi militare; confeſtim gratiam, & præterea a Domino petitionum conſequebantur effectum, priſtinaque puero poſtea reſtituta eſt ſanitas.

II. Quinquennis Waltheimenſi Abbati traditus, 5. Cumque inluſter ille puer in infantia ad quinquennium uſque perveniſſet, aſt in eo jam tunc temporis germinabat ſapientiæ virgultum. Itaque parentes votiva deſideriorum implere properabant promiſſa, atque inluſtrem quantocius cum conſultu amicorum carnaliumque propinquorum conſilio ad ſacræ cœnobialis vitæ inſtrumenta præparare atque proficere feſtinabant. Confeſtimque illum venerando fideliſſimoque viro THEODORETO commendabant, ſuaque providentia eum ad Cœnobium ducere, omniaque prudenter de ſua cauſa diſpenſare, diſponereque rogabant. Cumque perrexiſſent, & illum ducerent ad Monaſterium quod vocatur *Waltheim a*., venerando Abbati illius Monaſterii qui vocatur EGBALT *b* offerebant, & illum ſuæ conditionis jure juniorem, ceu obediendo diſcipulum ſuo ſubdiderunt imperio. Statimque ille Abbas Monaſterii, ſecundum regularis vitæ diſciplinam declarabat iſta ſuæ congregationi; ſicque ut eum eorum conſilio ſive licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conventio Fratrum ſimul reſponſum ſeu licentiam dabant, ſuæque voluntatis arbitrio hæc omnia fas fore * dicebant, acceptumque illum ocius inter cœnobiale vitæ eorum conſortium jungendo ſociabant.

* eſſe

III. imbuitur litteris & virtutibus, 6. Poſt hæc itaque cum protinus puer iſte pudicus ſeu perfectus, ſacris litterarum ſtudiis imbutus atque eruditus, ſacras Davidici carminis paginas ſolerti mentis intentione peragrans, ſed & etiam alia divinæ legis agiographorum armariola indagando ſive legendo, procaci ſenſu ſophyrus *c*, mente moderatus indagabat: & tamen non adhuc plurimorum ætate annorum grandævus; ſed ſicut divina ſemper ſupernæ pietatis clementia agere ſolet, ſecundum propheticum prophetiarum vaticinium, ex ore infantium ſeu lactentium perficere ſibi dignatus eſt laudem. Deinde itaque in eo jam ſimul annorum ætas mentiſque ſagacitas divinæ diſpenſationis moderamine pullulare cœperat; & multo magis in eo jam tunc divina Spiritus-ſancti gratia, quam corporis magnitudo creverat, aut membrorum valetudo. Totuſque jam ille in Dei amorem converſus, magna mentis diurnaque meditatione tractando monaſterialia moderationis inſtrumenta, monachaliſque vitæ monarchiam in abdita mentis quiete die noctuque ſollicite volutabat, quomodo illorum ſe copularet caſtæ Monachorum clientelæ, aut qualiter illorum fauſtis interfore poſſit familiaris vitæ diſciplinis.

De peregrinando cogitat. 7. Cumque iſta ſedule intra mentis volubilitatem revolveret, tractare cœpit, qualiter hæc cogitatio promereri potuiſſet effectum, ut caduca cuncta coſmi * iſtius contemneret ſive derelinquere potuiſſet: & non ſolum temporales terrenarum rerum divitias, ſed & patriam atque parentes ac propinquos deſerere, peregrinationiſque tentare tellurem, & ignota externorum requirere rura. Cumque aliquanti temporis intercapedine tranſacta, poſt

* id eſt mundi

a *Vualtheim* an hodiernus locus ſeu opidum *Biſsvaltham* in agro Wintonienſi?
b Gretſero in variis lectionibus *Egvvalt*; in ſecunda Vita *Egilvvaldus*, in tertia *Eguivaldus*.
c Hac voce non ſemel uſa eſt Auctor ad deſignandum ſapientem, infra num. 31.

Digitized by Google

CIRCA AN. 784 7. Julii.

poſt illa infantialis ejus oblectationis ludicra, & pueriles incentivorum laſcivias & illecebroſas luxurioſæ ætatis petulantias, per indefeſſam atque ineffabilem divinæ diſpenſationis gratiam, ad lanuginem & pubertatis adoleſcentiam perveniſſet; maximam in contubernia Fratrum dilectionem, per obedientiæ affectum, per manſuetudinis munificentiam, in ſe provocabat, ita ut amore & honore inter omnes illos haberetur inſignis: ſicque diutius diurnæ ſollicitudinis cura & divinis litterarum ſtudiis inhærendo die noctuque eatenus vigeret, & rectitudinis rigore mentem edomaret, ut de die in diem ad meliora cœleſtis militiæ inſtrumenta proficeret.

VI. Patrem ſecum pertrahit cum fratre.

8. Poſtquam ille adoleſcens Chriſti vernaculus, ſicut ſupra diximus, ignotas peregrinationis ſuæ vias probare volebat, atque externas terminorum tellures adire ſpecularique optaret, necnon immaniſſima maris diſcriminare decreviſſet æquora; ſtatim ille iſta cordis ſui clandeſtina, cunctis occulta, carnali ſuo patri revelavit, atque illum obnixis flagitabat precibus ut votivæ ſuæ voluntatis deſiderio pergendi conſilio præberet conſenſum: ut & illi tranſeundi licentiam daret, & ipſe ſecum pergeret attentius poſcebat. Cumque illum ad tanti operis initium tantæque vitæ converſationem invitando, a ſæculi voluptatibus, a mundi deliciis, a temporalis vitæ falſis divitiarum proſperis ſuggerendo ſegregare vellet, & illum opitulante Domino ad rectæ conſtitutionis formam & ad cœleſtis militiæ tyrocinium, divinum inchoare ſervitium, propriamque deſerere patriam, & patula ſecum peregrinationis perquirere rura rogaret; & ſic illum demum primitus blandis oraculorum ſtudiis alloquendo incitaret, ut comitatu filiorum fungens, egregia adiret Petri Apoſtolorum Principis limina; tunc ille primitus illo poſtulante petitum negaverat tranſitum, excuſandoque conjugis & liberorum inoletivorum parvitatem & fragilitatem, illos orbare & alienis derelinquere, inhoneſtum & crudele eſſe reſpondit. Tunc ille belliger Chriſti miles iteratis hortationum miraculis magniſque precum perdurationibus, toties per aſperiora rigidioris vitæ documenta metu & minis objurgabat, & toties blandis vitæ æternæ ſponſionibus amœnitate paradiſi & amore Chriſti mulcendo illum inſtigabat: & ita omnibus modis hortando, alloquendo, animum ejus ad ſuæ voluntatis adſenſum provocare conatus eſt. Sicque tandem omnipotentis Dei auxilio, petentis & provocantis invaleſcebat voluntas, ita ut ille ſecum pater frater WUNEBALDUS adoptatam & hortatam ſe inchoare metam pollicerentur.

Iter aggrediuntur. Navi conſcenſa,

9. Poſt hæc itaque cum temporum intervallo & annorum vergente curriculo, æſtatis jam immineret tempus; pater ſuus & frater cœlebs prædeſtinatum & adoptatum inchoaverunt iter. Et congruo æſtatis tempore promti ac parati, ſumtis ſecum vitæ ſtipendiis, cum collegarum cœtu comitantium, ad loca venerunt deſtinata, quæ priſco dicebantur vocabulo Hamelea-mutha *a*, juxta illud mercimonium quod dicitur *Hambich*, Et non multa poſt tranſacta temporis intercapedine, navigio parato, nauta ille cum claſſibus, ſuoque nauclero, naulo impenſo, Circio flante, ponto pollente, remis crepitantibus, claſſibus clamantibus, celocem adſcenderunt. Cumque tranſmeatis maritimis fluctuum formidinibus periculoſiſque pelagi preſſuris, vaſtum per æquor citato celocis curſu, proſperis ventis, velata nave, tuti aridam viderunt terram. Et ſtatim ovantes de navi deſcenderunt, & illic caſtra metati ſunt, & tentoria fixerunt in ripa fluminis quod nuncupatur Sigona *b*, juxta urbem quæ vocatur Rotum: ibi etiam fuit mercimonium. Et illic aliquantis die-

Rotomagum appellunt.

a Sic in variis lectionibus Gretſeri, apud Caniſium mendoſe *Hamela-multa*. In tertia Vita legitur *Hamelea mittha ſecus portum qui dicitur Hamvvich*. Legendum *Hamelea-mutha*, id eſt oſtia fluminis Hamelea: nam *mouth*, Anglis os oſtiumve ſignificat. Hinc *Vviremuthum*. *Vimuthum* &c. Porro *oſtium fluminis Hamelea* ſeu *Homelea*, teſte Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 16. *per terras Juторum*, *quæ ad regionem Geviſſorum pertinent*, *intra pelagus Solente*, *interpoſitum inter Vectam inſulam & terram Geviſſorum*. Nunc fluvius *Hamble*, portus *Hamble-haven* ab incolis vocatur, uti Henſchenius obſervavit in Commentario ad Vitam S. Richardi §. 3.

b Ita Sequanam vocat Fredegarius Scholaſticus in Chronici cap. 20. 25. 79. ad quem fluvium ſita eſt civitas Rotomagum, hic & in ſecunda Vita *Rotum*, in tertia *Rotumacum* dictum. Certe in Chronico de geſtis Nortmannorum tom. 2. Hiſt. Franc. apud Cheſnium pag. 24 Rotomagum appellatur *Rotuma*, & pag. 525. *Rotumum*.

CIRCA AN 786 7. Julii.

dierum curriculis requieſcentes, iterum pergere cœperunt, & ſic multa illic Sanctorum Oratoria, quæ illis commoda fuerunt, orando petierunt. Et ſic inante Gorthonicum *a* gradatim ex parte peragrantes ſupervenerunt. Cumque pergentes veniſſent ad urbem quæ vocatur Lucca, S. Willibaldus & B.

Lucæ patrem ſepeliunt.

Wunebaldus patrem eorum in comitatu itineris pariter cum illis ducebant: ſtatimque ibi ſubitanea præventus eſt corporis infirmitate, ut præteritis temporum intercapedinibus prope jam inſtaret exitus ſui dies: & invaleſcente in eo ægritudinis gravitate, feſſa ac frigida illius jam tabuerunt membra corporis, & ſic ultimum vitæ ſuæ exhalavit ſpiritum *b*. Statimque illi germani filii ejus corpus patris eorum exanime paternæ pietatis affectu percipientes venuſte involverunt, & terra tumulaverunt in urbe Lucca ad ſanctum FRIGDIANUM *c*. Ibi requieſcit corpus patris eorum. Confeſtimque illi pergentes, uſquedum per vaſtas Italiæ tellures perniciter per concava vallium, per abrupta montium, per plana campeſtrium, ad arduas Alpium arces, pedeſtrem ſcandendo greſſum dirigebant in altum.

Romam profecti.

10. Cumque luſtratis Alpium cacuminibus glacialique nivium nebuloſarum turbine, almi Dei adminiculo Sanctorumque ſuſtentaculo, cum cunctorum contribulium clientela omnique collegarum cœtu tuti omnes timidas militum evaſerunt verſutias; illuſtria * extemplo adierunt limina, & egregia Petri Apoſtolorum Principis petierunt præſidia, immenſaſque ibi omnipotenti Deo atque gratas referebant gratias, quod magnis tranſmeatis maris diſcriminibus variiſque peregrinationis externorum ignominiis, per omnia proſpere ſcandere ſcholaſticam meruerunt ſcalam *, & præclaram adire ſpecularique ſancti Petri Baſilicam. Tunc illi duo germani ibi manſerunt a nativitate S. Martini, uſque ad aliud ſollemnitatis Paſcha *. Et interim dum illa frigida frugaliſque hiems tranſiendo præteriit, vernaleque jam incumbendo inſtaret germen, & paſchale per totum mundum fulgendo irradiaret tempus, ibi duo germani felicem monaſterialis diſciplinæ vitam ſub ſacræ legis moderamine ducebant. Tum etiam decreſcente dierum calculo & creſcente æſtatis caumate *, quæ ſolet præſaga futuræ eſſe febris, magna corporis illico arrepti ſunt moleſtia, ita ut acriter anhelando, febricitando, toties algore frigeſcens, toties calore æſtuans, atrox per artus diffuſa eſſet peſtis: & ſic irretiti & retenti magnoque mortis prope exitio conſtricti, febre fatigati erant, ut vix jam in illis vitæ halitus per laſſos luentium artus volitando verſaretur. Sed tamen indefeſſa paternæ pietatis providentia ſuis conſulere, ſuffragarique dignata eſt, ita ut unus de duobus unam hebdomadam, & alter unam in ſubſidium miniſtrandi illis requiem haberet. Et tamen prout corporis infirmitas perpetrare * poterat, a ſacræ inſtitutionis norma non recedebant, ſed propenſius ſacræ lectionis ſtudia perſeverantes inhærebant, juxta Veritatis vocem dicentis: *Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

* Caniſ. illuſtra exempla

* ſ. ſcholam id eſt Romam

* ſ. Paſchæ

* id eſt calore

iſtic febre corripiuntur.

* permittere

Matth 24.

VI. Hieroſolyma cogitat Vvillibaldus.

11. Poſtquam ille inluſter claruſque crucicola magna mentis intentione & cordis contemplatione ad ſupernam internæ vitæ ſpeculationem provida circumſpectione properabat, & ad ſublimioris rigidioriſque vitæ virtutes anhelando, jam non planam, ſed artam auſterioris vitæ viam per monachalis vitæ normam inhiando deſiderabat, & majorem jam tunc peregrinationis ignorantiam adire optabat, quam illa fuit, in qua tunc ſtare videbatur; tum

a Tertiæ Vitæ ſcriptor ita reddit hunc locum. *Dein iter arripientes, poſtquam Gorthonicum pervenerunt, urbem quæ vocatur Lucca præfati duo cum patre intravere germani*: an legendum *Dertonicum agrum?* qui ad Dertonam Liguriæ civitatem pertinet. Certe hæc urbs in Vita Caroli M. per anonymum dicitur Chortona ad annum 802. Hic locus ſic ſe habet in Vita S. Vvunebaldi ſupra: *Tunc illi pergentes per vaſta Gallicaniæ rura & per ſpatioſam Italiæ tellurem uſque ad urbem quæ vocatur Lucca.*

b Et quidem 7. *Idus Februarii*, ſi Philippo Epiſcopo Eiſtetenſi credimus.

c Sic etiam in Vita S. Vvunebaldi legitur. Unde corrigendus ſecundus Vitæ S. Vvillibaldi ſcriptor, aut certe amanuenſis, qui ſcripſit *Preſciant*. Exſtat etiamnunc hæc S. Frigidiani ſeu Frigdiani Lucenſis Epiſcopi noni baſilica, olim quidem extra, nunc intra muros urbis poſita, quæ Lateranenſi Congregationi ſubjecta eſt: in qua cernitur tumulus S. Richardi (ſic patrem S. Vvillibaldi vocant) cum epitaphio a poſteris fabricato, in quo regia dignitas Richardo tribuitur. Exſtat epitaphium iſtud apud Surium, Baronium & Bollandum ad diem 7. Februarii, quo S. Richardus colitur.

Digitized by Google

tum ille ſtrenuus, conſilio amicorum, contribuliumque licentia flagitata, ut ſuarum opitulatione orationum illum ſequi dignaretur rogabat, ut tutis itineris curſibus, delectabilis atque optabilis civitatis Hieruſalem mœnia peragrare, ſpecularique, per illorum pia precum præſidia poſſibiliter potuiſſet.

CIRCA AN. 786 7. Julii.

VII. Cum duobus ſociis adit Beneventum,

12. Cumque tranſactis Dominicæ paſchalis ſollemnitatibus, agilis exercitus * levavit ſe cum duobus ſuis ſociis, & pergere cœperunt. Cumque pergerent, venerunt uſque ad urbem Daterinam *a* in Oriente, & ibi manſerunt duobus diebus. Et inde pergentes venerunt ad urbem Cajetam, quæ ſtat in litore maris; & ibi tunc adſcendentes in navim, transfretaverunt ad Nebulem; & illic relicta nave, in qua pergebant, ſtabant ibi duabus hebdomadibus. Iſtæ civitates ſunt Romanorum: in Beneventis ſunt, ſed tamen Romanis ſunt ſubditæ. Statimque ſicut divina ſolet pietas inceſſanter agere, ut votiva vernaculorum deſideria ſuorum implere dignetur; navim illic de Ægypto invenerunt, illic intro adſcendentes, navigarunt in terram Calabriæ ad urbem quæ dicitur Rhegia: & ibi manentes duos dies levaverunt ſe, & venerunt in inſulam Siciliam, in qua eſt urbs Cathinenſis, ubi requieſcit corpus S. AGATHÆ Virginis. Et ibi mons eſt Æthna, qui quando evenerit pro aliquibus rebus, ut ignis ille dilatare ſe voluerit ſuper regionem, tunc illi cito cives ſumunt velum S. Agathæ, & contra ignem ponunt; & ceſſat. Illic fuerunt tres hebdomadas. Et inde navigantes in inſulam Samo. Et inde navigaverunt in Aſiam ad urbem Epheſum, ſecus mare unum miliarium: & inde ambulaverunt in illum locum, ubi ſeptem Dormientes requieſcunt. Et inde ambulaverunt ad Joannem Evangeliſtam, in loco ſpecioſo ſecus Epheſum. Et inde ambulaverunt duo miliaria ſecus mare ad villam magnam quæ vocatur Figila *: ibi erant unum diem. Et petito pane, ibi ibant ad fontem unum in media villa; & ſedentes ibi ſuper marginem, tingebant panem in aqua, & ſic manducabant. Et inde ambulantes ſecus mare venerunt ad urbem Strobolem, in montem excelſum. Et inde ibant in locum qui dicitur Patera, & illic morabantur, uſquedum hiemis gelidæ horrendum præteriret frigus.

* an exercitator

Calabriam, & Siciliam,

Samo inſulam, Epheſum,

* al. Sigila

Strobolem & Pataram,

13. Et poſtea tunc illi navigantes venerunt ad urbem, quæ vocatur Militena, illa fuit quondam de aquis peritura. Ibi ſedebant duo ſolitarii in ſilice *b*, id eſt fabricata atque firmata cum muro magno de lapidibus valde ſummo, ut aqua illis nocere non poſſit. Et ibi acri famis conſtricti fuerunt aſperitate, ita ut inedia intus lacerati letalem jam diem mortis imminere metuerent. Sed omnipotens populorum paſtor pabulum ſuis præſtare dignatus eſt pauperibus. Et inde navigantes venerunt in inſulam Cyprum, quæ eſt inter Græcos & Sarracenos, ad urbem Papho, & ibi fuerunt hebdomadam poſt anni circulum. Et inde ibant ad urbem Conſtantiam *c*, ubi requieſcit S. Epiphanius: ibique morati ſunt uſque poſt nativitatem S. Joannis Baptiſtæ. Et inde navigantes venerunt in regionem Sarracenorum in urbem Tharratas ſecus mare. Et inde ambulaverunt ſuper novem aut duodecim miliaria ad caſtellum quod dicitur Archæ *, ubi fuit Epiſcopus de gente Græcorum: ibique habebant letaniam ſecundum conſuetudinem eorum. Et inde pergentes ambulaverunt ad urbem quæ vocatur Emeſſa, duodecim miliaria. Ibi eſt Eccleſia magna, quam fecit S. Helena, in honore S. Joannis Baptiſtæ, & caput illius fuit ibi diu, hoc eſt in Syrim.

Militenam,

Papho, & Conſtantiam,

Tharratas,

* al. Arahe

Emeſſam.

VIII. A Sarracenis incarceratus cum ſuis,

14. Tunc erant cum S. Willibaldo ſeptem contribules illius, & ipſe fuit octavus. Confeſtimque illi pagani Sarraceni reperientes, quod advenæ & ignoti homines illuc veniſſent, tulerunt eos, & captivos habebant, quia neſcie-

a An Tarracinam? quæ Roma Cajetam tendentibus obvia eſt. Certe plura locorum vocabula hic vitiata ſunt, uti infra *Nebulem* pro *Neapolim*; & *Militenam* pro Mitylenam, ſi non fallit conjectura: nam Plinius præter Mitylenem Lesbi inſulæ primariam urbem agnoſcit in Cypro inſula Mitylenam civitatem, quæ Vvillibaldi itineri pervia eſſe potuit.

b Sic legit Gretſerus; Caniſius vero *Stulite* & forſan rectius a ασύλη ſui columna, unde ſtylite dicti.

c Ante Conſtantini Magni imperium dicebatur *Majuma*, *Gazaorum navale*, ut docet Nicephorus Calliſtus in lib. 8, cap. 33.

CIRCA AN. 786 7. Julii. neſciebant de quali fuerant regione, ſed ſpeculatores illos eſſe æſtimabant. Et captivos eos ducebant ad quemdam ſenem divitem, ut videret & agnoſceret unde eſſent. At ille ſenex interrogavit eos unde eſſent, aut quali fungerentur legatione. Tunc illi reſpondentes ab exordio totam intimaverunt ei itineris ſui cauſam. Et ille ſenex reſpondens ait: Frequenter huc venientes vidi homines de illis terræ partibus iſtorum contribules: non quærunt mala, ſed legem eorum *a* adimplere cupiunt. Tunc inde illi pergentes venerunt ad palatium, ut rogarent illis viam tranſire ad Hieruſalem. Cumque illi fuiſſent in carcere, confeſtim mira omnipotentis Dei diſpenſatione, qui pius ubique ſuos inter tela & tormenta, inter barbaros & belligeros, inter carceres & contumacium catervas, ſua protegere parma, tutoſque conſervare dignatus eſt; unus homo fuit ibi negotiator, qui ſibi in eleemoſynam & animæ ſuæ redemtionem volebat illos redimere, & de carcere eripere, ut liberi eſſent pergere in ſuam voluntatem; & non poterat. Sed contra quotidie miſit illis prandium, & cœnam, & in quarta feria & in ſabbato miſit filium ſuum in carcerem, & educens eos ad balneum, & iterum introduxit. Et dominica die ducebat eos ad Eccleſiam per mercimonium, ut de rebus venalibus viderent, quid eorum mentem delectaret; & ille tunc ſuo pretio illis obtineret, quidquid illorum mente captum foret. Illic cives urbium curioſi jugiter illuc venire conſueverant, illos ſpeculari: quia juvenes & decori, & veſtium ornatu bene erant induti.

A mercatore quodam benigne tractatur.

Hiſpani opera liberatur.

15. Tunc illis in carcere commorantibus, unus homo de Hiſpania venit, & loquebatur cum illis in carcere, & diligenter ab illis inquiſivit, qui eſſent, aut unde eſſent. Et illi dixerunt omnia ſecundum ordinem de ſuo itinere. Iſte Hiſpanus homo habebat fratrem in palatio Regis, qui fuit cubicularius Regis Sarracenorum. Cumque ille Præſes qui eos in carcerem mittebat, ad palatium veniſſet; ille Hiſpanus qui cum illis in carcere loquebatur, & ille nauta in cujus navi fuerunt quando pergebant de Cypro, omnes ſimul venerunt coram Rege Sarracenorum, cui nomen MIRMUMNI. Et cum locutio eveniſſet de illorum cauſa, ille Hiſpanus homo omnia quæ illi dixerunt in carcere, ſuo intimavit fratri, & illum rogavit ut Regi indicaret, & præſidio illis foret. Poſt hæc itaque cum omnes iſti tres coram Rege ſimul venirent, & omnia juxta ordinem intimando illi indicarent de eorum cauſa; ille Rex interrogavit unde eſſent. Et illi dixerunt. De occidentali plaga, ubi ſol occaſum habet, iſti homines venerunt. Nos autem neſcimus terram ultra illos, & nihil niſi aquam. Et ille Rex reſpondit eis dicens: Quare nos debemus eos punire? non habent peccatum contra nos. Da eis viam, & ſine illos abire. Alii homines, qui in carcere habebantur, debebant cenſum reddere unam tremiſſem; illis autem fuit dimiſſum. Illi Cypri ſedebant inter Græcos & Sarracenos, & inermes fuerunt: quia pax maxima fuit & conciliatio inter Sarracenos & Græcos. Magna & lata regio fuit illa, & duodecim Epiſcoporum parochiæ ibi.

(in Cypro Epiſcopi 12.)

Damaſcum petit.

16. Confeſtimque illi cum licentia levantes ſe, perrexerunt in Damaſcum centum miliaria. Sanctus vero ibi requieſcit Ananias. Illud eſt in terra Sytim. Ibi erant una hebdomada, & inde ſunt duo *b* milia: ibi fuit Eccleſia; & in illo loco primum converſus eſt Paulus, & Dominus dixit ad illum: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* & reliqua. Et illic orantes, ambulabant in Gallilæam, in illum locum, ubi Gabriel primum venit ad S. MARIAM, *Ave gratia plena*, & reliqua: ibi eſt nunc Eccleſia; & ille vicus in quo eſt Eccleſia, eſt Nazareth. Illam Eccleſiam Chriſtiani homines ſæpe comparabant a paganis, quando illi volebant eam deſtruere. Et ibi Domino ſe commendantes, ambulaverunt inde, & veniebant in villam Canan, ubi Dominus aquas in vinum convertit. Illic eſt Eccleſia magna, & in Eccleſia

Nazareth, Canan Galilææ,

---

a Id eſt ſuam, hoc eſt Chriſtianam. Caniſius legit *Deorum*; Gretſerus ex mſ. codice ita repoſuit. Certe Saracenis haud ignotum eſſe poterat, unum Deum coli a Chriſtianis.

b Adrichomius notat, hunc locum uno tantum lapide ſeu miliario diſtare ab urbe Damaſco.

Digitized by Google

ſia illa ſtat altare unum de ſex hydriis, quas Dominus juſſit implere aqua, & in vinum verſæ ſunt : & de illo communicaverunt vino. Uno die fuerunt illic. Et inde pergentes venerunt ad montem Thabor, ubi Dominus transfiguratus eſt. Ibi eſt nunc Monaſterium Monachorum, & hæc Eccleſia Domino eſt conſecrata, & Moyſi & Heliæ. Et illi cives nominant illum locum Agemons *a*. Illic autem orantes inde pergebant ad urbem quæ dicitur Tiberiadis. Illa ſtat in litore maris, ubi Dominus ſuperambulabat ſiccis pedibus, & Petrus ambulans ſuper undas dimerſus eſt. Ibi ſunt multæ Eccleſiæ & Synagoga Judæorum. Sed & magno honore Dominica. Ibi fuerunt aliquantos dies, & ibi Jordanis *b* tranſit medium mare. Et inde ibant circa mare, & pergebant ſecus vicum Magdalenæ. Et veniebant ad illum vicum Capharnaum, ubi Dominus Principis filiam ſuſcitavit. Ibi fuit domus & murus magnus. Et ſic dixerunt illi homines, quod Zebedæus cum filiis ſuis Joanne & Jacobo ibi fuerint collocati. Et inde pergebant ad Bethſaidam : inde erant Petrus & Andreas. Ibi eſt nunc Eccleſia, ubi prius erat domus illorum. Et illic manentes unam noctem, mane pergebant ad Corozaim, ubi Dominus dæmoniacos curavit, & diabolum mittebat in gregem porcorum. Ibi fuit Eccleſia Chriſtianorum.

CIRCA AN. 786

7. Julii. Tabor,

Tiberiadem, &c.

Magdalum.

17. Et ibi orantes, pergebant inde, & veniebant ad locum ubi duo fontes de terra manant, Jor & Dan; & tunc venientes de monte deorſum, & in unum collecti faciunt Jordanem. Et ibi morabantur unam noctem inter duos fontes; & paſtores dabant nobis * acrum lac bibere, & ibi ſunt armenta mirabilia longo dorſo, brevibus cruribus, magnis cornibus creati *; omnes ſunt unius coloris. Oſtreæ paludes ſunt profundæ ibi, & quando æſtivali tempore magna ſolis caumatio de cœlo ad terram venire ſolet, illa armenta tollentia ſe vadunt ad paludem, & dimergunt ſe toto corpore, niſi caput ſolum. Et inde pergentes venerunt ad Cæſaream, ubi fuit Eccleſia & multitudo Chriſtianorum. Iterum pergebant ad Monaſterium *c* S. Joannis Baptiſtæ, & ibi erant fere viginti Monachi. Unam noctem ibi manebant. Et inde ibant ſuper unum miliarium ad Jordanem, ubi Dominus fuit baptizatus. Ibi nunc eſt Eccleſia in columnis lapideis ſurſum elevata, & ſubtus Eccleſiam eſt nunc arida terra, ubi Dominus baptizatus fuit. In ipſo loco & ibi nunc baptizant. Ibi ſtat crux lignea in medio, & parva derivatio aquæ ſtat illic, & unus funiculus extenſus ſuper Jordanem hinc & inde firmatur. Tunc in ſollemnitate Epiphaniæ infirmi & ægroti venientes habebant ſe cum funiculo, & ſic demerguntur in aquam. Sed & mulieres, quæ ſunt ſteriles, venientes ibi gratiam Domini merentur. Epiſcopus noſter Vvillibaldus balneavit ſe ibi in Jordane. Uno die fuerunt illic.

Jordanis fontes,

* l. ovis

* f. erectis

Cæſaream,

18. Et pergebant inde, & veniebant ad Galgala. Ibi ſunt intus * quinque millia, & duodecim lapides illic ſunt in Eccleſia : illa eſt lignea & non magna. Illic ſunt duodecim lapides, quos tulerunt filii Iſrael de Jordane, & portaverunt ad Galgala ſuper quinque miliaria *, & poſuerunt ad teſtimonium tranſmigrationis illorum. Et tunc illic orantes perrexerunt ad Hiericho ſuper ſeptem miliaria ab Jordane : ibi erumpebat fons qui erat ſterilis in oneo *d* montis, & fuit inutilis hominibus antequam venit Heliſæus Propheta, & ſanctificavit illum. Et poſtea emanavit, & omnis civitas illa partita eſt illum in agros, in hortos & in omnia, ubicumque illis neceſſarium erat : & omne quod humidat ille fons, creſcendo proficit ad ſalutem pro-

Galgala,

* an iter

* Caniſ. unum miliarium

a Id eſt Mons ſanctus, cujus montis Monaſterium Cluniacenſi Abbatiæ ſubjectum erat tempore Petri Venerabilis, ut ipſe teſtatur in lib. 2. epiſtola 44. de hoc alias. Attamen Atos mons Macedoniæ Hagionoros proprio nomine vocatur.

b Non ad Tiberiadem, ſed ad Capharnaum influit Jordanis in lacum Genezareth, notavit Caniſius.

c Situm erat in deſerto Quarentanæ, a Monachis Græcis quondam inhabitatum, modo exciſum. Lege Adrichomium in Benjamin 97.

d Quid illud *oneo*? certe fons Heliſæi oritur e radicibus montis Quarentanæ, de quo Joſephus in lib. 4. de bello Judaico cap. 27. & Adrichomius in Benjamin 63. In Actis S. Vvillibaldi num. 3. *paſſivantes ſuper Alpium onєos*, ubi Alpium cacumina ſignificare videtur.

CIRCA AN. 786 7. Julii. Monaſterium S. Euſtachii, Hieroſolyma,

propter ſanctificationem Heliſæi Prophetæ. Et perrexerunt ad Monaſterium S. Euſtachii. Illud autem ſtat in medio campo in Hiericho & Hieruſalem. Et inde venit ad Hieruſalem, in illum locum ubi inventa fuerat ſancta Crux Domini. Ibi nunc eſt Eccleſia in illo loco, qui dicitur Calvariæ locus: & hæc fuit prius extra Hieruſalem. Sed B. Helena quando invenit Crucem, collocavit illum locum intus intra Hieruſalem. Et ibi ſtant tres cruces ligneæ *a* foris in orientali plaga Eccleſiæ ſecus parietem, ad memoriam ſanctæ Crucis dominicæ, & aliorum qui cum eo crucifixi erant. Illæ non ſunt intus in Eccleſia, ſed foris ſtant ſub tecto extra Eccleſiam. Et ibi ſecus eſt ille hortus, in quo fuit ſepulcrum Salvatoris. Illud ſepulcrum fuerat in petra exciſum; & illa petra ſtat ſuper terram, & eſt quadrans * in imo, & in ſummo ſubtilis. Et ſtat nunc in ſummitate illius ſepulcri crux, & ibi deſuper nunc ædificata eſt mirabilis domus; & in orientali plaga in illa petra ſepulcri eſt janua, per quam intrant homines in ſepulcrum orare. Et ibi eſt intus lectus, in quo corpus Domini jacebat. Et ibi ſtant in lecto quindecim *b* crateres aurei cum oleo ardentes die noctuque. Ille lectus in quo corpus Domini jacebat, ſtat in latere Aquilonis intus in petra ſepulcri; & homini eſt in dextera manu, quando intrat in ſepulcrum orare. Et ibi ante januam ſepulcri jacet ille lapis magnus quadrans in ſimilitudinem prioris lapidis, quem Angelus revolvit ab oſtio monumenti. Et illuc veniebat in feſtivitate S. Martini Epiſcopus noſter. Moxque ut illuc venit, cœpit ægrotare, & jacebat infirmus uſque ad hebdomadam ante Navitatem Domini. Et tunc quando aliquantulum recreatus fuit, & de infirmitate melius habebat, ſurgit, & abiit ad illam Eccleſiam, quæ vocatur ſancta Sion; illa ſtat in medio Hieruſalem. Illic vero orans, inde ibat in porticum Salomonis. Ibi eſt piſcina, & illic jacent infirmi exſpectantes motionem aquæ, quando Angelus veniret, & moveret aquam; & tunc qui primum in illam deſcenderet, ſanaretur. Ubi Dominus dixit paralytico: *Surge, tolle grabatum tuum & ambula*.

ſepulcrum Domini. * ideſt quadrata

Hieroſolymis infirmatur.

19. Similiter & ipſe dixit, quod ante portam civitatis ſtaret magna columna, & in ſummitate columnæ ſtat crux ad ſignum & memoriam, ubi Judæi volebant tollere corpus S. MARIÆ: cum illi undecim Apoſtoli tollentes corpus ſanctæ Mariæ portarent illud Hieruſalem, ſtatim cum ad portam venerunt civitatis, Judæi voluerunt comprehendere illud: ſtatimque illi homines, qui porrigebant brachia ad feretrum, & eam tollere conabantur, retentis brachiis, quaſi glutinati, inhærebant in feretro, & non poterant ſe movere, antequam Dei gratia & Apoſtolorum petitione iterum reſoluti fuerant: & tunc eos reliquerunt abire. Sancta Maria in illo loco in medio Hieruſalem exivit de hoc ſæculo, qui nominatur ſancta Sion. Et tunc Apoſtoli undecim portaverunt illam, ſicut prius dixi: & tunc Angeli venientes tulerunt eam de manibus Apoſtolorum, & portaverunt in paradiſum. Et inde deſcendens Epiſcopus S. Willibaldus venit ad vallem Joſaphat. Illa ſtat juxta Hieruſalem civitatem in orientali plaga. Et in illa valle eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ, & in Eccleſia eſt ſepulcrum ejus, non de eo *, quod corpus ejus ibi requieſcat, ſed ad memoriam ejus. Et ibi orans adſcendit in montem Oliveti, qui eſt ibi juxta vallem in orientali plaga. Illa vallis eſt inter Hieruſalem & montem Oliveti. Et in monte Oliveti eſt nunc Eccleſia, ubi Dominus ante paſſionem orabat, & dixit ad diſcipulos: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Et inde venit ad Eccleſiam in ipſo monte, ubi Dominus adſcendit in cœlum. Et in medio Eccleſiæ ſtat de ære factum ſculptum ac ſpecioſum, & eſt quadrans. Illud ſtat in medio Eccleſiæ, ubi Dominus adſcendit in cœlum. Et in medio æreo eſt factum quadrangulum, & ibi eſt in vitreo * parvum cicindulum *c*, & circa cicin-

NOTA de corpore B. Mariæ.

Adit vallem Joſaphat,

* f. dico

montem Oliveti,

* l. vitro

a De hac Eccleſia & crucibus eo loci erectis vide librum 1. Adamnani cap. 3. in Appendice hujuſce tomi.

b Duodecim tantum numerant Adamnanus in lib. 1. cap. 2. & Beda ex eo in lib. de locis ſanctis cap. 2.

c Sic reſtituimus hanc vocem, cum antea in editis legeretur *aſindulum*. Papias *cicindolia*, *vitreas lampadas* interpretatur. *Cicendulum ponitur pro candela*, inquit Januarius in Catholico, & dicitur a candeo. Adamnanus in lib. 1. de locis ſanctis cap. 23. *bis quaternas* ſeu octo lampadas e funibus pendentes hoc loco præfert.

Digitized by Google

cicindulum eſt illud vitreum undique clauſum. Et ideo eſt clauſum, ut ſemper ardere poſſit in pluvia & in ſole. Illa Eccleſia eſt deſuper patula & ſine tecto: & ibi ſtant duæ columnæ intus in Eccleſia contra parietem Aquilonis, contra parietem meridionalis plagæ. Illæ ſunt ibi in memoriam & in ſignum duorum virorum qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum?* Et ille homo, qui ibi poteſt inter parietem & columnas repere, liber eſt a peccatis ſuis.

CIRCA AN. 786 7. Julii.

20. Inde venit in locum, ubi Angelus paſtoribus apparuit, dicens: *Adnuncio vobis gaudium magnum*. Et inde venit in Bethleem, ubi Dominus noſter natus eſt, ſeptem * miliariis ab Hieruſalem. Ille locus ubi Chriſtus natus eſt, quondam fuit ſpelunca ſub terra; & nunc eſt quadrangula domus in petra exciſa, & eſt terra circumquaque exfoſſa & inde projecta. Et ibi ſupra nunc eſt ædificata Eccleſia: & ubi Dominus natus eſt, ibi ſtat ſupra nunc altare, & aliud altare minus factum eſt ideo, ut illi quando volunt ibi intus Miſſam celebrare in ſpelunca, tollentes illud altare minus, portant ibi intus illo tempore, quando Miſſam celebrant; & iterum levant illud foras. Illa Eccleſia ubi Dominus natus eſt, quæ ibi ſupra ſtat, eſt in ſimilitudinem crucis ædificata, glorioſa domus. Et ibi adorantes pergebant inde, & venerunt in villam magnam quæ vocatur Thequa, ad illum locum ubi infantes quondam occiſi fuerant ab Herode. Ibi eſt nunc Eccleſia, & ibi requieſcit unus de Prophetis. Et tunc venit inde in vallem Lauram *a*: ibi eſt Monaſterium magnum, & ibi ſedit * Abbas ad Monaſterium, & ille janitor Eccleſiæ, aliique Monachi multi, qui ibi ſunt in ipſo Monaſterio, & ſedent circa vallem in devexa rupe montis. Et habent illi exciſa in ſaxoſa rupe montis parva receptacula ibi & ibi. Ille mons eſt in gyro circa vallem: & Monaſterium eſt ædificatum in valle, & ibi requieſcit ſanctus SABA. Inde venit ad locum ubi Philippus baptizavit Eunuchum: & ibi eſt Eccleſia parva in valle magna inter Bethleem & Gazam. Et inde ibant ad Gazam. Et illic orantes ibant ad S. Matthiam: ibi eſt magna gloria in Dominica. Cumque ſacra Miſſarum ſollemnia fuiſſent celebrata, Epiſcopus noſter S. Willibaldus ſtans ibi ad Miſſam, lumen oculorum amiſit, & cœcus fuit duobus menſibus. Et inde ibant ad S. Zachariam Prophetam, non patrem Joannis, ſed alterum Prophetam.

Bethleem, * al. 6. Thecuam, Lauram S. Sabæ, * ſedet. Gazæ fit cœcus.

21. Et inde tunc ibat ad caſtellum Aframia: ibi requieſcunt tres Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Jacob cum uxoribus ſuis: & inde venit iterum in Hieruſalem; & introiens in Eccleſiam, ubi ſancta Crux Domini inventa fuerat, aperti ſunt oculi ejus, & viſionem recepit. Et ibi aliquantum temporis manens, pergebat inde, & venit in locum Dioſpolim *b* ad S. Georgium: illud eſt decem miliariis ab Hieruſalem. Et inde venit ad aliam villam: ibi eſt Eccleſia S. Petri Apoſtoli, & ibi ſuſcitavit viduam S. Petrus, quæ fuit nominata Dorcas. Et ibi orans pergebat, & venit ad mare Adriaticum *c* longe ab Hieruſalem, ad urbem Tyrum & Sydonem. Sex miliaria ſunt inter illas duas urbes, & ſtant in litore maris. Et inde pergit ſuper Libanum montem, & venit in Damaſcum. Et inde venit in Cæſaream, & inde venit tertia vice ad Hieruſalem, & ibi fuit totam hiemum. Et inde venit ad urbem Ptolemaidam *d*: illa eſt in extremis finibus Syriæ, & ibi fuit ille totum tempus Quadrageſimæ; infirmus fuit: & non poterat pergere. Socii ejus qui in comitatu illius erant, perrexerunt ad Regem Sarracenorum, nomine MIRMUNNI, & voluerunt illis rogare epiſtolam, ut pergerent: & non poterant invenire Regem, quia ipſe fugerat foras extra

Hieroſolymis viſum recipit. Pergit Dioſpolim, &c. tertio redit Hieroſolyma. Ptolemaide infirmatur.

a Nempe Lauram ſancti Sabæ, quam Adrichomius inter Herodium & Thecuam locat.

b Liddi ſeu Lyda in tribu Ephraim, olim Dioſpolis & Tygris appellata, ſancti Georgii martyrio & ſepulcro, immo epiſcopali ſede quondam inſignis, hoc loco intelligenda eſt. Notanda hic verba, quibus Liddæ diſtantia ad Hieroſolymis deſcribitur, de qua lis eſt inter Auctores.

c Ita etiam alius Auctor vocat mare Phœnicium: nam mare Adriaticum inter Italiam & Illyricum jacet. Quamquam Hieronymus in Vita S. Hilarionis cap. 30. mare quo e Palæſtina in Siciliam trajicitur, *Adriam* nuncupat.

d Gretſero, *ad urbem Salamancha*, uti & infra pro *Ptolemaida*, *Salamancha*.

CIRCA AN. 986 7. Julii.

regionem illam. Cumque illi non invenirent Regem, veniebant iterum, & illic morantes ſimul in Ptolemaida, uſquedum una eſſet hebdomada ante Paſcha.

Litteras a Præſide accipit Emeſſæ. Hieroſolyma quarto accedit. inde Sebaſten.

22. Tunc venerunt iterum ad Emeſſam, & rogaverunt illum Præſidem dare illis epiſtolam. Et dedit epiſtolam duobus & duobus; quia illi non poterant ſimul pergere, ſed duo & duo, quia facilius ſic potuerunt alimenta obtinere. Et tunc in Damaſcum venerunt, & inde venerunt quarta vice ad Hieruſalem: ibi manentes aliquantulum tempus, venerunt ad urbem Sebaſtiam, quæ prius erat Samaria & vocabant illud caſtellum Sebaſtia *a*. Et ibi requieſcunt nunc ſanctus Joannes Baptiſta, & Abdias, & Heliſæus Prophetæ. Et ibi puteus ille prope caſtellum, ubi Dominus poſtulavit aquam bibere a Samaritana muliere; & ſuper illum puteum nunc eſt Eccleſia, & ille mons eſt ibi, in quo adorabant Samaritani: & illa mulier dixit ad Dominum; *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & tu dicis, quod in Hieruſalem eſt locus, ubi adorare oportet*. Tunc illi adorantes perrexerunt ſuper Samaritanorum regionem, in extremis finibus eorum, in villam magnam unam; ibi erant unam noctem. Et inde perrexerunt ſuper campum magnum olivarum plenum, & pergebat cum illis unus Æthiops cum duobus camelis & uno mulo, qui ducebat unam mulierem per ſilvam. Cumque perrexiſſent, obviavit illis unus leo, qui aperto ore rugiens rancuſque, eos rapere ac devorare cupiens, valde minabatur illis. Tunc ille Æthiops dixit ad illos: Nolite timere vos, ſed pergamus inante. Statimque illi pergentes, appropinquaverunt ad illum. Aſt ille cito omnipotentis altithroni Dei adminiculo in aliam partem divertit, & dimiſit illos ut pergerent. Et ſic dixerunt, ut poſteaquam inde pergebant, audiebant illum leonem magnum rugitum dare, ita ut rancus multos devoraret illorum hominum, qui pergebant olivarum colligere fructus. Inde pergentes venerunt ad urbem quæ vocatur Thalamartha, in litore maris. Et inde ambulantes venerunt ad caput Libani, ubi ille mons in mare vadit, & eſt promontorium. Ibi eſt turris Libani. Et qui illuc venerit non habens chartam *b*, non pertranſit locum, quia in cuſtodia eſt ille locus, & eſt clauſtrum: ſed ſi venerit ſine charta, tollunt illum cives, & mittunt ad urbem Tyrum. Ille mons eſt inter Tyrum & Thalamartham. Et tunc venit iterum Epiſcopus ad Tyrum.

Thalamartham,

NOTA. Tyrum,

IX.

23. Epiſcopus S. Willibaldus prius quando erat in Hieruſalem; emebat ſibi balſamum, & replevit unam munerbam. Tulit itaque unam munerbam quæ fuit concava, & habuit linum. Illam replevit de Petræ oleo, & fecit * intus in munerbam, & ſecuit illam cannam parvam munerbæ *c*, ita ut in margine ambæ ſimiles eſſent plane: & ſic claudebat os munerbæ. Cumque veniſſent illi ad urbem Tyrum, illi cives urbis tollentes eos conſtringebant, & omnem ſarcinam eorum exquirebant, ut reperirent ſi habuiſſent aliquid abſconditum; & ſi aliquid inveniſſent, cito illos punientes martyrizarent. Cumque omnia exquirentes, nihil inveniſſent niſi unam munerbam quam habuit S. Willibaldus, illam aperientes odorabant quid intus fuiſſet. Cumque odorabant petræ oleum, quod intus in canna fuerat ſupra; & balſamum quod intus erat in munerba ſubtus Petræ oleum, non reperiebant: & ſic eos reliquerunt. Multos dies erant ibi exſpectantes navim, quando parata fieret: & poſtea tunc navigaverunt totam hiemem a natali S. Andreæ Apoſtoli uſque unam hebdomadam ante Paſcha. Tunc venerunt in Conſtantinopolim, ubi requieſcunt tres Sancti, Andreas, & Timo-

* f. ſudit.

ubi periclitantur.

a Sebaſten ab Herode in honorem Auguſti cognominatam fuiſſe docet Hieronymus in Vita Paulæ viduæ Romanæ cap. 11. cum antea Samaria diceretur.

b Litteras ſalvi conductus appellant, de quibus legendum Bernardi Monachi Itinerarium in Appendice hujus tomi.

c Ex his verbis conjicimus, munerbam (quæ vox Gretſero indeclinabilis eſt) eſſe genus lagenulæ, ſic cucurbitæ cujuſdam fructum appellant, qui noſtratibus vocatur *Callebaſſe*, in urcei modum cavari ſolitus, etiam ab antiquis. *Nuper*, inquit Plinius lib. 19. cap. 5. *cucurbitarum uſus venere urceorum vice*. Lege Columellam.

Digitized by Google

Timotheus, & Lucas Evangeliſta in uno altari : & Joannes ille os aureum CIRCA AN.
requieſcit ibi coram altari, ubi Presbyter ſtat quando Miſſam facit : ibi eſt 786
ſepulcrum ejus. Ibi erat Epiſcopus noſter duos annos, & habebat recepta- 7. Julii.
cula intus in Eccleſia, ut quotidie poſſet adſpicere ubi Sancti requieſcebant.
Et inde venit ad urbem Nicænam, ubi olim habebat Cæſar Conſtantinus Nicæa lu-
Synodum : & ibi fuerunt ad Synodum trecenti decem & octo Epiſcopi. Illi ſtrata,
omnes habebant illic Synodum. Et illa Eccleſia ſimilis eſt illi Eccleſiæ in
monte Oliveti, ubi Dominus adſcendit in cœlum. Et in illa Eccleſia erant
imagines Epiſcoporum qui erant ibi in Synodo. Et ſanctus Vuillibaldus per- repetit
gebat illuc a Conſtantinopoli, ut videret quomodo facta eſſet illa Eccleſia; Conſtanti-
& iterum remeavit ad Conſtantinopolim. nopolim.

24. Et poſt duos annos navigaverunt inde cum nuntiis Papæ & Cæſaris in
inſulam Siciliam, ad urbem Syracuſanam. Et inde venit ad urbem Cate- Siciliam,
nam *, & venit ad Rhegiam civitatem in Calabria. Et inde navigaverunt * Catanam
ad inſulam Vulcaniam *a*. Ibi eſt infernus Theoderici. Cumque illuc veniſ-
ſent, deſcendebant de navi, ut viderent qualis eſſet ille infernus. Statim- viſit infer-
que S. Vuillibaldus curioſius volens videre qualis eſſet intus ille infernus, num Theo-
volebat adſcendere in montis cacumen ubi infernus ſubtus erat, & non po- derici.
terat : quia favillæ de tetro tartaro uſque ad marginem adſcendentes, glo-
meratæ illic jacebant : & ad inſtar nivis, quando de cœlo nivans candidas
nivaleſque cadentes catervas de aereis * ætherum arcibus acervare ſolet; * al. aeriis
ita favillæ coacervatæ in apice montis jacebant, & adſcenſum S. Vuillibal-
di prohibebant. Sed tamen tetram atque terribilem, horrendamque eru-
ctantem de puteo flammam erumpere videbat, ad inſtar tonitrui tonan-
tis; ſic flammam magnam & fumi vaporem valde ſublime in altum ad-
ſcendentem terribiliter intuebatur. Illic fomex *b* vel pumex, quem ſcri-
ptores habere ſolent : illum videbat de inferno illo adſcendentem & cum
flamma projectum, atque in mare conjectum; & tunc iterum de mari pro- NOTA.
jectum in aridam, & homines tollunt eum, & inde ducunt. Statimque pro
iſta horribilis ſeu terribilis ignis flagrat vaporibus flammivomis & fumiſœtidis
mirabilis. Viſionum *c* ſpectaculo explorato, inde levantes ſe navigaverunt
ad Eccleſiam S. Bartholomæi Apoſtoli quæ ſtat in litore maris, & vene-
runt ad illos montes qui ſunt nominati Didymi.

25. Et inde navigantes venerunt ad urbem quæ vocatur Neapolis : ibi Neapolim,
erant multos dies. Ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas ejus illic
habetur. Et ibi eſt prope caſtellum *d*, ubi requieſcit S. SEVERINUS. Et
inde venit ad urbem Capuam. Et ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam Capuam
urbem, ad alium Epiſcopum. Et ille Epiſcopus miſit eum ad urbem Tya-
nam ad illum *e* Epiſcopum. Et ille Epiſcopus miſit eum ad S. Benedictum.
Tunc erat autumnus quando venit ad S. Benedictum. Et tunc erant ſe- Caſinenſe
ptem anni, quod de Roma tranſire cœpit: & omnino *f* erant 10. anni, quod Monaſte-
de patria ſua tranſivit. Cumque venerandus vir S. Vuillibaldus & DIA- rium.
PERTUS qui cum eo pergebat per omnia, veniſſent ad S. Benedictum,
non reperiebant ibi niſi paucos Monachos, & Abbatem nomine PETRONA-
CEM. Statim ille magno mentis moderamine & dogmatum ingenio feli-
cem * Fratrum contubernium ſedulis diſputationibus admonens, non ſolum * felix
verbis, ſed moribus venuſtis viſitando docebat, & rectæ conſtitutionis for-
mam, & cœnobialis vitæ normam in ſemetipſo oſtendendo præbebat : ita

a Vulcani ollam appellat Gregorius Magnus in lib. 4. Dial. cap. 30. ubi de Theodorici inferno agit.

b Delendum videtur *fomex vel*, inſertum forſitan inſcitia amanuenſis, qui cum dubius eſſet, *fomex an pumex* legendum eſſet in exemplari, utrumque adſcripſit.

c Hic locus apud Caniſium & Surium ſic ſe habet : *flagrantia vaporibus flammivomis & fumiſœtidis, mirabilis viſionum ſpectaculum explorata*, &c. Gretſerus ex mſ. cod. reponit *ſpectacula explorata*.

d Lucullanum ſcilicet, in quo ſitum erat Monaſterium ſeu Oratorium in honorem S. Severini Noricorum Apoſtoli, de quo Monaſterio agit Gregorius Magnus in lib. 7. epiſt. 40. & alibi.

e More antiquis uſitato, qui nomen alicujus perſonæ proprium neſcientes, utebantur hac nota *ill.* ubi nos litteram N. adhibemus.

f Sic locum hunc reſtituimus tum ex Gretſero, tum ex aliis Auctoribus qui de S. Vuillibaldo ſcripſerunt. In editis legitur, *& omnium erant & anni*, &c. Confer aliam Vitam num. 15. infra.

Digitized by Google

CA AN. 786 7. Julii. ubi ex Æditue Decanus, tum Portarius. ut omnium amorem ſeu timorem in ſeipſum provocando accerſiret. Et in primo anno illuc veniens, Cubicularius fuit Eccleſiæ; & in ſecundo, Decanus erat in Monaſterio: & poſtea per octo annos fuit Portarius in duobus Monaſteriis. Quatuor annos erat Portarius in illo Monaſterio quod ſtat ſupra in monte valde excelſo, & alios quatuor erat in alio Monaſterio quod infra ſtat juxta amnem Raphito.

X. Poſt annos decem Romam petit. 26. Tranſacta itaque tunc decem annorum intercapedine, venerandus ille vir S. Vuillibaldus ſacram S. BENEDICTI regularis vitæ inſtitutionem, quam omnipotentis Dei auxilio illorumque adminiculo quos ſuper longa locorum ſtadia & ſuper vaſtas marginum vias in redemtionem animæ & in opem præſentis vitæ requirebat, omni modo prout fore * poſſit, obſervare conabatur: & non ſolum ipſe, ſed & alios cum illo in veneranda regularis vitæ veſtigia præeundo perducebat. Poſt hæc itaque unus Presbyter qui de Hiſpania veniens ad S. Benedictum manebat, licentiam rogabat Abbatem Petronacem ad Romam pergere. Statimque ille licentia poſtulata rogabat S. Vuillibaldum, ut cum eo pergeret, & illum duceret ad S. Petrum: & ille ſtatim petitionibus ejus conſenſum ſeu effectum promittebat. Cumque illi pergerent, ad Romam venerunt, atque illico Baſilicam S. Petri intrantes, ſacra cœleſtis Clavicularii præſidia poſtulaverunt, illiuſque ſe commendavere pio precum patrocinio. Tunc ille ſacer apoſtolicæ Sedis Pontifex GREGORIUS III. venerandum virum S. Vuillibaldum illic eſſe comperiens, præcepit illum ad ſe venire. Cumque illuc veniſſet ad ſanctum ſummi Sacerdotii Pontificem, ſtatim prono vultu in terram ſe vertebat, & illum ſalutabat. Protinuſque ille pius populorum ſpeculator piis verborum viciſſitudinibus itineris ſui ordinem inveſtigare cœpit ab illo: quomodo ſeptem annorum calculum in externis terrarum finibus probando peragraret, aut quomodo multa temporum ſpatia pernicioſas paganorum pravitates penetrando evaderet, diligenter ab illo ſciſcitabatur. Statimque tunc ille agilis Chriſti vernaculus glorioſo gentium gubernatori ſapienti ſermonum induſtria humiliter ediſſerendo, ſeriem ſui itineris ex ordine intimavit, qualiter * modo multas migrando mundi iſtius permeavit manſiones, & quomodo almam altiſſimi ætherum Plaſmatoris natalem adventus ſui locum in Bethleem adorando, opem poſtulando, luſtrandoque perambulabat: & nihilominus aliam baptiſmatis ejus terram in Jordane ſpeculando, ſeque balneando viſitabat. Sed & in Hieruſalem ſicque in ſanctam Sion, ubi ſacer ſæculorum Salvator in cruce ſuſpenſus peremtus eſt atque ſepultus, & poſtea in monte Oliveti in cœlum adſcendit; iſthic quatuor vicibus veniendo orabat, & Domino ſe commendabat. Iſta omnia illi intimando explanabat.

A Gregorio Papa de peregrinatione ſua interrogatus.

* eſſe

* l. quali

Bonifacio adjutor deſtinatur. 27. Poſtquam hæc omnia delectabilibus verborum ſermocinationibus inter ſe fabulantes volutabant, ſacer ille ſummuſque apoſtolicus Pontifex ſobriis ſermonum indiciis teſtando intimavit B. Vuillibaldo, quod S. BONIFACIUS rogabat illum, ut ipſum S. Vuillibaldum a S. Benedicto adduci pervenireque feciſſet, & ſic illum tunc ſubſummatim * mitteret, ac illi in gentem Francorum erudiendam cooperatorem efficeret. Cumque iſta S. Bonifacii voluntatum votiva deſideria domnus apoſtolicus Papa Gregorius III. S. Vuillibaldo indicaſſet, placidis illum exhortationum oraculis rogando ſeu præcipiendo arceſſivit, ut ad S. Bonifacium veniret. Tunc ille inclytus Chriſti athleta S. Vuillibaldus petitionibus Pontificis ſimulque juſſionibus ſe ſollerter ſubſummatim effectum ſeu obedientiam perficere promittebat, ſi ſecundum regularis vitæ diſciplinam licentiam illi a ſuo poſtularet Abbate. Statimque ſummus ille ſanctæ auctoritatis Pontifex reſpondit, illumque ſine ſollicitudinis ambiguitate ſecurum cum ſuæ juſſionis licentia obedientialiter pergere præcepit dicens: Quia ſi illum ipſum Abbatem Petronacem uſpiam tranſmittere me libet, certe contradicere mihi licentiam non habet nec poteſtatem. Confeſtimque tunc S. Wil-

* id eſt ſtatim

Abbatis licentia haud exſpectata.

Digitized by Google

S. Willibaldus ſacris ſermonum exhortationibus conſenſum atque ſe ſpontanee exhibere reſpondit. Et non ſolum illuc, ſed ubique in omni terrarum loco, quocumque illum tranſmittere dignaretur, devote ſine deſide differentia * ſecundum voluntatis ſuæ arbitrium ſe pergere ſpondebat. CIRCA AN. 786 7. Julii. * dilatione

28. Poſt hæc tunc finitis oraculorum fabulis pergebat inde S. Vvillibaldus in Paſcha: qui illuc veniebat in nativitate S. Andreæ, & Diapertus manebat ibi ad S. Benedictum. Et veniebat ad Lucam, ubi pater ejus requieſcebat: & inde venit ad Ticine urbem, & inde ad urbem Brixiam, & inde venit ad locum qui dicitur Charinta *. Et tunc venit ad Ducem ODILONEM, & ibi fuit unam hebdomadam. Et inde venit ad SUITGARIUM, & ibi fuit una hebdomada. Et inde perrexerunt ad *Lintbrath* Suitgarius *a* & S. Willibaldus ad S. BONIFACIUM. Et miſit illos S. Bonifacius ad Eiſtet, ut videret quomodo ſibi placeret. Illam regionem *Eiſtet* Suitgarius tradidit S. Bonifacio in redemtionem animæ ſuæ: & S. Bonifacius tradebat noſtro Epiſcopo S. Vvillibaldo illam regionem, quæ adhuc tota erat vaſtata, ita ut nulla domus ibi eſſet, niſi illa Eccleſia S. Mariæ quæ adhuc ſtat ibi, minor quam alia Eccleſia, quam poſtea B. Vvillibaldus ibi conſtruxerat *. Cumque ibi duo manerent ſimul ad *Eiſtet* aliquantum temporum inducium S. Vvillibaldus atque Suitgarius, almumque ibidem habitationis locum explorando eligerent; poſtea iterum pergebant ad S. Bonifacium ad Friſingam, & ibi erant cum illo, uſquedum omnes ſimul iterum veniebant ad *Eiſtet*: & ibidem tunc S. Vvillibaldum conſecravit S. Bonifacius in presbyteralis dignitatis gradum. Ipſa die qua Epiſcopus noſter S. Vvillibaldus conſecratus eſt in Presbyteratum, undecimo Kalendas Auguſti fuit, ad natalem S. Mariæ Magdalenæ & S. Apollinaris.

XI. Germaniam petit. * al. Charta. Eiſtetenſi Eccleſiæ præficitur. * conſtruxit. Presbyter conſecratus.

29. Et poſtquam unius anni tranſibat circulus, S. Bonifacius præcepit illi, ut in Turingiam ad ſe veniret. Statimque venerandus ille vir Dei S. Vvillibaldus ſecundum juſſionem S. Bonifacii in Turingiam veniebat, & in domo fratris ſui VVUNEBALDI hoſpitalitatis manſionem habebat: quia jam illum prius octo annorum ſpatio & nono *b* dimidio ab eo quod de Roma pergebat non vidit. Et jam tunc videndo gaudebant, & de ſua conventione gratulabantur ambo. Illud fuit autumnale anni tempus, quando S. Vvillibaldus veniebat in Turingiam. Statimque poſteaquam illuc veniebat, S. BONIFACIUS Archiepiſcopus atque S. BURCHARDUS & VVIZO ſacræ Epiſcopatus auctoritati illum ordinando conſecraverunt. Aſt ibidem tunc cum ſummo ſacerdotalis infulæ ditatus erat honore, unam hebdomadam erat, & poſtea iterum ad prædeſtinatum manſionis ſuæ locum remeabat. Sanctus Vvillibaldus quando in Epiſcopum conſecratus erat, habebat quadraginta annos & unum. Et tunc erat autumnale tempus: circa illam fere horam tribus hebdomadibus ante natale S. Martini in Epiſcopum conſecratus eſt, in loco qui dicitur *Sallpurg*.

Vvunebaldum fratrem inviſit, poſtea Epiſcopus conſecratus.

30. Tranſacto atque terminato prolixo itineris meatu S. Vvillibaldi, quem ille ſagax in ſeptem annorum induciis *c* luſtrando adibat; illa nunc reperta & ex ritu rimata explanare intimareque conabamur, & non ab alio reperta, niſi ab ipſo audita, & ex illius ore dictata perſcripſimus in Monaſterio *Heidenheim*, teſtibus mihi Diaconis ejus & aliis nonnullis junioribus ejus. Ideo dico hoc, ut nullus dicat iterum hoc frivolum fuiſſe.

Auctor ab S. Vvillibaldo accepta ſcripſit.

31. Poſtquam ille de Roma in iſtam veniebat provinciam cum tribus contribulibus ſuis, tunc quadraginta & unius annorum ætate, jam gnarus & grandævus ſacri Epiſcopatus gradum accepit, & in loco qui dicitur *Eiſtet* Monaſterium conſtruere incipiebat, atque ibidem ſacram monaſteria-

XII. Monaſterium in Eccleſia ſua inſtituit.

Y iiiij

a Suigerum *Hirsbergenſem Comitem* vocat Marcus Vvelſerus in lib. 5. rerum Boicarum.

b Hoc eſt ab annis ſeptemdecim & dimidio, ut mirum ſit Gretſerum hæſiſſe ad hunc locum. Quippe Vvillibaldus ſeptem annos cum dimidio, infra *ſeptem annorum inducias*, expendit in peregrinationem Hieroſolymitanam, Caſini decem. Confer aliam Vitam.

c Secundus Auctor id de ſeptem annis pontificatus perperam interpretatur: nam de profectione ad loca ſancta hic ſermo eſt.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii. rialis vitæ diſciplinam in uſum prioris vitæ, quod videndo ad Sanctum Benedictum; & non ſolum ibi, ſed & in multis Monachorum manſionibus, quas ipſe ſollers & ſophyrus vaſta per rura rimando explorabat, illorum κατὰ normam venerandæ vitæ converſationem in ſemetipſo oſtendendo exercebat: & cum paucis adhuc ibidem operariis latum atque ſpatioſum divinæ ſegetis campum, ſacra ſuperni Verbi ſata ſerendo, uſque ad meſſem perducebat. Et ſicut apes prudentiſſima, quæ per purpurea violarum virecta, & per fulvos frondium floſculos, & per olida olerum florida letalem liquans toxieam & ſuaviſſimum ſorbens ſuccum nectaris, & ſic cruribus & toto corpore referta ad alvearia geſtando properat; ſic & ille beatus parilion *a* Vvillibaldus in omnibus quæ late luſtrando propriis cernebat luminibus, optima eligendo arripiebat, arripiendoque omnibus ſibi ſubditorum phalangibus rectæ converſationis ſtudium bene vivendo, in verbo, in vitiorum obſtaculis, in bonitate, in patientia, in abſtinentia peritus prolatam præbebat normam.

Iſtuc confluunt diſcipuli. 32. Aſt cito poſtquam ille ſtrenuus almi Dei athleta monaſterialem manſionis locum inhabitare cœpit, ſtatim undique de illis regionum provinciis & nihilominus longinquis regionum limitibus ad ſaluberrimum ejus ſapientiæ dogma confluere cœperunt: quos ille quodammodo omnes, ut gallina quæ ſub alis ſolet ſuos tegendo enutrire fetus; ita & ille Pater S. Vvillibaldus, ut mater Eccleſiæ, plures per ævum, ſuæ pietatis parma protegendo, Domino deferebat adoptivos natos. Et quemadmodum alumnus *b* ſuos alere ſolet infantes; ita & ille nutriendo divinæque pietatis lacte leniter lactando paſcebat, uſquedum illi confoti & de infantia eruditi eleganterque edocti, ad juvenilem pulcræ indolis pubertatem pervenerunt: & nunc ſecundum Magiſtri præcedentis exemplum, ſancta ſectantes dogmatum ejus dona, multis micant adminiculis.

Epilogus. 33. En ille S. Vvillibaldus, qui cum paucis adprimitus ſatellitum ſubſidiis ſanctæ converſationis inchoaverat exercitium, tandem cum innumeris aulatium magiſtratibus multiformiter militando, Domino dignum adquiſivit populum. Et late ille per vaſtam Bajoariorum provinciam aratra tradendo, ſata ferendo, meſſem metendo, cum multis meſſorum operariis per vitreos Bajoariorum campos cum Eccleſiis atque Presbyteris, Sanctorumque Reliquiis, digna Domino delibat dona. Inde nunc antiphonæ crepitant, inde lectiones reſultant: inde nunc clara credentium turba ſancta ſtrepitant Chriſti miracula, & celeberrima Conditoris gratulabundi garrulant præconia. Quid dicam nunc de S. Vvillibaldo, meo magiſtro & veſtro alumno? Quis illo pietate præſtantior, humilitate excellentior, patientia purior, continentia rigidior, manſuetudine major? Cui ille unquam in triſtium ſolatio poſterior, & cui ille in pauperum opitulatione inferior, aut nudorum habitu tradior? Iſta omnia non ad jactantiam dicta, ſed ſicut vidi & audivi, Dei gratia non hominis facta; quia ſecundum Apoſtolum, *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Amen.
1. Cor. 1.

V I-

a Forteaſ paralion, quæ ſpecies eſt tithymali lacteum emittens ſuccum: quamquam *barilion* non ſemel legitur in Vita S. Vvunebaldi ab eadem Sanctimoniali ſcripta.
b Id eſt nutricius. Sic enim alumni vocem non raro uſurpant Latini.

Digitized by Google

AN. CHR. 786
7. Julii.

ALIA VITA

Auctore Anonymo perantiquo, cujus tamen ætas incerta.

Ex tomo 4. antiq. lectionum Caniſii.

1. PRæſul igitur WILLIBALDUS angelicæ caſtitatis inſtar, de genere Anglorum emicuit oriundus. Cumque egregiæ indolis puer maxima parentum ſpe jam triennium clauderet, morborum incommodis ſubito intabuit, ſpectabile oris decus fœda tenuatum macie defloruit. Ulcerati dolore parentes, quod unicum tunc reſtabat, eum vix patulo ore aera trahentem Eccleſiæ *a* inferentes, ante adorandam ſanctam Crucem poſuerunt: & ſi ad ſalutem recrearetur, eum divinæ mancipandum ſervituti devoverunt. Piis ſtatim votis effectum merentibus, puero cum ſalute prior oris decentia rediit: & abſolutæ valetudini reconciliatus, præmaturis pollere cœpit virtutibus.

Vvillibaldus Anglus, trimus morbo periclitatus, Deo oblatus convaleſcit.

2. Hoc igitur omine parentes Deum aliquid magni in tantæ indolis puero operaturum percipientes, ſibi non defuerunt: ſed filium ſuum vix quinquennem monachicæ diſtrictioni apud Monaſterium *Vvaltheim* dictum, ſub venerando Abbate EGILWARDO * dedicaverunt. Litteris ergo applicitus, nec momentum temporis otio indulſit: ſed brevi ſollertiſſimus prælatus pectus ſuum hagiographiæ armarium fecit; & ut Chriſtum in omnibus exprimeret, quidquid divini, & quidquid legis eccleſiaſticæ legendo percepit, hoc moribus & habitu fideliter adſequendo implevit. In ſingulis ergo virtutibus jam excellentiſſime eminens, ita enituit perfectiſſimus in Chriſto, ut nil cogitaret niſi eſſe cum Chriſto.

Vvalthemenſi Abbati traditus quinquennis, * al. Egbaldo, Egwialdo litteris ſacris imbuitur.

3. Quamvis ergo jam abnegato ſeipſo mundum tam mente quam habitu calcaſſet, timeret tamen deeſſe perfectioni, quod in natali ſolo parentelæ dignitas aliquantulum famæ & honoris ſibi licet nolenti addidit; decreverat patriam egredi, & tam ignotus quam egens pro Chriſto peregrinari. Et ne ſolus ex ſuis Chriſti militiæ adſcriberetur, patrem nomine RICHARDUM *b*, genere & rebus clarum adiit, eique mundi contemtum & peregrinationem ſuadere cœpit. Qui cum objiceret filio, ſibi videri crudeliſſimum & omnino ab humanitate alienum filios orbare, coniugem viduare, domum totam deſolare; inſtillavit ei S. Willibaldus nil divino amori præponendum, hanc pro Chriſto crudelitatem omni pietate humaniorem, ſoloſque mundi contemtores Chriſti futuros coheredes. Victus demum veridici filii narratione, ſe obtemperaturum, & quocumque a caro duceretur pignore, ſecuturum promittit. Incenderat & idem felix ardor S. Vvillibaldi fratrem WUNEBALDUM, Hendenheimenſis Cœnobii conſtructorem & Abbatem futurum; necnon & amborum ſororem virginum decus WALPURGAM, multoſque ejuſdem non ſolum cognationis, ſed & patriæ, ut capto Crucis vexillo nudi evolarent ſecuturi Regem gloriæ.

Ad peregrinationes ſacras pertrahit patrem, &c.

4. Anno in æſtatem vernante, cum ventis patientibus prima fides arrideret pelago, ſancti fratres Vvillibaldus & Vvunebaldus cum patre Richardo & ſorore Vvalpurga *c* aliiſque non paucis, in quorum pectoribus idem fervebat ardor; navi conſcenſa iter optatum arripiunt, & ventis feliciter ſubſequentibus ripam fluminis Sigonæ juxta urbem quæ vocatur Rotum appulerunt.

Iter aggrediuntur.

---

a Non ad Eccleſiam, ſed ad crucis ſignum loco Eccleſiæ pro Saxonum more erectum, ex alia Vita, cui potior hac in re fides.

b Nomen reticuit Sanctimonialis, immo etiam Reginoldus. Richardi vocabulum nonnullis recentius videtur, quam ut Sancti Vvillibaldi ætati conveniat. Lege tamen Commentarium Gretſeri in Philippi Epiſcopi lucubrationem, & Henſchenii ad diem 7. Februarii.

c D. Vvalpurgæ itinere Romano mentio nulla in alia Vita. Lege Acta ejuſdem Sanctæ ad annum 780. & S. Vunebaldi ad annum 761.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786

7. Julii. Patrem Luccæ ſepeliunt. Romæ ægrotat uterque germanus.

runt. Inde Romam tendentes, Luccam Tuſciæ urbem devenere: ibique patrem ſuum carne ſolutum, & præmia quæ obſecutus filio meruit adeptum, in Cœnobio S. PRESCIANI *a* ſepelierunt. Inde deſideratam diu Romam pervenientes, lacrymoſa devotione a Principibus Apoſtolorum indulgentiam exoraverunt: ibique Sanctorum loca in illis partibus ſita viſitantes, ſeque cotidie Deo in ara cordis mactantes, a feſtivitate S. Martini ſæva excocti infirmitate ſuſtinuerunt. Interim tamen ſancti fratres hoc Deo providente ſortiti ſunt ſolatium, ut cum unus unam ſeptimanam gravante morbo lectum occuparet, alter mitigato interim languore jacenti miniſtraret. Sic occupante alternatim hunc graviori, illum mitiori languore, ſe ſancti fratres procuravere.

Hieroſolyma pergit Vvillibaldus. Benevento, Rhegio, Catana, Syracuſis, Epheſo, NOTA. * al. Figilam. Patara,

5. Cumque Deo miſerante S. Vvillibaldus jam abſolute reconciliatus vigeret ſanitate, amore cœleſtis Hieruſalem cœpit terreſtrem ſuſpirare, & loca veſtigiis Chriſti inſignia videre. Dimiſſis ergo ibi fratre Vvunebaldo ſororeque Vvalpurga, duobus comitatus ſociis ipſe tertius victorioſum iter adgreditur. Venientes igitur Beneventum, ubi S. BARTHOLOMÆUS requieſcit, appulſam navim Ægyptiam invenerunt: quam ingreſſi, Calabriæ portum Rhegium dictum, velis pleno ſinu turgentibus attigerunt. Inde transfretantes in Siciliam, ingrediuntur urbem Catinenſium, S. AGATHÆ virginis corpore & patrociniis inſignem: ubi Æthna mons imo exæſtuans fundo flammarum globos egerere, & candente fervens favilla cœlum ſolet ſubtexere: cujus incendio, vicina ſæpe loca inflammando ſolventi, Catinenſes velum ſepulcri ſanctæ Virginis opponunt, nec lædi metuunt. Inde & viſitato apud Syracuſam ejuſdem inſulæ civitatem S. LUCIÆ ſepulcro, ſe rurſus pelago credunt: & tranſitis Choo Samoque inſulis, tabentes ſalo artus apud Epheſum Aſiæ inſulam exponunt. Ubi poſtquam ad ſepulcrum S. JOANNIS Evangeliſtæ ebulliens inde manna admirantes lacrymis perfuderunt; poſtquam ſe ſeptem Dormientibus & MARIÆ MAGDALENÆ ibidem requieſcenti commendaverunt; poſtquam in vertice vicini montis locum ubi ſanctus Evangeliſta orare ſolebat, omni pluvia & tempeſtate immunem & ſecurum ſatis admirari nequeunt; duobus inde diſtantem miliariis villam Sigilam * pedites venerunt. Ibi mendicato pane, fonti (qui perſpicuis ad fundum aquis in media ebullit villa) intincto refecti, tranſito urbis Strabolis monte excelſo Pateram perrepſerunt, ibique glaciali hieme undas exaſperante veris clementiam præſtolantur.

monte Galanorum, Papho, Canſtantia, Ediſſa, luſtratis.

6. Navim demum ingreſſi, ad montem Galanorum *b* transfretarunt: quo bellorum tempeſtate tunc temporis depilato ſævam paſſi ſunt inediam. Inde inſulam Cyprum inter Græcos & Sarraticos ſitam applicuerunt, & paſchale quod jam inſtabat feſtum apud Paphum urbem agentes, ſole jam circumvoluto tres in ea hebdomadas ſteterunt. Inde ejuſdem inſulæ urbem Canſtantiam, S. EPIPHANII Præſulis miraculis & corpore glorioſam adeuntes, S. Joannis Baptiſtæ nativitatem ibi egerunt. Inde per Sarracenorum civitatem Tharratas dictam & caſtellum Arahe venerunt Ediſſam Phœniciæ, Reliquiis THOMÆ Apoſtoli & epiſtola quam Salvator ABAGARO Regi ſcripſit magnificam: ubi nunc miri operis claret Eccleſia, quam Helena Regina conſtruxit in honorem S. JOANNIS Baptiſtæ, cujus caput ab Hieroſolymis illuc translatum diu in eadem latuit urbe.

A Sarracenis capitur cum ſuis,

7. Jam vero S. Vvillibaldus comitantibus ſe ſeptem ſuis contribulibus ipſe fuit octavus. Sarraceni videntes eos lingua diſſonos, habitu ignotos, proditionis gratia eos veniſſe dixerunt, & Præſidi præſentantes carceri mancipaverunt. Sed quia Deo nullus clauditur, erat ibi unus negotiator, qui cotidie eis quælibet neceſſaria miniſtravit, interdum balneavit, & ad Eccleſiam pro-

---

a Lege *Frigidiani*, ut ex aliis Auctoribus in prima Vita adnotatum.

b Iſtius montis *Galanorum* non meminit Sanctimonialis, neque urbis Beneventi, ſupra.

produxit. Illis in carcere detentis quidam Hiſpanus habens in palatio Regis fratrem, experto Sanctorum Dei negotio, eos adjutorio fratris ſimul & nautæ qui eos adduxerat, apud Regem MIRNNUM *a* dictum excuſavit, & eis abeundi permiſſionem impetravit. CIRCA AN. 786 7. Julii. liberatur.

8. Inde progreſſi venerunt Damaſcum, Reliquiis ANANIÆ, qui converſum ibi divinitus Paulum baptizavit, inſignem. Fuſa ergo oratione in illa Eccleſia, quæ nunc in loco converſionis S. Pauli emicat, venerunt in Galilæam in vicum Nazareth, de quo & JESUS dicitur Nazarenus: ubi Archangelus Gabriel S. MARIÆ perpetuæ virgini apparens, ei de incarnando in ejus ventre Dei Filio prædixit, & ubi Spiritu ſancto obumbrante imprægnata, inæſtimabiliter Dei Filium concepit. Ibi dignæ ſanctitatis conſtat Eccleſia, ſæpe per Chriſtianos a Sarracenis eam dejicere aggredientibus pretio redemta. Inde poſt viſitatam primo miraculorum Domini nobilem Canan Galileæ, tranſito monte Thabor, ubi nunc Monachorum congregatio in honore Transfigurationis dominicæ eſt collecta; per urbem Tiberiadis in litore maris, ubi Dominus Petrum aquas ſiccis calcare veſtigiis fecit, ſitam, ubi etiam Jordanis mare Galileæ *b* pertranſit, venerunt Magdala vicum Lazari & ſororum ejus. Inde per oppoſitam in altero litore Capharnaum, ubi Dominus filiam Principis ſuſcitavit, & ubi ZEBEDÆUS pater Jacobi & Joannis requieſcit; & per Bethſaidam *c*, ubi nunc Eccleſia domum Petri & Andreæ demonſtrat, tetigerunt Corozaim, ubi Dominus expulſis dæmonibus gregem porcorum conceſſit.

Adeunt Damaſcum, Nazareth, Canan Galilææ, Tabor, &c.

9. Hinc ſanctorum amore locorum itinere tortuoſo venerunt ad ortus duorum fontium in monte Phanio *d*, quorum unus Jor, alter vocatur Dan; quorum unus ex una, alter ex altera parte urbis, quæ in Evangelio Cæſarea Philippi, à Phœnicibus autem Paneada vel Phaniada dicitur, fluentes non longe ab ipſa urbe, fatigati lapſu fluentis, & nomine juncti faciunt Jordanem, dominico baptiſmate inſignem. Viſis ergo in eodem loco quibuſdam armentis, dorſo longo, cruribus brevibus, proceris cornibus, quæ ſole diem incendente, ſe præter ſolum caput vicina palude ſolent mergere, venerunt ad prædictam Cæſaream, ubi Petrus cœli claviger factus eſt. Intrantes ibi Eccleſiam, viderunt ſtatuam Chriſti: ad cujus ſub divo poſitæ pedem herba admirandæ virtutis olei oriebatur, de quo ſic in „ eccleſiaſtica hiſtoria legitur: Mulierem quam ſanguinis profluvio labo„ rantem curaverat, hujus urbis civem fuiſſe conſtat. Pro foribus vero „ domus ejuſdem mulieris baſis quædam in loco editiori collocata mon„ ſtratur, in qua mulieris ipſius velut genibus provolutæ, palmaſque ſup„ pliciter tendentis imago ære expreſſa videtur. Adſtat alia ſtatua ære „ nihilominus fuſa, vultu & habitu Domini veſte fimbriata circumdati, „ dextramque porrigentis proſtratæ mulieri. Ad pedem autem virilis ſta„ tuæ, herba quædam novæ ſpeciei e prædicta baſi naſcendo ſurgit, & „ donec fimbriam veſtimenti JESU tangat, creſcere non deſinit: quam „ cum ſummo vertice creſcens herba contigerit, vires inde ad depellendos „ omnes morbos conquirit: ita ut quæcumque illa fuerit infirmitas, hau„ ſtu exiguo madefacti ſalutaris graminis depellatur; nihil omnino virium „ gerens, ſi ante quam æreæ fimbriæ ſummitatem creſcendo contigerit, „ decerpatur. Hanc Euſebius temporum ſcriptor ad ſua uſque tempora perduraſſe, & ſe ſuis perhibet oculis conſpexiſſe. Hanc autem ſtatuam Chriſti ſceleratiſſimus Julianus Apoſtata, ut in tripartita legitur hiſtoria, de-

Cæſaream, Euſeb. lib. 7. cap. 10.

---

a Sic mſ. codex quo uſus eſt Caniſius. Ex alia vita legendum MIRMUNIUM, quod non tam Regis proprium eſſe videtur, quam gentile Regum Saracenorum, qui *Mumnilini*, *Amira*, *Amiralmumminini* appellantur, a voce Arabica *Amir*, quæ dominum ſignificat.

b Non ad urbem Tiberiadem, ſed ad Capharnaum fluvius Jordanis influit in lacum Genezareth ſeu mare Galilææ, ut ſuperius adnotatum. Lege Adrichomium in Zabulon.

c Proficiſcentibus ex urbe Tiberiade in loca Corozaim & Capharnaum, prius occurrit Bethſaida medio fere itinere inter Tiberiadem & Capharnaum cis Jordanem, cui vicinum opidum Corozaim trans flumen.

d Sic legendum, non *Phamo*, ut in editis. Alii ſcribunt *Fanium*, quo ex monte oritur fons *Dan*, *Paneas* etiam dictus, haud procul a radicibus montis Libani.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii.

depoſuit, & ſuam loco illius locavit. Sed Deo tantum ſcelus ad præſens vindicante, eadem Juliani ſtatua fulminis ictu dividitur; capitis cum cervice pars una terræ infigitur, altera in loco hærens, fulminis incendium teſtatur. Statuam vero Salvatoris pagani confregerunt, Chriſtiani autem colligentes in Eccleſia locaverunt.

Galgala,

10. Digreſſi inde, Jordanis fluenta ſequendo venerunt ad illum Jordanis locum, ubi Dominus aquas diluvio olim pollutas ſuo baptiſmate lavans mundavit. Ibi ſalubri liquore perfuſi venerunt Galgala, ubi filii Iſrael ſublatos de Jordane 12. lapides in teſtimonium tranſmigrationis ſuæ poſuerunt. Inde permeata Jericho, ubi *a* Jordanis in mare Mortuum nomen

Monaſterium S. Euſtachii, Hieroſolyma,

cum curſu amiſſurus influit, viſitato etiam S. Euſtachii Monaſterio, in medietate Jericho & Hieruſalem ſito, vix exſpectatam ingrediuntur Hieroſolymam. Cui tunc loco miraculorum vel alicujus operum Domini conſcio vir Dei Vuillibaldus oſcula non impreſſit? quod ibi altare lacrymis & gemitibus non perfudit? quanta ibi devotione jacuit ante dominicam Crucem mundo crucifixus? quam torrido lacrymarum fluvio perfudit lapidem, quem ab oſtio monumenti removit Angelus?

ibi infirmatur.

Sex ibi hebdomadibus graviſſimo irretitus languore cruciabatur: ſancta tamen circuire loca ſtudio laborem fallente non gravabatur. Quanto videndi Deum deorum in Sion deſiderio Eccleſiam montis Sion in medio urbis ſitam adiit! quam devote translatum illuc ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconum & protomartyrem STEPHANUM imploravit!

Luſtrat vallem Joſaphat.

11. Egreſſi demum veniunt in vallem Joſaphat, ubi ſepulcrum S. MARIAE monſtratur. Sed utrum Apoſtoli eam relicto hic corpore ſolutam ſepelierint, an forte eam ſepelire deſtinantibus poſt effoſſum ibi ſepulcrum ipſa ſit cum corpore adſumta; vel ſi ſepulta ibi conceditur, utrum inde ſubla-

NOTA.

ta, & alias tranſpoſita ſit, an recepta vera immortalitate reſurrexerit; melius dubitatur *b*, quam aliquid inde apocryphum definiatur.

montem Oliveti,

Digreſſus inde recipit eos mons Oliveti, ingreſſos Eccleſiam deſuper patulam & in loco dominicæ Adſcenſionis opera Helenæ Reginæ conſtructam. Locus ergo hic in quo Dominus in ipſa adſcenſionis ſuæ hora ſtipantibus diſcipulis ſteterat, & unde elevatis manibus captivitatem noſtram in cœlum captivam duxerat, hodie etiam dominicorum veſtigia pedum evidentiſſime demonſtrat: & quaſi ſentiens ſe ex hac pedum impreſſione omni artificioſo ornatu incomparabiliter pretioſiorem; nec pavimento ſterni *c*, nec tecto patitur operiri. Has pedum Domini notas S. Vuillibaldus cum ſociis non ceſſans lacrymis fluentibus rigare, vere potuit dicere: *Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*. In eadem Eccleſia duas perhibent ſtare columnas in geminorum memoriam Angelorum, qui diſcipulis adſcendentem Dominum adſpicientibus dixerunt:

Actor. 1.

Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum? Inde etiam referunt, quicumque inter columnas & Eccleſiæ parietem poſſit circumrepere, peccatorum veniam hunc meruiſſe.

Bethleem,

12. Inde venit Bethleem, ubi bos cognovit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Accedens ergo ibi ad puteum, quod prius mirabatur auditum, vidit in ſuperficie aquæ ire a margine uſque ad marginem figuram ſtellæ, quæ Magis nato Domino apparuit, eoſque tertio-decimo dominicæ

Thecuam,

Nativitatis die Bethleem perduxit. Inde venere Tequam, ubi Chriſti coæquævis ab Herode trucidatis Nathanael ſub ficu a matre abſconſus evaſit, ideoque ſic dictum eſt a Domino: *Quia cum eſſes ſub ficu, novi te*. Inde

Betzuram,

per Lauram ubi S. SABA requieſcit, venere juxta vicum Betzuro, ad aquam

---

a Urbs Jericho quinto fere miliari diſtat ab oſtio Jordanis in mare Mortuum influentis, tertio vero miliari ab ipſo Jordane.

b Iiſdem fere verbis loquitur Uſuardus in Martyrologio ad 18. Kal. Septembris. Conſentit Adamnanus in lib. 1 de locis ſanctis cap. 13. uti & Ambroſius Autpertus in ſermone de Adſumtione B.Mariæ, ſupra. Paullo aliter ſentit Sanctimonialis in libello ſuperiori, ubi corpus beatiſſimæ Virginis, non quidem animæ redditum, ſed ab Angelis translatum in paradiſum fuiſſe adfirmat.

c De primo teſtis eſt S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in epiſtola 2. ad Severum; de utroque Adamnanus, & ex eo Beda.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii.

aquam quæ eodem in quo gignitur ſorbetur loco: in quo Æthiops ab ultimis terræ finibus viſitato Domini Templo per Philippum baptizatus, vicinum Iſrael præveniendo, pellem ſuam mutavit, id eſt fide dealbatus, peccati nigredinem depoſuit. Inde cum venirent Gazam, auditis apud S. Matthiam Miſſarum ſollemniis, S. Willibaldus lumen oculorum dimiſit.

Gazæ lumen amittit.

13. Inde per caſtellum Afframiam *a*, ubi tres Patriarchæ, Abraham, Iſaac & Jacob cum ſuis uxoribus requieſcunt, revertitur Hieruſalem: & ingreſſus Eccleſiam ubi ſancta Crux inventa eſt conſtructam, poſt duos cœcitatis ſuæ menſes viſum recepit. Inde viſitata apud Dioſpolim *b* Eccleſia S. Georgii, per Joppen opidum Palæſtinæ maritimum, ubi Petrus viduam Dorcadem ſuſcitavit; per litus maris Adriatici *c*, adoratis apud Tyrum & Sidonem Domini veſtigiis, tranſito Libano monte, peragrata Tripoli urbe maritima, viſitata iterum Damaſco, venit Emaus vicum Palæſtinæ, quem Romani poſt deſtructionem Hieroſolymorum ex eventu victoriæ Nicopolim vocaverunt. Ubi poſtquam in domo Cleophæ in Eccleſiam mutata, eum qui ex fractione panis in ea cognitus eſt, adoravit; viventis aquæ fontem deſiderans, vidit & fontem qui eſt in trivio, quo Chriſtus eodem quo reſurrexit die cum diſcipulis duobus Luca *d* & Cleopha, quaſi ad alium declinaturus vicum ambulavit. Eſt enim ibi fons, ad quem Chriſtus olim in terris converſatus, cum diſcipulis dicitur veniſſe, pedeſque in eo emenſo aliquo itinere laviſſe: & hinc eamdem aquam diverſorum efficacem medicaminum a Deo factam, ut potata quibuslibet languoribus, tam pecudum quam hominum, ſalutis infundat præſentiam.

Hieroſolymis recipit: inde digreſſus Dioſpolim, &c. — venit Emaus, — Sozom. l. 5. cap. 20.

14. Inde S. Willibaldus tertio Hieroſolymam venit, ibique totam hiemem ſtetit. Nec minus peragrata Syria, quarta vice Hieroſolymam repetiit. Inde per Sebaſtiam ſepulcro Joannis Baptiſtæ, quamvis tempore Juliani apoſtatæ diruto *e*, ac Reliquiis Prophetarum Abdiæ & Heliſæi, puteoque ubi Dominus potum a Samaritana petierat claram; viſo monte Gariſim in quo Samaritana patres Samaritanorum orationi indulſiſſe dixerat, ad caput Libani montis. Tyro vicinum, contiguum monti, ſævos leonum impetus in via paſſi veniunt. Inde apud Tyrum diu exſpectata navi inchoato in natale S. Andreæ navigio, per totam navigantes hiemem, vix proxima ante Paſcha ſeptimana venerunt Conſtantinopolim, SS. Apoſtolorum Andreæ, Timothei & Lucæ Evangeliſtæ & Joannis Chryſoſtomi Reliquiis celebrem. Ibi biennium moratus, transfretavit interim Nicæam Bithyniæ urbem, ubi Conſtantinus ad ventilandam Arii & Athanaſii Alexandrini Præſulis controverſiam centum decem & octo Epiſcopos collegit: ibique eſt Eccleſia, in qua ad Synodum conſederunt, tecto carens, inſtar illius quæ ſita eſt in monte Oliveti. Conſtantinopolim regreſſus, remenſo maris tranſitu per Siciliæ urbes, Capuam, Catanam, deveniunt Rhegium, hinc Neapolim, inde Syracuſam.

Hieroſolymam reviſit tertio & quater: venit Sebaſten, — Tyrum, — Conſtantinopolim, — Nicæam, &c.

15. Demum autumno ſe in hiemem contrahente depoſuit ſe S. Willibaldus in monte Caſini apud Monaſterium S. BENEDICTI ſub Abbate PETRONACE. Et hic decimus *f* erat annus ex quo exſilium eſt adorſus, octavus vero ex quo Romam eſt egreſſus. Poſtquam ergo ſanctus ille vir ſe Monachis prædicti loci conjunxit, vitæ cœnobialis religioſiſſimæque con-

Caſini moratus,

---

a Munitionem loco Eccleſiæ cathedralis ibi a Saracenis conditam fuiſſe obſervavit poſt Bredenbachium Adrichomius: at munitionis ſeu caſtelli nomen haud expreſſit. Locus in ſcriptura ſacra vocatur Spelunca duplex.

b Dioſpolim Syriæ intellige, alio nomine Sebaſten & Liddam appellatam, de qua in alia Vita.

c Lege maris *Syriaci* ſeu *Phœnicii* aut Magni: nam Adriaticum longe iſtinc abeſt.

d Lucam addit Auctor ex Præfatione Gregorii Magni in Job: nam Lucas ipſe in Evangelii capite ultimo ſolius Cleophæ nomen habet.

e Lege hac de re Rufinum in lib. 2. Hiſt. cap. 28. Theodoritum & alios.

f Eumdem numerum ſignat tertius Auctor his verbis: *cum comitibus quos ſecum in via tulerat*, B. BENEDICTI *gratia orationis adiit Monaſterium: decimum jam quo patria rura reliquerat tranſiens annum*. Conſentit Sanctimonialis in prima Vita num. 29.

CIRCA AN. 786 7. Julii.

ex Æditúo fit Decanus, tum Portarius,

converſationis normam in ſe pleniſſime monſtravit. Igitur amore omnium in eum provocato, in primo poſtquam illuc venit anno factus eſt Cubicularius Eccleſiæ; in ſecundo Monaſterii Decanus; poſtmodum octo annis in duobus poſitis ibi Monaſteriis Portarius *a*, quatuor annis apud Monaſterium in vertice montis ſitum, quatuor rurſus apud Monaſterium inferius juxta amnem Raphito *b* depoſitum.

Bonifacio fama notus,

16. Claruit & eodem tempore in Teutonicis partibus tam opere quam nomine BONIFACIUS Moguntinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, genere itidem Anglus & S. Willibaldo cognatus, converſaque poſtmodum feroci Freſia inſignis Chriſti Martyr futurus. Hic cum de plantando Chriſtianæ Religionis nutrimento cogitaret, & huic operi habiles ac neceſſarios undecumque anhelaret aggregare; audierat famam S. Willibaldi apud caſtrum Caſinum divinæ deditiſſimum contemplationi. Veniens ergo Romam idem Archiepiſcopus, poſt alia cum Præſule apoſtolico de catholicæ ſtatu Eccleſiæ collata, ſubjunxit, quod ſe ferventiſſime excoquebat, commiſſum

in adjutorē expetitur

ſcilicet ſibi Moguntinæ *c* ſedis Archiepiſcopatum, terræ & locorum ſpatio amplum, gentilitatis autem ritu eſſe ſqualidum & incultum; meſſem ibi multam, operarios autem paucos. Et cum neceſſitas irrecuperabilis cogat Paſtorem commiſſorum ſibi quorumlibet rationem reddere, ſubditorumque ſanguis requiratur a præpoſito Præſule; unum Paſtorem tam numeroſo ovili non poteſt ſufficere: ideoque ſi Deus annuat, & ſi apoſtolica auctoritas permittat, ſe eumdem Epiſcopatum ſtatutis in eo duobus Epiſcopis decreviſſe partiri, ut minor procuratio & gregem munire, & Paſtorem valeat abſolvere: eſſeque apud caſtrum Caſinum Monachum quemdam Willibaldum, qui poſtpoſitis divino amori patria & parentibus, poſt fractam longo viarum & ſancta permeandi loca labore ætatem, Deo ibi mancipatus ſerviat, cui unum ex ſtatuendis Epiſcopatibus velit committere, ſi ipſe dominus Papa eum Monaſterio ſubtractum ſibi curet tranſmittere. Præfuit tunc Sedi apoſtolicæ GREGORIUS ejuſdem nominis tertius, Papa vero nonageſimus primus. Hic audito tam laudabili Archipræſulis Bonifacii deſiderio propoſito, ejus intentionem probavit, ſancti tranſmiſſionem Vuillibaldi promiſit, & longis fotum amplexibus, plenum ſingultibus dimiſit.

a Gregorio Papa in Germaniam mittitur.

17. Nec longum poſtea S. Willibaldus, decennio jam apud Caſinum montem impleto, Romam cum quodam confratre ſuo, genere Hiſpano *d*, ex licentia Abbatis ſui Petronacis adiit. Cujus audito adventu beatus Papa eum vocavit, & poſt multas inquiſitiones & reſponſa, ei ſancti petitionem Bonifacii innotuit. Id durum & propoſitæ contrarium vitæ S. Willibaldus reputans, intulit, ſe qui propria dimiſit, qui mundum pedibus ſubegit, non poſſe rurſus mundanis irretiri, nec quiete quam in valle lacrymarum ſibi paravit, velle privari: nec eſſe providi & mente integri, ut poſt horrenda naufragia portu occupato, ſe titubantibus adhuc veſtigiis ſævam prætendenti mortem credat pelago. Ad quem Papa his vel hujuſmodi utitur dictis: Dilectio Dei per dilectionem proximi probatur. Petro ergo
„ poſtquam ſe amatum ter audivit, gregis ſui curam & paſtionem commi-
„ ſit. Hinc inſtructi divinitus ſancti Patres, multis ex monaſteriali quiete,
„ compluribus ex ſolitaria contemplatione raptis, Epiſcopatus commiſere.
„ Prædeceſſor & æquivocus meus GREGORIUS, mente & habitu Mona-
„ chus,

a Mirum videretur quod ex Decano fit Portarius, niſi S. P. Benedictus *ad portam Monaſterii ſenem ſapientem, maturum moribus* exigeret in Regulæ cap. 66. Ex hoc aliiſque Auctoribus corrigendus Philippus, qui Vuillibaldum ſpatio quinque dumtaxat annorum Caſini permanſiſſe adfirmat.

b *Rarbito* etiam legitur in prima Vita. Et tamen *Rapido* ſcribendum eſſe cenſet eruditiſſimus Angelus de Nuce in Notis ad Chron. Caſin. lib. 1. cap. 5. Vide Elogium S. Petronacis Abbatis Caſinenſis ſupra ad annum 750.

c Gregorio tertio Pontifice Bonifacium necdum ſedi Maguntinæ addictum fuiſſe, in ipſius Bonifacii Actis probatum eſt.

d Diapertum vocat Sanctimonialis in alia Vita, qui Diapertus Bonifacii comes peregrinationum fuerat, nimirum poſt Willibaldi incarcerationem de qua ſupra num. 7.

Digitized by Google

„ chus, Sedi apoſtolicæ præficitur. MOYSES Eremita innumeris in eremo clarus ſignis, de ſolitaria quam duxerat vita, impetrante apud Romanum Imperatorem MAUVIA *a* Regina raptus, Sarracenorum genti Epiſcopus præponitur, nec longum indutam agnina pelle ferociſſimam gentem Chriſto lucratur. Quicumque igitur virtutibus pollens præeſſe renuit, ſuamque quietem aliorum utilitati prapoſuerit, tot damnatorum pœnas dignus erit luere, quot peccantium mores ipſe prælatus potuit corrigere. His vel ſimilibus animus S. Vvillibaldi flectitur, & pedibus Papæ advolutus, quodcumque imponatur onus, devoto ſe ſubiturum humero profitetur. Multum ergo inſtructus, & apoſtolica benedictione munitus dirigitur Sanctus Sancto, Vvillibaldus Bonifacio: quem ſanctus Archipræſul quaſi Angelum cœlo demiſſum recipiens, gratioſo affectu amplectitur, digniſſime veneratur. CIRCA AN. 786 7. Julii.

18. Notificata ſibi dehinc vocationis ſuæ cauſa, rogavit Sanctum Vvillibaldum ut dignetur ire, & locum cui præponendus ſit Præſul videre. Erat igitur eidem Archiepiſcopo in finibus Bajoariæ locus *Eibſtad* dictus, ſibi a quodam pio & religioſo, nomine SUIGERO, pro divinæ reſpectu remunerationis in uſus divinos traditus. Hoc igitur loco adhuc ſuæ parochiæ ſubjecto decrevit S. Bonifacius Epiſcopatum facere, eique Sanctum Vvillibaldum præficere. Ivit, vidit, probavit: reverſuſque ad S. Bonifacium, eo comitante denuo locum ſuum adiit, & Presbyteratus ibi gradum Archiepiſcopo conſecrante percepit. Nec mora Eccleſiæ fundamenta cœpit ponere, clauſtrum & officinas Cleri ſignare, & quælibet divinæ neceſſaria ſervituti ſagaciter diſponere. Revoluto abhinc anno Archiepiſcopum in Turingia adiens, tolerabile hoſpitium habuit in via apud fratrem WUNEBALDUM, octavo *b* ſemis anno, poſtquam apud Romam diſceſſere, non viſum. Hinc ad Archiepiſcopum ſuum apud urbem *Saltzburg* *c* venit, ubi confluente Antiſtitum collegio, conſentiente Cleri plebiſque ſuffragio, epiſcopalem benedictionem & Eiſtatenſis Eccleſiæ cathedram ſuſcepit, quadrageſimum primum ætatis annum tunc agens. Cura igitur epiſcopali ſuſcepta, non habuit requiem verbum Dei die ac nocte prædicare, deſides gentis illius animos & parum de futuro ſollicitos ad ſpem cœleſtium erigere, ſepoſitis inanium rerum curis æterna quærere. Et ne parum fidei colonus proficeret, quod verbo plantabat, vita doctrinæ conſona rigabat. Nec longum rudis ſqualentium cordium campus ita evangelici ligonis exercitium audierat, ut ignaro fructus agro, exſtirpato errorum frutice, ſeges rubicunda & vinea Dei Sabaoth videretur ſurrexiſſe. Eiſtetenſi Eccleſiæ præficitur.

19. Poſtquam igitur Epiſcopatum ſuum ſanæ inſtitutis vitæ per ſeptem *d* annos digniſſime informavit, diſſolvi & eſſe cum Chriſto cupiens, ſpiritum Conditori reddidit, ſepultus in Eccleſia cui præfuit. Quanti nunc apud Deum ſit meriti, teſtatur corona juſtitiæ, quam miracula apud ſepulcrum ejus coruſcantia teſtantur eum recepiſſe. Moritur poſt annos 7.

a In editis male MANVIA, quæ MAUVIA Rufino in lib. 2. Hiſt. cap. 6. at Socrati lib. 4. cap. 36. & Sozomeno lib. 6. cap. 38. MAVIA dicitur.

b Adde *& nono*, quod tum ex ſuperioribus num. 15. tum ex alia Vita ſupplendum eſt.

c Lapſus videtur hic Auctor in vocabulo *Sallpurg*, ſicuti in alia Vita exprimitur: quo nomine non *Saltzburgum* Bajoariorum metropolim, ſed quemdam locum Turingiæ intelligendum eſſe, docet contextus narrationis. Loci nomen ſibi forſitan ignoti reticuerunt Reginoldus & Philippus. Sic enim Reginoldus: *Deinde* (poſt Vvillibaldi promotionem ad Presbyteratum) *vergente unius temporis luſtro* (uno anno, ut ex Sanctimonialis & Anonymi relatione conſtat) *in pago qui vocatur Turingia, junctis ſibi Burchardo & Vvizone Epiſcopis, ad Epiſcopatus eum provexit honorem.* Fortaſſe in loco *Seeburg*, haud longe a Sala fluvio, ubi Saxoniam a Turingia dirimit.

d Hic mendum in numero, qua de re in Appendice num. 2. Errandi occaſio ex alia Vita.

Digitized by Google

CIRCA AN. 786 7. Julii.

APPENDIX.

De ordinatione, pontificatu, ætate, ſcriptis, Reliquiis & Translationibus ſancti Willibaldi.

Vvillibaldi ordinatio quo anno.

1. VILLIBALDUM anno ætatis ſuæ quadrageſimo primo *a S. Bonifacio fuiſſe ordinatum, adſiſtentibus* Burchardo Wirzburgenſi & Wizone *Epiſcopis: ſuperius in utraque Vita legimus. De anno & loco hic inquirendum. Vvillibaldus ipſe in Vita S. Bonifacii a ſe deſcripta ordinationem ſuam cum Burchardi Vvirtziburgenſis Epiſcopi ordinatione componere videtur, uti & Francorum Annales Pithœani & Hermannus Contractus in Chronico: quod argumento eſt, unam ab altera brevi fuiſſe tempore ſejunctam. Et quidem Francici Annales Pithœani & Hermannus utriuſque ordinationem* anno 747. *conſignant: at Gretſerus in Commentario in Vitam S. Vvillibaldi lib. 1. cap. 12.* communis ait, traditio & perſuaſio habet, S. Vvillibaldum ad epiſcopalis honoris faſtigium exaltatum eſſe anno Salvatoris 745. tribus hebdomadibus ante natalem S. Martini, ut inquit Hodœporicon: (*ſic Vvillibaldi Itinerarium a Sanctimoniali exaratum appellant.*) Annos 36. Epiſcopatum tenuit, mortuus anno 781. *Verum quod ad S. Vvillibaldi ordinationem attinet, præferenda videtur epocha Synodi Germanicæ,* 11. Kalend. Maji, *anno 742. habitæ, cui Vvillibaldus jam Epiſcopus interfuiſſe memoratur. Proinde anno ſuperiori ipſius: ordinatio celebrata eſt in Turingiæ* loco, qui dicitur Sallpurg, (*quod cave ne idem eſſe putes cum urbe Saltzburgo, ut ſupra monuimus*) anno ætatis 41. autumnali tempore, tribus hebdomadibus ante natalem S. Martini, *id eſt 12. Kalend. Novemb. qui dies ſabbatum erat: tametſi ordinationes Epiſcoporum die dominico fieri ſolitæ ſunt. Auctor conſecrationis epiſcopalis* BONIFACIUS, *adjutores* BURCHARDUS *Vvirtziburgenſis Antiſtes, cujus Acta ſupra; &* WIZO, *fortean Erpesfurtenſis Epiſcopus: nam ſedes Erpesfurti a S. Bonifacio inſtituta in Turingia fuerat. Niſi forte quis putet legendum* WITTA, *qui Buriburgenſi Eccleſiæ in Haſſia tum præerat.*

Regiminis anni quot.

2. *Anno Villibaldinæ ordinationis conſtituto, ſtatuendi ſunt anni ipſius regiminis. Annos pontificatus 36. Vvillibaldo adſignat Gretſerus loco citato, nulla alia ductus ratione, niſi quod tot anni effluxerint ab anno 745. ad 781. quos duos regiminis S. Vvillibaldi terminos paſſim receptos probat. Annum ordinationis corrigendum eſſe mox oſtendi; annos regiminis augendos eſſe jam demonſtrandum.*

Donatio.

3. *Vvillibaldum ſuperfuiſſe anno 781. immo anno 785. patet ex lib. 2. Traditionum Fuldenſium, in quo legitur* Traditio Willibaldi Epiſcopi in terris & mancipiis, *Traditione 25. his verbis:* In nomine Domini N. J. C. Ego Willibald concedente gratia divinæ majeſtatis Epiſcopus, immo & catholicæ Chriſti vernaculus Eccleſiæ . . . in elimoſinam meam & remiſſionem peccatorum meorum trado ad Monaſterium S. Bonifacii, quod eſt conſtructum ſuper ripam amnis, qui dicitur Fuldanenſis, ubi religioſus & præclarus Paugolf Abbas cum magna Monachorum multitudine Deo ſervire cognitum eſt, poſt obitum meum; id eſt in ſupradicto loco novem trado colonias * (hoc ſunt hobunnæ) integras cum omnibus adjacentiis & finibus ſuis, *&c.* Actum in Monaſterio Fuldanenſi, anno 18. regnante Carolo glorioſiſſimo Rege Francorum & Longobardorum atque Patricio Romanorum, die 8. menſis Octobris: *qui annus reſpondet Chriſti anno 785. Sane* Willibaldus Eichſtatenſis Epiſcopus villam unam in pago Sualefeldenſi ſitam, Kucheſe nuncupatam, S. Bonifacio & Fratribus Fuldenſibus obtuliſſe *dicitur in lib. 3. Antiquitatum Fuldenſium cap. 2. quam villam hic deſignari ſimile veri eſt. Et ne quis ſuſpicetur mendum irrepſiſſe in notam Chronologicam, exſtat in eodem libro Traditio 37.* data anno Inc. Chriſti 783. & anno regni domini Caroli Regis Francorum 16. menſis Martii die 25. *ubi apponitur ſignum* Vvillibaldi Epiſcopi, qui hanc donationem Einhildæ Abbatiſſæ ſubſcripſit. *Ex his colligimus, Vvillibaldi obitum ante annum 786. non contigiſſe, ac proinde annos pontificatus minimum quadraginta quinque ei eſſe tribuendos.*

* id eſt manſos.

Ætas & mors.

4. *Sic igitur Vvillibaldi ætatem componimus. Anno 700. natus videtur S. Vvillibaldus. Anno (ut exiſtimo) 720. adoleſcens Romanum iter aggreſſus eſt cum patre, & natu minore fratre Vvunebaldo annorum novemdecem. Romæ fere biennium commoratus, poſtea loca ſancta luſtravit: quo in itinere annos ſeptem inſumpſit. Anno circa 728. in Italiam reverſus, adiit Monaſterium Caſinenſe nuper a Petronace reſtitutum, ubi per annos decem converſatus eſt. Anno 739. juſſu Gregorii Papæ III. in Germaniam accedens, anno inſequenti Presbyter ordinatus eſt* 11. Kalend. Auguſti, *poſtero anno Epiſcopus factus Eccleſiæ Eiſtetenſis. Synodo Germanicæ interfuit anno 742. tum anno 777. corpus fratris Vvunebaldi tranſtulit in locum decentiorem: poſt aliquot annos corpus S. Vvalpurgis ſepulturæ mandavit, ac demum ipſe vitam explevit non ante annum 786.*

Scripta.

5. *Scripſit Vvillibaldus Vitam S. Bonifacii Maguntini Pontificis: quam Lullo ipſius ſucceſſori & Megingozo Vvirtziburgenſi Epiſcopis nuncupavit, ut vidimus ſupra ad annum 754. ubi Chriſtophori Brovveri dubia hac de re propoſita expendi. Sunt qui Vvalpurgis Acta a S. Vvillibaldo litteris mandata adfirmant: quod vereor ut cum idoneo fundamento prolatum ſit.*

6. Va-

Digitized by Google

6. *Variæ leguntur S. Vvillibaldi Translationes Reliquiarum. Primam tentavit Reginoldus Eiſtetenſis Epiſcopus: de qua ſic Anonymus qui catalogum Epiſcoporum Eiſtetenſium ſub Gundakaro ſcripſit ſæculo* 11. Anno 186. depoſitionis S. Vvillibaldi, cum Chryſoſtomus noſter Reginoldus Epiſcopus Monaſterio magnificentius inſtructo, & pulcherrimo (ut noſti) carmine facto, corpus ejus de medio choro ubi uſque modo ſepulcrum ejus cernitur, in cryptam ubi jam nunc requieſcit, transferre cogitaret; facto triduano jejunio Archipresbyteri quibus juſſum fuerat, ſummo, ut decuit, timore & reverentia pretioſum corporis ejus theſaurum oſtenderunt, ſtante procul expanſis ad cœlum manibus Epiſcopo, neque quouſque omnia peragerentur accedere auſo. Sed veridica Patrum relatione percepi, omnes qui ſacratiſſimas ejus Reliquias inſpexere, annum integrum non impleviſſe. Quid autem ipſi Epiſcopo acciderit, non eſt dicendum per ſingula. CIRCA AN. 786 7. Julii. Translationes & Reliquiæ.

7. *Alias translationes quatuor deſcribit Philippus Epiſcopus Eiſtetenſis in Vita ipſius cap.* 38. Proceſſu temporis, ipſo canonizato auctoritate ſummi Pontificis Leonis VII. qui propter merita vitæ & evidentiam miraculorum quam de ipſo audierat necnon diligentiſſime examinaverat, & propter acclamationem populi totius patriæ ipſum catalogo Sanctorum laudabiliter inſeruerat; translatus eſt retro altare B. Viti quod fuit in eadem crypta, anno Domini nongenteſimo octogeſimo nono, *nimirum annis quinquaginta poſt Leonis VII. mortem*. Poſt hæc ob honorem & reverentiam ac ſancti corporis manifeſtationem venerabiliter ad medium Eccleſiæ eſt translatus. Deinde ſuper chorum beatæ Virginis collocatus eſt, ubi quandoque propter nimiam frequentiam populorum diverſarum linguarum ac nationum in ſummo altari oſtendebatur, quandoque vero ante altare recondebatur, interdum multitudine hominum ad limina beatiſſimi Confeſſoris adventantium tota civitas attonita cautiſſime ac diligentiſſime nec minus reverenter in armario prænominatæ Eccleſiæ cuſtoditus ſervabatur. Noviſſime vero Epiſcopus multa reverentia dignus, nomine HILDEBRANDUS, qui tunc temporis Eccleſiæ præerat, ex magna devotione necnon rationabiliter decrevit, ut ei baſilicam per ſe conſtrueret, (*chorum S. Vvillibaldi vocant*) in quo ſanctiſſimum corpus honorabiliter ſarcophagatum ſine mutatione loci permaneret. Quod & ita complevit, ſecundum quod ſtructura hodierna manifeſtat. Inſtituit etiam idem Epiſcopus necnon alii ſucceſſores ejus inibi quatuor Capellanos, Deo ac B. Vvillibaldo perpetuo ſerwituros: qui & Capellani præcipue B. Vvillibaldi omniumque ſucceſſorum ejus ſpecialiter nuncupantur. *Prima translatio ſeu* elevatio *anno* 989. *facta ſub Megingozo Epiſcopo, notatur in Kalendario Eiſtetenſi* 10. Kalend. Maji. *Alia* anno Domini 1256. *celebrata eſt* 4. Idus Junii *per* Heinricum dictum de Vvirtenberk *Eiſtetenſem*, & Sybotonem *Auguſtenſem Epiſcopos. Tertia per* Hiltbrandum *Eiſtetenſem itidem Pontificem* 3. Idus Octobris *circiter annum* 1270.

8. *Quod ſcribit Philippus de* Canonizatione *S. Vvillibaldi a Leone Papa VII. facta, ſubdubito an ſatis exploratum ſit. Si enim canonizatio hæc prædicto Pontifici tribuitur, tribuenda etiam ipſius auctoritati videtur elevatio corporis S. Vvillibaldi e primario tumulo, quæ tum temporis canonizationis ſollemnis loco erat.* Canonizatio.

SANCTI LULLI

AN. CHR. 787 16. Octobr.

ARCHIEPISCOPI MAGUNTINI

ELOGIUM HISTORICUM.

1. LULLUS *ſeu* Lulla, *quem alii* Lullonum, Lullonem*ve appellant*, *alias* IRTEL *in Monaſterio dictus, laudatores multos, nullum qui res ipſius geſtas litteris mandaverit antiquum ſcriptorem habuit, præter Anonymum, de quo mox agendum. Lullum celebrant Vvillelmus Malmesburienſis Monachus in libro* 1. *de Regibus Anglorum, & Joannes a Leidis in Chronici Belgici libro* 3. *cap.* 9. *quibus accedunt Breviarium Eccleſiæ Maguntinæ, & Serarius in hiſtoria Maguntina. Exſtat in mſ. codice Gemelacenſi* Vita S. Lulli, *cujus exemplum ad nos tranſmiſit noſter Simon Guillemotus Subprior Ghiſlenianus. At ſcriptio iſta non impolita, fere excurrit in communes locos, pauca Lulli facta commemorat, non ſine fabularum admiſſione. Satius proinde viſum eſt probatos conſulere Auctores, ut ex eorum dictis S. Lulli elogium conficiam, Anonymi fragmenta quædam relaturus.* Scriptores

Digitized by Google

AN. CHR. 787 16. Octob. Lulli patria & parentes.

2. LULLUS ex Anglorum gente moribus & vita laudabilis, *inquit Vvandalbertus Prumienſis Diaconus in lib. 2. de geſtis S. Goaris cap. 1. in Regno Saxonum occidentalium originem accepiſſe videtur. Parentum ignota nomina. S. Bonifacius Lullum ſuum ipſius* filiolum *appellat in epiſtola 92. qui Lullus Romæ* avunculum *habuit, forſan* THEOPHILACIAM *Eccleſiæ Romanæ Archidiaconum, de quo infra;* materteram CHUNIHILDEM, *quæ una cum filia* BERATHGIT *ipſoque Lullo & aliis in Germaniam acceſſiſſe fertur apud Othlonum in lib. 1. de Vita S. Bonifacii cap. 30. Et* HROTHUINUS *quidam ſe Lulli* cognatum *præfert in fine epiſtolæ 110. ex Bonifacianis, eidemque rurſus ſeſe commendat epiſtola 102. in qua Vvigbertus Presbyter Lullo ſcribens, ſe & ipſum Lullum ex ſaxonum gente ortos eſſe aperte declarat.*

Monaſtica profeſſio.

3. *Monaſticam vitam profeſſus eſt Lullus* in Maldubia civitate, Eaba Abbate: *ſic enim Monachus Anonymus ejuſdem Cœnobii ad ipſum jam Epiſcopum teſtatur in Bonifaciana epiſtola 88. his verbis:* Rogo te, o dilectiſſime Frater, ut non immemor ſis, ſed ſemper ſagaciſſima mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam noſtram, quam inter nos habuimus in Maldubia civitate, quando EABA Abbas in amabili charitate nutrivit: & hoc ſignum recordabor, quod pronomine vocavit te IRTEL. Idcirco ſalutat te Hereca Abbas in ſalutatione ſancta, & omnis congregatio quæ in ſua cœnobiali vita manet. *Maldubienſe Monaſterium haud aliud videtur quam Meldunesburgenſe ſeu Meldunenſe in diœceſi Schireburnenſi, vicinum Cœnobio Tettæ Abbatiſſæ, quæ Liobam ſeu Leobgitham cum aliis ad Bonifacium miſit: quo de Monaſterio Maldubienſi in Elogio S. Aldhelmi egimus ad annum 709. Anonymus Gemmelacenſis ſcribit, Lullum* in Monaſterium ſe contuliſſe, cum ſeptimum ætatis annum attigiſſet.

Pronomen Irtel.

Germanica profectio.

4. *Grandior factus, circiter annum 732. in Germaniam acceſſit rogatu S. Bonifacii, a quo humaniſſime exceptus eſt cum ſociis. Huc ſpectat epiſtola 5. inter* Bonifacianas, *quam Lullus, Denevvaldus & B. fortean Burchardus, ad Kanebadam Abbatiſſam e Germania direxerunt in hunc modum:* Dominæ dilectiſſimæ Chriſtique religioſiſſimæ Abbatiſſæ Kanebadæ, regalis proſapiæ generoſitate præditæ DENWALDUS, LUL & B. filii tui ac vernaculi, ſempiternæ ſoſpitatis ſalutem. Agnoſcere cupimus almitatis tuæ clementiam, quia te præ ceteris feminei ſexus in cordis cubiculo cingimus amore, quod poſt genitoris & genitricis & aliorum propinquorum noſtrorum obitum ad Germanicas gentes tranſivimus, & quod in venerandi Archiepiſcopi Bonifacii monaſticæ converſationis regula ſuſcepti, ipſiuſque laboris adjutores ſumus, in quantum naturæ pauperculæ vilitas prævalet. Nunc itaque ex intimis præcordiorum iliis ſuppliciter flagitamus, ut digneris nos habere in tuæ ſacræ congregationis communione: *& infra:* Similiter obſecramus, ut puerulos duos noſtros, Beiloe & Man, quos ego LUL & Pater noſter liberos dimiſimus, Romam deſtinantes avunculo noſtro commendavimus: pro mercede animæ tuæ, & ſi liberi arbitrii ſint, & illorum voluntas ſit; & in tua poteſtate ſint, nobis tranſmittere per harum litterarum gerulos ſtudeas: & ſi aliquis eos prohibere vellet iter pergendi ſine juſtitia deprecamur ut eos defendere digneris. *Ex hac epiſtola conjicimus, Lullum eo tempore quo ex Britannia diſceſſit, verſatum fuiſſe in Monaſterio Kanebadæ Abbatiſſæ, de qua nihil dicendum occurrit.*

Diaconus Dealuno ſcribit,

5. *Lullus* Diaconus *ſive in Britannia, ſive in Germania ordinatus, ſcripſit Bonifacianam epiſtolam* 4. Reverendiſſimo Fratri DEALUNO jamdudum Magiſtro, per Denevvaldum fratrem litterarum portitorem, *quibus ſuffragiorum communionem poſtulat, obſecratque* ut Aldhelmi Epiſcopi aliqua opuſcula, ſeu proſarum, ſeu metrorum, aut rhythmicorum, ad ſe dirigere dignetur ad conſolationem peregrinationis ſuæ, & ob memoriam ipſius beati Antiſtitis. *Eidem etiam* Diacono *epiſtolam* 39. *inſcribit.* INGALICE, indignus (*uti præfert*) Presbyter tuus, tamen per omnia devotus famulus, per Fratrem Aldredum portitorem: *actiſque ob munuſcula gratiis etiam ipſe eulogias ſuas gratanter accipi rogat.* Sed & interceſſorem, *inquit*, noſtrum apud Deum

ab Ingalice Presbytero accipit litteras.

vene-

Digitized by Google

venerabilem Bonifacium Præſulem omnis caterva Fratrum noſtrorum cum Abbaterio (*forte* cum Abbate noſtro) in Dei dilectione ſalutare deſiderat. *Eumdem* Archidiaconum *Bonifacio commendat* THEOPHILACIAS Archidiaconus ſanctæ Sedis apoſtolicæ, *ſeu Romanæ Eccleſiæ*, *epiſtola* 147. Itaque domine ac ſanctiſſime Pater, quæſumus veſtram adeo ambroſiam bonitatem, ut ſanctiſſimum nimiſque nobis dilectum Lullum, benedictum Archidiaconum veſtrum, cariſſimum atque dulciſſimum ſodalem & Fratrem noſtrum, omnibus modis fovere propter Deum & noſtræ puſillitatis amicitiam commendatum habere dignamini. *Hinc ſuſpicio injicitur*, *num Theolaphilacias fuerit avunculus ille Bonifacii Romæ degens*, *ſuperius num.* 4. *memoratus*.

AN.CHR. 787 16. Octob.

Bonifacio commendatur.

6. *Lullus Presbyter factus ad Zachariam Papam miſſus eſt a Bonifacio*: *cujus rei indices ſunt Bonifacii litteræ ordine* 141. *hoc exordio*: Paternæ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, ut hunc Presbyterum meum portitorem litterarum mearum nomine Lul, grato animo clementer ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea, quæ ſoli Pietati veſtræ profiteri debet: quædam viva voce vobis dicere, quædam per litteras notata oſtendere, *&c. Quo etiam ſpectat epiſt.* 145. *Bonifacio directa a* Benedicto Epiſcopo & Vicedomino ſanctæ ſedis apoſtolicæ *his verbis*: Præſens Lul, venerabilis Presbyter, paternæ Sanctitatis veſtræ Miſſus, honorandos tuos nobis attulit affatus, quorum textus continebat, multis te neceſſitatibus & turbinibus eſſe triſtatum per homines non timentes Deum & falſos Epiſcopos atque Presbyteros & fornicatores dominicos, *&c. Hæc Legatio contigit anno* 751. *ut patet ex reſponſione Zachariæ*, data Indict. 5. pridie Nonas Novemb. *quæ Indictio a die* 24. *Septembris incœpta erat*. *Lege Othloni librum* 2. *de vita S. Bonifacii*, *cap.* 13.

Presbyter ad Zachariam miſſus.

7 *Poſt annos tres a ſua legatione Lullus a Bonifacio Epiſcopus eſt ordinatus*: *ac paullo poſt adnitente* Fulrado Presbytero, *Pippino Rege annuente*, *Maguntiacenſi cathedræ impoſitus*. *Probat Bonifacii epiſtola* 92. cariſſimo conſacerdoti FULRADO Presbytero *miſſa*, *in qua hæc verba*: Almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, ut filiolum meum Lullum & Coepiſcopum, ſi Deus voluerit & ſi clementiæ veſtræ placeat, in hoc miniſterium populorum & Eccleſiarum componere & conſtituere faciatis prædicatorem & doctorem Presbyterorum & populorum: *& Othlonus in lib.* 2. *de vita S. Bonifacii cap.* 19. *ubi de ultima Bonifacii in Friſia expeditione agit*: Priuſquam tanti diſcriminis iter arriperet, ſciens non convenire, ut pro alienis ovibus ſalvandis laborans, proprias ſibique commiſſas oves perire permitteret; ſanctum Lullum qui fideliſſimus prædicationis & laboris ſui comes exſtitit, cujuſque probitatem omni dignitate condignam ſatis agnovit; cum conſenſu venerandi Regis Pippini, necnon Epiſcoporum & Abbatum atque Canonicorum, omniumque Procerum ad ſuam diœceſim pertinentium, pro ſe Epiſcopum elegit & ordinavit. Nam ab apoſtolico Præſule jam ante eumdem pro ſe ordinandum impetravit. *Exſtat hac de re epiſtola Zachariæ apud Othlonum in lib.* 2. *cap.* 9. *Othlono præivit S. Vvillibaldus in Vita ſancti Bonifacii*, *cap.* 10. *ubi Bonifacius Lullum* in Epiſcopatus gradum provexiſſe atque ordinaſſe *dicitur*. *Corrigenda proinde Bedæ Epitome continuata anno* 754. *ubi mortuo Bonifacio fertur* pro eo Redgerus conſecratus Archiepiſcopus a Stephano Papa: *qui quidem nec Lullo Pallium miſit*, *nec ordinationem epiſcopalem contulit*, *ſed Bonifacius ipſe anno* 754. *priuſquam in Friſiam ultimo proficiſceretur*. *Sane Lullum non accepiſſe Pallium a Stephano Papa probat epiſtola Hadriani Pontificis Romani Tilpino Remenſi Antiſtiti directa*, *a Frodoardo relata in lib.* 2. *Hiſtoriæ Remenſis cap.* 17. *in qua hæc verba*: Injungimus etiam Fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione Epiſcopi, nomine Lulli, ſanctæ Maguntinæ Eccleſiæ, ad nos quædam pervenerunt, adſumtis tecum Viomago & Poſſeſſore Epiſcopis, & miſſis glorioſi ac ſpiritualis filii Caroli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius atque converſationem & mores ac vitam inveſtiges: ut

Epiſcopus ordinatus.

Bonifacio ſuffectus.

Hadriano P. ſuſpectus.

AN.CHR. 787 16. Octob.

ſi aptus fuerit & dignus ad epiſcopalem cathedram gubernandam, expoſitam & conſcriptam & manu ſua propria ſubſcriptam catholicam & orthodoxam Fidem per Miſſos ſuos cum litteris ac teſtimonio tuo, ſeu aliorum Epiſcoporum quos tecum eſſe mandavimus, ad nos dirigat, ut Pallium illi ſecundum conſuetudinem tranſmittamus, *&c. Ubi mirari ſubit, quid cauſæ fuerit, cur Hadrianus examinari voluerit Lulli ordinationem ante annos decem peractam: an quia vivente Bonifacio fuerat ordinatus? & tamen Zacharias id ratum habuerat, ut patet ex ipſius epiſtola ab Othlono relata in lib.* 2. *cap.* 9. *quamquam ante deſignari quidem permiſerat ſucceſſorem, ſed juſſerat ut poſt Bonifacii mortem veniret ordinandus, ex cap.* 2.

Bonifacii mortem prædicit,

8. *Bonifacius* ſequentem obitus ſui diem prædicto Epiſcopo Lullo prænuntiavit, *inquit S. Willibaldus*, & quali mundum fine demum relinqueret inſinuavit, eique per ordinem de Eccleſiarum ſtructura & populi doctrina propoſuit. *Sed & alia inter monita juſſit, ut Fuldenſis baſilicæ conditionem perficeret, eoque corpus ſuum deferri curaret. Ita enim addit poſt pauca Vvillibaldus*. Sed tu, Fili mi cariſſime, ſtructuram in Turingia a me cœptam, Eccleſiam ad perfectionis terminum deduc, tu populum ab erroris invio inſtantiſſime revoca, tuque ædificationem baſilicæ jam inchoatæ ad Fuldam comple, ibidemque meum multis annorum curriculis corpus inveteratum perduc; *& rurſus*: Fili, tuo cuncta prudentiſſime provide conſilio, quæ in hoc noſtro ſint uſui itinere copulanda: ſed & linteum quo meum decrepitum corpus involvatur, in enthecam librorum meorum repone. *Quibus juſſis obtemperans Lullus, Magiſtri ſui martyrio affecti corpus Trajecto Magontiam deferri mandavit. Quo in negotio illud accidit, ut Lullus*, qui regali illo tempore præſens erat palatio, adventus ſancti corporis inſcius, ad civitatem Magontiam veluti ſub uno eodemque horæ momento perveniret. *Dein vero poſt aliquas civium Maguntinorum de ſacro corpore altercationes*, cum Preſbyteris & Diaconibus omnique gradu eccleſiaſtico, ad eum quem vivens prædeſtinaverat locum perduxerunt, & novo in Eccleſia confecto ſarcophago ex more ſepelientes poſuerunt.

ejuſque monita accipit.

Corpus Fuldam transferri curat.

Varias de morte S. Bonifacii accipit epiſtolas.

9. *Diffuſo de S. Bonifacii nece rumore, varias potiſſimum ex Britannia epiſtolas Lullus accepit. In primis* Cuthberhctus *Cantuarienſis Archiepiſcopus cum aliis Conſacerdotibus Chriſti & Presbyteris ſeu Abbatibus ſcripſit Lullo conſolatorias litteras, eumque certum fecit de conſtitutione a ſeipſis facta in generali Synodo ut* dies natalitius S. Bonifacii illiuſque cohortis cum eo martyrizantis annua frequentatione ſollemniter celebraretur: *ſimulque monuit, ut* ſacris ejus admonitionibus conſentire, & pietatis illius exempla pro viribus ſequi *ſtuderent: quæ epiſtola inter Bonifacianas eſt* 70 *ſcripta ante annum* 758. *quo Cuthbertus Bregovvino ſucceſſori, Lulli æque amiciſſimo (ut poſtea videbimus) cathedram morte reſignavit. Eodem ſpectat epiſtola* 78. *quam* Lullo Epiſcopo *direxit Mildredus Antiſtes, cujus obitus anno* 772. *conſignatur in Epitome Saxonica. Sic incipit epiſtola:* Poſtquam a tua præſentia & a conſpectu corporali ſanctiſſimi Præſulis & beatiſſimi Patris Bonifacii nolens volens triſtis abſcedebam, & per varios caſus & multa diſcrimina rerum veſtris almis orationibus ad terram noſtræ pervenimus nativitatis; ibi necdum expleto anni circulo nuntium ad nos perlatum eſt triſte, beatiſſimum Patrem de ergaſtulo carnis ad ſuperna migraſſe. *In ſumma poſtulat, ut* fraternam dilectionem *inter ſeſe a Bonifacio* conciliatam, non tranſitoria, ſed fixa recordatione recondat in corde *Lullus. Ex quibus apparet, Milredum Bonifacii diſcipulum, & in Germania ſocium fuiſſe. Etiam Lulli gratiam & ſuffragiorum communionem ambiit* CYNEHEARDUS Epiſcopus Ventanæ civitatis *ſcriptis epiſtolis* 74. *&* 86. *necnon* EARDULFUS Roſenſis Eccleſiæ Antiſtes cum ſanctæ Eccleſiæ filio EARDWLFO Rege Cantiæ *epiſtola* 77. *ut videas quo in pretio Lullus ſit habitus, cujus amicitiam & gratiam tantopere ipſi etiam Reges concupierint. Certe* ALHREDUS Rex *Northanhumbrorum*, & OSGEOFU Regina, Lullo venerabili Epiſcopo ſibi perpetuali ami-

Regibus venerabilis.

Digitized by Google

amicitia copulato tranſmiſerunt *epiſtolam* 90. *in qua promiſſione facta mutuæ ſuffragiorum viciſſitudinis hæc addunt*: Noſtris quoque, dilectiſſime Frater, legationibus ad dominum veſtrum glorioſiſſimum Regem CARL obſecramus conſulendo ſubvenias, ut pax & amicitia quæ omnibus conveniunt, facias ſtabiliter inter nos confirmari. *Denique* beatiſſimo & ſpeciali amore venerando Lullo Epiſcopo *ſcripſit etiam* CYNEWL Rex occidentalium Saxonum una cum Epiſcopis ſuis & caterva Satraparum *his verbis*: Tibi teſtificamur, quod juxta modum noſtræ poſſibilitatis, quidquid tua ſanctitas deſideraverit ſive juſſerit, libenter agere parati ſumus, ut cum reverendiſſimo & ſanctiſſimo viro Dei prædeceſſore tuo Bonifacio pepigimus. *Quæ ſane litterarum & officiorum frequentia maxime Lulli auctoritatem & famam commendat teſtaturque*. AN. CHR. 787 17. Octobr.

10. *Supremis honoribus Bonifacio perſolutis pius ſucceſſor Lullus, Patris ac deceſſoris ſui geſta per S. Willibaldum Eiſtentenſem Epiſcopum litteris mandari curavit: id quod Vuillibaldus præſtitit, & ſcriptionem ſuam* Lullo & Megingozo Coepiſcopis *dedicavit*. Vitam S. Bonifacii ſcribi curat.

11. *Paullo poſt S. Bonifacii mortem* PIPPINUS gratia Dei Rex Francorum, vir inluſter, domino ſancto Patri Lullo Epiſcopo *miſit epiſtolam* 96. *inter Bonifacianas, in hunc modum*: Cognitum ſcimus Sanctitati veſtræ, qualem pietatem & miſericordiam Deus fecit præſenti anno in terra iſta. Dedit tribulationem pro delictis noſtris: poſt tribulationem autem, magnam atque mirabilem conſolationem ſive abundantiam fructus terræ quam modo habemus. Et ob hoc atque pro aliis cauſis noſtris opus eſt nobis illi gratias agere, quia dignatus eſt ſervos ſuos conſolari per ejus miſericordiam. Sic nobis videtur, ut abſque indicto jejunio unuſquiſque Epiſcopus in ſua parochia Litanias faciat, *&c. Exſtat in ſimilem cauſam ipſius Lulli epiſtola* 62. *directa* cariſſimis filiis Deneardo, Eanbertho, Vinberto, Sigeherio & Sigevvaldo, *ut* rogent omnes ubique Deo ſervientes tam ſervos Dei quam ancillas Chriſti in provincia Turingorum univerſamque plebem, ut in communi miſericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluviarum flagello liberentur: id eſt ut unam hebdomadam abſtineant ſe ab omni carne & ab omni potu in quo mel ſit: ſecunda feria, quarta feria & ſexta feria jejunent uſque ad veſperum; & unuſquiſque Servorum Dei & Sanctimonialium quinquaginta Pſalmos cantet, *id eſt recitet*, omni die in illa ſeptimana; & illas Miſſas quæ pro tempeſtatibus fieri ſolent, celebrare Preſbyteri recordentur: *mox ſubdit*: Miſimus vobis nomina (*nomen*) domini Romani Epiſcopi, pro quo unuſquiſque veſtrum triginta Miſſas cantet & illos Pſalmos, & jejunium juxta conſtitutionem noſtram. *Quod de morte Pauli aut Stephani tertii intelligendum eſt*. Litanias celebrat petente Pippino, abſtinentiam & jejunia.

12. *Lulli auctoritatem apud Carolum Magnum teſtatam reddunt litteræ Albredi Regis ſuperius citatæ num.* 9. *quibus una cum Oſgeofu Regina petit, ut Lullus* pacem *inter ſe &* Carolum *Regem* confirmare *ſatagat*. *Quænam fuerit illa diſſenſio, non facile definierim. Eo ſpectat epiſtola* 103. *quam* BREGOWINUS *Cantuariorum Antiſtes ſcripſit Lullo Epiſcopo, cujus exordium*: Dies multi elapſi ſunt, ex quo ſollicitus peroptabam, ut Deo favente tandem aliquando proſperum iter legatarii noſtri perveniendi ad Beatitudinem veſtram invenire potuiſſent: quia per hos ſcilicet proxime decurrentes priores annos plurimæ ac diverſæ inquietudines apud nos in Britanniæ vel in Galliæ partibus audiebantur exſiſtere... Nunc vero pace ac tuitione nobis a Principibus indubitanter promiſſa, miſimus ad veſtram venerabilem fraternitatem hunc præſentem fratrem iſtarum præſentium litterarum bajulum Hildeberchtum nomine, reminiſcens videlicet, qualiter inter nos in civitate Romana de amicitiæ conventione colloquium habuimus, *&c. Interceſſit Offam inter Merciorum Regem & Carolum nonnihil diſſenſionis; tum etiam inter Carolum ipſum & gentem Merciorum, ob necem ejuſdem Offæ, ut patet ex Alcuini epiſtolis & Vuillelmi Monachi Malmesburienſis hiſtoria de Regibus Anglorum lib.* 1. *capp.* 3. *&* 4. *At iſta ſerius contigerunt*. Angliæ pacem componit apud Carolum Magnum.

Digitized by Google

AN.CHR. 787 16. Octobr.

Librorum & litterarum ſtudioſus.

13. *Rei litterariæ addictiſſimum fuiſſe Lullum, intelligimus ex Bonifacianis epiſtolis. Is quippe epiſtola* 95. *poſtulat a Cudbertho Vviremuthenſi Abbate* librum quem clariſſimus Eccleſiæ Dei magiſter Beda de ædificio Templi compoſuit : *item epiſtola* 3. *ejuſdem Auctoris* libros de ædificatione Templi, vel in Cantica canticorum, ſive Epigrammatum heroico metro ſive elegiaco compoſitorum ſi fieri poteſt omnes ; ſin autem de ædificatione Templi libros tres. *Et a* Cœna Epiſcopo, *ad quem epiſtola* 109. quemlibet horum librorum, quos beatæ memoriæ Presbyter expoſuit, id eſt in primam partem Samuelis uſque ad mortem Saulis libros quatuor; ſive in Eſdram & Nehemiam libros tres; vel in Evangelium Marci libros quatuor. *Qui Cœna epiſtola* 99. *hæc ad Lullum reſcribit* : Illud vero quod de libris inquiſiſti marinis æſtibus terram advectantibus, omnino incognitum eſt. Ceterum libri Coſmographicorum necdum nobis ad manum venerunt, nec alia apud nos exemplaria niſi picturis & litteris permoleſta. *Gratias Lullo agit Cudberchtus epiſtola* 89. ob munuſcula *ſibi ab ipſo tranſmiſſa, maxime* ob holoſericam ad Reliquias beatæ memoriæ Bedæ, ob recordationem & illius venerationem deſtinatam.

In dubiis conſulitur.

14. *Nec ea tantum probant Lulli doctrinam & litterarum ſtudium ; ſed maxime quæſtiones ipſi propoſitæ : cui rei argumento ſunt Megingozi ſeu Magingaoz Vvirtziburgenſis Antiſtitis epiſtolæ tres, quæ inter Bonifacianas ſunt* 80. 87. *&* 94. *In prima conſulitur de electione Abbatiſſæ; in ſecunda de variis Patrum ſententiis circa vinculum matrimonii; in tertia de voto monaſticæ vitæ a quodam homine ſæculari incaute facto.*

Zelo præditus,

15. *Nec ſcientiæ defuit zelus. Gregorio Trajectenſi Abbati, viro pio ac ſancto, egregia nihilo minus dat monita epiſtola* 45. *inter alia ita ſcribens.* Quamvis hoc iniſſe te negotium liquido noverim occaſione lucrandarum animarum, & pro ſtudio multiplicius ſerviendi Deo; tamen memento quia mollem manum durus capulus exaſperat, *&c. Eumdem zelum manifeſtant epiſtolæ* 47. ad OSWITHAM Abbatiſſam, *&* 100. ad Stephanum Papam III. *Sic vero Oſvvitham increpat.* Apoſtolicum præceptum eſt, OSWITHA, ut gregem Domini ſollicite ſervando paſcamus, ne abſque ovili repertus, luporum morſibus pereat. Hoc quidem te egiſſe & acturam eſſe confidens, quæ a ſanctiſſimo viro Bonifacio Martyre Chriſti ejuſque diſcipulis regularis vitæ diſciplinam ſuſcepiſti, putabam juxta modulum intelligentiæ tuæ. Sed (quod triſtis ac mœrens dicere cogor) longe aliter feciſſe comprobaris, quæ neglectis animabus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, de quarum vita redditurus es rationem in die judicii ante tribunal Chriſti, dum ſacro palliatas feminas N. & N. contra ſtatuta canonum & ſanctæ Regulæ diſciplinam, ſine licentia & conſilio meo, ad injuriam Dei ejuſque matris B. Mariæ ſemper Virginis, cui famulatum exhibere debuerunt; in laqueum diaboli, propter arrogantiam ac voluptatem laicorum explendam, ad perditionem animarum ſuarum, liberas ire permiſeris in longinquam regionem . . Pro hujuſmodi ſtultitia excommunicatam te eſſe ſcias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum conſentiendo perpetraverunt, uſquedum digna ſatiſfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas & inobedientes ſupradictas feminas intra Cellam veſtram non recipiatis : ſed foras Monaſterium excommunicatæ ab Eccleſia Chriſti ſedeant, pœnitentiam agentes dum venerint in pane & aqua; & vos ſimiliter abſtinendo ab omni carne & omni potu qui melle indulcoratur. *Et in epiſtola ad Stephanum Papam juſtitiam requirit in quemdam Presbyterum, nomine* Enradum, *qui* in alia ordinatus parochia, *in Maguntina* parochia conſtitutus, non conſentiente Bonifacio, neque ipſo Lullo, *ipſius* ſpernebat magiſterium.

in Monachas vagantes,

in Presbyterum rebellem.

Quædam ipſius geſta.

16. *Plures aliæ exſtant ad Lullum epiſtolæ Bonifacianæ, nimirum* 79. 83. 84. 104. *& ſi quæ aliæ, quibus non immoramur. Interfuit inſtitutioni S. Vvillehadi Bremenſis Epiſcopi, &, ſi recentiori Auctori credimus, Concilio Gentiliacenſi, in quo de Spiritus-ſancti proceſſione quæſtio agitata eſt, anno ſcilicet* 767.

17. *Non*

Digitized by Google

17. *Non omittendum id quod Vvandalbertus Prumienſis Diaconus de S. Goaris translatione a Lullo facta commemorat in lib. 2. de geſtis S. Goaris cap. 1.* Perfecta Baſilica, ubi jam tempus quo divino Numini eſſet conſecranda ſucceſſit, miſſi ſunt ab excellentiſſimo Principe Carolo LUL Magontiaci Archiepiſcopus, vir ex Anglorum gente moribus & vita laudabilis; Baſinus Nemeti, quæ civitas nunc Spira vocatur; & Mehingodus urbis quæ trans Rhenum ſita, ſermone barbaro Vvirziburc appellatur. *Reperto poſt triduanum jejunium corpore & immoto reddito*, Archiepiſcopus a Deo, ut poſt claruit, inſpiratus alloquitur plebem, B. Goarem quoad vixerit, inanem gloriam mundi plauſuſque hominum & favores, ut rem fragilem & caducam, amore bonorum perennium contemſiſſe: ea ipſa nihilominus eum poſt obitum quoque contemnere. Proinde oportere corpus ejus ſimpliciter & cum humili devotione levatum ab ipſa Eccleſia in novam domum per illud quod intererat ſpatii reportari, neque ad vulgi favorem longius, ut ſtatuerant, circumduci. Ut Pontifex verba finierat, & motum continuo feretrum tanta facilitate levatum eſt, ac ſi oneris aliquid habuiſſet numquam. *Conceſſit etiam Albuino Buriburgenſi Epiſcopo, ut S. Vvigberti Abbatis Reliquiæ in Monaſterium Hersfeldenſe transferrentur, ut in Actis S. Vvigberti vidimus anno 747. Et oſſa S. Ferrutii Martyris Fuldam tranſtuliſſe dicitur in Hrabani inſcriptione* 103.

AN. CHR. 787

16 Octobr. S. Goaris corpus levat.

S. Vvigberti Reliquias dat Hersfeldenſibus.

18. *Variis morbis afflictatus vir ſanctus, Cœnæ Epiſcopo ſcripſit epiſtolam* 109. *cujus hæc verba*: Aſſiduis corporis ægritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac ærumnoſa & periculis pleniſſima vita exire, redditurus pio & diſtricto Judici rationem. *Tandem poſt regiminis annos triginta duos morte correptus eſt 17. Kalend. Novemb. anno Chriſti 787. tametſi annum præcedentem ſignant Annales Fuldenſes, Annales vetuſtiſſimi Francorum ab anno 769. ad 806. apud Cheſniam tomo 2. Lambertus Schafnaburgenſis & Hermannus Monachus, quibus ſubſcriberem, niſi contra perſuaderet S. Vvillebadi promotio in ſedem Bremenſem, cui promotioni* Lullo Epiſcopus *ſubſcripſiſſe invenitur. Certe Lulli obitum anno 787. reponunt Marianus Scotus & Catalogus Bruſchianus, iiſque conſentit Serarius. Mortuus eſt S. Lullus in Monaſterio Hersfeldenſi, ubi etiam ſepulturæ locum habuit. Lulli obitum* Kalendis Novembris *reponit Joannes Gerbrandus in Chronici Belgici libro 3. cap. 9. at præferenda eſt auctoritas Eccleſiæ Magontiacenſis, eum celebrantis* 17. Kal. Novembris, *cui Anonymus Gemmelacenſis conſentit. Is refert Lullum, mortis ſuæ præſcium, antequam ad Monaſterium Hersfeldenſe adiret, arceſſiſſe* eximiæ (ut creditur) ſanctitatis virum, nomine ALBERWINUM, epiſcopalis officii negotia poſtobire ſolitum, quem appellatione vulgata Coepiſcopum vocant, *eique mandaſſe ut Miſſarum ſollemnia celebraret: quo facto ipſe Albevvinus repente ſpiritum exhalaverit. Lullum vero defuncti* corpus navi impoſuiſſe, & per Rhenum amne ſecundo devectum, in loco qui dicitur Hoſtodi exponi juſſiſſe, *indeque* in Herveldenſe Monaſterium *tranſtuliſſe*. At ſanctus Lullus, *ſubdit Anonymus*, cum ordinationis ſuæ ageret annum trigeſimum ſecundum, ſeptimo-decimo Kalendas Novembris honeſtiſſima morte perfunctus naturæ conceſſit. *Albevvinus hic laudatus, eſt Albuinus Buriburgenſis Epiſcopus, de quo in Actis ſancti Vvigberti Abbatis actum eſt.*

Morbo periculoſo decumbens, Cœnæ ſcribit.

Moritur.

19. Anno 852. *ſcribit idem Lambertus*, Translatio Lulli in Cœna Domini, *quod de corporis e terra levatione intelligendum*. Miraculum *ex Anonymo noſtro refert Serarius*, quod tum perpetratum eſt, cum poſt ſexageſimum (*adde* ſextum) annum corpus ejus e terra levaretur. Saxum immane tumulo ejus impoſitum cum amoveretur, forte manus fugit volutantium illud, & Fratris cujuſdam prope adſtantis ita pedem contrivit, ut oſſibus pariter cum carne comminutis, forma etiam pedis amiſſa, fœdum ac miſerabile ſpectaculum præberet circumſtantibus. Sed cito beatus Lullus mœrentium Fratrum pectora expedivit. Nocte enim proxima cum languidum ſopor oppreſſiſſet, ita repente omnibus ſuis membris vigor rediit, ut hymnis quoque matutinalibus intereſſet, nulla tantæ calamitatis ne cicatrice quidem ſuperſtite. *Item* anno 1040. *teſte Lamberto*, dedicata eſt crypta Herveldenſis, at-

Translatio & Reliquiæ.

Digitized by Google

AN.CHR. 787 que in eam translatæ ſunt Reliquiæ ſanctorum Confeſſorum Wigberti & Lulli.

16. Octobr. Lulli elogia.

20. *Lullum celebrat Hrabanus Maurus Epigrammate* 103. pro ſepulcro Sancti Ferrutii Martyris, *his verſibus.*

Martyris ergo ſacri dudum huc tranſtulit oſſa
Ferrutii Lullus Præſul, & orbis honor.

Ejuſdem miracula, ſanctitatem & cultum prædicat Anonymus, cujus hæc verba: Quantis apud Deum emineat meritis, etiamſi vitæ clariſſimæ ac inſigniter actæ memoria obſoleviſſet, indicio tamen eſſent tot & tanta miracula, quibus, licet carne mortuus, vivit tamen apud ſuperſtites carne quondam viventi multo (ut ita dixerim) vivacius. Vivens enim paucorum, mortuus cunctorum pene aures ac mentes occupavit. Nos enim ei jam vota facimus, jam divinos propter Deum honores deferimus, jam ſollemnes ferias inſtituimus. *Et Vvillelmus Malmesburiæ Monachus in lib.* 1. *de Regibus Anglorum cap.*4. Bonifacio ſuccedit Lullus, & ipſe natione Anglus, de cujus ſanctitate B. Goarus loquitur, *ob translationem corporis S. Goaris ab ipſo factam, ſupra num.* 17. & hi verſus quos jam inde a pueritia memini me audiſſe; proteſtantur.

Antiſtes Lullus, quo non eſt ſanctior ullus,
Pollens divina, tribuente Deo, medicina,
Occurrit morbis, ut totus prædicat orbis.

Eu necdum Epiſcopum commendaverat Bonifacius epiſtola 92. *ad Fulradum his verbis*: Spero ſi Deus voluerit, quod in illo habeant Presbyteri magiſtrum, Monachi regularem doctorem, & populi Chriſtiani fidelem prædicatorem & paſtorem.

Lullus a S. Liudgero notatus,

21. *Et tamen a S. Liudgero Lullus accuſatur invidentiæ in beatum Sturmium Fuldenſem Abbatem, cujus expulſio auctori Lullo tribuitur.* Sturmi, *inquit Liudgerus*, amabilis omnibus.·. Lullo tantum fama ejus bona diſplicuit, & ſemper propter invidiam adverſus eum faciebat. *Exorta inter ſeſe diſcordia Fratres* in Lulli Epiſcopi ſuffragium confiſi perrexerunt ad Regem, & beatum virum apud illum accuſabant, crimen neſcio quod de inimicitia Regis objicientes ei. *Sturmio in exſilium miſſo*, tunc rumor eximius omnium aures & ora pariter compleverat, quod beatus Sturmi Abbas a Cœnobio Fulda eſſet per conſilium Lulli Epiſcopi ablatus. Omnes pariter graviter hoc ferebant.·. Lullus interim obtinuit apud Regem, munera injuſta tribuendo, ut Monaſterium Fulda in ſuum dominium donaretur, *&c. Equidem litem de juriſdictione Monaſterii Fuldenſis Lullum inter & Sturmium interceſſiſſe, nec contentioni bilem defuiſſe, ut ſit in ſimilibus cauſis, pronum eſt credere. Et dum Sturmius jura Monaſterii ſui a Romanis Pontificibus conceſſa, Regum auctoritate munita ſtrenue propugnat; exorta inter ſe ſuoſque diſſenſione, pars Lullo Metropolitano blandiri, crimina Sturmio adfingere: quæ ille dum nimis credulus (quod vitium in homines commotos facile cadit) ad Regem defert, invidiæ notam apud Sturmii amicos & laudatores retulit: & forſitan ob hanc cauſam male audiit apud Hadrianum Papam, ex dictis.*

ab Anonymo excuſatus.

22. *Verum longe aliter de hoc facto ſenſit anonymus vitæ Lullanæ Scriptor, qui expoſita translatione corporis S. Bonifacii in Fuldenſe Monaſterium, hæc ſubdit*: His rebus bene ex ſententia geſtis, Archiepiſcopus omnem operam ſuam in locum ipſum intendit. Verum ea longe aliter, quam ipſe ſpe conceperat, ceſſere. Nam Sturmio quidam nomine tunc præerat Monaſterio, vir excellentis ingenii ac prædicandæ ſanctitatis, ſed vehementis nimium ac ferocis naturæ. Is animum Fratrum ſollicitabat, commonens hanc Pontificis Lulli circa ſe gratiam alioſum ſpectare, quam ipſi opinarentur. His atque hujuſmodi ſermonibus a beato Lullo animos Fratrum alienavit, & nihil ſuſpicanti non mediocrem invidiam conflavit. Præterea non mediocri tædio jam viri Dei afficiebatur animus, cum videret tot tantoſque labores ſuos incaſſum effluere, beneficiis invidiam non exſtingui; extremæ vero dementiæ eſſe, huic loco tantas rerum impenſas ſine fructu inſumere, quibus alio in loco perenne de-

AN.CHR. 787. 16. Octobr.

devotionis ſuæ monumentum poſſit exſtruere. Locus autem erat in ſilva Buchoniæ, cui *Herollofelt* nomen indidit poſteritas, habitationi Monachorum peropportunus. In hoc Abbas Sturmio, tempore quo primo ad ſolitariam ſilveſtremque vitam cum fervore ſpiritus præcipitem agebat, conſederat, ac erutis arbuſtis parvas ſibi Fratribuſque cellulas opere impolito conſtruxerat, novemque annos jam ibi evolverat. Sed beatum Bonifacium, licet amœnus loci ſitus alliceret & aquæ opportunitas, offendit tamen latus contiguum Saxonibus, qui adhuc paganis ritibus tenebantur, & plerumque in chriſtiana loca cædes hominum & depopulationes agrorum non modicas dabant. Ut igitur hanc incommoditatem evaderent, altius in Bochoniam tendentem locum, quo nunc Fuldenſe Monaſterium conſpicitur, occupaverunt. Locus autem Herveldenſis tradente beato Bonifacio in proprium ceſſit ſancto Lullo, qui jam tunc forſitan conſtruendi illic Monaſterii deſiderium animo conceperat. In hunc ergo locum omnes copias ſuas dedit, ac opere egit ſucciſis profuſius arbuſtis, ut amplioris Monaſterii Fratribus laxans ſpatium, ipſumque cultoribus ædificiis exſtruere aggreſſus ſit, brevique tempore Herveldenſe nomen in immenſum gloriæ ac magnitudinis culmen evaſit. Cum autem beatus Lullus ab exordio jacti fundamenti Eccleſiam Monaſterii beatis Apoſtolis Simoni & Thadæo attitulaſſet, angelica in ſomnis voce eſt admonitus, ut corpus beati WICBERTI eo transferret. *Hæc Anonymus Gemmelacenſis, quem Sigebertum ejus loci Monachum eſſe ſuſpicor. De translatione S. Vvigberti corporis in Herſfeldenſe Monaſterium, lege Acta S. Vvigberti ad annum* 747.

Herſfeldenſe Monaſterium amplificat.

Fuldenſibus reconciliatus.

23. *Ex dictis apparet non omnino conſtare, quænam fuerat cauſa ſimultatis inter Lullum & Sturmium. Quidquid id eſt, Lullum cum Fuldenſibus tandem in gratiam rediiſſe probat ipſius donatio facta Monachis ejus loci in hæc verba:* Regnante domino Carolo Francorum & Longobardorum Rege ac Patricio Romanorum, die 25. menſis Septembris, die dominica, cum idem glorioſiſſimus Rex Carolus curiam haberet apud nos; ego Lullus, Dei gratia Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, tradidi domino meo ſancto Bonifacio Archiepiſcopo & Martyri coemtionem prædiorum, quam emi in villa Fargalaha, quæ ſita eſt in pago Turingiæ, ſuper fluvium *unſtruth* nuncupatum, ea conditione, ut pars mea ſit cum domino & patre meo ſancto Bonifacio Martyre & Archipontifice in regno Dei, & ut Fratres Fuldenſes mei perpetuo ſint memores, *&c. in lib.* 8. *Antiq. Fuld. cap.* 11.

Compendium ex alia Vita.

24. *Poſt conditam a me ſuperiorem de Lullo narrationem, accepi e mſ. codice Cartuſiæ Colonienſis compendioſam Vitam Sancti Lulli, a noſtro Vvilbelmo Vvlffratbo Priore Monaſterii ſancti Pantaleonis tranſmiſſam, quæ recentioris videtur Auctoris. In ea Lullus* apud Anglo Saxones natus *dicitur*, & conſanguinitatis linea attigiſſe *Bonifacium, qui adjutores evangelicæ prædicationis e Britannia arceſſivit, &* nonnullas *etiam* feminas *pias* ad inſtruendam in Galliis caſtitatis & pudicitiæ ſcholam: in quibus erat matertera beati Lulli, VIRILIS nomine, cum filia virgine, quæ in Turingia Monaſteriis feminarum præfuerunt. *Si* Virilis *nomen corruptum non eſt, binominis fuit Chunibildis; ſic enim vocabatur Lulli matertera, ex dictis, cujus filia Berathgit. Addit Anonymus iſte:* Poſtquam celebris per Britanniam rumor percrebuit de fideliter geſtis B. Bonifacii, ſancto Lullo adhuc in Monaſterio conſtituto, cum Diaconus eſſet ordinatus, incidit in mentem, ut viro Dei tam ſancta occupatione perfuncto opem ferret. Licentia igitur petita a Patre Monaſterii, per multos maris terræque labores ad S. Bonifacium pervenit. *Denique poſt multa*, trigeſimo ſecundo ordinationis ſuæ anno, 17. Kal. Novembris *migraviſſe ad Dominum perbibetur in Cœnobio Herſfeldenſi, ubi* quaſi infinita miracula *præſtat*.

VI.

Digitized by Google

AN. CHR. 789 8. Nov.

VITA SANCTI WILLEHADI

EPISCOPI BREMENSIS PRIMI,

Auctore S. ANSCHARIO Bremenſi Archiepiſcopo ſæculo 9.

Ex mſ. cod. Corbejæ novæ in Saxonia, & Philippo Cæſare.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Anſcharius Vitæ Scriptor.

1. SANCTI WILLEHADI Vitæ actuumque inſignem librum ſucceſſor ejus quartus fideli ſtilo exaravit ANSGARIUS, *inquit Adamus Bremenſis in Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. 1. cap. 10. id eſt* Vitam ejus & miracula ſingulis libris comprehendit, *uti idem Auctor cap. 30. docet. Fuit S.* Anſgarius, *ſeu* Anſcharius, *ex Corbejæ Gallicæ Monacho Bremenſis Archiepiſcopus primus, cujus Acta Sæculo proximo referemus ad annum 865. quo ipſe deceſſit. Hanc ſanctiſſimi viri lucubrationem cum editam non reperiſſem, ſcriptis hac de re in Saxoniam litteris, tandem e Bibliotheca percelebris Corbejæ novæ accepi deſcriptam beneficio reverendiſſimi Patris Mauri Abbatis Monaſterii Ipurgenſis apud Oſnaburgum, qui eam ab erudito viro Adolfo Overhamo, Corbejæ Saxonicæ Bibliothecario, nobis obtinuit. Verum poſtea reſcivi hanc Vitam una cum Actis S. Anſcharii & Remberti Pontificum Bremenſium Coloniæ editam fuiſſe anno 1642. opera Philippi Cæſaris: eamque rogatu meo tranſmiſit & liberaliter conceſſit noſter Vuilhelmus Vulfrathus Prior Cœnobii S. Pantaleonis in civitate Colonienſi. Porro ex edito libro excepi Prologum & miraculorum ultimum caput, quæ in apographo Corbejenſi deſiderantur. Anſcharii auctoris nomen in codicibus cum editis, tum mſſ. initio Vitæ non præmittitur: ſed tantum in Prologo miraculorum.*

Vuillehadus an Monachus.

2. *Quale vitæ inſtitutum Vuillehadus ante diſceſſum e patria profeſſus ſit, diſertis verbis non exprimunt Anſcharius, nec Adamus Bremenſis Canonicus, qui in hiſtoriæ eccleſ. lib. 1. S. Vuillehadi honorifice meminit. At Monachum fuiſſe Vuillehadum ſatis innuit Anſcharius in Vitæ cap. 1. dum eum* ab infantia ſacris eruditum litteris ac ſpiritalibus inſtructum fuiſſe diſciplinis *ait; probat vero cap. 7. ubi eum dicit biennio* inclauſum *fuiſſe* in Monaſterio Aſternaco, *quod S. Vuillibrordus Benedictinis Inſtitutis informaverat. Accedit, quod ex Britannia inſula in Germaniam quotquot acceſſerunt pii homines prædicandi Chriſti gratia, hos omnes, aut fere omnes, in monaſtica palæſtra prius eruditos fuiſſe conſtat.*

Non ſocius S. Vuillibrordi, ſed forte S. Liudgeri.

3. *Vuillehadus non fuit ſocius SS. Vuillibrordi Suidbertive (uti pſeudo-Marcellinus fallit) in profectione Germanica: ſiquidem in Friſiam trajecit mortuo Bonifacio, qui utrique ſupervixit. Verius dixeris, Vuillehadum in Friſia S. Liudgero comitem adhæſiſſe, tametſi eam rem ſilet Anſcharius, immo geſtorum ſancti Liudgeri ſcriptores: quod tamen ex Adamo probabimus infra ad cap. 7. Certe uterque eodem tempore, tum in Friſia & quidem iiſdem in locis, ex cap. 3. tum in Saxonia, evangelicæ prædicationi operam dederunt. In mſ. Chronico Saxonico* Willehadus anno 690. migraviſſe ad Dominum, iſque primus omnium Doctorum maritimas & boreales Saxoniæ partes ac transalbianos populos ad Chriſtianam Fidem provocaſſe *perhibetur.*

Bremenſis Epiſcopus primus, ex Caroli litteris.

4. *Epiſcopales ſedes in Saxonia plures inſtituit Carolus Magnus, cui iſtius gentis converſio cordi maxime fuit. Mimigardevordenſi Liudgerum, Bremenſi præfecit Vuillehadum. De hoc extat diploma Caroli Magni apud Adamum in lib. 1. Hiſtoriæ cap. 10. in hæc verba:*

In nomine Domini & Salvatoris N. J. C. CAROLUS divina ordinante providentia Rex. Si Domino Deo exercituum ſuccurrente in bellis victoria potiti ſumus, in illo & non in nobis gloriamur, & in hoc ſæculo pacem & proſperitatem & in futuro perpetuæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter noverint omnes Chriſti Fideles, quod Saxones quos a progenitoribus noſtris ob ſuæ pertinaciam perfidiæ ſemper indomabiles, ipſique Deo & nobis tamdiu rebelles, quouſque illius, non noſtra virtute ipſos & bellis vicimus, & ad Baptiſmi gratiam Deo annuente perduximus, priſtinæ libertati donatos & omni nobis debito cenſu ſolutos, pro amore illius qui nobis victoriam contulit, ipſi tributarios & ſubjugales devote addiximus: videlicet ut qui noſtræ poteſtatis jugum hactenus ferre detrectaverunt, victi jam (Deo gratias) & armis & fide Domino & Salvatori noſtro JESU-CHRISTO, & Sacerdotibus ejus omnium ſuorum jumentorum & fructuum, totiuſque culturæ decimas ac nutrituræ, divites ac pauperes legaliter conſtricti perſolvant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in provinciam redigentes, & inter Epiſcopos certo limite diſterminantes, ſeptentrionalem illius partem, quæ eſt piſcium ubertate ditiſſima & pecoribus alendis habetur aptiſſima, pio Chriſto & Apoſtolorum ſuorum Principi Petro pro gratiarum actione devote obtulimus; ſibique in Wigmodia, in loco Bremon vocato ſuper flumen Wirraham, Eccleſiam & epiſcopalem ſtatuimus cathedram. Huic parochiæ decem pagos ſubjecimus, quos etiam abje-

Digitized by Google

abjectis eorum antiquis vocabulis & diviſionibus, in duas redegimus provincias, his appellantes nominibus, Wigmodiam & Lorgoe. Inſuper ad præfatæ conſtructionem Eccleſiæ in ſupradictis pagis 70. manſos cum ſuis colonis offerentes, totius hujus parochiæ incolas decimas ſuas Eccleſiæ ſuoque Proviſori fideliter perſolvere, hoc noſtræ majeſtatis Præcepto jubemus, donamus & confirmamus. Adhuc etiam ſummi Pontificis & univerſalis Papæ HADRIANI præcepto, necnon & Mogontiacenſis Epiſcopi LULLONIS omniumque qui adfuere Pontificum conſilio, eamdem Bremenſem Eccleſiam cum omnibus ſuis appendiciis WILLEHADO probabilis vitæ viro coram Deo & Sanctis ejus commiſimus: quem etiam primum ejuſdem Eccleſiæ 3. Idus Julii conſecrari fecimus Epiſcopum, ut populis divini ſemina verbi ſecundum datam ſibi ſapientiam fideliter diſpenſando, & novellam hanc Eccleſiam canonico ordine & monaſteriali competentia utiliter inſtruendo, interim plantet & riget, quouſque precibus Sanctorum ſuorum exoratus, incrementum det omnipotens Deus. Innotuit etiam idem venerabilis vir Serenitati noſtræ, eam quam diximus parochiam propter Barbarorum infeſtantium pericula ſeu varios eventus qui in ea ſolent contingere, ad ſuſtentacula ſive ſtipendia Dei ſervorum inibi militantium Deo, minime ſufficere poſſe. Quamobrem quia Deus omnipotens in gente Freſonum, ſicut & Saxonum, oſtium Fidei aperuit, partem prænominatæ regionis, videlicet Freſiæ, quæ contigua huic parochiæ eſſe dignoſcitur, eidem Bremenſi Eccleſiæ ſuoque Proviſori Willehado Epiſcopo ejuſque ſucceſſoribus perpetualiter delegavimus retinendam. *Deinde præfixis diœceſeos Bremenſis limitibus ſubdit:* Et ut hujus donationis ac circumſcriptionis auctoritas noſtris futuriſque temporibus Domino protegente valeat inconvulſa manere, manu propria ſubſcripſimus, & anuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus . . . . Data 2. Idus Julii, anno dominicæ Inc. 788. (*legendum* 9.) Indict. 12. anno autem regni domini Caroli 21. Actum palatio Nemetenſi feliciter. *Annum Incarnationis & Indictionem interpoſuit Adamus aut alius quiſpiam.* AN.CHR. 789. 8. Nov.

5. *Sancto Vvillehado ſucceſſerunt* VILLERICUS, LEUDERICUS & ANSCHARIUS, *ſub quo Bremenſis ſedes unita eſt Hammaburgenſi Eccleſiæ in archiepiſcopalem erectæ. Eccleſiæ Bremenſis ædificia principio lignea Vvillericus ſeu Vvillebarius, Vvillehadi diſcipulus & ſucceſſor lapidea fecit, teſte Adamo in lib.* 1. *cap.* 19. Eccleſias, *inquit*, ubique per Epiſcopium congruis erexit in locis Vvillericus; tres vero Bremæ, quarum primam, ſcilicet domum S. Petri, de lignea lapideam fecit. *Iſtic fuit* congregatio ſanctorum virorum, qui habitu quidem uſi canonico, Regula vivebant Monaſtica uſque ad noſtri fere temporis ætatem : *ſic Adamus in lib.* 1. *cap.* 29. *Addit lib.* 2. *cap.* 33. UNVVANUS Archiepiſcopus primus omnium congregationem ad canonicam traxit Regulam; quæ antea quidem mixta ex Monachis & Canonicis converſatione degebat. *Huc Petrus Lambecius in lib.* 1. *de Originibus Hamburgenſibus pag.* 45. Nempe, *inquit*, inſtituerat olim S. Anſcharius Hamburgi, *immo & Bremæ*, congregationem virorum, qui inſtar Monachorum Corbejenſium, S. BENEDICTI REGULAM ſequebantur, prædicationi tantum vacantes, & inſtitutioni juventutis atque aliis ejuſmodi ſacris miniſteriis. *Expendenda ſunt verba Adami, quibus ait*, viros *Bremenſis Eccleſiæ* habitu quidem uſos canonico, Regula vixiſſe monaſtica. *Ego vero & habitu & Regula monaſticis primum uſos fuiſſe: deinde paullatim ad canonicalem habitum deflexiſſe, veri ſimilius exiſtimo. Quippe S. Anſcharius, ut S. Rembertus auctor eſt*, ex gente Danorum atque Slavorum nonnullos emit pueros, aliquos etiam ex captivitate redemit, quos ad ſervitium Dei educaret, *nempe in Eccleſia Bremenſi & Hammaburgenſi. Quos vero præceptores adhibuerit, audi Rembertum.* Fueruntque cum eo hic ex ſocietate veſtra (*Corbejenſes Monachos alloquitur*) ſancti Patres noſtri & magiſtri, quorum doctrina & inſtitutione feliciter nobiſcum Religionis divinæ crevit opinio. *Scholas ergo Bremenſem & Hammaburgenſem, adeoque Eccleſias ipſas regebant Monachi e Corbeja nova adſumpti : quorum poſteri paullatim, ubi diſciplinæ fervor intepuit, ad Canonicorum ſæcularium mores & habitum (ſicuti in pleriſque Galliæ Monaſteriis non cathedralibus contigit) deflexerunt. His in ſcholis* Bremæ claruit Eilhardus, vir ſpontanea paupertate clarus, Eccleſiæ Præpoſitus & Regulæ canonicæ cuſtos, *teſtante Adamo in lib.* 2. *cap.* 6. Tunc, *nempe ſæculo* 10. & ſcholas Eccleſiæ florentiſſimo ſtudio rexit THIADELMUS, qui fuerat magni Ochrici Magdaburg diſcipulus. *Poſtea, ut ex eodem Auctore notavimus, Unvvanus anno* 1013. *factus Archiepiſcopus*, primus omnium ad canonicam traxit congregationes Regulam, quæ antea mixta ex Monachis & Canonicis converſatione erat. *Nunc Bremenſis Eccleſia a Lutheranis occupatur: tametſi urbi dominantur Calviniſtæ.* An Monachi in Eccleſia cathedrali?

6. *Bremenſem Eccleſiam rexerunt e noſtris poſt S. Vvillehadum viri æque ſancti*, WILLERICUS, ANSCHARIUS, REMBERTUS, *de quibus Sæculo proximo*; ADALGARIUS & HOGERUS, *Sæculo ſubſequenti.* Bremenſes Epiſcopi Benedictini.

PRO-

AN.CHR. 789 8. Nov.

PROLOGUS AUCTORIS[a].

CUM Sanctorum laudes & actus religioſa Fidelium depromit affectio, Chriſtum profecto in eis prædicare, Chriſtum nititur glorificare. Ipſius enim facti ſunt virtute victores, cujus gratia probati fuerant in bona converſatione fideles. Gratia namque Dei ſecundum Apoſtolum ſunt Sancti quod ſunt. Et quia gratia ipſius ſemper eſt bona, per hanc quoque fiunt homines voluntatis bonæ. Ipſa quoque Dei fit gratia, ut ipſa bona voluntas quæ jam cœpit eſſe, augeatur in bono: & ita creſcendo multiplicetur, quo poſſit juſtus quilibet divina implere mandata; quæ voluerit, plene perfecteque voluerit. Laudandi itaque ſunt Sancti propter bona merita ipſorum, quin immo magis in eis Chriſtus eſt laudandus, cujus gratia perceperunt, ut boni ac ſancti fierent. Quæ tamen laudis præconia cum multis in hac vita pie religioſeque viventibus Fidelium devotione merito impertiantur; melius tamen ac rationabilius poſt bene peractam ac feliciter conſummatam hujus ſæculi periculoſiſſimam vitam ſanctis exhibentur hominibus: quia tunc potiſſimum ſanctitatem cujuſque convenit extollere ac prædicare, quando nec qui laudatur elatione tentari nec laudans adulatione poterit notari. Unde & mos ſanctæ Eccleſiæ juſtiſſimus inolevit, ut Sanctorum qui in hac vita miraculis & fidei devotione ac bonorum operum perfectione clari ac laudabiles exſtiterunt, poſt eorum diſceſſum converſatio ac religioſitas deſcribatur: ut poſteri habeant in quo exemplum virtutis imitentur, habeant etiam in quo gratiam divinæ miſerationis contueantur: nec deſperent ſe poſſe quæ forte impoſſibilia videbantur, cum hæc in illis cernant impleta, quæque, ut ipſi, fragili hic carne circumdati, mira atque eximia divina adjuti gratia perpetrarunt. Cum vero hæc a Fidelibus cunctis jure impendenda ſint Sanctis, illius videlicet ſupernæ patriæ beatiſſimis civibus; diligentius tamen hoc unuſquiſque illis exhibere debebit, quorum patrociniis ſpecialius ſe tutari atque adjuvari nempe indubitanter atque fideliter credit. Unde & nos beati Patris noſtri WILLEHADI, primi Bremenſis Eccleſiæ Epiſcopi, religioſam & in omnibus Deo devotam dignum duximus conſcribere vitam: quo triumphum virtutis ejus enarrantes, & divinam prædicemus in eo gloriam, & exemplum ſanctitatis ejus ad imitandum aliis proponamus.

CAPUT PRIMUM.

De patria ejus, & quid in ea egerit.

FUIT itaque vir venerabilis de gente Anglorum ex Nordhumbris, nomine WILLEHADUS, qui ab infantia ſacris eruditus litteris ac ſpiritalibus inſtructus diſciplinis, ſtudioſe in Dei cœpit cultura vivere, & jejuniis, vigiliis atque obſecrationibus die noctuque intentus, in Dei omnipotentis ſervitio devotus exſtitit: fueruntque ejus acta cunctis illic habitantibus, ſicut honeſta & bona, ita quoque amabilia & laudabilia. Quique etiam ſuccedente ætate, cunctorum favore per electionis gratiam, ibidem ad honorem eſt provectus ſacerdotalem: quod ille ſanctitatis merito, ac præcipuis bonorum operum exercitiis magis ac magis ſemper exornare atque augmentare ſtudebat. Denique accepta conſecratione Presbyterii, audivit quod Freſones atque Saxones, populi hactenus increduli atque pagani, relicta idolorum cultura, Fidei catholicæ quodammodo jam cœpiſſent ambire miniſteria, ac baptiſmi ſacramento vetuſtatis cuperent miraculis emundari. Hoc itaque audito, magno vir Dei repletus eſt gaudio: & intimo ſuccenſus amo-

Willehadus Presbyter Freſiam cogitat,

[a] Philippus Cæſar hinc numerat caput primum, eamdemque capitulorum ſeriem producit uſque ad finem libri de miraculis.

Digitized by Google

amore inhianter quærere cœpit, qualiter pro Dei amore illas in partes ſeſe transferret. Et quia divino inſtinctus ſpiritu ſervus Dei hujuſcemodi zelo de die in diem exardeſcebat, non potuit lucerna accenſa latere ſub modio in tenebris; ſed poſita eſt ſuper candelabrum, ut luceret palam omnibus, qui vel tunc vel futuri erant in domo Domini. Acceſſit ergo ad Regem, qui tunc temporis in gente Anglorum dominabatur, nomine ALACHRAT *a*, & quo ad Domini eſſet ſervitium zelo accenſus, illi lacrymabiliter intimavit, petivitque ut ejus permiſſu atque licentia ad prædicandum verbum Domini patrias jam prædictas ſibi adire liceret. Qui comperta ejus ſanctiſſima voluntate, convocato ad ſe Epiſcoporum aliorumque Dei ſervorum non minimo conventu, coram omnibus ejus ferventiſſimam inſinuavit devotionem, omniumque pari conſenſu (quippe quia & cunctis jam pridem ejuſdem beati viri probabilis ſanctitas fuit) eum ſupernæ commendatum gratiæ ad prædicta loca cauſa prædicandi verbum Domini deſtinavit.

AN.CHR. 789 8. Nov.

cum Regis conſenſu,

& Epiſcoporum.

II. *Quomodo in Freſiam venerit, & quomodo res ei procedere ibi cœperit.*

QUAM ille peregrinationem libentiſſimo ſuſcipiens animo, quantocius mare quod erat adjacens tranſmeavit, venitque in Freſiam ad locum qui dicitur Docyncyrea *b*, quod eſt in pago Hoſtracha; ubi & domnus BONIFACIUS Epiſcopus jam olim martyrio coronatus fuerat. Ibi ergo cum per prædicationem memorati Martyris multi antea ad Fidem inſtructi fuerant, cum magno ab eis eſt honore ſuſceptus: ibique docens ea quæ Dei ſunt, multo tempore habitavit. Nam & plurimi nobilium infantes ſuos ipſi ad erudiendum ibidem tradiderunt: quos ille tam verbo doctrinæ, quam exemplo piæ converſationis ad divinum jugiter incitabat amorem, multoſque errantes olim a Fide ad veram & catholicam revocavit ſcientiam, ſeque maximum lumen ſupernæ claritatis eodem in loco exhibuit; gentilium quoque quamplurimam catervam verbo ſanctæ prædicationis inſtructam ibidem baptizavit.

III. *Quomodo occidendus, & ſorte divinitus liberatus ſit.*

INDE vero procedens tranſivit fluvium *Loveke c*, venitque ad locum qui dicitur Humarcha, ibique barbaris cœpit nomen Domini prædicare, ac perſuadere, ut relicta ſuperſtitione idolorum unius veri Dei notitiam ſuſciperent, quo per ſacri baptiſmatis ablutionem peccatorum ſuorum veniam promereri potuiſſent: dicens, inſanum eſſe & vanum, a lapidibus auxilium petere, & a ſimulacris mutis & ſurdis ſubſidii ſperare ſolatium. Quo audito gens fera & idololatriis nimium dedita, in ira magna pariter omnes excitati, ſtridebant dentibus in eum, dicentes, non debere profanum longius vivere; immo reum eſſe mortis, qui tam ſacrilega contra deos ſuos invictiſſimos proferre præſumſiſſet eloquia. Quidam tamen inter eos ſaniori conſilio ſuadebant ceteris, dicentes, ignotam ſibi hanc eſſe Religionis normam, utrum ex divina ſit voluntate propoſita; virum quoque ipſum

a Rectius quam apud Joannem a Leidis ALACHART, apud Surium corrupte ALACHINTUM. Is apud Turgotum in lib. 2. de Eccleſia Dunelmenſi cap. 4. & apud Simeonem Dunelmenſem de Regibus Anglorum, ALCHRED, Moloni anno 765. in Regnum Northanumbrorum ſucceſſiſſe memoratur: *nono autem anno regni, fraude ſuorum Primatuum, exſilio imperium mutaviſſe*. Hinc tempus quo Willehadus in Friſiam trajecit expendendum.

b De opido *DocKen* ad Burdinem amnem, dictum in Vita S. Bonifacii ad annum 754. Paullo ultra Burdinem viſitur fluvius Lavica, de quo infra. Exordium prædicationis S. Willehadi in Friſia deſumit Adamus ab anno martyrii S. Bonifacii, id eſt ab anno 754. ſiquidem Willehadum tam in Friſia quam in Saxonia per annos triginta quinque hoc munus obiiſſe adfirmat. Verum ſerius in Germaniam profectus eſt Willehadus, ut patet ex Alchredi principatus initio, cujus adſenſu e patria diſceſſit.

c Surius edidit *fluvium Lavinca*. Liudgerus Epiſcopus dicitur a Carolo Magno *Doctor conſtitutus in gente Freſonum ab orientale parte fluminis LabeKi, ſuper pagos quinque, quorum hac ſunt vocabula Hugmerchi*, &c. qui pagus non alius videtur quam *Humarcha* hic. Fluvium Lavicam ſeu Laubacum, vernacule *Lavvers* nunc vocant, etiam Joannes a Leidis in Chronici Belgici lib. 4. cap. 7. ubi de S. Willehado: qui & Humarcham *HucmercK* interpretatur.

Digitized by Google

AN.CHR. 789 8. Nov. ipſum nulli prorſus obnoxium crimini: qua de re nec oportere eum tam dubia nece perire, verum magis mittendam eſſe ſortem *a*, quo demonſtraretur cœlitus, an dignus eſſet interitu: ſin alias ut dimitterent eum liberum, & ipſi in nullo penitus noxii probarentur. Factum eſt ergo uti perſuaſerant: ac ſecundum morem gentilium miſſa eſt ſors ſuper eo, vivere an mori debuiſſet. Gubernante itaque divina providentia, ſors mortis ſuper eum cadere non potuit. Quapropter nec nocere illi in aliquo ſunt auſi: ſed inito conſilio, dimiſerunt eum a ſe abire illæſum.

IV. *Quomodo plagis & gladio cæſus miraculoſe ſervatus ſit.*

QUI inde tranſiens venit Thrianta *b*, ibique dum prædicaret verbum Domini, plurima multitudo gentilium credidit, ac baptiſmi ſacramentum percepit. Quo in loco ipſe diutius immorans, & non credentes inſtruere, etiam credulos in via veritatis tam verbis quam & exemplis ſedulus corroborare ſtudebat: cœperuntque plurimi bonam vitam Magiſtri *, & errores gentilium odio habere, & Chriſtianam quam profitebantur Religionem devota intentione venerari. Unde contigit, ut quidam diſcipulorum ejus, divino compuncti ardore, fana in morem gentilium circumquaque erecta cœpiſſent evertere, & ad nihilum, prout poterant, redigere. Quo facto barbari qui adhuc forte increduli perſtiterant, furore nimio ſuccenſi irruerunt ſuper eos repente cum impetu, volentes eos funditus interimere: ibique Dei famulum fuſtibus cæſum multis admodum plagis affecere. Quorum etiam unus evaginato gladio ſuper ſervum Dei irruit, conatus ei caput abſcidere. Verum beatus vir ipſo in tempore capſam *c* cum ſanctis Reliquiis in collo ſuſpenſam habebat: cumque ictus ferientis ſuper collum ejus decideret, corrigiam quidem capſæ præcidit, ipſum vero in nullo penitus vulnerare potuit. Quo miraculo pagani exterriti, ipſum ac ſocios ejus illæſos abire paſſi ſunt, nec ulterius in aliquo eis moleſti eſſe præſumſerunt.

* ſupple diligere,

V. *Quomodo a* KAROLO *Imperatore Saxoniam miſſus ſit.*

POST hæc vero glorioſiſſimus Francorum Rex KAROLUS, qui jam multoties in gente Saxonum elaboraverat, quo ad fidem Chriſtianæ Religionis converterentur; ſed illi averſi ſemper cordibus ſuſceptam Fidem ſæpius deſerentes, priſtinis magis implicabatur erroribus; audita fama viri Dei, ad ſe eum accerſiri præcepit. Quem ad ſe venientem honorifice ac reverenter ſuſcipiens, ejus confabulationi ac doctrinæ libenter animum attendebat, probatumque ſanctis moribus ac fidei non fictæ conſtantia, miſit in partes Saxoniæ ad pagum qui dicitur Wigmodia *d*: quo inibi auctoritate regali & Eccleſias inſtrueret, & populis doctrinam ſanctæ prædicationis impenderet, atque viam ſalutis æternæ libere cunctis illic habitantibus nuntiaret. Quod ille miniſterium devote ſuſceptum officioſiſſime peregit: ac pertranſiens cunctam in circuitu diœceſim, multos ad Fidem Chriſti evangelizando convertit, ita ut in ſecundo anno tam Saxones, quam & Freſones in circuitu commorantes, omnes ſe pariter fieri promitterent Chriſtianos. Hoc itaque factum eſt anno Incarnationis Domini 781. *e*, regni

a Sortium uſum Germanis maxime familiarem fuiſſe docet Tacitus de Germanis, quod Adamus ad Saxones præcipue trahit. Lege Acta S. Vuillbrordi & S. Vulframni Epiſcoporum ſupra.

b Joannes a Leidis: *Poſt hac venit in Trentoniam, id eſt Drenterlant*: qui locus hodie quoque *Drente* dicitur, teſte Philippo Cæſare.

c Phylacteria vocant antiqui Reliquiarium e collo dependens. Quamquam etiam capſa & chriſmarium eodem ſenſu leguntur in Vita S. Vuilfridi Epiſcopi ad annum 709.

d Philippus putat eſſe tractum illum trans Viſurgim Saxonicum, qui jam Verdenſem & Bremenſem Epiſcopatus habet. Confer diploma Caroli Magni ſupra.

e Anno 780. id refert Eginhardus, qui *omnium orientalium partium Saxones* ait Carolo Magno occurriſſe *ad Obacrum fluvium, ubi maxima eorum multitudo in loco qui Horbeim appellatur, ſolita ſimulatione baptizata* dicitur: non quod omnes, ſed quod ex iis multi baptiſmum ficte ſuſceperint. Exſtat hujus argumenti epiſtola Hadriani Papæ ad Carolum Magnum ordine 80. in codice Carolino apud Cheſnium in tomo 3. Hiſt. Franc.

Digitized by Google

regni vero memorati Principis Karoli 14. qui tamen imperiali necdum fuerat apice ſublimatus: quem poſtea per manus reverendiſſimi LEONIS Apoſtolici Imperatorem Romæ conſecratum, anno regni ejus 34. catholica Europæ conſiſtens Chriſti venerata pariter & gratulabunda ſuſcepit Eccleſia. Siquidem imperialis poteſtas, quæ poſt Conſtantinum piiſſimum Auguſtum apud Græcos in Conſtantinopolitana hactenus regnaverat ſede, cum deficientibus jam inibi viris regalis proſapiæ, feminea magis directione res adminiſtraretur publica; temporibus ipſius per electionem Romani populi, in maximo Epiſcoporum aliorumque Dei ſervorum concilio, ad Francorum translatum eſt dominium: quoniam & ipſe eamdem quæ caput imperii fuerat, & multas alias tunc in orbe videbatur tenere provincias, ob quod & jure Cæſarea dignus eſſet appellatione. Præfato itaque regni ejus tempore ſervus Dei Willehadus per Wigmodiam Eccleſias cœpit conſtruere, ac Presbyteros ſuper eas ordinare, qui libere populis ſalutis ac baptiſmatis conferrent gratiam.

AN.CHR. 789 8. Nov.

VI. *Quomodo* WIDIKINDI *perſecutionem fugerit, & quid ſocii ejus paſſi ſint.*

VERUM ſequenti anno, inſtigante diabolo totius boni invido, quidam exſtitit perverſioris conſilii VVIDIKINDUS, qui rebellare contra Regem viſus Karolum, multam ſecum Saxonum multitudinem aggregavit: qui etiam unanimiter eos, qui in Fide Chriſti ſtabiles videbantur, perſequi ac punire; ſervos quoque Dei per loca quæque vagantes diſpergere, atque a finibus ſuis effugare cœperunt. Qua perſecutione commota ſervum Dei contigit, ſecundum mandatum Domini præcipientis, *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, de Vvigmodia tranſire in *Utriuſtri* *; ibique conſcendens navim, mare circa Freſiam transfretavit: ſicque opitulante Chriſti gratia perſecutionem eorum evaſit. Porro Saxones crudelitatem, quam circa Magiſtrum nequiverant, in diſcipulos ipſius exardeſcente ira ferventius exercuerunt. Siquidem FOLCARDUM Presbyterum cum EMMINGO Comite in pago denominato Leri,, BENJAMIN autem in Cibhriuſtri, ATREBANUM vero Clericum in Thiatmareſgao, GERWALUM quoque cum ſociis ſuis in Brema, odio nominis Chriſtiani gladio peremerunt. Et ipſis quidem ita ad regna cœleſtia effuſione proprii ſanguinis feliciter evocatis, perſecutionis tamen procella diutius poſtmodum rebellantibus deſævit Saxonibus.

Matth. 10. 15.

* Corb. Utriſti

VII. *Quomodo durante perſecutione Romam profectus ſit, & in Freſiam redierit.*

QUO facto vir Dei cognoſcens nullam ſibi tunc temporis prædicandi opportunitatem ineſſe, arrepto itinere PIPPINUM Langobardorum Regem adiit, ſicque proſpero curſu Romam pervenit: ubi conſiſtens, multis lacrymis & precibus ad Sedem ſacratiſſimam beati Petri Apoſtolorum Principis ſe cunctamque Fidelium turmam ſedulus ac devotus divinæ commendabat clementiæ; illos præcipue, quorum cura maxime cordi erat, ne forſan ſuſcepta in partibus Saxoniæ Chriſtianitas machinatione diabolica tunc penitus adnullaretur. Inde autem diſcedens, & conſolatione venerabilis Papæ HADRIANI non modice corroboratus ſervus Dei, gaudens repedabat in Franciam. Quo itinere contigit divinam in eo etiam operatam fuiſſe virtutem. Namque miniſter viri Dei, vocabulo ALDO qui alimenta procurabat Magiſtri, quamdam habebat patenam ligneam, quæ vulgo ſcutella vocatur, quam jugiter mundam ac nitidam ad menſam ipſius coram eo ponere ſolitus erat: quam præfatus miniſter quodam die caſu fractam reperit. Tempore itaque refectionis cum eam vir Dei re-

AN. CHR. 789 8. Nov.

quireret, miniſter negligentiam quæ contigerat nequaquam ei celare voluit; ſed hanc fractam fuiſſe narravit: quam ille ad ſe qualis erat ſtatim deferri præcepit. Sed miniſter ad locum ubi jacebat rediens, quam antea fractam reliquerat, ac ſi nihil unquam detrimenti habuerit, integram reperit. Quam allatam coram ipſo lætus ac hilaris poſuit, qui antea tremebundus & pavens, iram juſtæ correptionis pertimuit. Quod ob gratiam ſancti viri cœlitus factum non dubitatur: quamvis ipſe elationem fugiens magis in abſcondito quam publice id fieri cupiverit. Igitur ab itinere concepto reverſus, tranſivit ad locum qui dicitur Aſternacha *a*: ibique diſcipuli ejus qui propter metum perſecutionis paſſim diſperſi fuerant, ad eum ſunt denuo copulati. Quos ille benigna conſolatione refocillans, ut pro Fide Chriſti conſtanter in omnibus ſe agerent, pie admonere ſtuduit. Quique in eodem loco duobus fere annis demoratus, elegit ſolitariam inclauſus ducere vitam: ubi etiam non mediocriter vivens, cum lectioni atque orationi operam daret, tum præcipue ſcriptioni interdum deditus erat. Namque ſcripſit ibi epiſtolas beati Pauli in uno volumine, aliaque quamplurima, quæ a ſucceſſoribus ipſius ob monimentum ſanctæ recordationis ejus ſervata, hactenus manent inconvulſa. Multi quoque in eodem loco exemplis ejus & monitis ad meliorem ſunt vitam correcti, & ad ſervitium Domini non ignaviter accenſi.

VIII. *Ordinatio ſancti Vuillehadi in Epiſcopum.*

POST hæc autem iterum venerandus Domini Sacerdos Regem adiit Karolum, qui tunc forte in caſtello conſederat Saxoniæ *Eresbur b*, proponens voluntatis ſuæ devotiſſimam in præparatione Evangelii pacis affectionem, atque ipſius in hoc æquiſſimam requirens præceptionem. Qui pro conſolatione laboris ac præſidio ſubſequentium ejus, dedit ei in beneficium quamdam Cellam in Francia, quæ appellatur Juſtina: præcepitque ei, ut iterum pro nomine Chriſti cœptam repeteret parochiam. Quod ille gratanter ac religioſe ſuſcipiens, rurſus venit Wigmodiam, & Fidem Domini publice ac ſtrenue gentibus prædicabat. Eccleſias quoque deſtructas reſtauravit, probataſque perſonas qui populis monita ſalutis darent, ſingulis quibuſque locis praeeſſe diſpoſuit. Sicque ipſo anno, divino ordinante inſtinctu, gens Saxonum Fidem Chriſtianitatis quam amiſerat, denuo recepit. Sed & totius mali auctor incentorque perfidiæ WidiKindus eodem anno *c* Regi ſe ſubdens Karolo, baptiſmi eſt gratiam conſecutus: ſicque ad tempus ſedata ſunt mala, quæ illius fuerant ingeſta pernicie. Poſt hæc vero cum omnia pacifica viderentur, & ſub leni jugo Chriſti Saxonum ferocia, licet coacta, jam miteſcerent colla; memoratus præcellentiſſimus Princeps in Wormatia poſitus civitate, ſervum Dei Willehadum conſecrari fecit Epiſopum tertio Idus Julii *d*, conſtituitque eum Paſtorem atque Rectorem ſuper Wigmodiam, & Laras, & Ruiſtri *e*, & Aſter-

a Id eſt in Monaſterium Aſternacenſe, recentioribus Epternacenſe. Adamus: *Ipſe Vuillebadus cum Liudgero Romam venit, ubi ſanctiſſimi Papa Hadriani conſolatione relevati, Liudgerus in montem Caſinum receſſit ad Confeſſionem ſancti Benedicti; Vuillebadus in Galliam ad ſepulcrum ſancti repedavit Vuillebrordi. Itaque biennio uterque recluſi, contemplativa vitæ operam dabant.* Legeſis Acta S. Vuillibrordi ſupra ad ann. 739. & S. Liudgeri Sæculo ſequenti.

b *Ereſburg* Saxoniæ opidum ad Vuiſeram fluvium, Carolo Magno frequentatum.

c Nimirum anno 785. teſtante Eginhardo, qui VvitiKindum in Attiniaco villa Campaniæ Remenſis baptizatum fuiſſe tradit. Adamus regni Caroli annum 18. recte notat. Lege ea de re epiſtolam Hadriani Papæ ad Carolum Magnum in tomo 3. Hiſt. Franc. quæ eſt ordine 91. inter Pontificias.

d Eumdem ſignat diem Carolus Magnus in diplomate ſuperius adducto. Annum vero 787. ſtatuere neceſſe eſt, tum quia Vvillehadus ordinatus eſt Epiſcopus poſt annos ſeptem, quam in Saxoniam directus eſt a Carolo, ex Auctoris ſententia infra: directus eſt autem ineunte anno 780. ſupra cap. 5. tum quia exacto prælaturæ biennio mortuus eſt anno 789. Certe hanc ordinationem Chronicon Moiſacenſe repouit anno 787. his verbis: *Beatus Vvlradus* (legendum *Vuilbadus*) *ordinatus eſt Epiſcopus in Idibus Julii ſuper Vvimoda, & ſuper Kiusleri, & Aſterga, & Cara, vel Sordedi, & Vvangia: & ibi docuit verbum Dei, & baptizavit eos in primis.*

e Ruſtri, Friſiæ orientalis ſeu Comitatus Embdeni populi, medio ſinu Jada apellato dividuntur in partes duas, e quibus qui cis Jadam *Ruſtri* & Ruſtringi; qui trans Jadam *Bulsiada*, id eſt trans-Jadani, *Stadiandi*, *Stedingii* cognominantur. *Aſterga* vero Comitatui Embdano incluſa, *Oſtringa* vulgo dicitur. Lege Ubbonis Emmii librum 2. rerum Friſicarum.

Digitized by Google

ſterga, necnon Nordendi ac Wanga: ut inibi auctoritate epiſcopali & præeſſet populis, &, uti cœperat, doctrina ſalutari operibuſque eximiis ſpeculator deſuper intentus prodeſſe ſtuderet. Sicque ipſe primus in eadem diœceſi ſedem obtinuit pontificalem. Quod tamen id tam diu prolongatum fuerat, quia gens credulitati divinæ reſiſtens, cum Presbyteros aliquoties ſecum manere vix compulſa ſineret, epiſcopali auctoritate minime regi patiebatur. Hac itaque de cauſa ſeptem annis prius in eadem Presbyter eſt demoratus parochia; vocatus tamen Epiſcopus *a*, & ſecundum quod poterat cuncta poteſtate præſidentis ordinans. Percepta vero conſecratione pontificali, cœpit in omnibus etiam devotus ſe agere, & virtutum ſtudia quæ prius exercuerat, multiplicius augmentando cumulare.

AN.CHR. 789 8. Nov.

IX. *Continentia ejus, & alia pia opera.*

NAMQUE a primævis temporibus magnæ vir iſte fuit continentiæ, ac devote Domino omnipotenti ab ineunte ſervivit ætate. Vinum & ſiceram, ac omne unde inebriari poteſt, non bibit. Eſca autem ejus erat panis & mel, olera & poma. Namque ab eſu carnium, a lacte & piſcibus temperabat: niſi quod memoratus Apoſtolicus HADRIANUS ei jam in noviſſimo propter valitudines, quas in corpore tolerabat frequentes, quo piſcem comederet præcepit: cujus auctoritati ipſe obtemperans, paullulum indulgentius in hac parte agere cœpit. Præterea nullus fere dies tranſit, quo non ſacra Miſſarum ſollemnia cum magno fletu ac contritione cordis celebraret. Intentus erat jugiter lectioni atque meditationi ſanctæ doctrinæ, pſalmodiæ quoque pariter ſtudioſiſſime invigilans, itaut pene quotidie pſalterium, aliquando etiam duo vel tria decantaret. His itaque & aliis bonorum operum exercitiis vir Dei ſuffultus, magnam populis in ſuimet oſtentatione gratiam Domini prætendebat: ſicque doctrina ejus duplici præfulgebat oraculo, dum quod prædicabat ore, confirmabat exemplo. Pertranſivit itaque in circuitu ſuæ diœceſis vir iſte beatus, confirmans populum Chriſtianum qui olim baptizatus fuerat, & prædicationis verbo multorum ad viam ſalutis errantium corda compungens. Ædificavit quoque domum Dei miræ pulcritudinis in loco qui dicitur Brema, ubi & ſedem eſſe conſtituit epiſcopalem, ac dedicavit eam Kalendis Novembris, die *b* dominico, in honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſub invocatione ſancti Petri Apoſtoli.

Miſſa quotidiana.

X. *Quomodo in Plexem c ægrotaverit & mortuus ſit, Bremæ autem ſepultus.*

POST hæc vero cum ſtudio piæ intentionis cunctam in circuitu perluſtraret parochiam, ac docens ea quæ Dei ſunt plurimos in fide corroboraret; pervenit ad locum qui dicitur *Pleccatesbem*, ibique conſiſtens, gravi cœpit corporis febre vexari, & de die in diem languor creſcebat fortiſſimus, ita ut cum eo poſiti diſcipuli illius de vita ejus ulteriore jam deſperare cœpiſſent. Quorum unus, qui beato viro forte familiarius loqui ſolebat, nomine EGISRIKI *, accedens ad eum, quaſi de obitu ejus trepidatione metuerent, ei lacrymabiliter ac queſtuoſe innotuit; intentans etiam plebis commiſſæ deſtitutionem admodum periculoſam, quæ ſub Paſtoris regimine tunc tandem divino cultui parere videbantur. Noli, inquit, venerande Sacerdos, quos nuper Domino adquiſiſti, tam cito deſe-

* Philippo EgiſriK

a En Vuilleſhadus ante epiſcopalem conſecrationem dictus eſt *Epiſcopus*, nimirum ob epiſcopalia munia, prædicationem ſcilicet, baptiſmi collationem, Presbyterorum variis in locis inſtitutionem, & alia id genus. Hinc argumentum ſume, cur Sancti complures, præcipue in Belgio, *Epiſcopi* dicantur, qui tamen nuſquam conſecrati ſunt Epiſcopi.

b Anno proinde 789. qui litera dominicali D præditus erat.

c In textu *Pleccatesbem*, Adamo *in villa Pleccazzem, quæ ſita eſt in Ruſtris*. Surius edidit *BlecKenſee*: nunc loco hæret nomen *Plexem*. Et eſt ibi in Viſurgi infra Bremam & novum eorum portum *FegeſacK* ſecura navium ſtatio, inquit Philippus Cæſar.

AN.CHR. 789 8. Nov.

rere : noli populum vel Clerum tuo ſtudio aggregatum tam mature relinquere, ne grex adhuc in fide tenellus luporum pateat morſibus devorandus : noli nos humiles clientulos tuæ Sanctitatis defraudare præſentia, ne videamur ſicut oves non habentes paſtorem errabundi vagari. Cui beatus „ vir in hæc compunctus verba reſpondit : Noli, fili mi, me a Domini „ mei diutius avocare conſpectu : noli mihi temporalis moleſtiam vitæ que„ ſtuoſis depromere vocibus : ne hic longius vivere appeto, nec mori perti„ meſco : tantum Deum meum, quem toto corde ſemper dilexi, cui tota „ intentione ſervivi, precari volo, ut mercedem bonæ remunerationis, qua„ lem ipſi placuerit, mihi pro laboribus meis clemens ac propitius conferre „ dignetur. Oves autem quas mihi credidit, ipſi tuendas committo : quia „ & ipſe, ſi quid boni facere potui, illius potius virtute peregi. Non deerit „ ejus clementia, cujus miſericordia omnis plena eſt terra. Pia ergo devotione vir Domini cœlo ſemper intentus, & orationis ſuæ ad Deum jugiter vota præmittens, ſexto Idus Novembris, die dominico *a*, poſt ſolis ortum, Confeſſor Domini pretioſus in Chriſti requievit nomine. Cujus ad exſequias plebs undique devota accurrens, Patrem ac Doctorem beatiſſimum cum laudibus & hymnis ad ſedem devehunt Bremenſem: ibique eum in baſilica nova *b* quam ipſe ædificaverat, cum honore & reverentia condigna ſepulturæ tradiderunt.

XI. *Miracula circa eum poſt mortem ejus, tam in ſua quam altera in quam translatus eſt baſilica.*

Miracula non ſcripta.

IN quo loco multis & evidentibus perſæpe demonſtratum eſt ſignis, quod iſdem beatus vir vere Domini ſit miles electus : quæ tamen incuria & negligentia prætermiſſa, non ſunt alicubi deſcripta : licet non pauci exſtiterunt, qui ſe ſciſſe faterentur, divinam in eodem loco ſæpius apparuiſſe virtutem. Sed & in alteram poſtea translatus ipſe baſilicam *c* temporibus ſucceſſoris ipſius bonæ memoriæ WILLERICI Epiſcopi; cum inibi quamplura etiam per divinam dicatur operatus potentiam, non ſunt ab aliquo recondita memoriæ, quæ multorum adſertio veraci probat impleta miraculo. Non eſt tamen occultandum ſilentio, quod ad gloriam beati viri divinitus patefactum, hactenus in Bremenſi conſervatum manet Eccle-

Pedum in igne illæſum.

ſia. Siquidem baculus hominis ſancti, quem epiſcopali more ipſe geſtare conſueverat, poſt obitum ejus Fidelium devotione in quadam fuerat arca repoſitus. Contigit autem domum, in qua hæc eadem arca degebat, ſubitaneo flagrare incendio, & cum domo pariter etiam arca eum omnibus quæ intus recondita fuerant, penitus eſt conſumta. Sed baculum ipſum in nullo funditus ignis attingere potuit : verum in medio ignis ita eſt repertus incolumis, ut nec ſignum quidem ardoris in eo ullum apparuerit. Unde Deus omnipotens in Sanctis ſuis vere eſt laudandus, qui in minimis etiam rebus meritum ipſorum ſuis declarat Fidelibus. Aliud quoque contigit, quod æque beatum virum magni coram Domino fuiſſe meriti præmonſtrat.

item calix argenteus in Miſſam quotidianam. * al. continue.

Calicem quippe ejus, cum quo ſacrificium Domino quotidie * offerre ſolebat, in quodam loco reconditum diſcipulorum ejus fidiſſima conſervabat affectio : ubi etiam cum ingeſtus ignis cuncta conſumeret, ac ſi quid forte metalli fuerat opere fabricatum, calore liquefactum deſtueret ; ipſe cum eſſet argenteus, omnino integer eſt repertus. Et vere miranda in eo Domi-

a Anno eodem 789. poſt octo dies quam Bremenſem Eccleſiam dedicaverat, ſupra cap. 9. Confer caput 1. libri de miraculis. Et tamen in mſ. Chroni o Saxonico ejus obitus reponitur anno 790.

b *Corpus ejus*, inquit Adamus, *Bremam deportatum, in baſilica S. Petri quam ipſe ædificavit, ſepultum eſt*. In Chronico Saxonico eam Eccleſiam 6. *Idus Novembris*, *die dominico dedicaſſe* memoratur.

c Huc ſpectant Adami hæc verba ex lib. 1. cap. 19. WILLERICUS *tres Bremæ erexit Eccleſias, quarum primam, ſcilicet domum S. Petri, de ligno lapideam fecit, & corpus S Villebadi exinde translatum, in orientali quod fecit Oratorio recondidit. Narrantque poſteri hoc factum pro timore piratarum, qui propter virtutem miraculorum Confeſſoris noſtri corpus auferre maluerunt*. Unvvanus Archiepiſcopus *capellam S. Vuillehadi combuſtam reparaſſe* dicitur.

mini poteſtas apparuit, ut qui vero igne divini amoris vivens accenſus fuerat, in ejus reliquias poſt mortem ipſius terrenus ignis non valeret. Creatura enim Creatoris ſubjecta imperio, etiam vim naturæ perdit, cum juſſum dominantis attendit: nec poteſt aliquid detrimenti quamvis natura dictante perficere, cum vis uniuſcujuſque naturæ in Creatoris pendeat omnipotentiſſima voluntate. Manſit autem in Epiſcopatu beatus Villehadus electus Domini Pontifex annis duobus, menſibus tribus, diebus *a* 26. & peracto boni certaminis curſu feliciter migravit ad Dominum: cui eſt honor & gloria & poteſtas & imperium per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. AN.CHR. 789 8. Nov.

Explicit vita ſancti Vuillehadi Epiſcopi.

INCIPIT DE MIRACULIS IPSIUS.

Præfatio S. ANSGARII in miracula S. WILLEHADI.

DONO *omnipotentis Dei, qui gratuita pietatis ſuæ præordinatione quoſque in Eccleſia ſancta Paſtores conſtituit ac Doctores*, ANSGARIUS *Bremenſis Eccleſiæ Præſul, univerſis per orbem concordi fraternitate degenti Fidelium ſocietati, pacem & beatitudinem in Chriſto orat ſempiternam.* Laudes Dei quas Sanctorum ejus acta miranda teſtantur, non debere ſilentio præteriri, multoties jam exemplis Patrum addiſcimus: qui plurima eorum quæ Domini pietas per ſervos ſuos in hoc exercuit ſæculo, ſtudioſius litteris commendavere, quæ non ſolum viventium religioſam portenderent ſanctitatem, verum etiam perenni vita cum Chriſto regnantium immortalem præmonſtrarent gloriam. Revera enim qui hinc tranſlati, adhuc tamen miraculis & diverſarum ope virtutum hic populis adeſſe cernuntur; magnam nobis ſuæ glorificationis dignitatem oſtendunt, & quanti apud Deum ſint meriti, luce clarius Fidelium patefaciunt cordibus. Sed & magnum catholicæ in hoc Fidei declaratur indicium, dum quod inviſibiliter divina peragit ſublimitas, ac ſi oculis conſpiciat, indubitanter cœlitus factum Chriſtiana non diffidit credulitas: & Sanctorum acta deputat meritis, quæ in eis fiunt locis, ubi ſacratiſſimæ eorum conditæ & habentur, & venerantur reliquiæ. Quia licet ſolus omnipotens ſit Deus Iſrael, qui dat virtutem & fortitudinem plebi ſuæ; tamen mirabilis ipſe in Sanctis ſuis prædicatur & colitur, quorum precibus fit ac meritis, ut prodigia & ſigna majeſtas operetur divina. Nec tamen ſolummodo ibi Sancti prodeſſe cernuntur, ubi temporaliter in cineribus ſuis ac reliquiis præſentes fore videntur: verum ubicumque fideliter invocati, per eum qui ubique præſens eſt, potentia & majeſtate Creatoris meritum ipſorum remunerantis, in omni loco dominationis ejus Fidelibus ſuffragari creduntur. Quod multis jam & evidentibus ſæpius patefactum conſtat remediis: quia plurimi, ſive inter tempeſtates ac procellas fluctuum, ſeu inter alia quoque diſcrimina poſiti, ad invocationem cujuslibet Sancti ſubito ſe divinitus ſenſerunt adjutos. Unde ſi qua Dominus per Sanctos ſuos miranda dignatus fuerit operari, jure ad notitiam plurimorum *, ut poſteris in memoria maneat ſpei, quod priores ob gratiam perceperunt fidei. Quapropter noſtra quoque humilitas ea quæ in diebus noſtris per potentiam divinæ operationis ad oſtendenda merita beati Pontificis & Confeſſoris WILLEHADI patefacta claruerunt, litteris indagare cenſuit: ut quæ in antiquis olim venerata jure prædicavimus Sanctis, nunc in temporibus noſtris ab eo qui hujus noſtræ, Bremenſis videlicet Eccleſiæ, primus exſtitit Pontifex, innovata, toto cordis gaudentes adniſu ſuſcipiamus pariter ac collaudemus miracula. Non enim immemor Deus

*ſupple deducuntur.

a Eumdem calculum præfert Adamus, hoc addito: *prædicavitque tam Freſis quam Saxonibus poſt martyrium S. Bonifacii omnes annos triginta quinque. Obiit autem ſenex & plenus dierum in Freſia, in villa Plecazze quæ ſita eſt in Ruſtris.*

Digitized by Google

AN.CHR. 789 8. Nov. Deus adhuc populi ſui deſeruit quos redemit : verum inter innumera paganorum infeſtantium diſcrimina, omni pene ſolatio deſtitutis hanc ſupernæ viſitationis voluit impendere gratiam, ut de divina multo certius præſumerent clementia, qui tantum tamque Deo acceptum Patronum, in ſpiritu velut & in corpore, ſecum manere cognoviſſent : nec timerent licet vaſtatam denuo inhabitare patriam, in qua ſibi adeſſe ſanctiſſimi Patris non diffiderent merita : immo læti deſertas repeterent ſedes, quos licet hoſtilis incurſio fecerit exſules, bonis exuberantes divina rurſus reconciliaverit benignitas : nec deſperent ſibi præſidia Sancti in omnibus adfutura, cujus virtutem tam multiplicem in ſanandis varie vexatorum ſenſerunt flagrare corporibus.

CAPUT I. *Tempus miraculorum S. Willebadi.*

ANno itaque Incarnationis Domini 860. regni vero domini noſtri ſereniſſimi Principis HLUDOVICI 28. Indictione 8. in Eccleſia Bremenſi cœperunt divinitus agi miracula, & de die in diem ſemper multiplicius creſcere, ita ut jam longe lateque per populos rumor increbreſceret plurimus, vere divinam in eodem loco apparuiſſe gloriam, & merita B. Willehadi in eadem baſilica requieſcentis honorabili virtutum flore pullulare. Quæ cum per multorum ora volutarentur, & tam in præſentia noſtri, quam etiam abſentibus nobis, publice multi ibidem ſanitatis adipiſcerentur commoda; decrevimus hæc eadem litteris comprehenſa poſterorum tradere memoriæ, quo una nobiſcum Deum qui in Sanctis ſuis operatur, omnis Fidelium natio gaviſa collaudet. Et ſicut præſentes per ſingula quæ tunc forte miranda contigerint, in Domini laudibus tripudiando conclamant; ita etiam poſt futura religioſorum ſocietas cœleſtem in beato viro congratulans admiretur potentiam. Abhinc igitur miraculorum geſta ordiri incipientes, primo tempus quoque ipſum quo hæc agi cœperunt inſinuamus, ſcilicet poſt Pentecoſten, anno Nativitatis Domini ſupradicto; poſt tranſitum vero beati viri circiter annis evolutis 70. Qui tamen prius & in multis Deo dignus apparuit : quamquam hæc negligentia abolita, non fuerint celebri pervulgata ſermone. Deinde & nomina eorum qui ſunt curati, una cum valetudinis morbo; ſed & loca quoque in quibus vel progeniti, vel converſati fuerant, partim prout res ſe habebat, interſerendo texuimus : quo & veritas miraculorum multiplicius atteſtata commendetur, & ſinguli ex propinquis vel vicinis ſuis ejus ſubſidio medicatis, quantam beati viri perſenſerint gratiam, devotius recognoſcant.

II. *De quatuor in aliis poſt mortem ejus factis miraculis.*

Miraculum I. IGitur femina quædam de *Oſtevesbuſun*, Dida nomine, per ſeptem annos cœcata, dum quodam ſabbato dominam ſuam peteret, quo ad Eccleſiam procederent; illaque reſponderet, ſibi tunc non licere, ſed in craſtinum mane die dominico ſe ſimul ituras : illa ſtatim mature diluculo ſurgens ſuam acceleravit præire dominam, atque ad Eccleſiam quadam deducente ſe anicula greſſu properare veloci. Quo cum perveniſſet, ibique orationi dedita ſolo proſtrata incumberet, ſubito divini muneris dono lumen recepit amiſſum. Cumque poſt eam veniens domina ipſius baſilicæ penetraret intima, eamque ex ipſa loquela præſentem adeſſe cognoſceret; repente ad illam accurrit gaudens & dicens : Mea domina deſideratiſſima, gratias Deo omnipotenti & laudes refero, quia meritis B. Willehadi te oculis meis videre promerui. Quod factum illa admirata cunctis ibi adſtantibus confeſtim enarravit, & quod vere illuminata fuerit, multorum teſtimonio approbante patefecit. Sicque hæc virtus in populo ad clarificationem Dei publice manifeſtata eſt.

Rur-

Digitized by Google

Rurſus de pago Emiſga femina quædam, nomine Wimod, novem annis AN.CHR.
cœcitatem perpeſſa, cum quodam die veſpertino tempore ad Eccleſiam con- 789.
veniret prædictam, ibique facta oratione poſt veſperas hoſpitium ubi erat 8. Nov. II.
manſura repeteret; ſubſequenti nocte ei quod ex amiſſo lumine ſalutis ibi eſſet
remedium perceptura, in viſu eſt denuntiatum. Cui rei ipſa ex voto utcum-
que credula Eccleſiam ſtatim adire ſtuduit, ibique merita Sancti toto invocans
corde, divina adjuta gratia, luminis quod amiſerat recepit officium: quod et-
iam ad gloriam Dei multorum atteſtatione continuo patefactum claruit.

Poſt hæc autem die Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ, in conventu po- III.
puli maximo, ſeptem languidi a diverſis ſunt infirmitatibus liberati. Quod
quia per ſingula enarrare non neceſſarium duximus, duo tamen eorum quæ
peracta ſunt miraculorum ſingulatim perſtrinximus, quo ex his etiam cete-
ra valeant intellectu perpendi. Nempe una ex ipſis femina quædam fuit,
ex villa in proximo ſita *Luidvvinenſbuſun*, nomine Simod, quæ tribus aut
eo amplius menſibus oculorum privata lumine, ibidem nutu Dei gratiam
priſtinæ viſionis recepit. Altero vero de villa ipſius loci, videlicet Brema,
exſtitit morbo contracta femina, quæ in infantia dum fortuito ignis aduſtio-
ne pede cremaretur, nulla ſubveniente medicina articuli ſurſum verſi pene
ex toto pedem ei ſubvertebant: quæ multis annis eamdem perpeſſa mole-
ſtiam, præfato die cunctis adſtantibus pedis & articulorum extenſio ſanita-
tem promeruit.

Porro ex Laris de villa Sluttra vocabulo, quædam femina fuit per multos IV.
annos incurvata, quæ non aliter ambulare niſi manibus reptando poterat,
nec omnino ſurſum reſpicere: ad poſtremum quoque ita morbo perurgente
debilitata fuerat, ut non, niſi portaretur, aliquo devenire potuiſſet: quæ
etiam habebat filiam, quam ex ipſa infantia nativo lumine cœcitas obſcura-
verat. Hanc itaque, audita miraculorum virtute, ſimul cum filia propinqui
vel vicini ad januam Bremenſis detulerunt Eccleſiæ: quæ inibi poſita, cum
fide aliorum ſubvecta adveniſſet, miſeratione divina & de filiæ illuminatio-
ne gaudere promeruit, & ſemetipſam geſtans ac ſurſum erecta, propriis
greſſibus notas repedavit ad ſedes.

III. *Alia quinque S. Willehadi miracula.*

ITem ex Laris de villa *Falathorp*, duæ feminæ, una contracta, & al- V.
tera orba, cum ad eumdem locum deductæ fuiſſent, divini muneris
largitate incolumes ad propria ſunt reverſæ.

Ex pago quoque ſupra dicto de villa *BoKKenbuſun* quidam adoleſcens VI.
multo jam tempore paralyticus ad eumdem locum deductus, divino nutu
incolumitati priſtinæ redditus, ad propria rediit ſanus.

Ceterum de pago Oſtarburge, ex villa nomine *BaldriKeſvvicb*, quædam VII.
femina, vocabulo Adſuit, paralyſi valde graviter & diu vexata, cum qua-
dam die dominica eo adducta fuiſſet, & multi in eadem die, ſeptem videli-
cet vel octo, ex diverſis curati fuiſſent languoribus, ac poſt Miſſæ celebratio-
nem hoc idem populo denuntiaretur, & pro exhibitis miraculis tam Clerus
quam & populus laudes Deo debitas modulatis decantaret vocibus; ſubito
ipſa e medio populi ſurgens, ad gradus altaris, ubi alii ægroti ſanati jace-
bant, cœpit accurrere: quæ cum a circumſtantibus ne in chorum Clericorum
canentium forte proſiliret, retineri conaretur, ipſa quod ſibi præceptum fue-
rit, quo ante altare cum aliis ſeſe collocaret, menti alacri fatebatur. Viſum
namque ei fuerat, quod Sacerdos qui de aliorum ſanitate populo adnuntiave-
rat, ei quoque ut ſurgens cum ceteris ad altare procederet manu annuerit.
Cujus requiſita infirmitate ac ſanitate patefacta, omnes ad laudandam omni-
potentiæ divinæ majeſtatem, atque extollenda beatiſſimi viri merita, tanto
inſtantius, quanto & iterata virtute optabilius, corde compuncti lacrymiſque
præ gaudio obortis denuo alacres perſonuerunt.

Digitized by Google

AN.CHR. 789 8. Nov. VIII. Denique ex Vualdſatis quædam fuit femina de villa Vvillianſtedi, nomine IKKia, quæ ſeptem annis viſus fuerat cæcitatem perpeſſa: cui cum de præfato loco ſigna miraculorum jam fama vulgante ubique percrebreſcerent, quædam vicina ſua exhortans dixit: Quare non & tu Sanctum Dei exquirere conaris, ut tibi quoque lux oculorum patefacta clareſcat? Illa autem ſe libentiſſime ita velle reſpondit: verum hoc tantum ſuo repugnare deſiderio, quia non haberet ductorem. Cui illa denuo ſubjunxit: Ecce, ſi alium non habes, ego te quomodocumque potero illuc deducam. Cujus illa promiſſum, quia aliud ſibi neſciebat refugium, gratantiſſime accepit. Erant autem ambæ pauperculæ. Arrepto itaque itinere ipſæ duæ tantummodo, Domini ſecum comitante gratia, ad præfatum tandem pervenerunt ſanctuarium: ubi cum devote precibus inſiſterent, illa quæ cæca fuerat, ſubito illuminatur; & converſa ad ſociam ſuam ſubridens atque congratulans dixit: O quam bene, quam bene mihi tuum contigit audiſſe conſilium, ut Sanctum Dei perquirerem! ecce una tecum lumen cœli video. Hoc itaque factum ſtatim publice prædicatum, magnam populis divinæ miſerationis ſpem dedit: quoniam ſecundum Pſalmiſtæ dictum, illi derelictus eſt pauper. (Pſal. 9. 34.) Ideoque & ipſe refugium eſt pauperum in tribulatione, pupillo quoque & orphano ipſe promtus erit adjutor. Recepto itaque luminis viſu ipſa jam non ſocia ducente, ſed pariter comitante, ad ſuum ſana rediit tugurium, Domini laudes ſemper cantando, & comparis ſuæ ſalutaria monita gratias jugiter referendo extollens.

IX. De pago eodem quædam femina æque IKKia vocata fuerat, quæ per multa annorum curricula a cingulo uſque deorſum paralyſi ita contracta exſtitit, ut de membris ipſis nihil penitus ſentiret, nec quoquam ire niſi cum ſcabello ſeſe trahendo poſſet: quæ ad ſanctum perveniens locum, Domini miſeratione viribus reparatis, ſuis ſe pedibus quo voluit ipſa ſubvexit.

IV. *Alia ſex S. Willebadi miracula.*

X. QUidam vero homo indigena, cauſa paupertatis circumeundo ſtipendia quærens, ad baſilicam ſancti dudum convenerat Alexandri: qui habebat filiaſtram ſecum circumeuntem, cæcam, & ipſe quoque duplici pœna multo tempore orbitantem ſuſtinens: ubi cum morarentur, contigit meritis Sancti prædictam filiaſtram ipſius unius oculi viſionem percipere. Quo dono exhilarati, ulteriora progredientes, ad Oratorium pervenerunt Bremenſe: ubi in oratione poſiti, B. Vvillehadi interceſſione multiplici ſunt fœnore ditati. Nam & ipſe amborum viſionem percepit oculorum, & filiaſtra ipſius alterius quoque illuminatione eſt gaviſa. Quod cum Fidelium qui adfuerant denuntiaretur teſtimonio, plebs omnis exſultando laudem Deo dedit.

XI. Præterea ex pago *Nordvvidu* quidam homo ad limina memorati Martyris olim tranſierat Alexandri, qui mutus ſimul & ſurdus diutino labore ab infantia miſerabili potiebatur vexatione, meritis præfati Martyris auditum percepit. Ultra vero tendens, & ad baſilicam Bremenſis Eccleſiæ perveniens, divinæ largitatis clementia loqui pariter & audire B. Vvillehado interpellante promeruit.

XII. Item ex Laris de villa *Otisbuſun*, cujuſdam Frideberni filia omnibus membris diutino fuerat contracta languore: quæ ad prædictam deducta baſilicam, per dies ſeptem graviſſimam in corpore moleſtiam pertulit, ita ut jam pene exanimis præ doloris crederetur magnitudine. Sed tandem divina annuente clementia levius agi cœpit; & ad priſtinum reparata officium, meritis Sancti incolumitatem recepit: quæ paternam reviſens domum, omnibus ſana membris, parentibus ac vicinis feſtivum plane exhibuit gaudium.

De

Digitized by Google

De Steornigis quoque ex villa *Grandikebard* *, quædam femina, Heri- AN.CHR.
mod nomine, duobus annis ſurda exſtiterat: quæ ad prædictum deveniens 789
locum, interceſſione Sancti audiendo redire meruit. 8.Novemb. XIII.

Item de Laris de villa *Falatborpe*, duæ illuc advenerunt feminæ, una * al. Gandri Keſard
incurvata, nomine Hataburg, & altera orba, nomine Macſvvid; quæ di- XIV.
vinum ibi flagitantes præſidium, ambæ cum ſanitatis gaudio proprias ſe-
des lætabundæ repetierunt.

Porro de *Vvege* villa publica, quædam puella multo tempore omnibus XV.
infirmata membris nihil omnino vitium in proprio retinebat corpore. Ad
Confeſſionem itaque deducta Sancti, divina largitatis munificentia & vi-
rium poſſibilitatem, & totius corporis recepit ſanitatem.

V. *Alia ſeptem S. Vvillehadi miracula.*

CEterum de Sturmi ex villa EKina, quædam femina, vocabulo Gerſ- XVI.
vvid, cœcitatem multo tempore paſſa, in eodem loco poſita, lumine
eſt privato donata.

Similiter quoque de *Stentborpe* pagi * quædam femina diutius cœca, dum XVII.
orationi decumberet, auxiliante beato viro luminis eſt curata remedio. * f. pago

Denique ex Freſia de villa VeſtanKo quidam cœcus vir Meinradus eo ad- XVIII.
veniens, ſuperna illuſtratus gratia, luminis recepit officium.

De Laris ex villa *Habtboreimund* nomine, novem annis cœcata, ſanctiſſimi XIX.
viri precibus longe optatam ibi recipere viſionis promeruit gratiam.

Ex Vvigmodis autem, de villa *Midliſtanfadarvvrd*, quidam homo, ma- XX.
nu multis admodum contractus annis, ibidem Domino tribuente incolumis
eſt redditus.

Item de Vvigmodis ex villa *Vveſtriſtanbeverigiſæti*, femina, Thiadgardis XXI.
nomine, diu cœca, ibidem eſt illuminata.

De Sturmi vero, ex villa *Ekgnon* *, AKKo quidam vocabulo, jam quo- XXII.
dam in brachio vulneratus fuerat: cui cum nulla ſubveniret medicina, ar- * al. EKynon
mum ad omnia opera multis annis inermem habuit. Qui illo veniens, & die-
rum ſuorum otioſam conſumtionem deplorans, auxiliumque beati viri expo-
ſtulans; ſuperna donante gratia, cum diu dolore brachii torqueretur, tan-
dem ſanatus porrectam extendit dexteram. Pro cujus incolumitate cum om-
nes Deo gratias retuliſſent, ille domum reverſus fiducia ſuæ jam ſanitatis ad-
monitus & de Dei miſericordia certiſſime confiſus, uxorem ſuam quæ mul-
to jam tempore in cœcitate permanſerat, ſecum ipſe ad eamdem reduxit
Eccleſiam. Ubi cum pro conceſſo remedio vir fide corroboratus, mulieri be-
neficum, & mulier quoque viri ſui doctrinis admonita Dominum ſibi inhian-
ter poſceret adeſſe propitium; cœlitus inſpirato lumine, ſubito mulier clare
cœpit cuncta videre: quod ſtatim in populo declaratum magna fidei tribuit
incitamenta, & cunctorum animos ad credulitatem divinæ confirmavit po-
tentiæ. Cumque pro eorum ſalute Clerus ac populus perſonaret, ipſi ad pro-
pria gaudentes reverſi, tanto alacrius atque ſtudioſius labori cœperunt inſiſte-
re, quanto ſe meminerunt otioſe vacantes dies multos antea perdidiſſe.

VI. *Alia quinque S. Vvillehadi miracula.*

DE Laris quoque concepta jam dudum divina creverunt miracula. Nam XXIII.
quidam Rhoudvvig, ex villa *Stenbike*, tribus annis mutus, cum inibi
poſitus auxilium beati viri imploraret tacitus, divina miſerante gratia, aper-
to ore ſubito Domini cœpit enarrare magnalia.

Item de villa *Reſtereflet* *, quædam femina multis fuerat annis morbo ita con- XXIV. * al. Rehtereflet
tracta, ut nec in lecto ſe in alteram partem abſque adjutorio poſſet movere, nec
ullius membri aliqua prorſus commoditate potiretur. Quam cum amici fide
excitati ad Confeſſionem deveherent Sancti, ibique in medio poſita grabato,

Digitized by Google

AN.CHR. acſi feretro tamquam præmortua decubaret; ſubito ſana proſiluit e lecto,
789 & prorumpens in medium laudes concinebat Domino. Nec jam curans
8. Nov. grabati præſidia, in pace dimiſſa, viam qua advecta fuerat, propriis greſſibus ambulabat intrepida.

XXV. Porro de villa *Bouchem* ex pago Lohingaho, quædam femina Hiberin * vocata, cum infirmitate cogente omnibus eſſet membris invalida, ita ut nihil ei virium in proprio eſſet corpore, beati viri meritis ibidem ſanitatem adepta eſt integerrimam.

* al. Siberin

XXVI. Rurſus de Laris ex villa *Eggrikesbuſun*, quædam femina ab infantia ita exſtiterat manca, ut nulli unquam uſui aptari altera fuerit manus: quæ cum in ſancto poſita loco auxilium divinæ miſerationis corde poſceret intimo; ſubito ſana manibus plaudens utriſque, jubilationem Deo in voce reddebat exſultationis.

XXVII. Sed & de Liaſtmona quædam fuerat ancilla venerandi Comitis HIRIMANNI, quam ipſe cauſa operis textrini in domo ſua Hethas cum aliis ancillis eſſe præceperat. Quæ cum ibidem poſita dominico ineſſet ſervitio, occulto quidem, ſed recto Dei judicio alias ſana, loquelæ tantum eſt amiſſione damnata. Qua cum diutius moleſtia premeretur, nec aliquid prorſus loquendo reſonare valeret; prædictus Comes miſeratione Domini compunctus, libertatem ei pro animæ ſuæ tribuit remedio: ſicque inde dimiſſam ad propria redire permiſit liberam. Deducta igitur a comitibus, ad Bremam pervenit, ſtatimque Eccleſiam adire devota (ut creditur) intentione curavit. Namque rerum effectu claruit, quid ipſa fideli mente tractaverit. Properans quippe ad fores Eccleſiæ, ſtatim miſericordiam Domini ſibi obviam ſenſit. Nam in ipſo introitu baſilicæ, cum ingrederetur fores atrii, impedimento linguæ repente reſoluto, altius exclamare ac laudes Deo canere cœpit. Cujus cum cauſam coram poſiti requirerent; quæ geſta fuerant, plane ac dilucide enarravit. Sicque hæc virtus aliorum etiam teſtimonio in populo declarata, beati viri merita cumulavit eximia. Quæ inde ad paternam ſe transferens domum, cum ipſa hilaris iret ac læta; ſanitate ſimul ac libertate donata, parentes quoque ac propinquos ex ſuo fecit adventu ac proſperitate gaudere.

VII. *Alia ſeptem S. Vvillebadi miracula.*

XXVIII. ITem de Bremis puella quædam nomine Wige, diu muta, & omnibus quoque membris contracta, ita ut non aliquo niſi ab aliis delata ſeſe transferre poſſet; in eodem loco meritis beati viri, & loquelæ uſum, & membrorum omnium recepit officium.

XXIX. Poſt hæc etiam de *Upriuſtri* quædam femina ex dextra parte a tempore nativitatis manca, nomine Tethileis, Domino auxiliante ibidem eſt ſana.

XXX. De Wigmodis autem, ex villa *Medemahem*, femina quædam, Ida vocabulo, novem annis cœcitatem paſſa, ibidem Domini gratia oculorum donata eſt luciflua claritate.

XXXI. Ceterum de *Riuſtri* ex villa *Smalonflet*, quædam femina, Dislith nominata, per undecim menſes uno oculo cœcata, illo adveniens, beati viri meritis amborum ſe gaviſa eſt potitam lumine.

XXXII. Femina quædam ex villa *Thadingen*, Egilmare vocata fuerat, quæ longo tempore morbo paralytico horrendum in modum afflicta, tandem miſeratione divina ad ſanctum perveniens locum, ibidemque inſtanter Deum deprecans, paralyſi liberata, reparatis viribus Deo gratias egit, & cum gaudio domum rediit.

Variant editi in verbis.

XXXIII. Similiter quoque ex loco *Citirothe* nuncupato, femina quædam luminis officio diu deſtituta, cum primum ad eumdem locum pervenit, ibique oratio-

tioni dedita, ſolo proſtrata incubuit, ſubito divini muneris dono lumen recepit amiſſum. AN.CHR. 789

Rurſus de Liaſtmona, nomine Rotgardis femina quædam clauda, cum illic auxilium beati viri ſerio imploraret, divina miſerante gratia ſanata propriis greſſibus cum ſumma animi voluptate ambulabat intrepida *. 8. Nov. XXXIV.

* hic deſinit codex Corbejenſis.

VIII. *Concluſio miraculorum S. Vuillehadi.*

FUerunt præterea multi cauſa recuperandæ ſalutis ad eumdem locum properantes, meritis beatiſſimi Pontificis in via ſanati: quorum aliorum relatione innotuit ſanitas, quia nequaquam ipſi, uti cœperant, locum ſanctum expetere curaverunt: verum magis ſanitate donati, ex itinere redeuntes ad propria feſtini cum gaudio ſunt reverſi, Dominum & beatum Vuillehadum magnificis laudibus prædicantes.

Verum nos, ne prolixior narratio onerosa fiat legentibus, hæc & alia multa intermiſimus, quæ tamen plurimorum ore vulgata in populis habentur. Corpus autem ipſius Sancti, quod jam tunc a loco requietionis ſuæ in alteram translatum fuerat baſilicam, nos cum maxima Fidelium turma ac Cleri innumerabilis conventu exinde ſublatum feretroque impoſitum, magnis populorum vocibus in laudem Dei ac beati viri concrepantibus, die depoſitionis illius in nova quam tunc dedicavimus, collocavimus baſilica; ubi honorifice compoſitum, magnifice poſtmodum atque innumeris claruit virtutum indiciis, & de die in diem meritis beati viri multiplicia inibi creſcunt miraculorum ſigna. Agitur autem dies depoſitionis ejus ſimul & translationis corporis 6. Idus Novembris, ad laudem & gloriam nominis Domini JESU-CHRISTI, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus & verus Deus vivit & dominatur per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

APPENDIX

De ſancti Vuillehadi reliquiis.

CUM *ſcripſiſſem in Saxoniam, ut quo loco eſſent ſancti Vuillehadi reliquiæ addiſcerem, accepi reſponſum, ſequens ab erudito Corbejæ Saxonicæ Cœnobita & Bibliothecario Adolfo Overhamo.* Corpus ſancti Willehadi Bremæ tamdiu religioſe pieque adſervatum cultumque fuit, quamdiu iſtic in pretio Fides orthodoxa & res ſacræ, quibus in contemptum neglectumque ſuperiori ſæculo ob hæreſim deductis, non facilis fuerit ſacrarum exuviarum inveſtigatio. Reperi quidem in mſ. veteri hæc adnotata verbis ſequentibus. „ Temporibus domni HAMUKONIS Pathebrunenſis Abbatis, quidam religioſus Canonicus Bremenſis Eccleſiæ, nomine VICELINUS, fraternitatis noſtræ ſocietatem expetens, & eam a nobis conſecutus, ad indicium ſuæ erga nos devotionis & ejuſdem fraternitatis confirmationem, contulit nobis cum conſenſu Epiſcopi ſui domini FRITHERICI venerandas reliquias ſanctorum Confeſſorum & Epiſcoporum præfatæ Bremenſis Eccleſiæ, Willehadi, Anſgarii, & Remberti una cum iſto libro, in quo ipſorum Sanctorum miranda geſta conſcripta habentur. Quapropter dignam ſui commemorationem apud nos & poſteros noſtros jure obtinebit. Hamuko Abbas Monaſterii SS. Petri & Pauli Paderbornæ Ordinis S. Benedicti exiſtimatur præfuiſſe ab anno 1120. uſque ad annum 1154. *Hæc ille. Certe Fritbericus ſeu Fredericus Bremenſis Antiſtes* obiit anno 1124. 3. Kal. Februarii, *uti legitur in hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium poſt Adamum.*

DE

CIRCA AN. 790
13. Febr.

DE SS. HAIMONE ET VEREMONDO
MONACHIS MEDENSIBUS IN ITALIA.

Vitæ compendium.

1. *MEdenſe Partheneium, quod Mediolano abeſt millia paſſuum quatuordecim, via Comenſi, ſuam originem ſanctis Haimoni & Veremondo acceptam refert. Hi nobiliſſima (ut ferunt) Coriorum familia progeniti, cum aliquando venationi darent operam, apros duos in ſe incurſantes conſpicati, in vicinam ſancti Victoris ædem colli impoſitam perfugiunt: & conſcenſa uterque lauro, quæ gemina ibi forte aderat, cum ne ſic quidem immanium beluarum furorem declinare ſe poſſe formidarent, voto ſe obſtrinxere, ut ſi ex illo periculo ſalvi & incolumes emergerent, eo loci Monaſterium ampliſſimum ædificarent. Voti compotes facti, rem exſecuti ſunt, ædibus religioſis paratis, quas Deo dicatis Virginibus ſub Regula ſancti Benedicti victuris commiſerunt: & ipſi ibidem depoſito ſæcularium curarum onere monaſticam vitam profeſſi in annum fere ſeptingenteſimum nonageſimum. Anniverſaria eorum memoria Idibus Februarii celebratur in vico Meda, in quo ſitum Cœnobium, quod hactenus ſtat penes Sanctimoniales Benedictinas. Horum Sanctorum mentionem facit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, prætermiſit Vuillelmus Abbas in Kalendario ſanctorum Monachorum, quod Romæ rudi minerva delineavit anno Domini trecenteſimo ſeptuageſimo tertio ſupra milleſimum. Eorum Vitam Italice edidit Emmanuel Laudenſis, Joannes Bollandus in compendium redegit: ex quo præmiſſa cum ſubſequentibus excerpta ſunt.*

Translatio prima.

2. *Cum multi anni effluxiſſent a morte Sanctorum prædictorum, Comitiſſa* BESUTIA, *loci Abbatiſſa, auguſtiori templo in honorem ſancti Victoris exædificato, cogitare etiam cœpit, ut ſanctorum Haimonis & Veremondi corpora honorificentiori loco reconderentur: quod & ipſa præſtitit, condito lateritii operis tumulo, in quem illatæ venerandæ Reliquiæ. Pii operis mercedem conſecuta Beſutia, acerbo alterius geniculi dolore liberata eſt. Sanctorum opem in ſuis etiam infirmitatibus expertæ ſunt aliæ Sanctimoniales & ſæculares feminæ. His accedit curatio Martini Luanini, qui ex gravi ægritudine uſu pedum captus, ambulandi facultatem ad ſacrum tumulum recepit die 18. Aprilis, feria ſexta, anno 1337.* GUALDRADA *Meviana Cœnobii Abbatiſſa, ut fidem faciunt litteræ hac de re confectæ.*

S. Caroli Borromæi peregrinatio eo facta.

3. *Anno 1581. Carolus Borromæus, Mediolanenſium Antiſtes ſanctiſſimus, locum inviſit die ultima menſis Maji: & Sanctos pie veneratus, eorum cultum in urbem ſuam propagavit, curavitque ut eorum converſio ſedilibus majoris baſilicæ inſculperetur. Eiſdem Sanctis Mediolani in Eccleſia Franciſcanorum publica impenditur veneratio.*

Translatio altera.

4. *Denique Fredericus Borromæus Cardinalis & Archiepiſcopus Mediolanenſis ſollemni ritu eorum Reliquias ex vetuſto Oratorio in majorem Cœnobii Eccleſiam tranſtulit 18. Kal. Julii, anno 1626. & ſubtus aram recens ab ſe dedicatam in plumbea theca ſepulcro marmoreo incluſas compoſuit. Cujus Translationis pompam legeſis apud Bollandum.*

V I-

Digitized by Google

VITA S. HILTRUDIS VIRGINIS

CIRCA AN. 790
27. Sep.

IN CŒNOBIO LESCIENSI,

Auctore Monacho Valciodorenſi anonymo, qui vixit medio ſæculo 11.

Ex mſſ. codicibus Leſcienſi & Valciodorenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. HÆC *Vita ſcripta eſt a quodam Monacho Valciodorenſi, teſte Jacobo Guiſio, qui eam in Annales ſuos Hainonienſes retulit. Auctor libelli de reſtitutione Cœnobii Leſcienſis nomen Monachi Valciodorenſis deſignat his apicibus* W. *aitque id opus ab eo ſuſceptum rogatu Leſcienſium Canonicorum: proinde ante annum milleſimum nonageſimum ſextum, quo in locum Canonicorum reſtituti ſunt Monachi. Quibus uſus ſit monumentis auctor in hac vita deſcribenda nullatenus prodit. Ut pleraque vera ſint, nonnulla ſane dubiæ fidei referuntur, ut quæ de Hugone Burgundiæ Principe, de velatione Hiltrudis per Theodericum Camaracenſem Epiſcopum. Sed tamen cum alia nos monumenta deficiant, hæc retinere juvat ad qualemcumque primordiorum Leſcienſis Monaſterii notitiam: de quo mirum eſt ſilentium Balderici in Chronico Camaracenſi, uti & de Hiltrude virgine, de qua nihil alibi ſcriptum reperi apud antiquos.*

Monaſterium Leſcienſe.
* Lieſſies
* le. Hainau
* Helpre
* Avennes

2. *Monaſterium Leſcienſe ſeu Letienſe *, in pago Hainonienſi * ad fluvium Helpram * prope Avennas * opidum, illuſtrius fuit a reſtitutione ſua. Ejus auctor Theodericus Comes Avennenſis, referentibus tum Hermanno Monacho inferius citando, tum Balderico de Avennis in Chronicis Hainonienſibus tomo 7. Spicilegii: qui & memoriæ prodit, ſanctum Bernardum Clarevallenſem Abbatem* multum laboraſſe pro pacificatione *inter Monachos Leſcienſes & Vualterum Comitem, cognomento Plukellum, res Monaſterii occupare molientem. Loci Religionem & celebritatem mirifice auxit* LUDOVICUS BLOSIUS *Abbas piiſſimus, Ordinis noſtri ac ſæculi proxime elapſi ornamentum, qui mores ſuos tum in eximiis ſcriptis, tum in alumnorum animis expreſſit. Is enim labefactatam diſciplinæ regularis formam ad moderatas, ſed tamen ſtrictas leges revocavit, quales poſteri hodie uſque religioſe obſervant præſidente venerabili* D. *Franciſco Louchierio Abbate, a quo ſubjectum libellum accepi.*

Sanctimoniales.

3. *Vixere eo in Cœnobio præter S. Hiltrudem & aliæ Sanctimoniales in diſparatis ædibus a viris,* PETRONILLA *ſcilicet &* ADA *Avennarum Comitiſſa, nobiles æque ac piiſſimæ matronæ, ſæculo 12. quæ Ada una cum marito Theoderico Monaſterium inſtauravit. De ejus ſtemmate gentilitio ac familia Rocienſi agit Hermannus Monachus in lib. 1. de miraculis S. Mariæ Laudunenſis cap. 2. ubi hæc verba:* Hilduinus Comes Rocienſis duxit conjugem Adeladam germanam domni Manaſſæ Remorum Archiepiſcopi, ex qua genuit Ebalum ... & Andream ... ſeptemque filias ... Quintam nomine ADAM duxit Godefridus de Guiſgia, & ex ea genuit Guidonem patrem Burchardi. Defuncto autem Godefrido eadem Ada accepit maritum de Aath: quo mortuo accepit tertium maritum THEODERICUM de Aveſniis, & cum eo exſtruxit Cœnobium, quod dicitur de Leſciis, in propria poſſeſſione ſua: defunctoque eodem Theoderico ipſa ſe ex toto contulit eidem Cœnobio: ubi plurimis annis religioſe vivens, defuncta & ſepulta eſt. *Ita Hermannus, editus poſt opera Guiberti Abbatis de Novigento.*

PROL.

DIE quinto Kalendarum Octobris ſanctæ virginis HILTRUDIS celebrem agimus diem depoſitionis. Hanc pſalmis, hymnis & canticis nos oportet celebrare feſtivis. Hæc enim a Domino & ſanctis Angelis ejus in omnibus honorata eſſe cognoſcitur, cui vivere Chriſtus fuit, procul dubio & mori lucrum. Dum enim poſt Chriſtum crucem ſuam tulit, dum ſæculi pompam contempſit, dum corpus ſuum inedia & vigiliis in ſacco & cinere caſtigavit, dum ſecundum Evangelium Chriſti vixit, nonne mundo mortua Chriſto vixit? &c.

AN-

Digitized by Google

CIRCA AN. 790 27. Sept.

CAP. I. Hiltrudis parentes.

ANNO ab Incarnatione Domini 751. glorioſiſſimus Princeps PIPPINUS ſingularem Francorum & Germanorum Monarchiam obtinuit. Sic enim quia ad id dignitatis idoneus erat, utpote vi animi & corporis prædi- tus, fide catholicus, ſacræ religionis cultor, Zacharia Papa jubente primum in Regem conſecratus eſt a Bonifacio Pontifice. Sed poſt Zachariæ deceſſum cum in Papatus cathedra Stephanus Papa ſederet, & quibuſdam cauſis eccle- ſiaſticis exigentibus in Gallias veniſſet, ac S. Dionyſii Pariſiorum Eccleſiam dedicaſſet; hunc per ſeipſum cum omni ſecutura progenie in eadem conſecra- vit Eccleſia benedictione perpetua. Qui cum modis omnibus ad perfectum veniret, & cunctæ res ei proſpere cederent; etiam primatum & optimatum pollebat nobilitate, quales decebat Regis Pippini eſſe. In iis erat Comes quidam nomine WIBERTUS, genere nobilis & actibus, pago Pictavienſi ex nobiliſſima proſapia ortus: & uxor illi nomine ADA, ex nobilioribus Francorum. Is hoſtilibus preſſuris nimium circumdatus Regem adiit, cujus maxime præſumebat de gratia, & juvabatur munificentia; precibus exegit, quatenus de regio jure locum ſibi concederet, in quo ſalva pace manſionem ſibi collocans ab hoſtibus ſecederet. Cui Rex, ut erat liberalis munificen- tiæ, ad petita annuit, amplas de jure patrimonii ſui impertitas ſibi poſſeſ- ſiones inter Theoracenſem & Hannonienſem pagum ſuper fluvium Helpram adjacentes, frugum fertiles, pecoris abundantes, paſcuis uberrimas & ſilva- rum denſitate opacas, venatione & piſcatione plurimum præſtantes, adeo ut regium id eſſe donativum perſpicuum appareat. Quid multa? accepit, pro acceptis gratias egit, & quanti eſſent conſideraturus iter arripuit: vo- luntati ſuæ ſatisfactum in hac parte gratum habuit, & cum tota domo ad id locorum migravit.

II. Leſcienſem Eccleſiam condunt.

Quadam igitur die cum in venatibus aprum agitaret, hinc venatoribus, hinc canibus inſequentibus, præoccupavit eum ſupra fluvium Helpram in lo- co, qui hodie Leſcias nuncupatur. Cumque luminibus late circumductis lo- ci illius opportunitatem prævidiſſet, divina inſpirante clementia animo occur- rit, ut locum illum habitabilem redderet, Eccleſiam fundaret, officinas ſer- vis Dei utiles ibi ædificaret, quod ipſe ſitus loci patiebatur. Ad Regem re- diit, maximas pro beneficio gratias agit, affectum animi patefacit. Rex affectum viri approbavit, de effectu perſuaſit, operam ſuam illi pollicitus eſt & impendit. Tunc ad uxorem ſuam venerabilem Adam rediens, demum affectum a Deo inſpiratum pandit, ſed & favorem, adſenſum & opitulatio- nem Regis glorioſiſſimi edicit. Fiunt utrique in affectu concordes, ſæpe di- ctum locum qui prius erat ferarum, habitationem efficiunt hominum, & ad ædificationem Oratorii ſe viriliter accingunt.

III. & Monaſterium.

Quia ergo templum Domini elegerunt & decreverunt eſſe, domum illi orationis ædificare deliberant. Sapientum igitur & religioſorum agente con- ſilio, in ipſa alvei ripa locus huic operi providetur aptus, & monaſticis of- ficinis competens: qui aquam neceſſariis uſibus ſemper miniſtret, qui mo- lendinum, piſtrinum, coquinam, hortum, vel artes diverſas intra Mona- ſterii clauſtra capiat. Tunc ſumtus dinumerant, ad normam jaciunt funda- menta, & in promovendo opere alterum quodammodo exhibent Salomonem. Oratorio tandem expleto & Eccleſiæ parietibus erectis & culmine adpoſito, clauſtroque bene officinato, circummanentes Epiſcopos vel Abbates, præci- pue Tungrenſem Pontificem adeunt, Sanctorum reliquias & conſecrationem petunt & impetrant. Pontifex pretioſas plurimorum Sanctorum donavit re- liquias, præcipueque S. Lamberti: unde ut ejus meritis novum ſuum Ora- torium dedicarent, familiaritate, amicitia, ſuaſione exegit. Denunciant rem Cameracenſi Antiſtiti, ad cujus diœceſim Oratorium reſpicit: qui cum debito honore & reverentia S. Lamberti nomini illud dedicavit die 3. Nona- rum Novembris.

IV. Guntrado filio præfecto.

Erat illius filius, nomine GUNTRADUS, a puero ſacris litteris eruditus, monaſticis diſciplinis inſtitutus, monaſticis uſibus aſſuetus, meditationi ſan- cta-

Digitized by Google

ctarum ſcripturarum ſtudens, orationi lectionem, lectioni miſcens orationem. In vigiliis ac jejuniis pervigil & frequens, quod dicebatur Monachum vivens, mundi nihil appetens. Hinc religioſiſſimi genitores aliquot monachici ordinis & vitæ coadunarunt perſonas, quibus hunc Patrem & Rectorem præfecerunt. Qui quamdiu converſatus eſt in ergaſtulo carnis, id quod gratia Dei erat quodque dicebatur, forma ſibi commiſſis factus diligentiſſime exſequebatur. Videres Helcanam & Annam maſculinum ſanctum Domino obtuliſſe, videres & alterum Samuelem in templo Domini miniſtrare: non erat periculum Heli Sacerdotis metuere, quia & recalcitrantes pungere & adquieſcentes in virga paſtorea noverat Deo attrahere. CIRCA AN. 790 27. Sept.

V. Hiltrudis nuptias fugit.

Erat illis & filia, HILTRUDIS nomine, pulcra facie, ſed pulcrior fide: nobilis genere, ſed nobilior pia converſatione. Nam ſicut ferrum ferro acuitur, & charitas charitate fomentatur; ita Virgo fratris actus æmulabatur: dum ille hinc alterum exhibebat Hieronymum, hæc illi alteram Euſtochium. Huic tamen quidam Burgundionum Princeps, HUGO nomine, quærebat nubere, tum puellæ nobilitate & elegantia, tum longa nobilium parentum notitia & familiaritate illectus. Diem condicunt, conveniunt utrimque: de conjunctione matrimonii agitur, Virginis animus a parentibus prætentatur. Quibus illa, Si meam, inquit, ſuper hac re quæritis ſententiam, id certe quod ſentio edicam. Jam dudum ſuper omnia ſolum Chriſtum diligo, huic fidem feci, huic nubere concupiſco, & deſidero. Si mihi patres vultis eſſe, ſi me filiam habere; ſi me a vero Patre, ſi a vero non ſejungitis conjuge; vos mihi patres, me vobis filiam cognoſco & profiteor: ſin alias, nec veſtram magnipendo paternitatem, nec meam vobis impendere habeo filiationem. Interim conquieſcunt puellaria verba, & nullipendenda eſſe dicunt: mutandam utpote mobilis ingenii puellarem ſententiam putant, verbum in craſtinum reſervandum decernunt. Neſciunt in muliere virilem animum, neque a Domino rem geri. Virgo ſacra quid conſilii caperet, quid ageret ignorabat. Parentibus reſiſtere non poterat, necnon eis obedire nefas ducebat: attamen immortali ſponſo nubere toto deſiderio ardebat. Hoc tandem arripuit conſilii. Intempeſta nocte paucis admodum & fidis arbitris comitantibus in proximam ſilvam confugit, ibique ſibi latibulum collocavit. In craſtinum piiſſimi genitores de fuga cariſſimæ ſobolis audientes, non modice turbantur, non modo propter filiam, ſed & propter auctoritatem & amicitiam tanti Principis læſam. Suis tamen demandant, ut factum ſilentio tegant. In verba iterato convenitur, excuſationem parentes in medium adferunt, Hiltrudem in interiore conclavi reſidentem in pridiana ſententia perſeverare, ad emolliendum ejus animum ſe non prævalere, in id converſationis eam jamdiu animum induxiſſe: ex quotidiano uſu vitæ ejus, quæ omnino nihil levitatis habebat; & multorum atteſtatione id ſe comperiſſe. Votis ejus ſi obſiſtant, iram Dei de cœlo timere, ſi liberos quos Deus dedit dignetur ad ſe trahere, in eo ſe maxime gaudere. Hinc illi gratias agere, ſalvam & inviolatam poſſe manere priorem amicitiam, ſi alteram de filiabus, nomine BERTAM, æque nobilem, nec minus formoſam, illi in conjugium placeat adſumere. Quid plura? utrimque conſentiunt parentes, puellam Principi deſpondent, Princeps eam legitime ducit uxorem, quæ & ipſa ante finem vitæ ſuæ religioſam viſa eſt ducere vitam. Nunc ad latebram ſanctæ Hiltrudis ſtilum deducamus.

VI. Velatur.

Igitur ante abſceſſum beatæ ſororis revocatur a parentibus ſancta virgo Hiltrudis, nuptura & ipſa, ſed immortali ſponſo. Non vero poſt multos dies venerabili THEODORICO [a] Cameracenſi Epiſcopo præſentatur, cui etiam qualis ſit Virginis devotio, quæve petitio intimatur. Epiſcopus, ut erat

[a] Theodoricus Halitgario ſucceſſit anno 818. pervenitque ad annum 63. ejus ſæculi, auctore Balderico in Chronici Cameracenſis lib. I. cap. 41. & ſequentibus. Ex quo intelligitur, aut ſanctam Hiltrudem ſerius vixiſſe, aut ab alio Epiſcopo velatam fuiſſe.

Digitized by Google

CIRCA AN. 790 27. Sept. erat vir virtutis, de animarum in Domino profectibus gaudens, gratias Deo agit: Virginis devotionem approbat, ad perfectionis ſtudium per ſanctæ ædificationis verba exhortatur, & ut propoſitum in finem ſervet Dominum orat. Poſtremo infra Miſſarum celebrationem ſponſam ſuam Chriſto, immo per eum Chriſtus ſibi conſecrat, & ſacrum ei velamen imponit. Quæ ſuſcepto ſacræ Religionis habitu qualem ſe exhibuerit, nunc breviter inſeremus. Videres namque Annam, non viduam, ſed viro ſuo immortali vere conjunctam, vere præſentem, de templo non diſcedere; jejuniis & orationibus diu noctuque vacare, nil niſi qualiter ſponſo ſuo placeret cogitare. Nullus eam levia verba aut riſum moventia, nullus faciem ſuam ridendo effundentem aut audivit, aut vidit: etſi corpore juveneſcebat, animo jam ſenuerat. Poſt orationem ad verba ſacræ lectionis veniebat, quæ illi frater ſuus venerabilis Abbas GUNTRADUS, quaſi SCHOLASTICÆ alteri alter BENEDICTUS, eructabat. Poſt ad cultum juſtitiæ redibat ſilentium, ut rationale de præſepio Domini animal ruminatura, quæ de plenitudine guſtaverat ſanctarum ſcripturarum, in loco videlicet orationi & meditationi aptato in eadem Eccleſia, in parte aquilonari, poſt Oratorium Fratrum. Sic per decem & ſeptem annos cella Chriſti aromatica odore piæ & juſtæ converſationis fragravit in mundo, exemplum facta non ſolum femineo ſexui, ſed etiam maſculino.

VII. Teſtamentum parentum. Ea tempeſtate Deo digni parentes ejus cunctis quos heredes ſibi adſciverunt immatura morte ſublatis privati ſunt: quorum corpuſcula in ſæpedicta Eccleſia continentur ſepulta. Ut enim videre videor, nolebat eos Dominus mundi hujus malitia corrumpi, nec in hujus luti profundo demergi: ideoque ſemen longævum in regione vivorum eis daturus, tulit eos de medio iniquitatis. Unde factum eſt, ut filiæ ſuæ Hiltrudi virgini poſſeſſionum ſuarum domi foriſque donationem facerent, a villa ſcilicet Molihamio *, ubi venerabilis Ada Eccleſiam Domino ædificaverat, uſque ad villam Seaneſcum *a*. Quam procul dubio donationem hereditario teſtamento in manu ejus firmaverunt, ut ipſis libere præeſſet dum viveret, & poſt deceſſum ejus in jus Eccleſiæ S. Lamberti ad uſus ibidem Domino ſervientium cederent. Quod videlicet teſtamentum cum ipſa ad ſedes cœlicas receſſiſſet, plumbo ſigillatum piiſſimi genitores, bene occulta intentione in futurum proſpicientes, illi conſepeliri fecerunt. Quod multos poſt annos tempore HENRICI Auguſti, qui tertio OTHONI ſucceſſerat, temeraria curioſitate aperto Virginis ſepulcro inventum, & a quodam non de heredibus, ſed de pervaſoribus eorum quæ fuerant ſanctæ Hiltrudis, igne crematum eſt. Nunc de tranſitu beatæ Virginis dicamus.

* Molhain

VIII. Hiltrudis obitus. Quia ergo non eſt in hominis poteſtate judicium vel vita ejus, aliter quam rati ſunt religioſi parentes ſucceſſit, ut ſcilicet prædeſtinaverat parentum omnium parens ante ſæcularia tempora. Etenim Deo devota Virgo bono certamine certato, fide Chriſto ſervata, poſt modicum obviam ſponſo exitura erat, & cum eo in nuptialem talamum intratura. Unde modico correpta languore paullatim cœpit tabeſcere, & corporis viribus magis magiſque deſtitui. Cumque per dies ſingulos languor ingraveſceret, & jam neceſſitate mortalitatis noſtræ de corpore cogeretur exire; aderat religioſus frater ejus cum ſibi ſubditis, quotidie confirmans eam ſacris myſteriis. Ipſa ſe eorum orationibus commendare, ipſa Dominum ut ſe in pace ſuſciperet non deſiſtebat orare. Aderant & piiſſimi genitores, aderat & familia: quia pium erat gaudere illi, & pium flere illam. Tandem ſancta anima illa corporis ergaſtulo ſoluta eſt, ingreſſura ad quæ anhelabat tabernacula æterna, de quibus meditatione & voce cantaverat quotidiana: Quam amabilia ſunt, Domine, virtutum tabernacula tua! In talamum Regis a ſanctis Angelis introducitur, & ſponſi ſui quem amabat, quem ſemper optaverat, vultui præſentatur. Fit gaudium in tranſitu ejus ſpiritibus

a Hæc villa modo Vallis dicitur, vulgo *Vaux*, hactenus Monaſterio ſubjecta.

Digitized by Google

bus angelicis, fit & omnibus Sanctis congratulatio, quia princeps hujus mundi nihil in ea invenit. E contrario fit religioſo fratri ejus Guntrado, & cunctorum Fratrum collegio, piis parentibus & familiæ mœſtitia, luctus, & dolor: qui etſi mortem perdidiſſe, & vitam inveniſſe credebant; abſentiam tamen piæ vitæ graviter ferebant. Requievit vero menſe Septembri ſub die 5. Kalendarum Octobrium: cui collocaverunt ſepulcrum, quale decebat Virginem Chriſti, a dextris altaris S. Lamberti, in parte aquilonari. Impoſuerunt ſepulcro laminam lapideam hoc modo inſcriptam: HIC JACET HILTRUDIS CHRISTI VIRGINIS CORPUS, QUÆ OBIIT 5. KALEND. OCTOBRIS. CIRCA AN. 790 28. Sept.

IX. & parentum, Poſt dormitionem ſanctæ Virginis, &, de quibus ſupra diximus, liberorum, etiam Deo digni parentes in Chriſto requieverunt, quos venerabilis filius eorum Abbas GUNTRADUS in porticu Monaſterii ejuſdem in parte meridiana, ſicut decebat, eos ſepelivit. Nam id loci ad ſepulturam delegerant, & ſe hic collocari mandaverant: ubi patrem in lecto excelſiori, & matrem in humiliori ſepoſuit. Hic enim humilitatis gratia, ut introeuntes ſibi orarent ad animarum requiem, providerunt carnis pauſationem, indignos ſe arbitrantes qui intra Eccleſiam dormitorium haberent.

X. tum Guntardi Abbatis. Poſtquam autem fratribus parentibuſque & ſanctiſſimæ ſorori venerabilis Abbas, quem ad hoc ipſum Dominus ſervaverat, funeris exſequias impendit; & ipſe mortis debitum ſolvit, beatamque animam cœlo in æternum victuram miſit. Corpus ejus a Fratribus, quos ſecundum Dominum rexerat, & ut ſui memores eſſent petierat, in medio Oratorii S. Lamberti collocatum eſt: ubi & nomen & meritum ejus uſque in hodiernum diem præſto eſt.

XI. Monaſterii res immminutæ. Poſt cujus deceſſum annis multis perſeveravit & valuit hoc in loco Ordo & Religio Monachorum: ſed poſt Caroli Magni filiique ejus Ludovici Pii deceſſum, cum ſucceſſores eorum alius alium bello appeteret, & pluralitas Regum quod ſingulare fuerat Regnum ſibi traheret, diriperet, vindicaret; majeſtas Romani Imperii paullatim delabi, magis magiſque defluere ac innovari cœpit. Ubique Galliarum bella, cædes & vaſtationes fiebant, donec multiplicata ſunt mala.

XII. Vaſtatio per Hungros. Ea tempeſtate ſæviente, cum diſpoſitum haberet Dominus flagellare populum ſuum, gens Hungrorum partes Galliarum irrumpens invaluit: quorum effrenata malitia, etſi redundatura erat in caput illorum, ad breve tamen tempus immodice graſſata, urbes, caſtella, & vicos cæde & igne vaſtabat, ſed & Eccleſiis Dei non parcebat. Igitur ad ſupra memoratum Oratorium S. Lamberti properantes, ubi & multorum Sanctorum reliquias & ſanctæ virginis Hiltrudis fratrumque ejus oſſa collocata diximus, ubi etiam multa requieſcunt, de quibus non diximus, virginea corpora; ignem adhibent, ad cremandum multam operam impendunt. Sed, mirum dictu, igne virium ſuarum oblito nihil proficiunt. Nolebat enim Dominus Virginum ſuarum habitaculum ardere in igne, quarum corpora habitacula utique ſua non arſerant in libidinis ardore. Quid multis immoror? januas Eccleſiæ effringunt, amphoram vinariam illitam nitro erigunt, picem, ſtupam & malleolos lignorum ſiccamina ſubjiciunt, & varia igni fomenta ſubminiſtrant: ſed perparum ſic quoque proficiunt. Nam quantum circulus circumdabat amphoræ, flamma elambens tectum aduſtum reddidit, & de reliquo nihil præſumſit. Illi caſſo labore fruſtrati deſiſtunt, cunctam Eccleſiæ ſupellectilem auferunt, diſſipant, & Fratrum clauſtrales atque ſerviles officinas igne concremant. Luctu & lamentis omnia complent, & multos utriuſque ſexus & diverſæ ætatis captivos abducunt: qui, poſtquam victoria facta eſt de Hungris, repatriantes, materiam capituli hujus calamo noſtro dederunt. Ab illo tempore non ſolum hic, ſed & alibi locorum tam tempeſtuoſis ſucceſſibus ſtatus monaſticus & ordo monachicus ad ſolum ductus eſt & omnino adnullatus, & Cœnobitæ diſperſi ſunt.

Digitized by Google

CIRCA AN. 799 27. Sept. XIII. Direptio per ſæculares.

Hac tempeſtate tranſacta circummanentes provinciales quæ fuerant ſanctæ Hiltrudis ſibi uſurparunt, & ſinguli viciniora quæque ſibi rapuerunt. Facta ſunt ſæcularia quæ erant eccleſiaſtica: maligni homines ſuis adjungebant eccleſiaſtica, nedum eccleſiaſticis addicerent ſua.

XIV. Miracula.

Ne ergo lucerna Domini diutius in abſconſo modii lateret, ut divina bonitas quanti apud ſe eſſet meriti hominibus palam faceret; plurimas ad tumbam corporis ejus cœpit operari virtutes, quæ per ſcriptorum negligentiam & imperitorum deſidiam oblivione ſunt abolitæ. Sed neque locus requietionis ad id ſtudii vacantes tunc temporis habebat, neque temporum malitia ob malorum frequentiam adſentiebat. Neque enim ſtudium poteſt eſſe in animo, niſi animus ſit in tranquillo.

XV. Erat quidam filius Belial, FRAGIMARUS nomine, homo equeſtris, a puero malitioſis imbutus & aſſuefactus moribus, alienorum raptor; neque Deum timens, neque homines reverens. Is mortem obiit: mortuum eum vere dixerim, qui vivens mortuus erat Deo. Qui antequam morte præventus eſſet, dato caballo ſuo Presbytero Eccleſiæ Leſcienſis, quem ad prædas & ſanguinem fundendum ſolitus erat ſedere, impetravit ſibi locum ſepulturæ in porticu ejuſdem Eccleſiæ, prope ſeu juxta corpora venerabilis Wiberti & Adæ parentum ſanctæ virginis Hiltrudis. Neſciebant profecto beſtiales homines ſacra loca ſalvationem non præſtare, ſed damnationem; & quod nulla eſt communio Chriſti ad Belial. Quid multa? hoc audito, edicto Cameracenſis Epiſcopi clauſa eſt Eccleſia illa, clericali ſynaxi & ſacerdotali officio privata. Audiebantur noctibus voces dæmonum Fragimaro ſuo ut equitatum exeat inclamantium, ſed ob ſanctitatem *loci illum* auferre non præſumentum. Perterrebantur hoc audientes habitatores villæ, nullus nocturno tempore quavis poſcente neceſſitate domum ſuam egredi audebat. Sancta Hiltrudis Presbytero illi in viſu noctis apparens, Cur, inquit, ſic præſumſiſti, Dominice, (hoc enim erat nomen Presbyteri) ut cadaver illud fœtidiſſimum genitoribus meis ſupponeres, quo obſtante nequeo ipſos viſitatum accedere? ſcias pro certo te impune non laturum, niſi illud amoveris. Perterritus Sacerdos cum evigilaſſet, non ſurdus auditor comminationis, domeſticis ſuis ut cadaver illud auferrent impetravit, & in alluvione Helpræ extra Eccleſiæ atrium projectum ſummo tenus terra operirent. Sicque factum eſt, ut cum illam victimam Plutonis amoviſſet, miniſtrorum ejus terrificas voces ulterius non audirent.

XVI. Erat & tunc temporis quidam, ADELARDUS nomine, Leſcienſis prædii poſſeſſor; & uxor illi ERMENTRUDIS nomine, bene religioſa, & frequens ad orationum & pietatis opera. Hæc cuidam boni teſtimonii puellæ, Robergæ nomine, providentiam commiſerat infantulæ ſuæ, Hadvidis nomine. Quia ergo non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente quæ timet Deum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi; hæc puella quadam nocte audivit voces Angelorum in ipſa Eccleſia pſallentium. Ejulantis vocula infantulæ auditui obſiſtente, aliquantulum blanditiis compeſcens infantulam, ad ſuavem illam intendebat melodiam, cum ecce ſemivigilem dormitatio reſolvit in ſomnum. Adſtat puellæ puella virgo Hiltrudis (cellula enim ſupradictæ matrisfamilias, unde id auditum fuerat, Eccleſiæ contigua erat) leviter ſuſcitatam alloquitur, ſciſcitanti quæ ſit intimat, Hiltrudem ſe eſſe ejuſdem inhabitatricem Eccleſiæ edocet, & an aliquid audierit quærit ab ea. Illa quamdam ſuavem & auribus dulciter blandientem ſymphoniam ſe audiiſſe reſpondet. Scio, inquit, audiiſſe te, ſed non plene: obſtitit ejulantis vocula infantulæ, ſed incurret ægritudinem, non tamen ad mortem; non ad punitionem, ſed ob confirmationem quam audiviſti laudis divinæ: & adſeveranti tibi de laudibus angelicis quas audiſti, ſanitas infantulæ illico reſtituta teſtimonium perhibebit: quo dicto ſancta Virgo diſparuit. Cumque diluxiſſet in craſtinum, ſecundum verbum ſanctæ Virginis quaſi quædam lepræ varietas totam carnis ſuperficiem

Digitized by Google

ciem in illa a vertice calcaneo tenus corrupit. Nuntiatum eſt matriſfamilias hujuſmodi infantulam ſuam incurriſſe tam ſubito malum. Ipſa infantulam ſuam male multatam videns & morituram ad præſens, primo in ſtuporem, deinde ad deſperationem tota transfertur & dolorem. Adeſt puella de qua diximus; de laudibus quas audierat angelicis, & qua ratione id foret effectum edicit; ne illi timeat, ne de vita ejus deſperet matrem confortat, poſt modicum ei ſanitatem reddendam ex promiſſo ſanctæ Virginis confirmat: quod & factum eſt. CIRCA AN. 790 27. Sept.

XVII. Elevatio corporis. Sunt perplura miracula quæ per virginem ſuam Hiltrudem Dominus operari dignatus eſt, quæ ſi voluerimus dicere, prius terminabitur lux hodierna, quam verba. Horum perſuaſus auditu ERLUINUS [a] Cameracenſis Epiſcopus, venit ad locum: cum multo honore, cum pſallentium Clericorum ſuavi hymnodia, cum thimyamateriis, ſanctæ Virginis oſſa levavit, & poſt altare S. Lamberti in locello novo compoſita exaltavit. Videres tantam in levatione ſanctæ Virginis lætitiam, quanta fuit videre in depoſitione mœſtitiam.

XVIII. Eccleſiæ reſtauratio. Tempore HENRICI Auguſti, cum Cameracenſis faſces præſulatus vir Deo dignus adminiſtraret GERARDUS, ſancta virgo Hiltrudis cuidam apparens; Age, inquit, dic Adelardo & Ermentrudi, quia locus Oratorii quod fundaverunt genitores mei, per temporum vetuſtatem, per injuriam & adverſitatem ſæcularem neglectus ruinam ſui minatur; in loco horrei ſui mihi Eccleſiam ædificare non differant. Illi ubi de revelatione audiunt, primo quidem quaſi in ſomniis hæc audientes diſſimulant: poſtea vero ſæpenumero admoniti adquieſcunt. Venerabilis matrona, utpote ferventior pro animæ ſalute, ad opus illud ſe viriliter accinxit. Talis enim erat auctoritatis, cui vir ſuus (quamquam ſuæ ſalutis non magnopere curans) contraire non prævaleret. Erat autem mulier genere & moribus præcellens, erat & caſti conjugii, & (ut ſuperius diximus) ad orationem frequens & pietatis opera. In promotione operis illius Davidicum ſtudium in femina erat videre, qui in arca Ornam Jebuſæi tabernaculum Domino collocavit. Tandem conſummato opere, præmonito Eccleſiæ Cameracenſis Epiſcopo legationem mittunt, quatenus Eccleſiam dedicatum venire dignetur. Epiſcopus, ut erat ferventis in Domino ſtudii, voluntati eorum ſatisfacturus accedit, Eccleſiam 5. Nonas Maji dedicat, pretioſas de corpore S. Gaugerici ibidem reliquias collocat: ſed & eum debito honore & veneratione ſanctæ Virginis huc transfert oſſa medelæ & curationis largiſſima.

XIX. Miracula. Eccleſiam hanc propter ſeditiones quaſdam in atrio factas contigit per epiſcopale edictum claudi, & divino Officio privari. Inſtante igitur anniverſario dedicationis ejus, legatus velociter mittitur, qui ab Epiſcopo aqam benedictam ad Eccleſiam & atrium purificandum deferat. Legatus pridie ſollemnitatis, dum tardat in redeundo, ſilent Clerici in veſpertina ſynaxi. Moleſte fert confluens populus divinis ſe fruſtratum laudibus. Quid plura? obſeratis noctu Eccleſiæ januis, ecce agendarum vigiliarum hora Eccleſiæ campanæ ſonant. Æditurus accurrit ſtupefactus, accurrunt & Clerici & de populo quamplures, legatum ab Epiſcopo remeaſſe putantes: at ubi Eccleſiam intrant (neque enim æditurus intrare ſolus præſumſit) ſonus ille campanarum conticeſcit. Quiddam ergo divinæ virtutis adeſſe intelligunt, Dominum collaudant, virtutemque ejus ubique locorum promulgant.

XX. Referam & aliud miraculum quod bonitas divina per merita Virginis ſuæ operata eſt noſtris temporibus. Erat mortalitas hominum hujuſmodi. Fiebat ſubito languor talis, quem qui incurriſſet non convaleſcebat, ſed

[a] Præfuit ab anno 929. ad annum circa 1010. mortuus aliquot annis poſt Ottonem tertium, quem obiiſſe anno 1011. prodit Baldericus in Chronico, ubi agit de Erluino in lib. 1. cap. 110. & ſequentibus, & de Ottone quidem cap. 114. Erluino poſt Secheri, & Azelini ambitus ſuccedit Gerardus ex cap. 122. de quo infra.

CIRCA AN. 790 27. Sept. vel ſequenti, vel in præſenti moriebatur. Hac coacti neceſſitate diverſi ſexus & ætatis homines ad ſuffragia S. Ettonis in villa quæ dicitur Domni-Petri *a* quieſcentis confugiebant. Cumque inde regredientes aliqui de villa Ranſia * ad Eccleſiam S. Hiltrudis virginis diverterent, hujuſmodi languorem quidam de comitatu illo puer ſubito incurrit. Timentes ei parentes ſui, quia nullus de hujuſmodi languentibus in ſanitatis ſtatum reparabatur; ad ſanctæ Virginis ſuffragia concurrentes, pro puero petierunt orationem, anniverſariam voventes ſe reparaturos oblationem ſingulis annis. Convaluit puer de infirmitate, ut palam faceret Dominus, quantum apud ſe Virgo valeret in prece.

* Rance

XXI. Per idem tempus Bellimontenſes * villam ipſam prædaturi & igne crematuri conveniunt ſupellectilem, villæ auferunt, poſtremo incendium conflant. Incenduntur domus Eccleſiæ proximæ, ipſi Eccleſiæ incendium minantur, Clerici anxiantur, trepidant, feſtinant: Eccleſiæ diffidunt, quid agant, quo ſe primum vertant ignorant. Tandem duo ex ipſis feretrum in quo ſanctæ Virginis oſſa continentur arripiunt, obviam incendio portaturi. Jam ignis hærentes Eccleſiæ lambebat ædes, cum ecce duo illi portitores inter duas domos anguſta intercapedine exitum ab Eccleſia concedentes, obviam habent incendium, nec ulterius progredi valent. Cum non eſſet declinare ad dextram vel ſiniſtram, feretrum deponunt, ipſique in Eccleſiæ limen ſe recipiunt, ſic ſanctæ Virgini inclamantes: Si te cremari permittas incendio, tuo deliberandum committimus arbitrio. Mirum dictu! videres quaſi vento retroactum fugere ignem, & in ſeſe deficere. Hoc viſo prædones miraculo deſiſtunt ab Eccleſiæ crematione, & Clerici magnificant Dominum.

* de Beaumont

XXII. Contigit quemdam jam dictæ villæ habitatorem in eumdem morbum incidere, unde lecto decumbebat: videbatur autem in ſomnis ſanctæ Virginis oſſa per eamdem villam paullo poſt transferenda ſibi enarrari. Expergefactus fidem facit viſioni, ſuis retulit, ut calcearetur & obviam deduceretur admonens. Illi primo putabant inſanire: ſed ubi inſtantem viderunt, ei ſatisfecerunt: ubi eductus eſt domo, ecce nolarum audiri cœpit ſonus, quæ feretro ſanctæ Virginis anteferebantur. Tranſeunti per plateas villæ occurrit, feretrum ſubiit, vota ſua vovit, & poſt modicum Domino & ſanctæ Virgini gratias agit vigoratus. Unde factum ut ſingulis annis non ſolum hic, ſed cuncti villæ ejuſdem manſores in die depoſitionis S. Hiltrudis & dedicatione ejuſdem Eccleſiæ vota ſua & preces hodieque non deſiſtant deferre.

XXIII. Contigit & aliud indicium virtutis ejus. Mulier quædam de villa, quæ Terluinus * vocatur, phreneſim incurrit. Hanc ſui vehiculo impoſuerunt, atque ad ſuffragia ſanctæ Virginis adduxerunt. Cumque ad oſtium Eccleſiæ depoſuiſſent eam, æditus qui aperiret quærebatur. Sed cum ille diu quæſitus venire diſſimularet, iſti vero præ foribus Eccleſiæ ſalutem miſeræ implorarent, & vota ſua Domino & S. Hiltrudi voverent; hæc dormitare paullulum cœpit. Quam in manibus tollentes, & in vicina domo collocantes, ſomno eam crediderunt, quod ſoſpitatis indicium eſſe credunt. Quæ cum a ſomno evigilaſſet, ſe ſanitatem recuperaſſe ſenſit, & re comprobavit: nam ſana mente ſurrexit, locuta eſt ſuis, Eccleſiam intravit, Domino & Sanctæ gratias egit: & quæ deportata fuerat vehiculo, pedeſtris remeavit ad propria cum gaudio.

* Terlon

Epilogus operis. Sunt & alia numerum excedentia virtutum ejus inſignia, quæ ad laudem nominis ſui & declarationem pretioſæ hujus lampadis quotidie operatur Deus, quæ & nos ipſi vidimus, & ab iis qui viderunt audivimus: Hæc ſcripſimus ut mirabilem in hac Virgine *b* Dominum prædicemus.

V I-

---

a Villa hæc, ***Don-Pierre*** vulgo appellata, Cœnobio Leſcienſi conceſſa eſt a Guillelmo loci domino, dein Monacho: modo Prioratus Leſcienſi Eccleſiæ ſubjectus, in qua nunc B. Ettonis corpus cum S. Hiltrude colitur. Fuit is Monachus Scottus, S. Furſei ſocius.

b Ejus corpus hactenus religioſe adſervatur in Eccleſia Leſcienſi, in ſacello ſcilicet Reliquiarum, quod Antonius de Wingio Abbas exſtrui curavit, ac dedicari die 12. Octobris anni 1629. per Franciſcum Archiepiſcopum Cameracenſem.

Digitized by Google

VITA SANCTI SOLI CIRCA AN. 790.
MONACHI ET CONFESSORIS 3. Decemb.
IN NORICO,

Auctore ERMANRICO Levita & Monacho Elevvangenſi ſæculo 9.

Ex tomo 4. antiquarum lectionum Caniſii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Auctor Vitæ S.* SOLI, *qui ab aliis* SOLA, *Rudolfo in Vita HRabani* SUOLO Vitæ Auctor.
vocatur, eſt ERMANRICUS *ſeu* Ermenricus, *ab aliis* Ermenoldus *dictus, Monachus, dein Abbas Elevvangenſis Monaſterii in diœceſi Auguſtana, quod medio ſæculo 10. Ad Canonicos vertiſſe dicitur. Ermanricus Fuldæ litteris operam dedit præceptore* RUDOLFO *Monacho, cui hanc lucubrationem dedicat. Forſan is ipſe eſt qui inter* Fratres conſcriptos *Monaſterii S. Galli numeratur apud Goldaſtum his verbis* : Nomina Fratrum de Elenhenvvangia. Sindoltus Abba. Erfman Abba, *&c. Ermanrico etiam tribuitur interpolamentum Vitæ S. Magni ſeu Magnoaldi : qua de re dictum eſt in Sæculo ſecundo ad annum 665. Vitam S. Soli ſcripſit eo tempore quo HRabanus Maurus Fuldenſi Monaſterio præerat Abbas, ut patet ex cap. 6. proinde ante annum 847. quo HRabanus Sedi Maguntinæ impoſitus eſt. Certe Auctor cap. 7. adfirmat, ſe plura S. Soli miracula ab ipſius Soli ſene ſervitore didiciſſe : quod etiam teſtatur in ſubjecta epiſtola* GUNDRAMNUS *Levita, HRabani Mauri nepos, Cellæ S. Soli æditus; de quo nonnulla infra adnotabimus.*

2. *Colitur S. Solus 3. Nonas Decemb. in Eiſtetenſi diœceſi, ubi ipſe vixit. Quippe ip-* Cultus & Cella.
ſius Monaſteriolum dictum Cella Solæ *in diplomate Ludovici Pii*, Solenhus *in Vita HRabani Mauri*, Solæ Curia *infra*, Solæhofium *recentioribus, vulgo* Solenhovven; *ſitum erat* in pago Suala *ſeu* Sualefeldt, juxta fluvium Altmule, *ut habent Ludovici Auguſti litteræ, in confinio Turingiæ & Bajoariæ*, in ea ſoli regione, *inquit Brovverus*, quam Marcgravii Aneltzbachenſes ſtirpis Brandeburgicæ inſident. Rivus Altmona, vulgo Altmule, ſubter ex Septemtrione labitur in Auſtrum, verſus Orientem Solæhofium luſtrans, *demumque Danubio recipitur. Hæc Cella ab ipſo S. Solo ſubjecta Monaſterio Fuldenſi (ut infra cap. 4. legitur, quod etiam probat Ludovici Pii diploma a Brovvero relatum in lib. 3. antiq. Fuld. cap. 13) paruit Præpoſito a Fuldenſibus ſubmiſſo ad annum 1487. tandemque a Lutheranis omni cenſu ac religione ſpoliata eſt. Lege Brovverum loco citato & Gretſeri obſervationes in Vitam S. Vvillibaldi lib. 2. cap. 4.*

EPISTOLA GUNDRAMNI AD ERMANRICUM.

CHARITATE *quæ Deus eſt amato* ERMANRICO *Diacono & Monacho* GUNDRAMNUS *Conlevita tuus æternam in Domino ſalutem.* Sane cum non ignorem me hactenus in activa & periculoſa vita, & te ceu remotiorem a ſæculari militia poſitum in theorica, non dubitem quin recorderis mei ſedulo, ut me Deus omnipotens conſervet a mundi retiaculo. Et ut lectum habes, ob deletionem criminum & augmenta præmiorum præſens hoc tempus a Deo indultum habemus. Quapropter, Frater mi, licet diverſo habitu *a*, uni tamen ſerviamus Domino, cujus onus leve eſt, cujus jugum ferre ſuave, volenti tamen. Dein honoremus & Sanctos Dei devota mente, ſervitio quo poſſumus : quia bonam volunta-

a Gundramnus in ſcholis licet Fuldenſibus educatus, tamen Monachus (ut ipſe ait) ligatus haud fuit, ut intelligitur tum ex hoc loco, tum maxime ex cap. 10. infra : tametſi diu Fuldæ vitam monaſticam egit.

CIRCA AN. 790 3. Decemb.

S. Soli Vitam ſcribi rogat, ex ſuo & aliorum teſtimonio.

tem Deus in nobis quærit, nec penſat quantum, ſed ex quanto ſerviamus ei. Idcirco & te quaſi ceteris familiariorem popoſci, quatenus SOLI beati Monachi vitam & geſta conſcribas, ut meritis ipſius, tui laboris mercedem apud omnipotentem retributorem accipias, ac mihi in eo ſatisfacias: & uterque cumulum ſudoris recipiat in futuro, ego petitionis, & tu ſcriptionis. Nam & multos actus ejus agnovimus tam inſignes, & in vita hujus lucis agentem, & poſt hanc vix comparabilia facientem, ita ut aliquem ex prioribus Eremicolis vel Antonium vel Paulum in eo mirareris. Quæ non ſolum ex ore meo didiciſti, ſed & a ſuperſtitibus quibuſdam qui verba ejus & opera hauſere, indubius audiſti. Quapropter non pigeat te hanc viam nunc aggredi, ſcilicet ut geſta ejus brevi & veraci periodo conſcribas: quia & majora otia te habere cenſui ob beatam conſuetudinem Cœnobii. Et ideo neminem alium laborantium ad hoc opus quæro. Nolis, velis, acclamito, ut hujus * materiam cum Dei opitulatione incipias expoſco, domini Abbatis patrui mei licentiam defero, & RUODOLFI oratoris tui preces adnuntio: teque ipſe efflagito, quin & ex amicabili familiaritate firmiter mando, ut & vera & manifeſta Dei opera luculento ſermone depingas, & in corrigendis & augendis Ruodolfum adeſſe depoſcas, ad ejus perſonam Prologum ſcarpſinans. Opto itaque fraternitatem tuam ubique bene valere mecum in Chriſto, Amen.

* f. hujuſmodi

EPISTOLA ERMENRICI AD RUODOLFUM.

OMni *in arte celeberrimo Domno* RUODOLFO a *meo Didaſcalo* ERMINRICUS *ultimus omnium, ac indignus Levita plurimam æternamque in Domino ſalutem*. Ex quo, Pater ſanctiſſime, bonitatem ac doctrinam tuam aliquantulum prælibavi juveniori tempore, licet ut infans qui magis optat ludere, quam mores & ſophiam diſcere; ex hoc tamen adſenſi, non quantus es, ſed ut quantula tunc virtus adfuit, quam magni ac multiplicis ingenii vir ſapiens habearis. Nec tale lumen in te fore * quiviſſet, ni ex luce luminum ſcotos * tua illuſtrata fuiſſet: quia omnis ſapientia a Domino Deo eſt, & ſpiritus ubi vult ſpirat, requieſcens ſuper humilem & trementem verba Dei. Qua de re, venerande Magiſter, in multis deſidero profectum laboris tui, dum & omnibus juxta Apoſtolum omnia factus es, mihi infirmo factus es ceu infirmus: quatenus ut aliger ſemiplumatus, firmior ex doctrina tua fiam, & quandoque gubernante in campum olo-agio-graphæ volare ac quieſcere queam. Quod & te ſcio magis rebus quam verbis oſtendere malle, ſi tempus ſecundum adeſſe poteſt. Interim Paternitati tuæ intimare volui, quid ſuper petitione cariſſimi mei GUNDRAMNI tuæ mentis eſſet, utrum incipiam, an (ut inſipientium moris eſt) penitus denegem. Nam hujuſmodi non ſolum petebat, ſed & obſecrabat: Adjuro te per vitam meam, amande, ut in amore Domini Vitam S. SOLI Monachi conſcribas, propales, in quantum a fidelibus referentibus comperta ſunt tibi, nec abneges deprecanti. Cui tam honeſtæ petitioni, licet laborioſæ, negare non potui. Idcirco & Paternitatem tuam depoſco, ut ubicumque in ſenſu vel in ratione tibi videar titubare, paterno ſtilo emendes: quia & hujus beati viri progreſſus vel vita tibi eſt notior, & ad corrigendam ſeriem orationis ideo aptior. Nam ego tantum ea quæ auditu percepi ſcribere malui; etſi non omnia, tamen ipſa quæ a religioſis viris audieram, præterire dignum non cenſui: quia in multis evidentioribus ſignis apparet, quanti meriti ſit apud Deum omnipotentem iſte vir. Quapropter dimiſſa excuſatione, ad narrationem quamvis brevem Deo annuente jam veniam, uti ſimul in Chriſto bene ſemper tecum valeam. Amen.

* eſſe

* σκότος, tenebræ, in editis male ſcopos.

Rudolfum hac de re conſulit Ermenricus.

Audita ſcribit.

I N-

ᵃ Is eſt Rudolfus ſeu Ruodolfus, qui Vitam S. Liobæ ſuperius relatam ſcripſit, & forſan is ipſe Rodulf, qui ob pictoriam artem laudatur a Hrabano in epigrammate 106. Inſcriptionum.

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA.

CAPUT I. QUIBUS *temporibus & quo magiſtro ſit inſtructus & de qua gente progenitus beatiſſimus* SOLUS.

II. *Quod ſolitudinem amaverit, & ob id cenſetur, ita vocatum locum & ipſum.*

III. *De æſtimatione nominis, & ipſius loci vocabulo.*

IV. *In quo pago locus ipſe ſit ſitus.*

V. *Qualiter ad aures Domini Imperatoris Auguſti* CAROLI *ejus ſtudium delatum ſit, & de firmatione dominica circa ora loci ſupradicti.*

VI. *Quod habuit ſui ſilvatici ſudoris adminiculatores domnum* WILLIBALDUM *Epiſcopum & germanum ejus Vvunebaldum Preſbyterum.*

VII. *De eo quod a nativitate cæcum curavit, & claudicantem erexit.*

VIII. *Quod ſurdum ac mutum invocato Chriſti nomine ſanavit.*

IX. *De miraculo aſelli ejus, cui in Chriſti nomine præcepit, ad morſum bidentium feſtinantem necare, & ſine mora accurrens momordit eum.*

X. *Tumba ejus ab indigno * Gundramno renovata, qualiter ore ſuaviſſimo tota regia domus delectabiliter repleta ſit: & quod in decem capitulis ſermone mecum ſuper eo ſuccingere malui.* * f. a Diacono

PROLOGUS IN VITAM S. SOLI MONACHI.

IN paganorum itaque multorum panegyricis, dum multos ſcenico more viventes ita poeticis figmentis comperimus perlectis eorum actibus laudatos, ut ſtolida mente & penitus a lumine fidei cœca eos in deos tranſtuliſſent, quos aliquod ſibimet inuſitatum commentante diabolo inveniſſe fabuloſe jactabant: cur nos qui Chriſtiani ſumus ſignaculoque muniti ſtigmatis Chriſti, quo levato omnia Ægypti delubra cadentibus idolis diruta ſunt, taceamus glorioſum belligeratorum triumphum pro fide Chriſti in omni vita ſua decertantium, quin actus vitamque ipſorum, tamquam veriſſimo Regi militantium, liberiori religione deſcribamus? Quos ſigna per virtutem Domini non ficta, ſed veraciter facta, & præſentia, ac poſt hujus vitæ diſceſſum ſubſequentia clariſſimos reddunt in tantum, ut nihil dubitemus eos tot ac tanta nomine Domini invocato in terra facere præſentes. Et dum uſque hodie Maronis ac Homeri inutiles fabulæ a Chriſtianis viris lectitantur: cur non magis libet perſcrutari dicta ac facta majorum, ad quorum tumbas ſedulo procumbimus, divinam clementiam implorantes, quatenus per interceſſionem eorum qui jam ſunt in cœlo cum Deo coronati, nobis qui adhuc in dubio ſcammate adſiſtimus, auxiliari ad gloriam ſui triumphi dignentur. Sed ne nimis in longum ſermo protelетur, abbrevientur hujus orationis ambages. Et quia magnorum heroum omnium acta penſare dignum me fore haud cenſeo, honorabiliſſimi beati SOLI Sacerdotis Chriſti vitam ex parte tangendo, licet ſuper vires meas ſit, propalare tamen aggrediar.

IGitur beatiſſimus cœlicola SOLUS, Apoſtolis in omni actione ſua pene conſimilis, regnante domino PIPPINO Imperatore *a* ſuper Franciam & Germaniam, eodem tempore, quo ipſe de gente Anglorum magiſtrum ſuum, ſanctum ſcilicet BONIFACIUM Archiepiſcopum proſecutus eſt; hanc in patriam ceu jubar ſolis clariſſimum *b* delatus eſt: a quo Preſbyter Monachuſque ordinatus, ſanctæ converſationis initia ſumſit. Cum enim piiſſimus Imperator comperta S. Bonifacii ſanctimonia ac ſociorum ejus, cœpiſſet familiaritate eorumque colloquio amicabiliter potiri; annuente Dei gra- CAP. I.

a Sic non rato Francorum Reges appellant mediæ ætatis Auctores, uti & alios.

b An S. Solus venit cum S. Vvigberto Abbate aliiſque ex Britannia arceſſitis a Bonifacio? an cum S. Vvunebaldo? cujus conſanguineus fuiſſe a Philippo Eiſtetenſi Epiſcopo dicitur, ſed gratis quidem. Ermenricus cap. 6. memorat, Willibaldum & Wunebaldum faviſſe Solo, *ut propriæ gentis viro*, dicturus *conſanguineo*, ſi fuiſſet.

Digitized by Google

CIRCA AN. 790 3. Decemb. gratia, cœpit beatum Epiſcopum Bonifacium præ omnibus his qui ſub eo fuere Epiſcopis habere, eumque ſui ac totius populi fidei doctorem fieri juſſit. Qui cum ab Imperatore mandatum ſumens, totam Franciam, ac Alemanniam, ceu pater filios, non ſolum lacte, ſed & pane firmiore educavit. Atque, ut erat vir per omnia pleniſſime doctus, ne per imperiale præceptum contemneret * Sedis apoſtolicæ privilegium, Romam adiit: ibi ab apoſtolico domino LEONE *a* accepta Archiepiſcopatus auctoritate, nactis benedictionibus Domini inde rediit, qui illuc devotus properavit. Deinde ut major lux Fidei in ſua patria luceret, cœpit de ſanctiſſima ſua cohorte emeritos præficere Epiſcopos ac Presbyteros, ubicumque conſtituendos. Qui ſimul cum ſuo magiſtro, veluti cum ſummo Apoſtolo, gentem noſtram in tantum correxere, ut Apoſtolos præſentes cerneres: ſicuti & fides & morum inſtitutio, quibus in partibus prædicabant, hactenus ſeminis hujus germen optime pullulare declarant. Quorum pium initium elegantiſſima finis ſyllogiſmavit; dum & nullus ex his maniplis relictus eſt, quin vel glorioſo martyrio coronatus, vel pia confeſſione honoratus eſt.

* al. contemneretur

II. Hic denique mitiſſimus vir, cujus in præſenti ſermonem tenemus, S. Solus, inter ceteros compares ſuos ceu gratiſſima florum gemma, licet latitans enituit: illiſque, ut ſuperius diximus, ad colligendos Deos populos ubique diſperſis, iſte multo ardentius præceptorem ſuum dominum S. Bonifacium in omnibus cœpit proſequi. Illam puto ſententiam Domini memorans, qua dicit, perfectum omnem eſſe, qui eſt ut magiſter ejus. Nec alias quam ut B. Joannes Evangeliſta ex pectore Domini noſtri JESU-CHRISTI plus ceteris divinam ſapientiam ebibit, amplexatus: ſic & iſte magiſtro ſuo adhærendo omnis ædificationis documentum percepit adſtructus, pluſque eremum cupiit, quam ullos jam aridi ſæculi rumuſculos aut honores deciduos; geſtans in mente vaticinium Prophetæ: En, inquiens, elongavi fugiens a ſæculo, & quievi in eremo. Elevatiſque virtutum pennis, veluti ſimplicior columba volavit, ac requieſcit corpore, ſcilicet in ea ſolitudine, quam ipſe ſibi elegerat: mente enim & animo ſemper fuit in Domino. Sed ne quid diſcipulis S. Bonifacii Archimandritæ deeſſet, Chriſto omnipotenti in omnibus cooperante, illi in ſæculo tritici Domini diſpenſatores conſtituti, ſemina ubique centiflua mittentes, reteque Evangelii expanſo, undique de profunditate ſæculi hujus fluctivagas animas ad cœleſtis patriæ litus traxere. At vero iſte Solus Domini hymnis ac orationibus vacare deſiderans, eremum petiit, & ob hoc, ut putamus, divina providentia Solus nuncupatus, quia ſolitudinem amavit.

Matth. 10.

Pſalm. 54.

III. Nempe & ipſe locus quem incoluit ex ejus nomine ſolitudo dici poteſt: quem tamen quidam vulgarice Cellam vel Curiam Solonis vocant. Aſt ego ſalva aliorum æſtimatione, dico, eum Monachum, id eſt Solum potius quam Solonem: & cellam ipſam, Cellam B. Soli, quam Cellam Solonis poſſe nuncupari, dum & ipſe locus a mundi actibus ſequeſtratus ſit. Et ideo ſolitudo ipſa a cultore, ſcilicet Solo, nomen habeat. O quam felix collegium beatiſſimi Bonifacii! dum & lucernæ Epiſcoporum, Presbyterorum, ac ceterorum graduum copioſe de ſuis per totum mundum lucerent; nec ſolitarios divina bonitas ex his abeſſe paſſa eſt. Quorum omnium geſta ſcribere non ſolum ſuper meas vires eſt, ſed & omnium pene linguarum doctorum fortium ſeries ceſſat. Plus enim in ſecreto pectoris ſui cubiculo conati ſunt Deo placere, quam ſuperficie tenus actus ſuos propalare mallent: licet apertum ſit ex fructu, tales rami de quali radice proceſſerint.

IV. Ante vero quam ad exponenda ejus miracula veniam, ratus ſum aliquid ſuccinctum edicere de ipſius loci ſitu, in quo beatus Chriſti Confeſſor ſibi tugurium nobile ſtatuit. Quod licet exiguum ac vile viſui haberetur, proprio tamen ſtratis * palatiis, hoc delectabiliter potitus eſt. In pago namque Sua-

* f. ſpretis

a Lege Gregorio II. a quo Bonifacius Epiſcopus & Legatus apoſtolicus creatus eſt, ut in ipſius Bonifacii Actis vidimus ſuperius ad ann. 754.

Digitized by Google

Suala vel domo * ipſe locus ſitus eſt, habens orientali ex parte flumen CIRCA AN.
quod Altmona nuncupatur, piſcibus copioſum & maxime bimanes cancros 790
ebulliens, navalique mercimonio aptum. At ex occidentali & ſemimeri- 3. Decemb. * ſ. dumo
dionali plaga ita undique alpibus celſis circumſeptus eſt, ut vix unius dif-
ficillimi adſcenſus præbeat euntibus facultatem. Ex ſeptemtrionali vero
parte amnis ſupradictus veniens, decurrit ad Orientem ac Auſtrum ver-
ſus. Terra autem ibidem adjacens ſterilis eſt, nihilque pinguius ſigale gi-
gnit, tediſque arborum ac pice aliis arvis famoſior. Hunc nempe in om-
nibus tam jucundabilem ac delectabilem locum elegit ſibi incola ſanctus,
ſciens ſcriptum, quod arta via eſt vere quæ ducit ad atria vitæ. Nec
immemor prophetiæ dicentis: *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant,* Matth. 7.
orietur viror calami & junci, & erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur. Quæ Iſa. 35.
quamvis typica ſint, huic tamen cœlicolæ loco non inconvenienter aptari
poſſunt: quia ut ex referentibus agnovi, ſævis ſerpentibus ac beluis diriſ-
ſimis locus ipſe antea eſt refertus. Sed vox in deſerto clamantis direxit viam
aſperiorem in planiorem: ita ut undique Chriſticolæ ad venerabilem
Chriſti Sacerdotem confluxiſſent monita ſalutis percipere. Tantumque me-
ruit piæ virtutis obtinere, ut plures a malis beſtiolis obſeſſos ore extra-
xiſſet, ac Chriſto ad animas eorum viam paraſſet.

Cumque enim fama prodigiorum ac virtus Domini evidens de eo longe V.
lateque percrebuerint, Deo eum in omnibus gubernante, ſeque ſub ſince-
riſſimo humilitatis pallio occultante; pervenerat tamen de eo ſermo uſque
ad aures ipſius domini ac sereniſſimi Imperatoris CAROLI Auguſti: quia
non potuit civitas abſcondi ſuper montem poſita, neque lucerna lucens oc-
cultata eſt, ſed potius elevata. Cæſar autem Auguſtus ſupradictus, uti
ſapientiſſimi fuit ingenii, perſcrutans omnia geſta ejus, tradidit ei cum fir-
miſſimo munimento ipſum locum quem incoluit, eumque ſui oratorem
perpetuum fecit.

Habuit itaque beatus Solus, poſt glorioſum triumphum martyrii Sancti VI.
Bonifacii Archiepiſcopi, dominum WILLIBALDUM Epiſcopum & WU-
NEBALDUM germanum ejus Presbyterum adjutores ſui * laboris, qui ei
ut propriæ gentis viro, omnibus his in locis adminiculum *a* ac ſolatium * al. lapidici laboris
præbebant. Quin & accolæ regionum harum quocumque adventantes, ei
in Chriſti amore frequentius adminiſtrabant: aliquanti & prædii ſui par-
tem tradebant illi. Quam ille cum timore Domini accipiens, cum his
quæ dominus Carolus Auguſtus ei donare dignatus eſt, ad egregium Ful-
denſe Cœnobium poteſtativa manu contradidit, ubi Deo providente modo
ſanctiſſimus ac in omni parte peritiſſimus dominus Abba RABANUS per-
ſpicabiliter fulget: videlicet nemini devotior quam illi magiſtro, quem
ſequi ab exordio cœperat; illique familiæ, quæ magiſtri ſui inſtitutionis
imitatrix ubique nobilis habetur.

Cœperunt autem & multa miracula, Domini gratia tribuente, per bea- VI.
tum Solum fieri, ex quibus pauca quæ ex quodam ſene ipſius ſane ſervitore,
in decrepita jam ætate ſuperſtite agnovi, adnectam narratione ſub brevi. Enim-
vero priſcis in geſtis dum lectum ſit ante Chriſti Incarnationem cœcum a nati-
vitate neminem Sanctorum illuminaſſe, licet mortuos ſuſcitarent, leproſos
mundarent; & dum in hoc tempore moderno illud rariſſimum ſit; iſte, ſalvo
Omnipotentis privilegio & Apoſtolis ac ſucceſſoribus eorum dato, natum a
primis cunabulis cœcum ſignaculo Crucis appoſito irradiavit, ocelliſque ejus
incognitum lumen oſtendit. Per idem vero tempus & claudum quemdam in
geſtatoriis reptantem potius quam ambulantem, ad curſus ſui ſtatum divina
virtute erexit: cujus hactenus geſtatoria in loco datæ ſalutis pendentia ad
ſignum ſunt. Sed cur hoc de eo calculoſum * videtur, cum ipſe ſalutiferæ Me- * id eſt dubium

a Adelbertus Heidenheimenſis Abbas in Relatione hiſtorica de reſtitutione Cœnobii ſui facta Monachis Benedictinis, a Gretſero edita, *villam quæ Altbrim vocatur*, inquit, *Sola Confeſſori contradidit* S. Wunebaldus, cujus Acta uti & fratris Willibaldi ſuperius exhibuimus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 790 3.Decemb. Joan. 14. dicus ſalutis dignatus eſt promittere membris ſuis, dicens: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora his faciet?* Quamvis nemo ſignis Dei æquiparari poſſit, quia omnis homo creatura Dei, & omne bonum ex Deo, & per Deum fuit; & omne corporale malum ex homine, & per diabolum fit, & quidquid mali inviſibiliter conſtat. Sed ille humani generis inimicus per humilitatem Domini noſtri JESU-CHRISTI perpetualiter victus ac damnatus eſt, quotidieque per membra ſua eum devincit, cum per Sanctos ſuos qui hactenus mole carnis aggravantur, ſed meritis eorum intercedentibus triumphat ipſe qui per eos pugnat: nec non & potius per eos qui jam ſunt cum eo coronati, ad quorum buſta noſtra peccata deflendo concurrimus ſedulo, glorioſiſſime contrarium noſtrum pellendo eliminat, contrariique dejiciuntur, ac ſanitates ſaluberrimæ hominibus donantur. Horum omnia martyria plures ex frequentibus viſibus teſtimonium liberiore ore teſtificantur, quia Deo propitiante ubique jam mundus in glorioſorum actionibus munitus refulget, ex quorum meritis reliquiæ fiant ſalvæ. Et dum jam prope generaliter interitus ipſius immineat, crebrioribus neceſſe eſt ut urgeatur angoribus: ſed interceſſionibus piorum paullulum differtur cito caſurus, donec numerus beatorum implebitur, & ſic plenius omnes Electi cum Domino ſemper ſunt gaviſuri.

VIII. Nec hoc prætereundum cenſeo, quod piiſſimus Chriſti Sacerdos Solus plus ſe ad exercitium ſanctæ converſationis quotidie extendens, pluris virtutis cumulum a Deo meruit roborata poſſidere mente. Nam & quemdam in his miſellis gregibus, qui ſæpius orationis cauſa ac eleemoſynæ ad ipſam cellam confluxerant, & benedici ſe ab eo petierant, conſpexit horribili dolore detentum, ſic ut nec loqui, nen audire quid poſſet; aliis ante eum ad benedictionem feſtinantibus, ipſe ſtetit ut mutus. Sed dum diu beatus Solus in præcordiis ſuis orationem cum lacrymis ad Deum funderet; proſpiciens iterum ac tertio, & ſuſpirans dixit: Surde & mute ſpiritus, exi a plaſmate Dei. Et continuo cecidit coram populo, & ſanatus eſt homo. Quod quidem tabulæ pictatoriæ ibidem pendentes teſtantur id fore quod dictum eſt. Penſare itaque mens humana difficillime poteſt, quanto amore iſte vir diligeretur a Chriſto omnipotente, qui eum non ſolum in cœlo ſui regni participem, ſed & in terra in his duobus ſignis egregiis facere dignatus eſt æqualem, excepto quod Dominus ſemper facit cum poteſtate, hoc iſte ſolus ex ejus domo & virtute egit lacrymoſa cum impetratione. Etenim hæc vulgus & qui minus intelligunt, noſque cum eis, pro maximis laudibus tenent, quod Sancti Dei in hoc ſæculo a diverſis languoribus corpora cœcorum, claudorum, aridorum, & paralyticorum in nomine Chriſti curant: ſed tamen non ſolum in hoc, quando potius & in eo opere laudandus ac glorificandus eſt omnipotens Deus, quod ipſe interius cœcos, claudos, & diſſolutos nos quotidie curare non ceſſat. Nam & ſi altius intelligitur, in his debilibus non antea ſalus corporis tribuitur, quam mentis ægritudo intus ſanetur: quia nec corpus ſine peccamine exterius affligitur, nec mens ſine remiſſione delicti interius ſanatur: licet omnigene ſit nobis incognitum, quid unuſquiſque mereatur apud omnipotentem Deum. Sed ſive ſit hoc, ſive illud, juſtus & æquus eſt Dominus in omnibus operibus & judiciis ſuis, ac glorioſus in Electis ſuis.

IX. Sane & hoc miraculum huic opuſculo inſerendum cenſui, quod multi vetuſtiores accolæ ſe meminiſſe ferunt ſupradicti pagi. Nam quondam in die dum iter ſuum nobile una cum aſello ſuo ageret, contigit ſe in quemdam locum deveniſſe paſcualem, quo oves abſque paſtoribus paſcebantur, neſcio quo abeuntibus. Interim propius accedendo cœpit aſellus aures viciſſim erigere, dein offenſis pedibus caput in altum extendere; ad extremum elevata cauda declivis per avia currere cœpit. Tum adſeſſor ſuus hoc inuſitatiſſime fieri cernens, tremebundus uti ſenex deſiliit, ſeque Crucis ſigno obfirmavit. Cœpit tamen artius tractare, quid aſino eſſet, vel quid ſuper eum divina bonitas facere voluiſſet. Sed dum hoc ſecum deprehenderat, quod in via Balaam non fu-

Digitized by Google

ſugerat, neque illum aſellum ſugientem Angelum, elevans oculos cernit lupum. CIRCA AN. 790 3. Decemb. Intellexit itaque vir Deo plenus naturalem aſini ſui formidinem, fixoque in terram capite paullo divinam oravit virtutem, & tunc demum ad fugibundum ajebat: In nomine Domini mei JESU-CHRISTI, o aſine, præcipio tibi, ut concito curſu irruas in eam beſtiam quæ ſub frutice latet, inſidiando inſciis bidentibus. At ille ex præcepto magiſtri ſui intrepidus aggreditur lupum. Interim & mandritis e diverſo venientibus, & ad utrumque conclamantibus, inſolitum & inauditum initum eſt duellum. Sed prævaluit aſinus, & necatus eſt lupus, non a paſtoribus curſitantibus, ſed aſellinis calcibus ac dentibus. Tum omnipotens Dei famulus paſtores illos nimis cœpit precibus rogitare, ne hoc alicui hominum uſque ad animæ ſuæ exitum dixiſſent. Hacque ſponſione ab eis recepta, levatus in gerulum ſuum, propria repedavit ad loca. Unde nec mirandum eſt, cur omnes virtutes, quas per eum Chriſtus omnipotens dignatus eſt operari, ad hoc uſque tempus pene latitaſſent, ita ut a nemine ſcribentium ante me propalatæ ſint. Sed quare hoc, niſi quod ſicut iſtic, ſic per omnia ſigna ſua ſpectatores ſuos clauſuris ſui præcepti obfirmavit firmiſſimis? quatinus in omnibus Creatorem ſuum, in quantum virtus data eſt, imitaretur, qui cernentibus tribus diſcipulis transfigurationis ſuæ oroma mandatum dederat, nemini hoc ante glorioſiſſimam reſurrectionis ſuæ palmam dicendum. Non aliter & beatiſſimus vir Deum omnium Creatorem imitando, qui non jam ſolus, ſed gratia Dei plenus, ſciens omnes pias virtutes, quas per ſuas preces ad honorem dantis obtinuit, non ab alio niſi ab eo fieri, qui ſemper magnifice operatur in Sanctis ſuis: & ob id inanes vulgi rumuſculos ſibi vindicare noluit, ſed omnia in laudem Dei convertit, memorans puto illud Apoſtoli dicentis: *Vivo autem, non ego, vivit vero in me Chriſtus*. Ducta igitur in terris angelica vita, tertio Nonas Decembris *a*, vocante Domino adſumtus eſt ad cœleſtia regna. Obſecro autem per ejus amorem, quem felix Solus feliciter ſequebatur, qui hæc forte legere dignamini, ne ruſticitatis meæ verba ore ſcyllatico attendatis, neve virtutes, quas per eum Dominus dignatus eſt oſtentare, ceu inauditas rugoſa fronte reſpuatis: dum & plurimi hactenus ſint operum ejus adſertores, qui me non plura neque ficta, ſed perpauca & veridica de eo ſcriptitaſſe teſtantur.

Idcirco & ego ceu in calce hujus oratiunculæ, quid ſuper eo nuper mihi narraverit dominus GUNDRAMNUS *b* Diaconus cariſſimus meus, qui X. modo cellulæ ipſius æditus eſt poſitus, licet Regis ſit Capellanus, adnectere ociori penna curavi: ſicque decimum capitulum cum tota ſermonis ſerie finiri. Orationis itaque ac familiaritatis gratia cum viſitarem ipſum ut amicum, quamvis locum difficillimum, eremicolam tamen indagavi. Aſt ille, ut eſt per omnia charitate plenus, benigne nos ſuſceptos duxit ad hoſpitium, ibique omni humanitate oſtentata laſſabundi quievimus nocte præſenti. Nam ut in quarto hujus ſermunculi capitulo dixi, nimis difficilis adſcenſus & deſcenſus manet ibidem pergentibus, in tantum ut pene non ſit latior, quam ad ſonipedis unius iter ſufficere poteſt. Quamobrem & multum impeditando laboravimus; & niſi Dei omnipotentis auxilio atque interceſſione beati Soli ſuffulciremur, vel in articulis pedum, vel natibus cruentaremur: Deo tamen protegente illæſi pervenimus. Peracta autem nocte cum corporum refectione, diluculo primo hymnis ex debito peractis, licentiam petimus redeundi. Sed ſupradictus amicus meus animalia me ac eque-

a Incertum quo anno: at cum ſenem ipſius ſervitorem viderit Ermanricus hujus Vitæ Auctor ex cap. 7. S. Solum ad annum circa 790. perveniſſe veri ſimile eſt. Quid factum ſit cum beati Soli Reliquiis, aut quo devenerint poſtquam beati viri Cellam Lutherus invaſit, Gretſerus ſe ignorare fatetur.

b Alius hic fuit Gundramnus, HRabani Mauri nepos, a Gundramno Comite quem Comitem HRabanus ipſe laudat ob crucem erectam epigrammate 96. inſcripionum, ejuſque Epitaphium & Otdrudis conjugis compoſuit. Certe Gundramnus HRabani nepos e Fuldenſi palæſtra in Palatinorum numerum *ablatus*, ut ipſe paullo poſt conqueritur, mox Cellæ Soli præpoſitus eſt æditus, & ipſe Levita: nec unquam conjugem duxiſſe videtur, tametſi Brovverus in Notis ad HRabani Carmina, unicum Gundramnum fuiſſe ſuſpicatur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 790 3. Decemb. equeſtres meos vehentia abducere juſſit, meque ceu invitum precibus inſiſtentibus ſecum & hunc diem manere obtinuit. Sed nec antea dimiſit, quam ei aliquid de geſtis beati Soli Sacerdotis Chriſti ſcriptitare promiſi: ſic tamen ut ſecundum id quod cognitæ rei veritas approbaret, meque juxta vires a Deo datas devotiſſimum exſiſtere velle. Tunc ille mellifluis verbis cœpit mihi narrare.

„ Ego namque, Frater cariſſime, imperante domino meo Rege, ex obe-
„ dientia patrui ac domini mei cariſſimi & Fratrum ejus qui cum eo cœ-
„ nobialiter vivunt, hic ſum, ut cernis, in artiſſimum & ſterilem locum
„ deputatus miniſter. Sed ut ſcias me in eodem nullo modo perſiſtere nec poſſe,
„ nec malle *, niſi quædam cauſæ invitum tamen coegiſſent; dicam tibi (* velle)
„ breviter, quibus mœroribus ſedulo provocer in animo. Primum eſt, quod
„ ab ipſa infantia mea dominus meus beatiſſimus Abbas, qui mihi, licet
„ ſim indignus, genitus eſt patruus, ex diſciplina vero pater & dominus;
„ me ſinuoſis nutrimentis cum ſanctiſſimo Fratrum gremio educare cœperat,
„ & ad virilem uſque ætatem cum fomentis Patrum perduxerat. Sed pro
„ dolor! nihil ſervitii hactenus videor rependere ei: quin & gemiſco, me
„ tam cito ab ipſius diſciplina, non ſponte mea, Deus ſcit, ſed vi abla-
„ tum, & in Palatinorum numero, ſicut noſcis, nuncupatum. Ad hæc &
„ hoc mentem ſæpiuſcule movet, quid in me boni dominus Rex potuiſſet
„ nanciſci, quod ſervitium meum dignatus eſt appetere, vel cur voluiſſet me
„ a quietiſſima Cœnobii vita, quamvis hactenus non ligatum, in ea educe-
„ re, & in hæc aſperrima montium juga ſtatuere. Licet dignior mihi præ-
„ ſens locus fore * videatur, grave tamen eſt mihi, nihil aliud quotidianis
„ obtutibus, quam ſaxea ſcopula & tedas adſpicere. Indurata tamen fronte
„ contentus ſum hujus loci tugurio: nec hac in patria affecto plus commenda-
„ ri ſalvo commendato. Simul & hoc ſcito, quod hanc querimoniam nulli
„ hominum antea planxi: ſed neque tibi propalaſſem, niſi quod obſtruſa
„ anguſtia familiariter diſſoluta ſolet deinceps frequenter levius portari. Nam
„ ne nimis longe ſermonem protraham, hic manendi Deo ſemper in omni-
„ bus opitulante hæc materies maxima conſtat: quia, ſicut jam tibi nar-
„ ravi, ſupradictæ anxietates me hinc pepuliſſent, ni cariſſimus Deo Solus,
„ cujus tu hic ex aquilonari Oratorii latere monumentum adſpicis, me deti-
„ nuiſſet. Cum itaque ego a viro venerabili domino ALTINO *a* Epiſcopo,
„ ad cujus diœceſim locus ipſe pertinet, rogarem, uti ſepulcrum beati viri
„ effodiendi, & in eodem pavimento aliquanto melius humandi licentiam
„ daret, conceſſit ut rogavi: factoque jejunio, cum his qui tunc mecum ad-
„ eſſe poterant, cœpimus fodere. Quod dum peractum eſt, levavimus
„ ſarcophagi operculum ex multis jam annis ſubtus terram poſitum; & ta-
„ men integrum. Et dum libentiſſime quid intus incorrupti haberet contem-
„ plaremur, tantus & tam ineffabilis mirifici odoris fumus inde egreſſus eſt,
„ ut tota baſilica ſuaviſſime ex eo redoleret impleta. At nos nimis attoniti,
„ in parte qua ſteteramus domus regiæ *b* ut fragiles procubuimus. Refocil-
„ lati vero ex odore fragranti, divinam clementiam orantes reſumſimus ſpi-
„ ritum: & tunc demum propius accedentes, perſpeximus non ſolum ſan-
„ cti viri oſſa integra, ſed & ipſius beatæ glebæ pulverem ita ſibimet cohæ-
„ rentem, nimiæque viriditatis ſpeciem tenentem, ut quaſi non olim mortu-
„ us, ſed ſemper vivus putaretur. Hoc igitur, amande Frater, abſque du-
„ bio ſcias, nobis cernentibus & pavorem nimium, ac immenſum tripudium
„ inculcaſſe. Sed quia omnia poſſibilia ſunt omnia poſſidenti, laudavimus
„ hym-

a Jacobus Gretſerus tempus Altini Eiſtetenſis Epiſcopi definit ab anno 841. ad 858. Et tamen Brovverus in lib. 2. antiq. Fuld. cap. 12. veterem refert inſcriptionem, in qua hæc verba de Altino: *Anno dominicæ Inc. 819. Indict. XII. menſe Januario 16. Kalend. Febr. dedicatum eſt hoc templum ab Altuino Epiſcopo Eibſtatienſis Eccleſiæ in honorem S. Salvatoris Domini videlicet N. J. C. & ſanctæ Dei genitricis Mariæ & S. Joannis Baptiſtæ & S. Petri Apoſtoli, & ceterorum Apoſtolorum Domini, & S. Bonifacii Martyris Chriſti*, &c.

b Ergo in iſto loco villa regia erat, cui præpoſitus Gundramnus, homo Palatinus & Levita, nepos Hrabani Mauri, ex dictis.

Digitized by Google

„ hymnis quibus potuimus Creatorem noſtrum, qui dum nihil eramus, „ pſalmavit nos: & dum culpis exigentibus ad nihilum demum revertere- „ mur, iterum diaboli ſeductione oblita reſtauravit nos: cujus laus eſt in „ æternum, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Poſt hæc vero cum ingenti „ gaudio ſtatuimus beati viri Memoriam aliquantulum altius, quam pri- „ dem fuiſſet; non tamen in alio, quam pene in eodem loco. Et licet alii „ de ejus virtutibus taceant, nos qui ſub alis ejus ſedulo degimus, ipſius mi- „ racula prædicamus, narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mira- „ bilia ejus, quæ fecit; & qui dominatur in æternum eſt benedictus in ſæ- „ cula ſæculorum.

CIRCA AN. 790 3. Decemb.

Hanc itaque ego rationabiliter editam rationem intentus audiens cum reſpondiſſem, Amen, ajo ad eum: O nimiæ prudentiæ ſagaciſſime Frater, quam æquanimiter querelam mentis tuæ diſſerueras, lætitiamque ſpiritualiter operis adjungendo, credo quod nil jam ſit quod te contriſtet hujus beatiſſimi viri precibus adjutum. Sed, quæſo, cur mihi indigno atque imperitiſſimo, non dico angorem cordis tui, ſed & ſigna, & virtutes hujus ſanctiſſimi viri voluiſſes ſic incognita noviterve coram exponere: cum ex multis jam temporibus audierim, eum multa feciſſe, & te, licet laborando in ejus tugurio affectibus quos dixiſti, ſcierim perſtitiſſe? Si quid tamen adhuc in animo volvas, ut cariſſimo edicas amico.

„ Tum ille: Frater amande, inquit, hæc idcirco tibi ſic expoſui, ut „ certior ſis de almitate hujus emeriti viri: quamvis antea multa de eo præ- „ libaſſem, aliquanto tamen nunc de ejus beatitudine, ut reor, lætior ma- „ nes. Quapropter mihi non deneges, quando aliqua ex miraculis ejus ſcriptis „ tangas, lumenque quod in te divina gratia accendit, in hoc opuſculo ne „ obducas, efflagito: ſed vera ac bene cognita aperias, quatinus mihi ſatis- „ facias, & eum in perpetuo interceſſorem habeas.

His nempe edictis rationibus, o RUDOLFE in omnibus ſagaciſſime, ſicuti amore concatenati ſumus, ſupradicti viri precibus libentiſſime parui, ſed tuæ ſanctitati obuncam verborum congeriem commendo: quatinus rectis locum & miraculoſis licentiam condones. Plura enim de ſupradicto ſanctiſſimo ſcribere mentis erat, ſi non ubique noctis anguſtiæ tempus cohiberet. Attamen hæc pauca quæ ſcripta ſunt, magnum martyrian * fidemque multiplicibus præbent, in tantum ut nihil fideles ac benivoli dubitare velint vel poſſint, quando credant eum ſemper cum ſancto ſanctum, & cum electo electum. Unde & ego in decimo ſermonis mei capitulo finem de eo fieri malui: quia licet minus prudenter, perfecti viri tamen actus vitamque deſcripſi, quod denarius & *a* quaternarius numerus figurarum: ſcilicet, ut qui in concordia decalogi & Evangelii totam vitam ſuam duxerat, tali ſyllogiſmo ſubjaceat.

* id eſt teſtimonium.

HYMNUS EJUSDEM ERMANRICI

Ex ipſius hominis (SOLI) titulo exordium capiens.

Editus in tomo 6. antiquarum lectionum Caniſii.

S ΣΦΟΔΡΑ mirabilem promite carmine,
Cluit qui meritis undique ſtantibus,
SOLUM quem vocitant nomine typico
Plebs ſacra ſic Germanica.

O Oris qui famine undique colligit,
Fide corroborans Chriſtoque populos,
Dans claudis itiner, expulit & tetros
Inſtanti ore ſpiritus.

L Lin-

a Legendum videtur, *quod denarius æquat numerus figuratus*: in aliis legitur *ſecundum, ut qui, &c.*

CIRCA AN. 790 3. Decemb.

L Lingua juſſerat ſtatum in priſtinum
Reſtitui prece mutis, & condolens
Cœcis fert ſalubrem viſum, qui cœlitus
Eſt ſemper mitis omnibus.
V Vita conſimilis vixit Apoſtolis,
Martyrium ferens juge qui in animo
Chriſtique Virginum . . . .
Coheres gaudet ὐρανοῖς.
S Sancta una Trinitas, æqualiſque Deitas
Diſpone famulis tibi quod placet tuis
Ut nunc te canere poſſimus perenniter
Qui regnas in perpetuo, Amen.

CIRCA AN. 793 19. Janu.

VITA SANCTI BLAITMAICI

ABBATIS HIIENSIS

ET MARTYRIS, CUM ALIIS MONACHIS,

Auctore WALAFRIDO STRABO, Abbate Augienſi.

Ex tomo 6. Caniſii & Bollando.

I. SI tantam meruere ſuo pro carmine famam,
Qui ſceleroſorum mores & facta tulerunt
Laudibus in cœlum, perfuſi dæmonis arte,
Frivola nectentes hominum monimenta malorum:
Cur non liberius Sanctorum facta canamus,
Quos placuiſſe Deo nobis miracula produnt?
Quæ fidei virtute gerunt per munera Chriſti.
Pſal. 80. 11. Nam Scriptura canit, Domino ſpondente puſillis:
Os aperire tuum ſtudeas, ego verba miniſtro.
Quapropter, venerande Pater, cariſſime FELIX,
Præceptis parere tuis ex corde paratus
STRABUS ego, miſit quem terra Alamannica natu,
Scribere diſpoſui de vita & fine beati
BLAITHMAICI, genuit quem dives Hibernia mundo,
Martyriique ſequens miſit perfectio cœlo,
Ipſius ut meritis veniam per ſæcla capeſſam.
II. Blaitmaici patria, regium genus.
Regali de ſtirpe ſatus, ſummumque decorem
Nobilitatis habens, florebat regius heres
Iſte Dei Sanctus vitam ducendo pudicam:
Quodque ſolet raro factum & non ſæpe videri;
Quanto major erat, tanto dejectior ibat.
Spes patriæ, fortuna patris, Rex ille futurus.
Judicio juſtus, prudens, & corpore caſtus,
Sobrius, ornatus, jocundus, cautus, honeſtus:
Nobilis in genere egregio, generoſior actu;
Obſequio locuples, melius virtutibus auctus;
Tractabat laicus, quod Clericus efficiebat:
Cujus honorandum nomen ſermone Latino,
Pulcher natus *a* adeſt: meritoque probabilis illo
Nomine dignus erat, Patrem qui cunctipotentem
Elegit, pulcroque Deum quæſivit amore.

Sor-

a Nunc *brab* ſive *braa* Hibernis pulcrum ſonat, *mac* filium, ex Bollando.

Digitized by Google

Sordebant terrena animo divina petenti,
Secretumque latens in ſolo pectore manſit,
Donec ad effectum proceſſit ſancta voluntas.
Cœnobium furtim quoddam ſine teſte petebat: III. Fuga ad Monaſterium.
Quique fuit pridem patriæ per regmina Princeps,
Nomine pro Chriſti eſt factus tunc verna minoris.
Faſcibus in mediis qui quondam terruit omnes,
Omnibus admiſſis ſibimet ſine milite ſervit.
Fama ut forte volans patris pervenit ad aures, IV. Patris, Procerumque illecebræ diſcuſſæ.
Hinc ſtupor atque dolor mentem cinxere parentis.
Subtractum dolet heredem, mittitque Senatum,
Agmina, Prætores, populum, præcepta, maniplos.
Duxque Comeſque ibant, properanter Epiſcopus adſtat,
Abbatumque cohors, vicini, carne propinqui;
Hoc ſolum nitente manu, ſi qualibet arte
Efficerent reducem vitata pericula mentem
Corde ſubire alio. O talis quam cœca voluntas!
Ille procellarum ſe vix de gurgite demſit,
Quæſitoque diu titubans ſtetit anchora portu.
Nondum curarum potuit laxaſſe rudentes,
Nec terra fixiſſe pedem; cum concita ventis
Aura pharetratis impegit ab æquore puppim.
Vique ſua tremulam diſſolveret unda carinam;
Ni regeret proram, qui ſæcula cuncta gubernat.
Mox miro a cunctis ſemper complexus amore, V. Virtutes.
Cunctorum ſtuduit fieri dicique miniſter.
Mente humilis, linguæ cuſtos, & norma bonorum.
Verba Dei capiens ſitienti corde libenter,
Diſcendi ſtudioſa gerens præcordia, libris
Perdidicit divina animo documenta ſagaci.
Sicque vigens doctrinarum morumque nitore, Præfectura.
Agmina multorum rexit veneranda virorum;
Exemplis ſua dicta probans, vanoſque favores
Pro nihilo ducens : cui laus & gloria ſolum
Chriſtus erat, Chriſtus ſermo, Chriſtus documentum.
Pax clypeus, lorica preces, patientia bellum,
Mucro Dei verbum, ſpes & dilectio totum.
Nulli detraxit, nulli convicia ſtruxit.
Singula quid fari per ſingula verba neceſſe eſt?
Cum quidquid legitur virtutum, rite teneret,
Et quidquid vitii monſtrat Scriptura, caveret.
Omnibus exſiſtens feliciter omnia factus,
Ut cunctos faceret Chriſto ſua lucra referre.
Utilis & prudens ſervus per ovilia Chriſti,
Tempore qui certo menſuram farris opimi
Conſervis tribuens, radiavit ubique fidelis.
Utque nihil meriti, nihil & probitatis abeſſet, VI. Martyrii deſiderium.
Martyrii palmam quæſivit mente benigna,
Sæpius hac cauſa peregrinas viſere terras
Niſus, ab incœpto populo retrahente quievit.
Unde animo ſedit fugitivo calle parumper
Optatam tentare viam cum diſcipulorum
Agmine non multo, pretioſa monilia ſecum
Virtutum ſub mole gerens : ruptiſque tenebris,
Nocte fugam capiens, properanter abire parabat.
Ecce ſuperveniens fugitivis turba ſequentum,

Digitized by Google

CIRCA AN. Ad caulas capto retrahit paſtore bidentes.
793 Hoc quoque non taceam, ſanctus quod Spiritus illi,
19. Janu. More Prophetarum, rerum ſecreta ferebat.
Nam dum fama patrem longe lateque Beati
Ipſius ad ſuperos vita fugiente volaſſe
Proderet, expoſuit non eſſe, ſed eſſe futurum
Poſt modicum tempus, ſancto ſpiramine doctus.
VII. Seceſſus in inſulam Hii. Inſula Pictorum quædam monſtratur in oris,
Fluctivago ſuſpenſa ſalo, cognominis Eo *a*,
Qua ſanctus Domini requieſcit carne COLUMBA.
Hanc petiit voto patiendi ſtigmata Chriſti.
Illic namque frequens pagana caterva Danorum
Adventare ſolet, furiis armata malignis.
Sed Sanctus Domini tales tentare leones
Diſponens animo, vana formidine mentem
Exuit, & clypeo fidei galeaque ſalutis
Munitus, hominum non horruit arma malorum.
Pſal. 117. Qui cum doctiloquo potuit ceciniſſe Propheta:
Eſt Deus adjutor mihimet, timor improbus abſit.
Jam quoque doctus erat per publica bella miniſtros
Temnere dæmonicos, ipſum qui rite tyrannum
Straverat, & cunctis ſolus ſuperavit in armis.
Tempus erat, quo magna Dei clementia ſervum
VIII. Danorum adventus prædictus. Conſociare ſuum nitidis ſuper aſtra maniplis
Diſpoſuit, certaque bono conferre coronam
Victori: cum ſancta viri mens præſcia rerum
Venturos properare lupos, ut membra piarum
Dividerent ovium, ſenſu prænoſceret alto.
Vos, ait, o ſocii, vobiſcum mente ſagaci
Quærite, ſi pœnas Chriſti pro nomine vobis
Sit tolerare animus. Mecum quicumque poteſtis
Exſpectare, precor, ſenſus armate viriles.
At quibus infirmi pavitant penetralia cordis,
Ecce fugam celerent, ut parta pericula vitent,
Ad meliora ſuos armantes vota lacertos.
Proxima ſtat nobis certæ tentatio mortis.
Firma fides vigilet, rebus ſuſpenſa futuris:
Cauta minus fortes ſervet tutela fugarum.
His dictis compuncta cohors, quod poſſe videbat,
Hoc animo ſtatuit. Quidam ſub pectore firmo
Sacrilegas ſpectare manus, gladioque furenti
Suppoſuiſſe caput gaudebant mente ſerena.
Aſt alii quibus hoc nondum fiducia mentis
Perſuaſit, per nota fugam loca calle capeſſunt.
IX. & tandem poſt Miſſam celebratam martyrium. Aurea diſcutiens tenebras aurora madentes
Claruit, & nitidus pulcro ſol orbe refulſit:
Cum ſacer hic doctor Miſſarum ſancta celebrans
Officia, ante ſacram vitulus ſtetit integer aram,
Hoſtia grata Deo mucrone litanda minaci.
Cetera turba jacet, lacrymis precibuſque Tonanti
Commendans animas de pondere carnis ituras.
Ecce furens maledicta cohors per aperta ruebat
Tecta, viris minitando pericula ſæva beatis.
Et reliquis rabida ſociis feritate peremtis,

Ad

a Aliis Jova & Hii inſula, in qua Hiienſe Monaſterium, de quo infra in Appendice, ubi de S. Adamnano.

Ad ſanctum venere Patrem, pretioſa metalla CIRCA AN. 793 19. Jan.
Reddere cogentes, queis ſancti ſancta Columbæ
Oſſa jacent, quam quippe ſuis de ſedibus arcam
Tollentes tumulo terra poſuere cavato
Cæſpite ſub denſo, gnari jam peſtis iniquæ.
Hanc prædam cupiere Dani : ſed Sanctus inermi
Reſtitit . ' . manu firmo conamine mentis
Contra ſtare aciem, pugnamque laceſſere doctus,
Cedere diſſuetus, tibi talia, Barbare, dicta,
Ingerit : Ignoro penitus, quod quæritis aurum
Quo ſit humi poſitum, tectum quibus atque latebris.
Quod ſi ſcire mihi, Chriſto admittente, liceret,
Numquam noſtra tuis hoc auribus ora referrent.
Barbare, duc gladios, capulum cape, jamque trucida.
Auxilio, Deus alme, humilem commendo tuo me.
Hinc pia truncatis diſcerpitur hoſtia *a* membris:
Quod ferox miles cenſu penſare nequibat,
Rimari in gelidis cœpit per vulnera fibris.
Nec mirum : nam ſemper erunt, ſemperque reſurgunt,
Quos furor in famulos Domini malus excitet omnes.
Ut quod pro cunctis Chriſti cenſura peregit,
Cuncti hoc pro Chriſto faciant, licet impare facto.
Ille igitur Chriſti factus pro nomine Martyr,
Teſtis, fert ut fama, loco requieſcit eodem.
Multa ubi pro meritis dantur miracula ſanctis,
Quo colitur Dominus digno venerantér honore.
Cum Sanctis, quorum meritis mea crimina ſolvi,
Credo, quibus laudum ſupplex donaria miſi.
Nil negat his Chriſtus, cui maxima lucra tulerunt,
Qui cum Patre pio, ſanctoque in ſæcula Flatu
Regnat, & æterno pollet ſine fine decore.

TASSILONIS DUCIS BAJOARIÆ, CIRCA AN. 798 13. Dec.

DEIN MONACHI PIISSIMI,

ELOGIUM HISTORICUM,

Ubi de DESIDERIO *Rege Langobardorum.*

1. D*Ubius aliquamdiu hæſi, daremne locum Taſſiloni inter Sanctos, an inter viros illuſtres Ordinis noſtri. Occurrebat animo, cum inter cœlites numerari tum in Faſtis Benedictinis, tum in Supplemento Martyrologii Gallicani Idibus Octobris, tum in Bavaria ſancta ab Radero. Verum amplius hac de re inquirendum videbatur, quod iſtius ſententiæ non ſatis firmum appareret fundamentum. Tutius proinde viſum eſt, non removere Taſſilonem e claſſe Sanctorum; nec tamen ei Sancti, ſed Pii nomen tribuere, donec certiora ſuppetant argumenta.*

2. TASSILO *patrem habuit* OTILONEM *Bajoariæ Ducem, matrem* CHILTRUDEM, *Pippini Regis ſororem. Mortui patris dignitatem accepit anno* 747. *Dux ejus nominis ſecundus. Annus patet ex quibuſdam litteris ab Hundio relatis in ſyllabo Epiſcoporum Friſingenſium, ubi de Joſepho Epiſcopo agit : quæ litteræ datæ legun-* Otiloni patri ſucceſſit.

a Dani Britanniam ad jacenteſque inſulas vexaverunt non ſemel. Hanc irruptionem contigiſſe puto anno 793. quo Lindisfarnenſis Eccleſia per eos deſtructa eſt : diem mortis 19. Januarii ſignant recentiora Martyrologia & Benedictinum.

Digitized by Google

CIRCA AN. 798 13. Dec. *guntur* anno Inc. Domini 758. Indict. XI. anno 11. Taſſilonis Ducis. *Sunt & aliæ litteræ ipſius Taſſilonis, Attoni Epiſcopo & Abbati conceſſæ cum hac clauſula :* Signum manus meæ propriæ Taſſilonis, donante atque confirmante. Actum in Buxano, rediente de Italia, anno ducatus ejus 22. *At cum Taſſilo ſæpius Italiam adierit, ut patet maxime ex epiſtola 20. codicis Carolini; certa exinde epocha deduci non poteſt.*

a Pippino reſtituitur, 3. Anno 748. Grifo *Pippini frater, Taſſilonis avunculus*, Saxonum fidei diffidens Bajoariam petiit, & copiis quæ ad eum de Francia confluebant, ipſum Ducatum in ſuam redegit poteſtatem, Taſſilonem & Hilthrudim in deditionem accepit. Hæc cum ad Pippinum perlata fuiſſent, cum maximo exercitu in Bajoariam profectus eſt, fratremque ſuum Grifonem cum omnibus qui cum eo vel ad ipſum eo venerant, cepit, Taſſilonem in Ducatum reſtituit. *Auctor Eginhardus in Annalibus. Pippinus rogatu Stephani Papæ in Italiam adverſus Aiſtulfum profectus* cum nepote ſuo Taſſilone Bajoariorum Duce *memoratur in Fredegariano Chronico juſſu Nibelungi continuato.*

eidem præſtat fidei ſacramentum, 4. *Anno 757. Taſſilo ad Pippinum* in Compendio villa *demorantem* cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis in vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendavit, fidelitatemque tam ipſo Regi Pippino, quam filiis ejus Karolo & Karolomano jurejurando ſuper corpus S. Dionyſii promiſit. Sed non ſolum ibi, verum etiam ſuper corpus S. Martini & S. Germani ſimili ſacramento fidem ſe dominis ſuis diebus vitæ ſuæ ſervaturum eſt pollicitus. *Hæc ex eodem Eginbardo: qui addit, anno 763. Taſſilonem a Pippino diſceſſionem feciſſe. Huc ſpectant litteræ Pauli Papæ ad Pippinum, quibus per Philippum Presbyterum atque Urſum Legatos petit, ut Taſſilonem in gratiam reſtituat.*

poſtea violat.

Concilium cogit. 5. Anno 772. *convocatum eſt Concilium Epiſcoporum* Bajoariæ provinciæ anno 24. regni glorioſiſſimi Ducis Taſſilonis, 11. Idus Octobris, atque anno ab Incarnatione Domini 772. Indict. X. in villa publica Dingolvinga, ut ibidem tam regulare moderaretur in ſancto habitu Cœnobium virorum & puellarum, quam epiſcopales moderaretur obſequias: inſuper gentis ſuæ inſtitutiones legum per Primates peritos, univerſa conſentiente multitudine, quæ reperit diuturna vitiata, & quæ videbantur abſtrahendo evellere, & quæ decretis placerent componenda inſtituerentur. *Hanc Synodum refert Hundius in Metropoli, in Notis ad Paſſavienſes Epiſcopos: monetque tempus habitæ Synodi in nonnullis codicibus mſſ. reponi anno regni Taſſilonis 22. malim anno 26. cum conſtet ex Eginhardi Annalibus, Taſſilonem a Grifone ſpoliatum, in Ducatum a Pippino fuiſſe reſtitutum anno 748. ut ſuperius adnotavimus. Anno 781. Legati ab Hadriano Papa & Carolo miſſi ad Taſſilonem: qui in Concilio Vvormatiæ habito ſacramentum Carolo præſtitit, ac 12. obſides dedit: ſed non diu in fide perſtitit.*

Hadrianum de pace interpellat. 6. Anno 787. cum adhuc Rex *Carolus* Romæ eſſet, Taſſilo miſit Legatos ſuos, Arnum videlicet Epiſcopum *Saltzburgenſem*, & Henricum Abbatem, ad Hadrianum Papam, petens ut inter Regem & illum mediator pacis fieri dignaretur. *Verum fraus ejus ab Carolo detecta petitionem fruſtravit, ut Eginhardus tradit & poſt eum Anaſtaſius. Theodo filius receptæ fidei Carolo poſtea obſes datus.*

Ducatu ſpoliatur. 7. *Denique* anno 888. cum in villa *ſuburbani Magontiacenſi Ingelheim* generalem populi ſui Rex fieri decreviſſet conventum, ac Taſſilonem Ducem, ſicut & ceteros vaſſos ſuos, in eodem adeſſe juſſiſſet, atque ille, ut ei fuerat imperatum, ad Regis præſentiam perveniſſet; crimine læſæ majeſtatis a Bajoariis accuſatus eſt. Objiciebant ei, quod poſtquam filium ſuum obſidem Regi dederat, ſuadente conjuge ſua Liutburga, quæ filia Deſiderii Regis Langobardorum fuit, & poſt patris exſilium Francis inimiciſſima ſemper exſtitit in adverſitatem Regis; & ut bellum contra Francos ſuſciperent, Hunnorum gentem concitaret. Quod verum fuiſſe, rerum in eodem anno geſtarum probavit eventus. Objiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ nonniſi ab inimico & irato vel fieri, vel proferri poterant: quorum ne unum quidem inficiari cœpit. Sed noxæ convictus, uno omnium adſenſu, ut læſæ majeſtatis reus, capitali ſententia damnatus eſt: ſed clementia

Digitized by Google

tia Regis licet morti addictum liberare curavit. Nam mutato habitu in Monaſterium miſſus eſt: ubi tam religioſe vixit, quam libens intravit. Similiter & Theodo filius ejus tonſus, & monaſticæ converſationi mancipatus eſt. *Hactenus Eginbardus*. CIRCA AN. 798 13. Dec. Fit Monachus.

8. *Nec contentus hac pœna Taſſilo: quin anno* 794. *ultro ſtitit ſe ad Concilium Francofurti coactum, & ſupplex iterum veniam ab Carolo, ſe ſuaque omnia ei cedens, flagitavit obtinuitque. Exſtat eximii hujuſce facti memoria in ipſis Concilii Actis conſignata his verbis cap.* 3. His peractis de Taſſilone definitum eſt capitulum, qui dudum Bajoariæ Dux fuerat, ſobrinus videlicet domini Caroli Regis. In medio ſanctiſſimi adſtitit Concilii, veniam rogans pro commiſſis culpis, tam quas tempore domini Pippini Regis adverſus eum & Regnum Francorum commiſerat, quam & quas poſtea ſub tempore domini noſtri piiſſimi Caroli Regis, in quibus fraudator fidei ſuæ exſtiterat, indulgentiam ut ab eo mereretur accipere, humili petitione viſus eſt poſtulaſſe: dimittens videlicet puro animo iram atque omne ſcandalum de parte ſua, quæque in eo perpetrata fuiſſent & ſciebat: necnon omnem juſtitiam & res proprietatis, quantum illi aut filiis vel filiabus ſuis in Ducatu Bajoariorum legitime pertinere debuerant, gurpivit atque projecit, & in poſtmodum omni lite calcanda ſine ulla repetitione indulſit, & filios ac filias ſuas in illius miſericordia commendavit. Et idcirco Domnus noſter miſericordia motus præfato Taſſiloni gratuito animo & culpas perpetratas indulſit, & gratiam ſuam pleniter conceſſit, & in ſua eleemoſyna eum in amore dilectionis viſus eſt ſuſcepiſſe, ut ſecurus de Dei miſericordia exſiſteret inantea. Unde tres breves ex hoc capitulo uno tenore conſcriptos fieri præcepit: unum in palatio retinendum; alterum præfato Taſſiloni ut ſecum haberet in Monaſterio dandum; tertium vero in ſacri palatii capella recondendum fieri juſſit. Francofurti veniam petit ab Carolo, obtinetque.

9. *Hæc dum lego, pene dubius ſum, pluſne illuſtrem reddidiſſet Taſſilonem conſtans felicitas, quam patientia erepti principatus, & animi demiſſi religioſa pœnitentia. Felicior certe futurus, ſi vel meliorem habuiſſet conjugem, vel ipſe conjugi minus obaudiſſet. Hæc Eginhardo* Liutburga, *aliis* Leutbergane *appellatur, Deſiderii Langobardorum Regis Francis infenſiſſimi filia.*

10. *Nec minus hoc loco perpendenda eſt clementia Caroli vere Magni, qui rebelli Principi, cum ab ſuis damnatus capitis fuiſſet, non ſolum vitam & ſalutem indulſit, verum etiam quid de ſe ipſe ſtatuere vellet, interrogavit. Sic enim legitur in veterrimis Annalibus, qui ab anno* 708. *ad* 808. *expanduntur apud Cheſnium, ad annum* 789. Piiſſimus Rex motus miſericordia interrogavit ipſum Daſilonem, quid agere voluiſſet: & ille reſpondit, quod ſe tonſurare voluiſſet: quod & factum eſt. *Ex quibus verbis explicatur ambigua Eginbardi ſententia, nempe Taſſilonem in Monaſterio* tam religioſe vixiſſe, quam libens intraverat. *Lege Annales Francorum quibus uſus eſt Regino Abbas Prumienſis.*

11. *De monaſterio, in quod Taſſilo ſe recepit, non conſentiunt vetuſti Auctores: aliis* Lauriſhamenſe *ſeu* S. Nazarii, *aliis* Gemeticenſe, *aliis* S. Goaris Monaſterium *expetiiſſe dicitur, & quidem* cum Theodone filio *quibuſdam, ceteris* cum duobus filiis. *In Annalibus Francorum Cheſnianis ab anno* 769. *ad* 806. *porrectis hæc leguntur*: Anno 788. habuit Rex Carolus conventum ſeu Synodum in Inghilmhaim, & ibidem Daſilo venit & uxor ſua cum filiabus duabus: & ipſe Daſilo ad ſanctum Goarem pridie Nonas Julias tonſuratus eſt, & filius ejus Teudo ad beatum Maximinum comam capitis ſui depoſuit: & ipſius uxor velamen ſibi impoſuit; & filias ejus unam tranſmiſit ad Cala, Monaſterium, & aliam ad Lauduno Monaſterium. *Nemo id facile negaverit, tametſi quod ad locum attinet, potius accedo Auctori Annalium Nazarianorum, cujus verba huc adducere juvat*: Anno 788. Deſſilo Dux Bejuveriorum venit in Franciam ad Regem Francorum Carolum, ad villam quæ appellatur Ingolumheim. Poſt hæc ergo tranſmiſit jam præfatus Rex Legatos ſuos in Bejuveriam poſt uxorem ac liberos jam præfati Ducis: qui ſtudioſe atque efficaciter juſſionem Regis implentes, adduxerunt hæc omnia una cum theſauris ac familia eorum Quo in Cœnobio Monachus.

CIRCA AN. 798 13. Dec. copioſa valde ad jam dictum Regem. Cumque hæc ita agerentur, comprehenſus eſt jam præfatus Dux a Francis, & ablatis armis ejus ductus eſt ad Regem. Igitur cumque ſimul ſermocinarentur, interrogavit eum de inſidiis atque doloſis conſiliis, quod cum multis gentibus jam olim ei præparare conatus fuerat. Quod cum ille negare nequaquam prævalere videbatur, invitus juſſus eſt comam capitis ſui deponere. Ille autem magnis precibus poſtulabat Regem, ut non ibidem in palatio tonderetur, propter confuſionem videlicet atque opprobrium, quod a Francis habere videbatur. Rex enim precibus ejus adquieſcens, ad S. Gannarium *, qui juxta Rheno flumine in corpore requieſcere cognoſcitur, eum tranſmiſit, & ibidem Clericus effectus eſt, & inde exſiliatus eſt ad Cœnobium, quod appellatur Gemedium. Duo quoque filii ejus his nominibus, Theoto & Theotbertus, utrique tonſurati atque exſiliati ſunt: nam & uxor jam præfati Ducis, nomine Liutburga, exſiliata eſſe comprobatur. *Denique in pervetuſtis Annalibus a Philippo Labbeo editis in tomo 2. Bibliothecæ novæ*, Taſſilo Dux tonſus retruſuſque Gemetico Monaſterio *dicitur*. *Idem legitur in Chronici Fontanellenſis cap. 15. & in Gemeticenſi mſ.*

* al. Nazarium

Gemetici ſepultus. 12. *Quamdiu Taſſilo poſt Concilium Francofurtenſe, id eſt poſt annum 794. ſuperſtes vixerit, incompertum. Gemetici eum obiiſſe, ex ſuperioribus ſatis colligitur. Suſpicari licet, tres illos Enervatos (ut vocant) in iſto Monaſterio ſepultos, quorum tumuli hactenus in Oratorio S. Petri viſuntur, eſſe Taſſilonem ipſum cum duobus filiis Theodone & Theotberto. Quamquam loci traditio eſt, iſtic contineri Chlodovei ſecundi & Balthildis filios tres, qui ob defectionem a patre factam nervis debilitati, & in profluentem Sequanam impoſiti, Gemeticum appulſi ſint, eoque loci vitam finierint. Quod quia viris doctis perſuaderi non poteſt, facile inducor, Taſſilonem Regi ſuo rebellem, ejuſque filios regiæ ſtirpi adfines ſequiori fabulæ materiam præbuiſſe.*

an Sanctus. 13. *Taſſilonem* religioſe *in Monaſterio vixiſſe, probat tum Eginbardus, tum demiſſæ ipſius pœnitentiæ ſpecimen Francofurti editum. At quam longe a vero aberret fabula ab Hundio relata in hiſtoria Monaſterii Polingenſis, nempe Taſſilonem* per duarum pelvium ignitarum inſpectionem *Caroli juſſu* excœcatum, *Lauriſſam* ſub ſpecie pauperis *ſe recepiſſe, ibique ignotum vixiſſe, dum Carolus iſtuc profectus, eum deprehendit orabundum ab Angelo noctu* de ara ad aram deduci; *hæc, inquam, a vero quam longe ſint, ex dictis ſatis intelligitur: nec ſcio an certiora ſint quæ de miraculis Lauriſſæ ad ejus tumbam (ut dicitur) factis ibidem referuntur.*

14. *Plura loca ſancta dotaſſe, Cœnobia ædificaſſe, aliaque pietatis opera peregiſſe memoratur Taſſilo, antequam Ducatu ſuo ſpoliaretur. Thierbaubtenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti infra Auguſtam Vindelicorum Taſſilonem conditorem agnoſcit. Multa prædia ab eodem Eccleſiæ Saltzburgenſi conceſſa recenſet Arno Epiſcopus in Indiculo ſuo.*

Deſiderius Rex Langob. pie vivit Corbejæ. 15. *Taſſiloni adjungendus eſt* DESIDERIUS *Rex Langobardorum, ſimilem caſum fortunamque eodem tempore expertus, nec diſſimilem (uti Hepidannus memorat) exitum ſortitus. Is ob negatas Romano Pontifici Pentapolis civitates a Carolo Magno impetitus, Papiam ſe recepit: ubi obſeſſus a Carolo captuſque eſt, & in Franciam cum uxore abductus. Plerique Francorum hiſtorici Taſſilonem exſilio perpetuo multatum ſcribunt; nonnulli in Franciam deportatum addunt. Annales Nazariani:* Anno 774. Paveia civitas conquiſita eſt; & Deſiderius Rex & Anſa uxor ejus exſiliati ſunt in Franciam. *Annales vero alii apud Cheſnium in tomo 2. editi quarto loco:* Capta eſt Ticini civitas a Francis, & adduxerunt Regem captivum Deſiderium ſecum in Francia; *quibus Eginbardi Annales conſentiunt. Nullum invenio auctorem qui locum exſilii deſignaverit, præter Hepidannum Sancti-Gallenſem Monachum, cujus hæc verba:* Anno 772. (*rectius 74.*) Paveia civitas conquiſita, & Rex Deſiderius & Anſa uxor ejus pariter exſiliati ſunt ad Corbejam: & ibi Deſiderius in vigiliis & orationibus & jejuniis & multis bonis operibus permanſit uſque ad diem obitus ſui. *Locus iſte, a nemine hactenus obſervatus, docet nos, Deſiderium qui aliis relegatus in Franciam dicitur, retrurſum fuiſſe Corbejam, in Monaſterium ſcilicet inſigne agri Ambianenſis, in quo privatam vitam pie egit,*

pru-

Digitized by Google

prudentius uſus neceſſitate quam ſecunda fortuna. Id obſervare hoc loco non incongruum duxi, ut res hactenus incognita exponatur in publicam lucem. Deſiderii domeſticus ac familiaris ſimulque exſilii comes fuit FARDULFUS, *cui Carolus Magnus Abbatiam S. Dionyſii liberali animo commiſit, uti Fardulfus ipſe teſtatur in carmine quodam ad Carolum, quod exſtat apud Cheſnium in tomo 2. hiſtor. Franc. pag.* 645. *Denique* CARLOMANNUS *Caroli Calvi filius, Meldicenſis Eccleſiæ Clericus & Diaconus, anno* 873. *oculis orbatus ob perduellionem, itidem in Monaſterium Corbejenſe retruſus eſt, ut docent Annales Pithœani & Frodoardus in hiſtoriæ l.* 3. *c.* 18. CIRCA AN. 798 13. Dec.

DE SANCTO NAMFASIO CIRCA AN. 800 21. Nov.

EREMITA MARCILIACI APUD CADURCOS.

1. ETSI *nihil fere exploratum de ſancto* NAMFASIO *habeamus, nullaque de eo mentio fiat in Martyrologio Benedictino; juvat nihilo minus quædam huc de eo referre ex Breviario Cadurcenſi, quod ex veteri Lectionario ſequentem narrationem compendio repræſentat.*

2. NAMFASIUS nobili proſapia in Galliæ partibus ortus, Caroli Magni Imperatoris ac Regis Francorum militiæ adſcriptus fuit. Is poſtquam Gothos & Wandalos & catholicæ Fidei hoſtes ex Aquitaniæ partibus profligaſſet, Cadurcum agrum pertranſivit, & reperit ibi duo Monaſteria, Figiacum nempe & Marciliacum, quæ antea a Pippino exſtructa, ab ipſis barbaris diruta fuerant. Quæ cum pius Imperator reſtauraſſet, & bonis auxiſſet; inſuper & aliud Cœnobium non procul ab ipſis, nomine *Lautoi*, prope Cajarcum opidum ædificaſſet, Cadurcorum fines pertranſiit. Vitæ epitome.

3. Namfaſius autem ſtudio vitæ ſolitariæ flagrans, cunctiſque mundi honoribus abrenuntians, ut Chriſtum lucrifaceret; prope Monaſterium Marciliacenſe eremum incultam introivit, ubi quoddam Oratorium divo Martino ædificatum reperit, & poſtmodum Eccleſiam ædificavit. Cum igitur jejuniis & orationibus vacans ibidem conſenuiſſet; diem extremum claudens, ab incolis honorifice ſepultus, & in locum qui nunc Caniacum dicitur, eſt depoſitus. Ad cujus ſepulcrum in dies multa miracula, maxime circa eos qui morbo comitiali ſeu caduco laborant, ope divina patrantur.

4. *In his duabus lectionibus quædam animadvertenda. Marciliacenſe * Monaſterium, non a Pippino Rege, ſed ab Anſeberto & Leutado primitus ædificatum fuiſſe conſtat ex libro de vita ſancti Deſiderii Cadurcenſis Epiſcopi, cap.* 13. *ubi Auctor anonymus, ſed gravis & ejus æqualis, ſcribit in hunc modum:* Nullum quidem eo tempore in urbe Caturca propoſitum Monachi, neque habitus Religionis aut Regulæ cœnobialis intraverat. Secta Columbani procul aberat, Inſtituta beati Benedicti longe diſtabant. Deſiderii autem tempore hæc ſecta Caturcæ intravit, hujus ſub die hæc Religio adoleſcere cœpit. Nam & Marciliacenſe Cœnobium hujus tempore a viris laudabilibus ANSEBERTO & LEUTADO initiatum eſt. *Jam ergo Cœnobium Marciliacenſe uno ſæculo conditum ante Pippini principatum erat. In eo forſan vixerit Namfaſius ante, quam in eremum ſeſe reciperet, pro more illorum temporum. Certe inibi colitur Sancti memoria quotannis: tametſi magna pars reliquiarum ejus in Eccleſia parœciali ſancti Martini Marciliacenſi ſubjecta, ubi is vitam ſolitariam duxit, in lapideo ſarcophago ſuper altare adſervari dicitur, exceptis nonnullis particulis, quas habent Benedictini Monachi Marciliacenſes.* Monaſterium Marciliacenſe. * Marcilac.

5. *A Marciliaco non longe abeſt Figiacenſis * Abbatia, modo Canonicorum ſæcularium, ad Sellam * fluvium ſita, uti & Marciliacum, apud Cadurcos. Figiacenſis Monaſterii primordia Pippino Regi auctori tribuuntur. Exſtat hujus rei inſtrumentum in Notis Cheſnii ad epiſtolas Petri Mauricii Abbatis Cluniacenſis: ubi mendum irrepſit in vocabulum* Lunantis, *pro quo* Jonantis *reponendum eſſe deprehendi in vetuſtis membranis.* ANASTASIUS *Abbas primus loco præ-* Figiacenſe. * Figeac * Sele

CIRCA AN. 800 21. Nov. *præfuiſſe memoratur. Gregorii ſeptimi auctoritate unitum eſt Monaſterium iſtud Cœnobio Conchenſi ejuſdem diœceſis, eo pacto, ut alterutro Abbate defuncto is qui ſuperſtes eſſet, utrique loco præficeretur. Mota ſuper hac re lis eſt apud Urbanum Papam ſecundum in Concilio Arvernenſi, dein compoſita* in Concilio apud Nemauſum in Eccleſia ſanctæ Mariæ, 7. Idus Julii anno dominicæ Incarnationis 1097. anno 9. pontificatus domni Urbani II. PP. 9. *uti legitur in Urbani litteris, quas exhibere hoc loco viſum eſt ex vetuſta membrana, ne pagella remaneat vacua.*

Urbanus reſtituit Abbatem cardinalem Figiacenſibus & Conchenſibus.

URbanus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei. Cum pro negotiis eccleſiaſticis in partes Galliæ veniſſemus, apud Arverniam largiente Domino plenariam Synodum convocavimus. Illic a Conchenſis Monaſterii Fratribus reverendæ memoriæ GG. VII. PP. litteræ præſentatæ ſunt, præcipientis Figiacenſe Cœnobium Conchenſi Cœnobio uniendum. Et quia per idem tempus utrique loco Abbates proprii præſidebant, alterutro defuncto eum qui ſuperſtes eſſet, utrique Monaſterio præferendum. Conchenſis itaque Cœnobii Abbas, quia contra litterarum ipſarum tenorem ſubſtitutus fuerat, in eodem Concilio depoſitus, & Figiacenſis qui ſupervixerat, utrique loco prælatus eſt. Cœpit ergo inter utrumque Monaſterium diſcordia tanta verſari, ut & bona plurima diſtraherentur, & animarum ſalus detrimentis maximis peſſumdaretur. Præterea cum ad aures Cluniacenſis Abbatis hujuſmodi conſtitutio perveniſſet, cœpit ſupradictas GG. PP. litteras tamquam ſurreptitias calumniari, & definitionem ejuſdem negotii ſe præſente aliter perpetratam teſtari: quando quidem ab eodem Pontifice Figiacenſis locus Cluniacenſi Monaſterio per privilegium fuerit confirmatus. Igitur cum largiente Domino tertia per inſtantiam noſtram apud Nemauſum Synodus conveniſſet, cœpit ejuſdem negotii quæſtio graviter agitari. Poſt longum vero ſuper hac re Epiſcoporum Abbatumque tractatum, placuit cum pro apoſtolici privilegii conſervatione, tum pro communi Monaſteriorum ſalute, ut utrique loco, ſicut antea fuerat, Abbas cardinalis reſtitueretur, & Figiacenſes Monachi ſub Cluniacenſis Abbatis cura deinceps & proviſione perſiſterent. Et nos igitur commune Concilii decretum apoſtolicæ auctoritatis pondere confirmantes, definitionis hujus ordinem perpetuo permanſurum noſtri nominis litteris annotari, & ſigilli noſtri præcepimus impreſſione firmari. Si quis autem hujuſce definitionis tenorem temerario auſu fuerit conatus infringere, ſciat ſe apoſtolicæ indignationis ultionem incurrere, & detrimentum ſui ordinis vel officii invenire. Actum in Concilio apud Nemauſum in Eccleſia ſanctæ Mariæ 7. Id. Julii, anno dominicæ Incarnationis 1097. *, Indict. 4. anno vero pontificatus domni Urbani II. PP. 9. Datum apud Vallem Flavianam in Monaſterio ſancti Egidii Id. Julii.

* l. 96.

A P.

APPENDIX

COMPLECTENS ACTA SANCTORUM,

Quædam omiſſa ſuis locis, quædam incerti temporis;

AC MONUMENTA QUÆDAM HISTORICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AN.CHR. 665 4. Maji.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. LUXOVIENSIUM *Cœnobitarum ſacræ concioni*, a. ' . ' . *qui &* HERMIRICUS[a], *nomine Abbas, non merito vocatus, perpetuam in Chriſto Domino ſalutem*. Conſideranti mihi ac ſæpius ore ac mente revolventi, quid utilitatis & commodi loco conferrem, in quo a parentibus traditus primævi tirocinii juvenilia rudimenta inter dubia Pytagoricæ literæ bicornia peregiſſe memineram: illud potiſſimum occurrit, ut ad reparandam ſuccedentium ſollertiæ præteritarum rerum memoriam, ea quæ per egregios Chriſti Domini Confeſſores ſexcentorum ferme Monachorum Luxovienſium fundatores atque rectores, EUSTASIUM videlicet atque WALDEBERTUM, etiam noſtra ætate geſta eſſe divina gratia noſcuntur, ſtilo commendarem. Nam inter illa quæ jam tranſierunt, & ea quæ ventura ſperantur, profundæ caliginis quaſi quodam nebulo interpolante humana perſpicacia liberam notitiæ non poteſt habere facultatem, niſi exterius litteralis induſtriæ traditione juvetur, per quam ea quæ curſus anterior abſorbuit, præ oculis adducta, quaſi præſentia cenſeantur. Cujus rei ſtudio nos provocante manum miſimus, ut ea quæ ad honorem divinæ majeſtatis geruntur, quatenus noſtra ſcientia contingere potuit, torporis ignavia non lateant: præcipue cum eos nobis divina providentia tamquam ſpecialis dono privilegii patronos deſtinaverit, quorum præſens ſuffragium nos muniret, miraculorum virtus clarius illuſtraret. Sed cum laudamus viros glorioſos in vita ſua, nequaquam illum prætermittimus, immo cunctis omnibus proponendum recta fide cenſemus, per quem hæc omnia eos promeruiſſe & obtinuiſſe non dubitamus, qui eſt glorioſus in Sanctis ſuis, & admirandus in cunctis operibus ſuis. Ea itaque quæ iidem præfati Patres vel in vita, vel certe quæ paullo poſt diſceſſionis ſuæ tempora operati ſunt, nequaquam tangimus: ſed quod poſt longe ſuccedentis ætatis excurſum, nobis ſcilicet intuentibus, divina clementia per eos declarare voluit, ex pluribus quæ memoriæ mandari potuerunt, ad exhibendam tenacius tantorum virorum reverentiam non tacemus. Nam ſi quis eorum geſta plenius noſſe deſiderat, eorum actus qui voluminibus propriis ab exordio rerum geſtarum latius continentur, diligentius inquirat, ubi perfacile invenire poterit, quantis & qualibus virtutum uterque eorum inſignibus clareſcat.

2. Suſcipiat ergo veſtra ſancta Paternitas hoc noſtræ devotionis opuſculum: quæ etſi imperitos nos facundiæ lepore conſiderat, tamen dediſſe nos operam cognoſcat, ne ad glorificandam divinorum operum magnificentiam noſtra ignavia torpeſcat. Ita tamen iſta proſequimur, ut ſi vel rectius vel facetius ad explenda hæc ſcriptorum quilibet emerſerit, ſi quis ex his aut laudis ſeu mortalis nobis honoris fructus provenire poſſit; libenter nos hoc profitemur carere privilegio, dum ſolummodo nos loco cedimus, ſi alter potior vel facundior ſubrogetur: tantum pernoſcendæ materiæ viam oſtendiſſe ſufficiat. Nec nobis merces laboris, ut ſperamus, a Domino fruſtrabitur, ſi vocis facultas defuerit, cum promtus exſtiterit noſtræ devotionis affectus.

INCIPIT VITA S. WALBERTI ABBATIS.

Columbano Luxovio pulſo,

3. IGitur poſtquam beatiſſimus pater COLUMBANUS, ut liber hiſtoriæ de vita & virtutibus ejus ſcriptus indicat, ſub Rege Francorum SIGEBERTO patriæ Hiberniæ finibus exſul Burgundiam aggreſſus locum ſibi ſpecialiter delegerat, uti ab antiquo Luxovium (ut illic legitur) no-

[a] Supple Adſo. Is enim deceſſorum ſuorum ſeriem & breve chronicon deſcripſiſſe memoratur, æqualis Adſonis Abbatis Dervenſis, de quo in Sæculo 2.

nomen erat; tantam a Domino efficiendorum operum gratiam eſt conſecutus, ut in eo loco ſignis & prodigiis præeuntibus, ſexcentorum ferme Monachorum in brevi multitudinem, diſpoſitis per loca ſibi exigua (ut uſque hodie cernitur) agminibus aggregaret. Quibus in omni ſanctitate, ſapientia, doctrina & religione optime inſtitutis, ita ut longe lateque per urbes vel Monaſteria ex diſciplinæ beati patris Columbani diſcipulis Paſtores eligerentur & rectores; inſtigante diabolo ab impiiſſima BRUNECHILDE Regina expulſus, egreſſus a Luxovio Italiam petiit, Bobienſe Monaſterium magnifice condidit: in quo tandem multis miraculorum ſignis clarus beato fine quievit. Cui ad regendam Luxovienſium Monachorum congregationem beatus pater EUSTASIUS providus gubernator ſucceſſit: qui nobiliori Lingonenſium genere exortus, prædeceſſoris ſui in omnibus inſtituta ſequutus, æque ſapientia & ſanctitate ubique locorum fama & virtutibus notiſſimus migravit ad Dominum, in eodem loco corpore tumulatus.

AN.CHR. 665 2. Maji.

ſuccedit Euſtaſius,

4. Cui in regimine ſanctus ſucceſſor exſtitit WALBERTUS: qui videlicet vir in vita ſua glorioſiſſimus, licet poſterior fuerit ordine, non tamen inferior exſtitit meritorum qualitate: cujus quoque annos adoleſcentiæ in armis tradunt primum excellentiſſime floruiſſe. Qui ſcilicet cum eſſet inclyta proſapia clariſſimus, in pago qui vulgo Pontivus dicitur, honoribus & rerum dignitate juxta natales ſuos ditiſſimus; tamen ſub rebus ſæculi regni non immemor æterni, ſectabatur ſedulus opera miſericordiæ, agens quæ Dei ſunt, non quæ hominum. Qualis autem & quanta in eo ſub illo militari habitu bonorum operum virtus effulſerit, ſermo nullus explicare ſufficit: cum in ceteris quampluribus, tum etiam in his intentiſſimus, ſcilicet algentes veſtire, inopes alere, imbecillibus præſtare ſolamen, pauperes recreare, refovere mœſtos, ad pacem revocare diſcordes. Sic miles optimus inter faſces conſtitutus & arma, perituris præponens ſemper æterna, ſedula verſabatur cogitatione, quod poſtea devotus complevit opere. Cujus quidem ſub illo bonorum exercitio initium ſignorum hoc referunt exſtitiſſe.

dein Walbertus exſtitit:

5. Intra fines Franciæ, in pago videlicet Meldenſe, famoſi vicus eſt nominis, priſco nomine *Nant* * vocatus: qui ſcilicet vicus ſibi a progenitoribus jure hereditario competebat; ortu quoque ejus & puerilibus incrementis hic locus uſque in præſens admodum habetur inſignis. Ad laudem etiam ejus nominis fons illic exoritur memorabilis, ex quo perfuſa turba popularis lætiorum * ſe arbitratur ad ſua referre ob memoriam beati viri lucra incolumitatis. In hoc itaque (ut diximus) vico ſui juris ager latiſſimus fuerat & fecundus. Nam cum in aliis vir iſte feliciſſimus, tum quoque rebus pollebat: & hunc quoque agrum anſeres agreſtes, quas a candore vel ſonitu vocis more ruſtico gantas *a* vocant, agmine collecto frequenti ruptione ab ipſo jactu ſeminis & ſationis incremento vaſtabant. Miniſter indignatus, cum eas nulla vi inde poſſet abigere, familiare damnum domino procurat intimari. At ille imperans: Vade, inquit, citius, & ordine pedeſtri numero integro ſubſequens reclude eas domi. Mox ſervo præcedente videres mœſtas volucres mirum in globum depoſita feritate colligi, ac pro jubentis nutu certo tramite quo ducebantur tectum ſubintraſſe. Ita jam triduum aves illæ ſine cibo agentes, beati viri tandem indulgentia relaxantur, demta ſcilicet una de numero ceterarum, quam unus e familia furto ſublegerat, & ſibi male conſcius in eſcas vorax temerator abſumſerat. Illæ tamen volucres ſolutæ de carcere, elato in altum gemitu clamore replentes aera, tecta circumvolant, atque in aures ſancti viri damnum ſociale reſolvunt. Qui mox cauſam intelligens, depoſitum inquirit, pœnas juſſiſſe debitas pro crimine profitetur, non neces intuliſſe.
Præ-

In pago Meldicenſi clareſcit adoleſcens.
* infra n. 14

* an lætiorem

a Sic ſancta Amalberga virgo ex agro ſuo fugaſſe dicitur aves quaſdam, *quas communi vocabulo gantas appellare placet*.

AN. CHR. 665. 2. Maji.

Præſumtor ut furti reus pudore deprehenſus, plumarum quas forte ſubduxerat ac quæque reſidua profert in medium. Ita vir ſanctus facta oratione exanimem reparans, reſtaurato numero ſinit abire lætantes, numquam poſt hæc infra agrum illum irruptionem facere præſumentes. Hæc ergo jam tunc Dominus in ſervo ſuo dignabatur oſtendere, quem diſponebat poſtmodum ſancto illi Luxovienſium Monachorum gregi paſtorali auctoritate præficere. Qui etiam ſi ſic in minimis laicus potuit, quanto magis in maximis credendus eſt ſub ſancto habitu valuiſſe?

Euſtaſii monitis Luxovium ſe recipit.

6. Hinc jam cum ad altiora tenderet, ſæculo omnino renuntiare deſiderat, Dei nutu ac beati Patris Euſtaſii conſultu Luxovienſe Monaſterium, quod præ ceteris eo tempore regulari ordine diſtrictius erat, copia rerum & numero Monachorum excellentius præpollebat, devotus expetiit: ac traditis rerum ſuarum illic quæ per diverſa loca ampliſſime poſſederat prædiis, armiſque depoſitis, quæ uſque hodie in teſtimonium ſacræ militiæ ejus in eo loco habentur; ſervorum Dei numero adiit ſociandus. Qui ſanctæ converſionis gratiam tanta eſt perfectione adeptus, ut etiam ſancto Spiritu illuſtrante ſigna virtutum oſtenderet, cum in alterius diſpoſitione conſiſteret.

Solitarius vivit.

Monſtratur adhuc *a* denique locus, duobus a Monaſterio millibus diſparatus, ſub ſaxo quidem præeminenti concavus, aqua vero e terra prodeunte blandius irriguus, ubi cellulam ſibi referunt ſtatuiſſe ac contra vel carnis vel antiqui hoſtis tentamina non parvo tempore ſingulariter decertaſſe.

Euſtaſio ſufficitur.

7. Præterea Pater Euſtaſius (ſicut ſupra prælibavimus) ſignis & virtutibus quampluribus (ut in deſcriptione actuum ipſius ſufficienter legitur) comprobatus, cum palma bonorum operum, Domino vocante, cœleſte capitolium ingreditur coronandus. Qui etiam poſt ſacram beati Petri Apoſtolorum principis aram intra mœnia principalis Eccleſiæ, quam ipſe cum Patre Columbano condiderat, magnificam (ut par erat) ſepulturam retentat. Nec patitur divina providentia ſacrum ovile rectore deſtitui. Nam in illo Sanctorum collegio cum forent plurimi, quos & ſapientia & vita commendarat; tamen univerſi pari voto parique conſenſu Vvaldebertum virum æque ſanctiſſimum loco Patris decedentis decernunt, ac loci Rectorem conſtituunt, certi de ejus virtute & meritis: quæ etſi in eo poterant augmentari, nulli dubium quin poſſent fixa deliberatione moveri.

Rem optime gerit.

Nihil enim a priſtino vigore agens remiſſius, exquiſitis artioris vitæ ſe diſtrictionibus coercebat. Si quid vero in rebus vel ceteris utriuſque vitæ commoditatibus tempore illorum duorum Patrum, Columbani videlicet & Euſtaſii, imperfectum reſtabat; hic Paſtor beatiſſimus Vvaldebertus omni induſtria ſupplevit, auxit, & ad unguem perfectius elimavit. Villas quoque & prædia copioſa traditione publice facta in uſus Monaſterii contulit: inter quæ vicum quoque, quem ſuperius *Nant* vocatum diximus, genuinum videlicet ejus *b* ſolum, cum membris adjacentibus ſub interminatione tradidit: ut qui eum a loco auferret, æternæ maledictioni ſuccumberet. In pago quoque Tarnenſi *c* vicum Herlerum nomine cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſeu quidquid in Pontivo ſolido jure poſſederat, obtulit: & omnium rerum ſuarum beatum Petrum Apoſtolum in perpetuum heredem eſſe conſtituit. Inter cetera quoque ejus donaria contulit etiam pretioſiſſimæ gemmæ poculum ex uno topazio, miro modo guttulis aureis (ut ejus eſt natura) interlitum, interpoſito anathemate, ut quiſquis quacumque occaſione exinde illud ſubtraheret, vel ſubtractum auſu temerario retinere tentaret; cum

dia-

---

a Cernitur ad hunc uſque diem, habeturque in ſpelunca ſacra rigidum ſaxum jacenti homini aptatum, in quo febricitantes ſæpiſſime ſanitatem recipiunt.

b Ex hoc loco intelligitur, (quod etiam manifeſtum eſt ex Actis S. Bertini Abbatis) alium eſſe Waldehertum hunc a Walberto Comite Arcenſi, diſcipulo S. Bertini: nec S. Faræ germanum, aut Eccleſiæ Meldicenſis Epiſcopum fuiſſe, uti alias probatum.

c Sic nonnumquam contractis literis mediæ ætatis Auctores vocant pagum Tarvennenſem, cui contiguus eſt vicus Herlerus, vulgo jam *Herly*, ſitus in Comitatu Paulenſi ad Romanas vias, inter Agnionis & Edivinæ fluviorum capita, teſte Malbranco in lib. 4. de Morinis cap. 6.

Digitized by Google

diabolo & angelis ejus æternis flammis in perpetuum cruciandus adeſſet, ſalva quoque auctoritate Francorum Regum & Procerum, qui uſus admodum eo tempore ferebatur.

AN. CHR. 665 2. Maji.

8. Sancto NICETIO Epiſcopo magnarum virtutum viro familiarius adhærebat, interpoſita utriuſque conditione pacti, ut quis eorum primus Domino vocante rebus humanis excederet, alter ſuperſtes locum ſibi ſepulturæ competentis ordinaſſet. Quod & ita contigit. Nam cum per quadraginta annorum ſpatium glorioſus Confeſſor Domini Waldebertus locum ſibi delegatum omni virtutis genere optime diſpoſitum augeret rebus & numero Deo ſervientium, multis miraculorum virtutibus adornatus migravit ad Dominum 6. Nonas Majas, ſupernorum civium ſocius & conſors effectus, & ad januam perpetuæ jucunditatis feliciter introductus. In cujus obſequium funeris confluentibus undique Fidelium turmis, in Eccleſia B. Martini *a*, quæ eſt conſtructa ex latere Monaſterii in parte aquilonari, compoſita a Sancto Nicetio Pontifice poſt aram crypta opere mirifico, Domino diſponente digniſſima ibidem conditus eſt ſepultura.

Nicetio Epiſcopo familiaris, obit, ab eo ſepultus.

9. In quo videlicet loco, poſt glorioſum vitæ ejus exceſſum, ad honorem divini nominis plurima ſunt oſtenſa miracula, cum cœcatis vultibus viſus redditur; claudis rupta nervorum compagine greſſus reſtauratur; infirmis adſpirat ſanitas; a membris ægrotantium pellitur inviſa debilitas; mœſtis ſolatia, adverſis decidentibus præſtantur beneficia: inter quæ etiam divina ſunt virtutis commercia. Id certa ratione prior ætas dicitur comprobaſſe, quod exhibita pio debito jacenti honoris reverentia, quamdiu manu hominis exſtiterat ſacri corporis ſepultura, nec pravitas infidelium, nec ulla illic prævalere potuerit ſæva irruptio paganorum. At poſtquam, ſeu ob paucioris præconii meritum, ſed etiam aliquo compellente caſu, ſupervenientium rerum ſumta inde reverendi corporis oſſa alterius templi ſunt illata ſacrariis; nec nocitura impietas perverſorum, nec defuerunt ſtrages & infortunia crudelium nationum; cum etiam longe poſt pagani *b* ſubito illuc irrumpentes, omni conanime niſi fuerunt Monaſterium incendere: ſed reliſi manifeſta Dei virtute, incaſſum viſi ſunt ſua incendia admoviſſe: quo etiam tempore, ut poſt dicetur, nonnulli Monachorum a paganis inventi ſunt interemti.

Corpus ejus præſidium maxime contra paganos.

10. Decedente itaque ab hac vita (ut præfati ſumus) Waldeberto paſtore beatiſſimo, Sanctus INGOFREDUS, omni virtutum genere conſpicuus & perfectus, loco ejus eſt ſollemniter ſubrogatus. Deinde prolixa plurimorum temporum ſerie decurrente, in illo candido nivei Monachorum agminis conventu Patribus (ut in catalogo eorum facile eſt inveniri) ſibi invicem ſuccedentibus, nec paſtoralis auctoritas defuit, & temporalis ſubſidii copia uſque ad ultimum eorum Abbatem, nomine MELINUM, proſpere perduravit. Hæc nos ſiquidem quaſi per præoccupationem materiæ breviter prælibantes, cum nobis propoſitum non fuerit præteritorum temporum acta replicare, his omiſſis ad noſtræ ætatis tempora, ſicut ſumus polliciti, redeamus.

Succeſſores.

11. Poſt memorabilem Caroli Magni *c* & glorioſi Imperatoris obitum, orta fuiſſe dicitur inter quatuor Reges diſſenſionis magnæ controverſia, CAROLUM ſcilicet & PIPPINUM, LUTHARIUM quoque & LUDOVICUM, rixantibus quoque & vi magna inter ſe decertantibus, cui eorum ſolius Regni dominatio Franciæ ſpecialius obveniret, quod jam quidem germanus eorum junior Carolus nutu patris decedentis ſingulariter acceperat. Quæ fraternæ litis impietas cum nulla poſſet ratione revinci, eo uſque deducta eſt, ut convocatis utrimque regnorum cohortibus, diſpoſi-

a Eccleſia iſta hactenus ſupereſt in meditullio opidi Luxovii, eſtque parœcialis.

b Saraceni ſcilicet, & quidem anno (ut videtur) 731. ex dictis ad eum annum.

c Immo poſt Ludovici Auguſti ejus filii obitum, cujus hi filii fuerunt. Alia etiam hic peccat Auctor, ut quum Pippinum Fontanetenſi prœlio ſuperſtitem facit, quum Drogonem Ludovici filiis adnumerat, quem Ludovici Auguſti fratrem, & eo vivente Mettenſem Epiſcopum creatum fuiſſe conſtat.

Digitized by Google

ANCHR. 665 2. Maji. ſpoſitis bellantium cuneis, in fraternas acies vexilla ſolverentur. In qua acie Lutharii fugiente exercitu, juvante WARINO Burgundiæ Duce potentiſſimo Carolus victoriæ ſigna reportavit, ac ſic Regnum Franciæ diviſis in ceteros regnorum partibus ſolus accepit. DROGONEM *a* vero quintum, æque regnandi avidum, qui clariſſimæ utpote ex eodem genere videbatur eſſe indolis, in Clericum attondent, ac in ſede Mettenſis Eccleſiæ Pontificem conſtituunt. Hunc etiam ad amplioris ſupplementum honoris Luxovio Paſtorem præeſſe decernunt. Quem ille locum acceptum ita ſtrenue poſt priorum ſtudia & potentiſſime gubernavit, ut aucta rerum copia in quindecim manſorum milia ſuo tempore recenſenda videretur. Hic interdum ille ſolito commoratus, dum amœnitate locorum fruitur, Lignonem vicinum fluvium gratia piſcandi aggreſſus, dum piſcem immanem ſequitur, aquis lapſus ſubito præfocatur, Mettiſque delatus in ſancti Arnulfi Confeſſoris Chriſti Eccleſia tumulatur. Poſt hæc tempora LUDOVICUS, cognomento Pius, in Francia Papa Stephano coronante Imperator efficitur. His diebus per plurima Monaſteriorum loca regularis Ordo defecerat, & rerum temporalium adminiſtratio quotidianis malorum caſibus deperibat. Hic tamen frequentibus ſynodalibus Conciliis ſtatum Eccleſiarum in priſtinum pro viribus reparabat.

Drogo etiam Abbas Luxovienſis,

quo mortis genere extinctus.

Anſegiſus Abbas.

12. Ea tempeſtate Luxovienſium quoque dignitas inter cetera priſtino rigore tabeſcente jam pene vacillabat. Quod Cæſar Ludovicus expertus, ANSEGISUM *b* virum digniſſimum, comtum moribus & ſapientiæ decore præpollentem, loco præficit in paſtorem. Hic collapſa reparat, diſperſa recolligit, ſitum Eccleſiæ longius extendit, circumpoſitas officinas amplioribus ſpatiis atque altioribus muris exporrigit, parietes quoque Eccleſiæ cum ceteris ornamentis pulcra varietate depingit. Capitula ſiquidem Regum Francorum quæ diverſis fuerant acta Conciliis, excepit, & uno volumine contineri fecit. Cumque inter regni proceres Francorum Regibus gratus eſſet, juſtis & piis operibus intentus vitæ finem fecit, & illic ubi ſpatioſius Eccleſiam extenderat, dignam accepit ſepulturam.

Fulbertus Abbas.

13. FULBERTUS quoque, vir quidam illuſtris, procedenti tempore in eodem loco conſtituitur: qui etiam Sanctorum Oratoria inter duo Monaſteria pulcro ſatis decore compoſuit, rebuſque decentibus adornavit. Poſt hæc longe paganis (ut prædiximus) irruentibus, Monachis fama terroris ſubiti per diverſa reptantibus, GIBARDUS vir genere & doctrina clariſſimus, qui Paſtor Monaſterii & Abbas eo tempore fuerat conſtitutus, dum longius ad alias partes fuerat digreſſus, paganorum *c* ſagittis confoditur, atque in loco qui Martini-villa dicitur, ſepelitur. TETELMUS quoque Monachus honorabilis inter ſuos, non longe a Monaſterio inventus eſt cum aliis quibuſdam interfectus. Hinc jam uſque ad hæc noſtra tempora paſtoribus decedentibus, RICHARDO *d* magno Duce Burgundiæ, dum inviſi tyranni paſſim cœpiſſent emergere, ac ſeſe invicem mutua ſtrage collidere; Eccleſia Dei confunditur, jura rumpuntur *, legum ſtatuta rumpuntur, poſſeſſiones Eccleſiæ pervaduntur, & ab impiis undique rapiuntur. Sacris non eſt reverentia locis, ſed prævalente nequitia impiorum totus pariter concidit honor religionis: quod nimirum habitatores Luxovienſis Cœnobii peccatis exigentibus pleniter ſunt experti: nam villas & poſſeſſiones eorum in hereditatem ſibi diripuerunt manus alienorum. Cumque Rex non eſſet & Judex, qui veræ intuitu juſtitiæ huic impiorum pravitati vellet ex toto reſiſtere; compulſi ſunt quamplurimi Clericorum con-

Gibardus.

Galliarum infelix ſtatus.

* l. violantur.

a Id nemo, quod ſciam, de Drogonis morte prodidit. Eo Luxovii Abbate Angelomus libros Regum explanavit, uti ipſe teſtatur in epiſtola nuncupatoria.

b In vulgato Indice Abbatum Anſegiſus Drogoni præponitur: & Drogo quidem Anſegiſo ſupervixit.

c Id eſt Nortmannorum: quod exiſtimo accidiſſe anno Domini 888. quo cæſi ab eiſdem Monachi Beſuenſes, teſte Joanne Monacho Beſuenſi in Chronico, Spicilegii tomo 2.

d Richardus Burgundiæ Dux ſtrenuus adverſus Nortmannos, mortuus eſt anno tertio poſt obſidionem Carnutum, teſte Hugone Monacho Floriacenſi, quæ contigit anno 891.

Digitized by Google

contra temeratam audaciam diripientium ſuorum pignora circumferre Sancto-rum, ut quos poteſtas humana non compeſceret, virtus oſtenſa divine coercere-ret. Inde eſt quod loci hujus incolæ alibi fiduciam non habentes, contra nequitiam perverſorum S. Waldeberti ſui defenſoris latis corporis ejus pignoribus ſoleant inferre virtutem: ut qui quondam temporalis militiæ ſacramenta ſervaſſe viſus fuerat, ipſe quoque inter caſus ſuorum fidelium pius propugnator adſiſtat. Cujus rei experimentum ſe ultro ingerit, ſi conſideretur virtutis ejus potentia, quam frequenter oſtendit.

AN.CHR. 665
2. Maji.
Reliquiæ in rerum invaſores delatæ.

14. Villa marinis litoribus contigua, quæ ſuperius Herlerium eſt vocata, tyrannorum vi ſublata fuerat. Monachi ancipiti in diſcrimine poſiti, S. Waldeberti protectoris ſui ſuffragium expetunt, ſanctorumque pignorum ejus glebam ſibi imponentes, per fines Franciæ illuc iter intendunt. Quibus abeuntibus ſubito Mantne * fluvius obvius occurrit. Quem cum tranſmittere cupiunt, plurima præcedente turba populorum ſacri pignoris gleba citra litus conſtiterat. Monachi in articulo poſiti quid facerent neſciebant. Mira dicturus ſum: mox navis divino impulſu a remige illuc abſque humano juvamine ſponte perducitur, qua ſancti corporis gleba tenebatur. Mirati comites tanta facultate fluvio tranſducti, quanta eatenus numquam fuerant experti. Hinc itaque procedentes, paullo poſt ad prædium perveniunt *Nant* a ſuperius memoratum: ubi videlicet ipſe & vitæ exordium temporaliter ſumſerat, & quibuſdam miraculorum ſignis vivens illuſtrarat. Hic comperta corporali ejus præſentia, dici non poteſt, quanta utriuſque ſexus confluxerit populorum frequentia. Inter quæ ob beneficiorum ejus gratiam cum diverſa donorum munera cum gleba ſancti viri inter frondes arborum præ turba irruente decernerent appendi, quoddam ligneum poculum a quodam contigit offerri: hoc unus e famulis ſervandum acceperat. Quod cum quidam laſcivus juvenis & petulans ab illo peteret ſibi dari, cum forte videretur indignus promereri; ille exemto enſe viri Dei obſequio deditum gladio niſus eſt appetere. Cumque in eum libraſſet ictum, ſubito ferientis dextera ligatur in aere. Sic ille ſine patibulo cœlo ſuſpenſus amens redditur, ſenſu confunditur, fixus tellure tenetur: nec prius potuit ſibi reddi, quam oratione illorum, quibus nociturus venerat, mereretur abſolvi. Ita plurimorum pectora terror perſtrinxerat hujus facti. Denique hic aliquantiſper a populo detenti reſumunt iter quod cœperant, ad Herlerium veniunt quo tendebant. Inſurgunt undique injuſti pervaſores, volentes eos a finibus repellere, quos ſui diſpendio cernebant adveniſſe. Sed ſancti viri virtus terrore mentes edomat impiorum, & ſuis reformat domeſtica prædia, quæ alienorum factionibus fuerant direpta. Ita, licet cum labore, rebus compoſitis, cum ſacris pignoribus Monachi obſequentes lætiores redduntur propriis laribus.

S. Waldeberti corpus in primis.

* l. Materna

15. Vicus eſt iterum non ignobilis, Provincherias ſuo vocabulo dictus, pene viginti millibus a Monaſterio diſparatus: quem videlicet vicum quidam miles pervaſerat, inter ſuos nominatiſſimus. Ad quem anguſtia imminenti, quia deerat ſuffragium terreni Defenſoris, ſancti viri glebam imperabat neceſſitas deportari. Qua in Eccleſia illic propria collocata miles indignatus cœpit furere, iraſci, Sancto derogare, bacchari, & inſanire, adfirmans res Eccleſiæ ditioni ſuæ libere ſubjugare. Denique cum quadam die tumidus & elatus equo ſpumanti per ſubterpoſitum Eccleſiæ campum ſolutis habenis curſu ferretur præpeti, crure fracto equus in præceps concidit: ipſe vix caſum evadens, in proximo a milite interfectus, villam uſque in præſens ſancto Petro libere poſſidendam reliquit.

Invaſores puniti.

16. Alio quoque tempore ROTBERTUS quidam miles, viribus potens & opibus, cum nepote Berardo in pago Divionenſi Caciacum villam adprime viniferam; HUBALDUS vero Moliſiacum in pago Belnenſi, res videlicet Luxovienſis Eccleſiæ, ſatis iniqua dominatione poſſidebant. Quare Monachi cum

---

a Hinc conjicimus Nantum, Waldeberti natalem locum, eſſe opidum Nantogilum, *Nantuil*, quod e Burgundia Maternam prætervectis obvium eſt, ubi hactenus eſt Prioratus Ordinis Cluniacenſis.

Digitized by Google

AN.CHR. 665 2. Maji.

cum Principibus Burgundiæ ſæpius conqueſti, prævalere non poterant. Inito igitur LETOLDI Comitis conſultu eo tempore, quo Rex LOTHARIUS [a] pulſa obſidione Burgundiorum ſub ditione ſua Divionenſe receperat caſtrum; Monachi notum repetunt ſuffragium, S. Waldeberti pignus venerabile illuc conſtituunt deferendum. Quo cum perveniſſent, medio villæ tentorium competenter cum ſacro loculo ſtatuunt: cum repente hoſtes armati ferro & animis, Berardus videlicet cum ſuis, advenientes quidem cum ſuo Defenſore non audent contingere: villam tamen ſolito more corripiunt, familiam male opprimunt, alimentorum ſumtus copioſius ac durius exigunt: ſicque cibo rapaciter & vino perfuſi, Monachis inedia laborantibus, nocte irruente, ſopore membra protenſa reſolvunt. Ecce ſubito noctis medio eorum princeps, Berardus videlicet, febre corripitur, morbo dyſenteriæ membra torquentur, fluxu ventris undique coartatur. Vixque auroram præſtolatus Monachos adit, ante præſentiam Sancti corruit, reatus ſui pœnitentiam agit: ſicque indulta ſanitate, villa Caciacus extunc & nunc alieno eruitur poſſeſſore, domini proprii potitur libertate.

17. Hubaldus vero miles, licet in rebus ſanctuarii avidus, alias tamen vir probus, & ut armis, ita etiam moribus modeſtus, quem in pago Belnenſis provinciæ apud Moliſiacum villam Monachorum vini & frugum redditus diximus ſubjugaſſe; viſis hujus Sancti virtutibus territus & miraculis, in reliquum, licet nolens, poſſeſſionem ſuam Eccleſiæ dereliquit.

Alia miracula.

18. Alio poſt hæc tempore iidem Monachi in pago Alſgodienſium, tyrannorum infeſtatione prorumpente, quarumdam rerum ſuarum fuerant diſpendia paſſi. Hac perurgente neceſſitate eas habita deliberatione decernunt partes adire, habentes ſecum fidei tutamina, ſacra videlicet Reliquiarum [b] pignora ex membris S. EUSTASII, necnon S. Waldeberti Confeſſoris Domini glorioſi. In quo itinere non longe a Monaſterio, apud villam quæ ſanctæ Mariæ dicitur, primum ſunt hoſpitati. Deinde locum qui Campaniolas vocatur aggreſſi, quarto demum die illuc perveniunt, quo fuerant malorum improbitate provocati. Erat in illo comitatu non parvus numerus tam ex Monachis quam ex miniſtrantibus, cum quibus ierat Abbas & Epiſcopus, nomine AALONCUS. Pervenientes itaque ad locum deſtinatum, quia alibi locus aptus non fuerat, in prato quodam quod eis contradicebat, ſuper unius quercus abſciſæ truncum ſtatuunt. Ad famam igitur tantæ novitatis pluribus concitatis, cerneres promiſcui ſexus infinitam populorum multitudinem illuc repente confluxiſſe, non ſolum ex vicinis, ſed ex longinquis partibus, locis, villis, & opidis mirum in modum conglobati omnes conveniunt: ac mox campum replentes, una voce, conſona devotione omnipotentis Dei nomen & S. Waldeberti cuncti invocant, ſuis incommodis opportuna ſuffragia petunt. Ut autem declararet divina poteſtas Sanctorum ſuorum etiam corporale adeſſe beneficium, fit ſubito tantus de cœlo ſtrepitus, tantus terror, ac in modum tonitrui ſonus vehemens concitati, ut terra, ſicut eis videbatur, tremente, vix præſentes populi ſupra pedes conſiſterent, ac quiſquis illorum qua parte eſſet conſtitutus neſcirent. Illi attoniti, & de ea re quæ acciderat nimium pavefacti, poſtquam virtute reddita ad ſemetipſos ſunt reverſi, (mira dicturus ſum) videres avem in figura columbæ per ſerenum aera de ſublimibus deſcendiſſe, ac blando volatu ſuper loculum ſanctum familiariter circumvolaſſe: quæ deinde expleto curſu cœli ſecreto recipitur, quo manifeſte adveniſſe probatur. Hinc virtus utriuſque Sancti cœpit oſtendi. Mox etenim duo propriis diu luminibus orbati, ea hora qua avis prædicta viſa eſt abſceſſiſſe, ſine ductu alterius recepta luminis claritate ineunt gaudentes ad ſua feſtinanter properare. Deinde quoque alii duo complicita nervorum nodoſitate catenatis quaſi membris toto corpore adſtricti, aliorum manibus ſacris pignoribus illa-

ti,

[a] Lotharius regnavit ab anno 954. in annos triginta. Hinc Auctoris ætatem diſce, qui ſucceſſor ponitur Aalonci, aliis Adalonci inferius memorati.

[b] Reliquiarum S. Euſtaſii pars quædam in Cœnobio Luxovienſi adſervatur, ſcrinio eburneo & argenteo incluſa.

Digitized by Google

ti, divina virtute oſtenſa in pedes ſunt ſubito erecti, & ad propria abſque humano juvamine lætantes ſunt reverſi, ac terram quam prius calcare neſciebant novo docti itinere liberis greſſibus Dominum glorificantes & S. Vvaldebertum prævium habentes ambulare cœperunt. AN.CHR. 665 2. Maji.

19. Huic itidem loco caſtrum cernitur eſſe contiguum, quod priori tempore Montem-Biliardæ *a* novimus eſſe cognominatum. Hujus opidi incolam nomine UTONEM, non ab ignobili genere oriundum, pluribus notum fuiſſe ſatis eſt compertum. Hic nervis coactis & corporis facultate privatus manibus per terram repens ire non poterat, niſi vel equo, vel aſino ſeſſore uteretur. Hic itaque ad locum perductus eſt cum ſumma devotione, quo Sancti hujus venerabile pignus cognoverat conſtitiſſe. Venit igitur, lacrymis humum perfudit, Sancti nomen invocat, ſuffragium expoſcit: nec ante a loco diſcedit, donec divina virtute ruptis nervorum nexibus redit ad propria, priſtina incolumitate donatus.

20. Et quoniam temporis & ejuſdem beneficii ſe opportunitas dedit, non piget iterum aliud ad laudem divini nominis referre, quod in re ſimili vir iſte ſanctus diſſimiliter eſt operatus. In pago ſiquidem ruſticorum uſu Vvaraſcum *b* nuncupato, ætate priore fuiſſe quemdam virum novimus, qui proprio fuerat BERNERICUS nomine dictus: qui quidem generis erat libertate potitus; ſed tamen toto corpore & nervis adſtrictus, nulla facultate poterat ſolide terris affigere greſſus. Hic biroto carpento impoſitus quocumque eſſet ducendus, unius bovis & famuli videbatur eſſe contentus. Qui audita virtute Sancti, juncto bove ac miniſtro præmiſſo carpento impoſitus, pervenit ad locum, quo ſe duci fuerat deprecatus. Ante præſentiam Sancti in terra proſtratus diu decubat, cum lacrymis preces miſcet, & familiarem bovem S. Vvaldeberto non tardans polliceri, ſi hac corporis incommoditate mereretur abſolvi. Cujus quidem vir ſanctus non eſt dedignatus ſuſcipere gemitum ſupplicantis: ſed tamen præſentem diſtulit impendere ſanitatem. Nam non impetrato quod diu rogaverat, mœſtiſſimus abſcedebat. Cumque aliquantulum itineris rediens peregiſſet: O ſancte, inquit, Vvaldeberte, placetne tibi quod triſtis veni, triſtior recedo? Hæc dicens plauſtrum ſtare jubet, terram petit, bovemque in paſcua reſolvit: cum ſubito ſanus factus concitus redit, gratias agit, bovem ductorem obtulit, ac firmatis greſſibus ad domum lætiſſimus redit.

21. Quædam iterum femina genere nobilis, graviſſimo tenebatur morbo ejuſdem contractionis, deſtituta ſolatio corporeæ facultatis. Quæ cum jam conſequendæ ſalutis commercio deſperata videretur, ad locum eumdem *c* ſe petiit deportari. Ubi cum diutinis precibus & lacrymis inſiſteret, repente ſanata non ſine admiratione multorum in pedes conſtitit. Sed cum adepta ſanitate vellet inde recedere, in itinere jam poſita ſubito in terram concidit, & in eumdem contractionis morbum adſtrictam ſe eſſe cognovit. Suſpiciens cœlum ingemuit, & rurſus ad locum ſe referri fecit. Ubi cum priſtinam ſanitatem recepiſſet, quaſi aliquantulum jam ſecura, res neceſſarias reviſere cupiens a loco diſcedit, & abire jam cœpit. Sicque in itinere jam conſtituta, rarſus in unum corporis globum contrahitur: atque denuo ad locum refertur. Sicque factum eſt, ut quotieſcumque inde abire voluiſſet, in eumdem morbum concideret: donec tandem recepta ſanitate animum fixit, & uſque ad ultimum vitæ ſuæ tempus in eodem loco permanſit.

a *Montbeliard* opidum munitiſſimum in Comitatu Burgundiæ.
b Euſtaſius Abbas & cum eo Agilus *Vvaraſcos* ab erroribus revocaſſe dicuntur.
c Reliquiæ S. Waldeberti hactenus in Eccleſia Luxovienſi coluntur, caput quidem in argentea effigie, reliquæ corporis partes in theca ex argento deaurato, ut me monuit jam laudatus R. P. Conſtantinus Gravellius, cui plurimum in his adnotationibus debemus. S. Waldeberti translatio (forſan elevatio) Luxovii celebratur Maji die 16. uti & SS. Euſtaſii, & Columbani.

CIRCA AN. 670 25. Sept.

DE SANCTO ERMENFREDO

ABBATE CUSANTIENSI

IN COMITATU BURGUNDIÆ.

1. WALDEBERTO *adjungendus eſt* ERMENFREDUS, *præceptori diſcipulus, is cujus Vitam legebant quondam in ſollemni ejus feſto Luxovienſes. Eam quidam vir doctus penes ſe retinet, pollicitus ſe eam tandem editurum: dum nos interim id ſolum recuperare potuimus, quod in eccleſiaſticis officiis Luxovii quotannis uſurpatur in hunc modum.*

2. ERMENFREDUS nobilibus parentibus genitus, in aula verſatus eſt Chlotharii ſecundi piiſſimi Francorum Regis una cum fratre ſuo WANDALENO. Mortuo autem eorum patre, vivendi rationem aulicam parum ſibi tutam rati, licentiam abeundi poſtularunt. Ea ægre admodum obtenta fratres matrem ſuam adiere, cum qua privatam vitam agere cœperunt. Poſtmodum Ermenfredus pompis & vanitatibus ſæculi renuntians, relicta domo Luxovium petiit, ubi a beato WALBERTO tam belle diſciplina regulari excultus eſt, ut aliis præeſſe mereretur.

3. Deinde ad Cuſantiam ſuæ ditionis locum ædificandi Monaſterii cauſa remiſſus, tricenos circiter Monachos coadunavit, quos Luxovienſis Cœnobii Inſtituta edocens, mirum in modum virtutibus auxit, eiſque in poſterum cavens, Monaſterium ipſum Luxovienſi ſubjecit Abbatiæ anno tertio DAGOBERTI Regis. Inter alia miranda Vvandaleni fratris exceſſum e vivis divinitus cognovit. Ipſum denique vitæ ſanctiſſimæ confecto curſu ſeptimo Kalendas Octobris ad ſuperos evolantem miracula quamplurima illuſtrarunt. Cujus corpus ad fratris exuvias in beati Joannis Baptiſtæ Cuſantienſi æde collocatum eſt.

4. *Nunc Cuſantia, vulgo* Cuſance, *eſt Prioratus, Monaſterio Sancti Augendi ſeu Sancti Claudii ſubjectus ex donatione Pontii Veſontionenſis Archiepiſcopi ab anno milleſimo centeſimo ſexto. Hæc interim de Sancto Ermenfredo, dum ampliorem notitiam exſpectamus. Luxovii colitur officio ſemiduplici die 25. Septembris.*

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTUM VITÆ SANCTI LANTBERTI EPISCOPI LUGDUNENSIS,

CIRCA AN. 788
14. Apr.

Auctore Monacho Fontanellenſi anonymo, qui Ludovico Pio imperante vixit.

Ex ſchedis noſtris manuſcriptis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Inter ſchedas, quas noſter Lucas Acherius ex mſſ. codicibus deſcribi curavit, reperi fragmentum ſequens Vitæ S. Lantberti ex Abbate ſecundo Fontanellenſi Epiſcopi Lugdunenſis: at quo ex codice deſumtum ſit, neque ſcriptor amanuenſis notavit, nec Acherius ipſe reminiſci potuit. Litteris varia in loca, Lugdunum ſcilicet, Rotomagum, Tornacum, Fontanellam ac Gemeticum tranſmiſſis, reliquum iſtius Vitæ recuperare non licuit. Auctor fuit ſine dubio Chronographus Fontanellenſis Anonymus, in tomo tertio Spicilegii editus: cujus caput ſecundum, quod res geſtas S. Lantberti continebat, avulſum erat ab exemplari, quo primum uſus eſt Acherius. Reliqua Lantberti facta, quæ quidem ſcire poſſumus, repetenda ſunt ex Actis ſanctorum Vvandregiſili Abbatis, Ermemberti Epiſcopi Toloſani, Condedi Anachoretæ, & Anſberti Epiſcopi Rotomagenſis in Sæculo noſtro ſecundo editis. In vetuſto Breviario Fontanellenſi rubeis literis notatur feſtus dies S. Lantberti* 18. Kal. Maji, *quo die in recentioribus Martyrologiis celebratur.*

2. *Vitæ ſubjectæ huncce titulum præferunt ſchedæ noſtræ*: Incipiunt Actus beati LANTBERTI Abbatis, qui ſecundus poſt beatum Geneſium factus eſt Præſul Eccleſiæ Lugdunenſis, & poſt almificum Wandregiſilum Rector Cœnobii Fontanellenſis per annos tredecim & menſes octo: qui etiam Duſeram Cœnobium conſtruxit in regione quæ vocatur Provincia, ſuper fluvium Rhodanum: cujus tempore plurima Eccleſiæ noſtræ adcreverunt. *Hæc paucis explicanda. In Actis ſancti Anſberti Lantbertus proxime beato Geneſio in ſedem Lugdunenſem ſucceſſiſſe perhibetur, & quidem jubente Theoderico Rege, Pippino vero conſulente. Ergo quum hic dicitur* ſecundus poſt B. Geneſium factus eſſe præſul Eccleſiæ Lugdunenſis, *id ita intelligendum eſt, ut alter ab eo proxime ſucceſſerit. Id factum anno 678. colligimus ex Actis S. Condedi, ubi Lantberti regiminis Fontanellenſis annus nonus illigatur anno Theoderici Regis tertio, Chriſti 676. & annus ſecundus Anſberti Abbatis ejus ſucceſſoris componitur cum anno ſeptimo Theoderici: cujus proinde Regis anno quinto Lantbertus Eccleſiæ Lugdunenſis cathedram ſubiit, ideſt anno 678. deſinente, aut proximo ineunte, poſtquam annos tredecim Fontanellam rexerat Abbas. Quod attinet ad* Duſeram Monaſterium, *ab ipſo in Provincia ad Rhodanum conſtructum, illud deſtructum fuiſſe ab Agarenis ſeu Saracenis docet Aigradus in libro de vita S. Ansberti.*

1. LANTBERTUS vir valde clariſſimus, & nobiliſſimi generis proſapia ortus, a patre nomine ERLEBERTO editus territorio Tarvennico, ſuccedit primus in regimine Cœnobii magno Domini Sacerdoti atque in Chriſto admirabili Patri WANDREGISILO. Hic in aula Regis juvenculi HLOTARII filii HLodovei ſub ſæculari prius habitu militavit, licet ejus mens alterius militiæ plus anhelaret, ſicuti eventus rei indicio eſt. Anno denique præfati juvenculi Regis octavo, militia Regis corruptibilis deſerta, gladiiſque e ferro formatis exutus, ad fulgida Chriſti caſtra devotiſſime convolavit, indutus galea ſalutis, lorica fidei, ac gladio ſancti Spiritus contra inviſibilem hoſtem feliciter dimicavit. Tonſuram quoque capitis in iſto Cœnobio ſub ſanctæ memoriæ prædicto venerando Patre Wandregiſilo ſuſcepit, quarto videlicet anno ante, quam ipſe famulus Chriſti viam ingrederetur patrum. Hujus namque avunculi viri clariſſimi atque in ſæculo nobiliſſimi, quorum vocabula ſunt HROTBERTUS ac HALBERTUS, fuerunt: quorum prior HRotbertus ſummus palatii tum temporis fuerat Referendarius, ſecundus Haltbertus ſe-

Lantbertus Tarvenenſis aula relicta Monachus.

CIRCA AN. 688 14. Apr. ſequenti tempore ab ipſo ſancto viro Lantberto Clericatus ſuſcepit habitum: qui eumdem clariſſimum virum ad iſtud Fontanellenſe honorifice deduxerunt Cœnobium, licet ab hac eum vellent intentione reflectere, ut in populari potius permaneret habitu. Qui in die ſuorum præciſionis capillorum, inter alia diverſarum ſpecierum munuſcula, ſeptuaginta auri ſolidos prædicto magno Patri contulit, quod in ornamentis ſuis fabrefactorio opere inſitum erat, in baltheo videlicet, zonis atque armillis. Erat namque ditiſſimis atque honorabilibus parentibus, atque in domo regia non mediocriter honorandus, ſed in maximo fulgens honore: nempe ſicut nobilem ſe exhibebat ſæculi negotio, ita nobiliorem reddidit vitæ innocentia. Diligebat autem illum prædictus admirabilis Cœnobii Pater pro inſignita ei caſtæ converſationis operatione. Quo vero ordine poſt ipſum regiminis adſumſerit ordinem, in præſenti nunc dicendum eſt opere.

ſuccedit Wandregiſilo. 2. Cum beatus igitur antefatus Chriſti Vvando *a* per 10. & 11. annorum ſpatia & menſium quinque hoc Cœnobium a primo ædificationis ſuæ die in regimine tenuiſſet, jamque foret in decrepita & veterana ætate poſitus, idem nonaginta ſex annorum ante obitus ſui diem modico corripitur languore. Jamque in extremis poſito atque in agone ſuæ diſſolutionis intento, interrogat ab eo univerſum agmen Fratrum, quem ſibi poſt ſuum diſceſſum inſtituat Rectorem. Quibus tale fertur dediſſe reſponſum: Deus vobis, cariſſimi Filii, poſt meum obitum credo quia optimum providebit Rectorem: ejus tamen ſupplex famulus imploro clementiam, ut ſuæ familiæ dignum tribuat diſpenſatorem, qui duplicem ei tribuat alimoniam. Vos vero, cariſſimi, voluntati ejus conſulite, & quæ agenda ſunt in ejus ſemper arbitrio ponite, meumque curſum amplius fatigare nolite, immo precibus veſtris me protegitote, atque mearum admonitionum ſemper mementote. Chriſto ſummo omnium paſtori veſtri curam hodie commendo: ipſe vos concedat ſic mea parviſſima monita mente retinere, ſuaque ſuaviſſima præcepta jugiter cuſtodire, ut ad ejus mereamini æternam claritatem feliciter pervenire. Duo tamen adſunt in præſentia veſtri jocundiſſimi mei filii, quibus poſt modicam meam diſſolutionem regiminis ſuccumbet locus. Erat autem is LANTBERTUS unus e duobus, alterque clariſſimus ANSBERTUS, utrique virtutibus excellentiſſimæ religionis ſatis inſigniti atque in Dei opere ſodales. Hanc ſacram allocutionem idem Dei famulus cum expleſſet, animam ſuam cœlo reddidit angelicis choris ſociandam, adque felicitatem paradiſi poſſidendam 11. Kalendarum die, feria 7. Indictione 7. Poſt cujus glorioſiſſimum tranſitum omnis caterva Monachorum Chriſti exorat clementiam, triduanum celebrat cum omni devotione jejunium. Quo devotiſſime celebrato, eligit prædictum Lantbertum regiminis loco ſubrogandum, anno Incarnationis dominicæ 665. Indictione ſupra ſcripta, qui erat præfati juvenculi Regis Lotharii annus undecimus; porro Vitaliani Papæ ſeptimus jam fluxerat annus. Perſeveravit autem in eodem Cœnobio annos tredecim, & menſes octo ſub tribus fratribus Regibus ſceptra regni Francorum per ordinem viciſſim tenentibus, id eſt Hlothario, Hilderico, atque Theoderico.

Ob virtutes Regibus venerabilis, 3. Erat autem iſdem venerandus Pater Lantbertus opere caſtus, charitate diffuſus, fide firmiſſimus, in conſiliis providus, in bonitate conſpicuus, in colloquiis affabilis, atque in omni re optima promtus; ſtatura quoque procerus, adſpectuſque decorus: ab ima pedis planta uſque ad capitis verticem ſummum erat elegantiſſimus. Cuncti denique Reges antefati haud eum aliter tam in collocutionibus mutuis, quam etiam in privile-

a Eo etiam nomine vocabatur S. Wandregiſilus, ut patet ex ipſius Actis.

vilegiorum ſeu epiſtolarum deſcriptionibus quas eidem porrigebant, vocare volebant Domnum & in Chriſto Patrem noſtrum venerabilem Lantbertum Abbatem. Nam poſtquam vita functus eſt præfatus juvenis Rex HLOTARIUS, fratreſque ſuos HILDERICUM, & THEODORICUM ſuperſtites reliquiſſet, ortaque eſſet inter ipſos valida contentio pro faſtigio Regni; aliis Hilderici parti faventibus, aliis in Theodericum declinantibus, ita iſte vir venerandus cautum ſe reddidit, ut in neutram partem declinaret, donec populi pars æmulam ſibi partem ſuperaret. Elevato namque in ſede Regni Hilderico, in tanto apud eum eſt honore habitus, ut quidquid ab illo poſtulaſſet, abſque alicujus obſtaculo difficultatis promereretur. Quod etiam ex largitionibus quarumdam poſſeſſionum quas eidem venerabili Patri & iſti Cœnobio contulit, liquidum fore conſtat. Denique ad petitionem Reginæ ſuæ BILHILDÆ atque venerabilium Epiſcoporum, id eſt bonæ recordationis LEODEGARII Epiſcopi, qui poſtea glorioſiſſimus effectus eſt Martyr, NIVONIS etiam Epiſcopi, & ERMONII; atque illuſtrium virorum, quorum hæc ſunt nomina, FUCOALDI, AMALRICI, WLFOALDI Majoris domus regiæ, BAVONIS, WANINGI, ADALBERTI, GERINI fratris clari præfati Leodegarii Epiſcopi, largitus eſt præfato venerando Patri fiſcos duos, quorum ſunt vocabula, Ulmius, & Vvarinna, qui ſunt ſiti in pago *Tellau* juxta fluvios Tellas & Vvarinna nominatos, cum univerſis adjacentiis eorum, id eſt Criſciaco, Seda, Magneroto, & item Magneroto, Neon & Toſcarias, ſimulque terram ſuper litus maris, & areas ſalinarum piſcationumque, quæ ibidem inſtitutæ erant; vineas etiam in Vvarnaco, ſuper fluvio Sequana ſitas in pago Vilcaſſino cum omni integritate earum. Hæc univerſa, auctoritate ſua duo privilegia condens, eidem venerabili Patri iſtique Cœnobio Fontanellenſi jure firmiſſimo in ævum contradidit poſſidenda. Edita eſt autem hæc regia largitio Atlauno jocundo palatio, undecimo anno præfati Regis in Auſtria, qui fuerat primus in Neuſtria; porro ejuſdem Rectoris Cœnobii lucidiſſimi anno quinto, ex quo regiminis locum ſortiebatur poſt deceſſum feliciſſimum magni Patris Chriſtique clariſſimi Sacerdotis Vvandregiſili. Plurimæ namque ejuſdem Regis diverſarum poſſeſſionum largitiones ad ipſum reverendiſſimum Patrem editæ uſque nunc exſtant, quas etiam dinumerare laborioſiſſimum eſt. Hic enim inter alia diverſa donaria, etiam de ſaltu Gemeticenſi eidem venerabili Patri partem contulit: unde nonnulla manent apud nos privilegia, quæ pro munere ſacro in iſto Cœnobio recondita tenentur. Ipſis namque ſi quis ea lectioni rata duxerit, inveniet loca deſignata, per quæ ipſius donationis meta terminatur.

CIRCA AN. 688 14. Apr.

Regibus de throno contendentibus medius,

ab Childerico prædiis donatur.

4. Orta eſt illo in tempore lis non modica inter ipſum venerabilem Patrem Lantbertum ac reverendiſſimum Gemeticenſis Cœnobii Rectorem FILIBERTUM pro ejuſdem ſaltus terminatione: quos glorioſæ recordationis magnus Rotomagenſis Eccleſiæ Pontifex AUDOENUS una cum ſua auctoritate, ſimulque præfati Regis epiſtola pro eadem re ſibi directa, ad veræ pacis concordiam revocavit, æquaque ſorte ipſum ſaltum inter eoſdem almificos Patres diviſit. Et quia Patris Lantberti major fore portio videbatur, præfatus Antiſtes una cum ejus conſenſu ex eadem diviſione Baſilicæ clari Martyris Chriſti Dionyſii, quæ ſita eſt ſuper ora alvei Sequanæ in loco qui nuncupatur Duro-clarus *, ubi LIDOALDUS regiminis locum tenebat, aliquam contulit portiunculam. Erat namque ſanctitate perſpicuus, cujus talia ſemper fuerunt perfectionis inſignia, ut viam ſalutis ſacris prædicationibus civibus ſuis aperiret, & imperitos populos lucidis exemplis inſtrueret, diſcordes etiam vigore superni Spiritus inflammatus ſumma induſtria ad nitorem concordiæ revocaret.

Cum Filiberto Abbate litem habet.

* Duclair

5. Antefatus autem Rex HILDERICUS inſidiis ſatellitum ſuorum, AMALBERTI videlicet & INGOLBERTI, ſimulque BODILONIS, necnon & Lu-

CIRCA AN. 688 14. Apr.

& LUPI aliorumque, una cum conjuge ſua vocabulo BILHILDE filioque nomine DAGOBERTO, vita & regno privatus eſt; quorum corpora prænominatus maximus *a*.

DE SANCTO GODONE

CIRCA AN. 690 24. Julii.

ABBATE AUGIENSI IN CAMPANIA.

I. QUO *tempore Lantbertus ſub Vvandregiſili diſciplina militabat*, *eo* GODO *Vvandregiſili nepos Fontanellæ degebat*, *ut legitur in Actis S. Vvandregiſili*, *in quibus præcipua Godonis geſta referuntur*. *Vitam ejus metrice edidit Claudius Eſpencæus Theologus Pariſienſis anno* 1565. *id operis aggreſſus grati animi cauſa*, *propterea quod S. Godonis* nomini ac memoriæ, *prout ipſe in Præfatione loquitur*, ſacratum beneficium aliquot annos ſibi commendatum fiduciarius adminiſtraſſet, *nimirum Prioratum S. Godonis in inſula Augia ſeu Oya*, *a cujus deſcriptione orditur in hunc modum*:

Eſt locus, Herculeæ forſan cognominis Augæ,
Augia nomen habet: medius ſaltumque Brigenſem
Campanumque ſolum limes partitur, eremus
Perpetuas inter Monachis habitata paludes;
In Paſtoris agro & ſacra ditione Trecani,
Ante quadringentos Abbatia nobilis annos
Mandraque prædives: poſt everſoribus Anglis
(Perpetuo Gallorum odio flagrantibus Anglis)
Subruta, primatus nunc ære monaſticus arto,
Relligione Patrum lapſis celeberrimus annis.

Loci vero religionem continenter ita deſcribit:

Nunc etiam vel opem morbis, vel ſacra petentis
Relligioſa capit dantis munuſcula vulgi.
Longo pſalmicines concurrunt ordine Myſtæ,
Et juvenum innuptis miſtus nuptiſque puellis,
Fitque ſenum ſtrepitus, parvique vagantur & ampli.
Totam ſæpe domum vehit exterus agmine multo
Cum conſorte tori vir, pignora cara, parentes.
Cereolos alii accendunt, donaria quidam
Cerea, & exiguum fert ruſtica turba trientem,
Cannabis, aut (ſi qua eſt paullo plus dives) amictum.
Et meliore animo quam divitiore crumena,
Mirifica haud vacuas tendunt ad leipſana palmas,
Parva relaturi modicoque incluſa metallo
Signa, futura quibus collo geſtamina pendent.

Deinde res geſtas S. Godonis proſequitur, *ex Actis S. Vvandregiſili repetendas*: *tum loci everſionem ac reſtitutionem ac Sancti reliquiarum Translationem ſubjicit his verſibus*:

Tem-

a Sic deſinunt mutilæ ſchedæ noſtræ, in funeſto quidem, ſed tamen inſigni loco, quo diſcimus Childerico filium fuiſſe Dagobertum: quod hactenus ignoratum. Ex conſequentibus diſcenda erant, tum locus, in quo ſepultus Childericus; tum reliqua Lantberti facta, tenebris interim involuta. Quamquam Childericum in Pariſiaca baſilica S. Vincentii ſeu S. Germani ſepultum fuiſſe conſtat, probatque inſuper detectio anno 1656. facta ipſius tumuli & Bihildæ ejus uxoris, cui adjuncta erat urnula quædam, haud dubie filii Dagoberti. Ad conſequentia hujus textus quod attinet, conjicio ſic continuandum eſſe: *quorum corpora prænominatus maximus Sacerdos Audoenus ſepelivit*: nam de eo paullo ante facta mentio eſt. Subſequabatur in ſchedis noſtris ſeries Abbatum Fontinellenſium rudi carmine exarata, opportunius aliquando Deo dante exhibenda in Monaſtico Benedictino, quod meditamur. Aigradus in Actis S. Anſberti ita Lantberti Pontificatum deſcribit: *ad eamdem provinciam cum honore Sacerdotii ſui condigno directus*, *humilitatis ac ſanctæ prædicationis piaque actionis exemplis gregem Chriſti ſedulo moderamine inreprehenſibiliter rexit*: *ibique a Domino vocatus*, *vinculis terrenæ corruptionis exutus*, *ad ſuperna civitatis gaudia feliciter migravit*, nimirum 18. Kal. Maji ex dictis, incertum quo anno.

Digitized by Google

Tempora ſurrexit poſt non ita multa tyrannus * Contemtor Fidei, & virtutum, Godo, tuarum Neſcius : exiguam manus hoc venalis eremum Auſpice non clementer adit, vaſtatque, crematque Direptam . . . .

CIRCA AN. 690 24. Julii.

* Haſtingus

Sed videt atque ſuo miſeratus tempore Numen.
Numine poſt aliquot mulier * prædives ariſtas
Excita, (fert muliebre genus divalis agitque
Relligio) triſti longoque obnoxia morbo,
Godo, tuos ſanata Deo ſumente precatus,
Inſtaurare ſacras quas latro cremaverat ædes
Concipit, accitis qui quotidiana Tonanti,
Godonis memores, Monachi laudumque precumque
Penſa ſalutari ſtudeant exſolvere cantu,
Ceteraque accurent Monachis communia priſcis.
Et ne ſolliciti curarent craſtina Fratres,
Aut foret in patinis animus, quid ſcilicet eſſet
Anxius, aut biberet, (nam vix præcordia curas
Admittunt humana duas, arteſque moratur
Res nimis arta bonas) noctuque diuque peractis,
Annua quæ meterent legerentque viatica, ſacris,
Neu quantum ſatis eſt, victus, neu deeſſet amictus,
Magnifico Princeps providit femina dono.

* Eva ſeu Emma Comitiſſa

Forte quaſi ſubter modium latitante lucerna
Sancta minus digna cubitabant leipſana theca.
At bona poſteritas, nec temporis immemor acti,
Non tulit, & patriæ quod nunc celebratur honore
Totius, impoſuit ſacratis oſſibus altar.

Translatio Corporis.

Corporis unde fuit tranſlati occaſio dicam.
Quamque Deus mira Divum virtute bearit:
Quanta loci pietas, quam promta precantibus ara.
Accidit ut (ſupero factum reor haud ſine nutu)
Campanos depaſta lues, depaſta Brigenſes,
Aggereret famulos dominis, ſenioque juventam,
Cumque ſuis natos tellure parentibus una:
Nec ſuper ulla foret vitæ ſpes, ulla ſalutis.
Sic ut debilibus fortes, magniſque minores
Corruerent, vivi morientibus, & vel humandis
Deeſſet humus . . . . . .
. . . Ergo ſuos templis inſtaurat honores
Juncta ſacroſancto plebes promiſcua Clero.
Sciſſa veſte, caput conſperſus pulvere, multo
Exercet gemitu vir nudipedalia : paſſis
Crinibus it mulier : ferit æthera clamor uterque,
Et tetigit ſuperas injuria temporis aures.
Præcipue peſti regio devota malignæ,
Et memor in Chriſto meritorum, Godo, tuorum
Incola, dum tanto non ceſſat cardine rerum
Sic meditabundus tenſis ad ſidera palmis, &c.
Sic igitur facto concurritur agmine, Fratres
Augiacos adeunt, advolvunturque feretro,
Godo, tuo, ſub apertum inſtant educere cœlum
Atque efferre ſacros adytis penetralibus artus.
Id Pater & reliquus chorus auribus accipit æquis.
Annuit, impoſitum divinis oſſibus altar
Effodit . . . . . .

CIRCA AN. 690 26. Maji.

Sollemnem populo Clerus cum ſupplice pompam
Dum peragit, multis inter ſpectacula turbis
Mirificum oſtendunt miracula publica Divum.
Extremam genius dextram percuſſor & enſem
Eductum, Domini pacata mitior ira,
Componit, noſtroque lues deſæviit agro.

Hæc tametſi ab recentiori Auctore, ſed erudito & gravi deſcripta, proferre hoc loco viſum eſt haud indignum.

AN. CHR. 675 21. Febr.

VITA S. GUNDELBERTI
EPISCOPI SENONENSIS IN GALLIA, DEIN ABBATIS VALLIS-GALILEÆ IN VOSAGO.

Cum Actis SS. Deodati Nivernenſis, Hildulfi Trevirenſis, & Erardi Ratiſponenſis Epiſcoporum, ac S. Spinuli, necnon Joannis & Benigni Confeſſorum.

Ex Richerio Chronographo Senonienſi, qui vixit poſt medium ſæculum 13.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Ætas Gundelberti, *1. Horum Sanctorum ætas adeo obſcura eſt, ut nulla fere chronologica nota certo deprehendi ac definiri poſſit. Hugo Monachus Autiſſiodorenſis in Chronologia ſua* Gundelbertum, *quem ipſe* Gumbertum *vocat, in ſerie Antiſtitum Senonenſium poſtponit Godeſcalco, ſexto ab S. Emmone ſucceſſori: cum tamen Gundelbertum Emmone ſuperiorem fuiſſe quædam exigant argumenta, petita tum ex ætate Deodati ac Hildulfi, quibus compar exſtitit Gundelbertus; tum ex catalogo Abbatum Monaſterii Vallis-Galileæ a Gundelberto conditi, in quo* Angelramnus *Mettenſis Epiſcopus, ipſe loci* Abbas a fundatore Gundelberto ſeptimus, Norgandum octavum conſtituit Abbatem, *teſtante Richerio Senonienſis Monaſterii Chronographo in lib. 2. cap. 4. Porro Angelramnus ſedi Mettenſi præfuit regnante Carolo Magno, cujus & Archicapellanus fuit, deceſſitque* anno ab Incarnatione Domini 801. *Ex quo intelligitur, Gundelbertum ante finem ſæculi ſeptimi Senonum Epiſcopum fuiſſe.* Richerius *Monachus qui ejus res geſtas litteris mandavit in ſubjecto libro 1. Chronici Senonienſis, quod integrum exſtat in tomo 3. Spicilegii, ſcribit Gundelbertum rexiſſe Senonenſem Eccleſiam* anno Chriſti 720. temporibus childerici Francorum Regis: *ſcribere debuit* Chilperici, *qui anno prædicto nomen Regis obtinebat. Quamquam retinendum videtur* Childerici *nomen & annus Incarnationis corrigendus, reſtituenduſque forſan annus 670. quo Childericus Chlodovei junioris filius rerum potiebatur. Et quidem hunc calculum probant Acta S. Deodati Epiſcopi Nivernenſis, quem nonnulli* Adeodatum *vocant.*

Donati, 2. Deodatus *quippe Gundelberti æqualis & amicus fuiſſe dicitur, & in abdicando Epiſcopatu æmulator: quem* anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo ſeptimo in Vallem-Galileam adveniſſe, & poſt annos undecim ab ejus ingreſſu in hanc Vallem *deceſſiſſe adfirmat anonymus Vitæ Scriptor apud Surium. Conſentit ætas Arbogaſti & Florentii amicorum ejus, quorum primus regnante in Auſtria Dagoberto ſecundo Argentinenſem ſeu Straetburgenſem Eccleſiam adminiſtravit, & Florentium ſucceſſorem habuit. Sunt qui Deodatum hunc eſſe putent, qui Vvilfridum Eboracenſem Epiſcopum Egfridi Regis factione pulſum excepiſſe, & in Romanum iter deduxiſſe memoratur: quod potius de alio Deodato Tulli Leucorum Epiſcopo intelligendum eſſe dixi in Notis ad Vitam S. Vvilfridi. Erit forſan etiam qui exiſtimet, Deodatum Nivernenſem Epiſcopum eum eſſe, qui Vvidradi Abbatis teſtamento poſteriori pro Monaſterio Flaviniacenſi ſubſcripſiſſe invenitur. Certe ita conjectaveram in Elogio Vvidradi Abbatis edito in hujuſce Sæculi tomo primo: at re maturius conſiderata ſententiam ſuſpendere ſatius duco. Joannem Monachum, qui geſta S. Deodati perſtrinxit, prætuli Anonymo Suriano, cujus ſincerum exemplum recuperare non potui, nec aliam de viro ſancto lucubrationem: tametſi ejus Vitam ab aliquo antiquiori Auctore ſcriptam eſſe conſtat ex Opuſculo 19. Petri Damiani, cujus hæc verba in cap. 7.* Quid referam Deodatum ſummæ ſanctitatis virum, ejuſdem ſcilicet Eccleſiæ Treverenſis (*immo Nivernenſis*) Epiſcopum? qui, ſicut authentica tradit hiſtoria, a Girbaldo ejuſdem Leuchæ ſanctiſſimo Præſule in ſaltu Voſagi locum obtinuit, in quo renuntians ſæculo laudabiliter converſatus Monaſteria ſtatuit, atque poſt diutinam in Chriſti agone militiam, vitæ ſenatum laureatus intra-
vit.

AN.CHR. 675 21. Febr.

vit. *Mirum eſt, Deodatum non ſubſcripſiſſe Privilegio Emmonis Senonum Epiſcopi pro Monaſterio S. Petri Vivi, ſi tum Nivernenſem Eccleſiam regebat, ideſt* anno quarto Chlotharii *tertii, Chlodovei ſecundi filii. Carolus Magnus diplomate ſuo concedit Monaſterio Dionyſiano* Monaſteriolum, quod nuncupatur a ſancto Deodato in Voſago ſilva, ſicut illud tenuerat Pippinus genitor *ſuus*, Idibus Januarii anno primo regni *ſui: ideſt anno* 759. *apud Dubletum: quod de noſtro Deodato intelligendum videtur. Ex quo intelligitur, jamdudum ante illum annum exceſſiſſe S. Deodatum, a quo Monaſterium ejus jam tum denominationem acceperat.*

Hildulfi,

3. *Petrus Damiani etiam in eodem Opuſculo mentionem facit* HILDULFI *ante S. Deodatum his verbis*: Porro autem Hildulfus Treverenſis Archiepiſcopus, quantæ ſanctitatis, quamque mirificæ vitæ vir fuerit, ſpatioſus Occidens non ignorat: qui nimirum, ut geſtorum illius teſtatur hiſtoria, Jacob Leuchæ urbis, quæ nunc Tullus vocatur, obſecravit Epiſcopum, ut ſibi congruum ad habitandum provideret ſolitudinis locum. Prius itaque ſibi ſucceſſorem elegit: deinde Monaſterium conſtruens, per monaſticæ diſciplinæ lineam diſtrictus inceſſit. Ubi nimirum tot per eum facta miracula luce clarius perhibent, quia vir Domini Epiſcopatum dimittens, non modo reatus maculam non incurrit, verum etiam Deo ſuavitatis ſacrificium obtulit. *Hildulfi ætatem Annales Trevirenſes, tum manu exarati, tum editi a Brovvero, ſummovent ad principatum Pippini Regis, quo tempore Hildulfus Miloni pſeudo-Epiſcopo ſucceſſiſſe, & Vveomadum ſucceſſorem habuiſſe fertur. Verum cum Hildulfus Deodato in regimine Monaſterii ſui ſucceſſerit, ſub finem ſæculi ſeptimi vixiſſe, & ad octavi dumtaxat initium pertigiſſe dicendus eſt. Certe* venerabiles Epiſcopi Hildulfus, Clemens atque Gosbertus, *B. Maximini Trevirenſis Epiſcopi* oſſa tranſtuliſſe *perhibentur apud Servatum Lupum in libro de vita S. Maximini c.* 11. *quo* Clementis *nomine ſignificari puto Vvillibrordum Epiſcopum, alio nomine* Clementem *dictum, qui Treviros ſæpius adiit, mortuuſque eſt anno* 739. *ex dictis in ejus Vita. Hinc eſt, quod anonymus Scriptor Vitæ S. Deodati Hildulfum anno* 707. *obiiſſe dicit, viginti poſt annos a morte Deodati, cui ſucceſſerat Abbas. Verum ſi quis probet, Clementem illum, qui S. Maximini tranſlationem cum Hildulfo curavit, eſſe Vvillibrordum; ſerius Epiſcopatum dimiſit Hildulfus: ſiquidem Vvillibrordus anno* 692. *in Germaniam profectus, non ante annum* 696. *Epiſcopus Romæ ordinatus eſt. Præterea ſi (ut veri ſimile eſt)* BASINUS *Epiſcopus in Bertoendi Catalaunenſis Antiſtitis litteris pro Monaſterio Dervenſi memoratus cum Rigoberto metropolitano & aliis; ſi; inquam, Baſinus is eſt, qui eo nomine ſedi Trevirenſi præfuit labente ſæculo ſeptimo; fatendum eſt; aut ante* annum ſecundum Chlodovei Regis *tertii, quo anno datæ ſunt litteræ, Hildulfum præceſſiſſe Baſinum; aut poſtea Baſino ſucceſſiſſe Hildulfum. Hos nodos ſolvat qui poteſt. Si Acta illa S. Hildulfi, quæ Petrus Damiani legerat, videre licuiſſet, forſan aliquam lucem Cymmeriis his tenebris adferre potuiſſem. Verum cum litteris non ſemel in Senonienſe* Monaſterium *miſſis nihil impetrare potuerim, ſatius eſt abſtinere a prolixiori inquiſitione, quam inutili diligentia torqueri. Fragmentum ex hiſtoria Trevirenſi his Actis ſubjungam, ut, quoad fieri poterit, minus deſit ad illuſtrandam memoriam ſanctiſſimi Epiſcopi & aliorum Pontificum, qui ex Ordine noſtro ad eam ſedem adſumti ſunt.*

Monaſteria Voſagi.

4. *Plura fuere quondam in Voſago Monaſteria, in quibus potiora quinque, in modum crucis diſpoſita.* Bodonis-Monaſterium *a Bodone Tullenſi Epiſcopo & S. Salabergæ fratre conditum, quaſi in capite erat ad Septemtrionem.* Senoniam * *hinc ab Oriente Gundelbertus, inde* Stivagium *ab Occidente aliquis alius;* Medianum * *inter utrumque Hildulfus:* Juncturas *quaſi in pede ad Meridiem Deodatus erexere, uti Joannes Monachus in ſubſequentibus tradit. Ex his Senonienſe & Medianum Monaſteria hactenus perſeverant ſub Benedictina S. Vitoni Congregatione; Juncturæ ſeu S. Deodati * ad Canonicos ſæculares vertit; Stivagium * ad Præmonſtratenſes, Bodonis-Monaſterium in ruinam. De Senonienſi Monaſterio ejuſque auctore Gundelberto Petrus Damiani in loco jam citato ita loquitur:* Quid (referam) Gundebertum, præclariſſimum videlicet Archiepiſcopum Senonum? Hic plane cœleſti deſiderio æſtuans, commiſſam dimiſit Eccleſiam, & in loco qui Grandiavium dicitur, Cœnobium Senonenſe conſtruxit, quod ſcilicet ex relictæ Eccleſiæ vocabulo denominavit. *Hæc de Monaſteriis quinque.*

* Senone
* Moyen-Monſtier
* S. Diè
* Eſtivay

S. Erardi Acta non certa.

5. *De S.* ERARDO, *Hildulfi (ut ajunt) fratre, omnia æque incerta, patria, genus, dignitas, & ætas. Exſtat ejus Vita triplex in Januario Bollandiano. Prima libellis duobus ſcripta eſt a* PAULO *quodam, (forſan Bernriedenſi illo, qui geſtas res Gregorii VII. & B. Herlucæ in litteras retulit) ac dedicata Heilicæ Abbatiſſæ inferioris Monaſterii S. Mariæ & S. Erardi apud Ratiſponam. Vita ſecunda Auctorem habet anoymum incertæ ætatis. Tertia* CONRADO de Monte Puellarum, *qui circiter annum* 1340. *floruit, adſcribitur. Auctores illi inter ſe non conſentiunt de patria S. Erardi, quem Paulus* Narbonenſem gentilitate, Nervium civilitate, genere Scoticum; *Anonymus* genere Gothum, civitate Narbonenſi; *Conradus* Scotum; *Richerius vero noſter hic* Bajoarium *appellat. Epiſcopum* in Bajoaria *fuiſſe ajunt Vitæ conditores, Richerius* Reginoburgenſem *ſeu Ratiſponenſem addit, uti & fragmenti Auctor ab Urſtitio editi, de quo in Vita S. Odiliæ infra. Nemo tamen veterum Erardum adnumerat Epiſcopis ejus Eccleſiæ; ne quidem Arnulfus auctor gravis, ex-Comite Monachus & Præpoſitus Cœnobii S. Emmerammi apud Ratiſponam, etſi in libro* 2. *de S. Emmerammo agit de primis Ratiſponæ Epiſcopis. Crediderim Erardum regionarium Epiſcopum fuiſſe.*

Digitized by Google

AN.CHR. 675 21. Febr.

CAPUT I. *De adventu S.* GUNDELBERTI *ad Voſagum.*

1. IGitur tempore illo, cum ab incarnato Dei Verbo 720. ageretur annus, fuit vir quidam ex nobilibus Galliæ partibus oriundus, GUNDELBERTUS nomine, qui, ſicuti poſtea ex ſui converſatione claruit, Deo dignus & hominibus habebatur. Fuit igitur tantæ bonitatis excellentiæ, ut civitati in Burgundiæ confiniis ſitæ, nomine Senonas, quæ una de nobilibus illius provinciæ nobilis habebatur, voto & voluntate omnium ſubrogaretur Epiſcopus : qui talentum ſibi a Domino creditum ita in adminiſtratione officii paſtoralis augmentavit, ut ſi jam fas fuiſſet ipſum ab hac vita diſcedere, ſtatim illud Evangelicum, *Euge, ſerve bone*, audire mereretur. Sed quia Dominus dilectum ſuum, jam non dicendum ſervum, ſed amicum, ampliore remuneratione dignum fieri decreverat, ut talentum ſibi creditum cum fructu multiplicato ad gazophylacium Domini ſui reportaret, & ipſum Dominus tamquam aurum in fornace probatum in theſauris cœleſtis Jeruſalem collocaret; hunc, inquam, talem ac tantum virum ad cujuſdam eremi partes, ut poſt pauca referemus, Domini deſtinare voluit benignitas.

II. *Deſcriptio & ſitus terræ & terræ & eremi Voſagi.*

2. FUit igitur idem ſervus Chriſti & ejus coheres temporibus *illuſtriſſimi* Regis Francorum, CHILDERICI nomine, qui cum progenitoribus eo tempore uſque ad fluvii Rheni vada Franciæ regni terminos ampliaverat, ſicut venerabilis Beda Presbyter in libro Regum Francorum plenius inſinuat : quos Imperium Romanum uſque adhuc obtinere comprobatur : licet Lotharingum Regnum, quod ab ipſo dependet Imperio, infra ſupradictas ſit metas conſtitutum. Hic itaque Deo & hominibus honorabilis Gundelbertus Archiepiſcopus Senonenſis, cum videret ſibi ad culmen perfectionis, ut optaverat, converſationem ſæcularium haud ſatis ſufficere; diſpoſuit ſe omnibus quæ poſſidebat abrenuntiaturum, & crucem Chriſti bajulans ſecutus eſt ſuum Redemtorem. Itaque dimiſſis Archiepiſcopatus divitiis & honoribus, ſolo ſibi Epiſcopi officio reſervato, quo in tanta & tam vaſta ſolitudine ad Eccleſias conſecrandas vel perſonas ad officia divina idoneas promovendas uti potuiſſet; vale dicens fratribus ac civibus ſuis, ſecreta deſerti, paucis ſecum accerſitis, petere decrevit. Tranſmeatis itaque terrarum ſpatiis pervenit ad quamdam Voſagi vallem, quam idem Dei famulus ita incoluit, uti hactenus cernitur, & Deo adjutorium nobis commodante loco ſuo plenius exponemus. Sed quia pluribus terra illa incognita habetur, licet a multis ipſius nomen terræ frequentetur, ipſius tamen ſitum & metas lucidius exponere conabor.

3. Eſt autem terra iſta excelſis montibus occupata, rupibus immaniſſimis, quæ veluti quædam caſtra, in ipſorum montium cacuminibus naturaliter poſitis, ipſos montes faciunt ſuo adſpectu horribiliores. Inter ipſos arduos, ut diximus, montes, quædam valles profundiſſimæ cernuntur, quæ nemoribus abietinis ita conſitæ ſunt, ut ſua nigredine etiam horrorem plurimum incutere videantur. Protenduntur enim dicti montes in longum per quatuor dietarum ſpatium, in latitudine vero vix ſex miliaribus vel ſeptem dirimuntur. Habent prædicti montes ab Oriente Alſatiam, quæ pars eſt Alemanniæ, cum ſuo fluvio, Rethno * nomine : ab Occaſu Lotharingiam & Burgundiam : extenduntur ſiquidem a Meridie in Septentrionem. Iſta, inquam, vaſta ſolitudo non tam hominum quam ferarum ſævarum habitatio habebatur, & quaſi labyrinthus ab hominibus tunc temporis vitabatur. Hanc, quam deſcripſimus, terram antiqui Vaſum, moderni Vogiam dixerunt. In hujus igitur eremi vaſta ſolitudine noſter ago-

* l. Rheno

agoniſta Gundelbertus Archiepiſcopus primus ſubintravit. Qui vallem, quam nos modo incolimus, ſine nomine reperiens, eam dulcedine natalis patriæ, quæ cunctos AN.CHR. 675 21. Febr.

Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui,

immo civitatis, in qua archiepiſcopatus functus erat officio, quæ Senonas vocatur, quaſi nomine copulativo Senonias vocavit: unde uſque ad præſens tempus ipſe locus, ubi ipſe Domini ſervus habitavit, Senonias, vallis quoque Senonienſis appellatur: In hac igitur valle, quam ſupra nominavimus, quam iſte venerabilis Pater Gundelbertus ſubintravit, quidam locus erat inhabitabilis, & a frequentatione hominum remotus: qui ſoli Deo vacare volens ad habitandum receptacula quam parva inchoavit. Sed ne alieni juris pervaſor eſſe videretur, cum comperiſſet quod dicta Voſagus in Regno ſupradicti Regis Childerici conſiſteret, ipſum ad impetrandam licentiam ibidem commanendi adire diſpoſuit. Igitur data opportunitate Regem, quem quondam familiarem habuerat, adit, interpellat. Rex poſtulata, ut erat animo placidus, concedit, regiis ſceptris data confirmat, metas terræ ſibi traditæ localiter adſignat, & ita diſtinguit: a rupe, quæ Alta-petra dicitur, per cacumen montis uſque ad villam quæ Cella dicta eſt, per ripam fluvioli per eamdem villam decurrentis, uſque locum qui Mare dicitur: inde ad Grandem-fontanam, inde per rivulum qui Waconos dicitur uſque ad fluvium Bruſcam, & per ripam Bruſcæ uſque ad cacumen montis juxta ſanctum Stephanum, & inde ad fontem Donnous; inde per tranſverſum monticulorum uſque ad rivulum, qui Petroſus rivulus nuncupatur, qui fluit per clauſtrum Mediani Monaſterii. Sed pars terræ adjacentis dicto Monaſterio poſtea fertur data eſſe viro ſanctiſſimo Hidulfo ejuſdem loci fundatori, ſicut poſtmodum plenius loco ſuo deſcribemus. Ita noſter Patronus donis regiis locupletatus, ad locum diu deſideratum cum gaudio remeavit.

4. Igitur antequam noſter iſte Patronus ad hanc eremi ſolitudinem deveniſſet, quædam ad occidentalem plagam ſuper Mortam fluvium ædificata habebatur Eccleſia, Stivagium nuncupata. Quis ejus fuerit fundator, vel quo tempore incœperit, non reperi. Ferunt enim in dicta Eccleſia Ordinis ſancti BENEDICTI Monachos primo exſtitiſſe, deinde Sanctimoniales; poſtea vero iterum dictum locum Monachos inhabitaſſe, exin Canonicos ſæculares, ac deinde Ordinis Præmonſtratenſis Canonicos, ſicut hactenus ibidem permanent, fuiſſe inſtitutos. Sed hæc de ipſa Eccleſia dicta ſufficiant. Sed quia idem S. Gundelbertus nihil penitus niſi ad nutum Dei agere decreverat, quippe qui ſibi proprii animi voluntatem non retinuerat: quia necdum aliquam in loco alieno, modo ſuo, adhuc Eccleſiam vel Monaſterium inchoaverat; credidit divinam voluntatem ſuper hoc vigiliis, jejuniis, & orationibus fore requirendam. Dubitanti enim eo ſuper diſpoſitione officinarum Monaſterii, quomodo vel quibus Numinibus ipſas dedicare deberet: ei in ipſa poſtulatione perſiſtenti Dei miſericordia quid, vel quomodo, vel quibus Sanctis ipſa loca conſecrari vellet, per viſum innotuit. Qui denique revelatione & auctoritate regia, ut ſupra dictum eſt, animatus, in honore ſanctæ & perpetuæ Virginis MARIÆ primam conſtruxit Eccleſiam, quam ſollemniter dedicavit, & penes illam Monaſterium cum officinis ſuis ædificavit, in quo beatum Petrum Apoſtolorum Principem cum ſuis Coapoſtolis duxit venerandum.

5. Omnibus itaque Dei nutu diſpoſitis & ordinatis, aliquantiſque ibidem Fratribus congregatis, ſub beati BENEDICTI Regula ipſos militare decrevit, ſicut hactenus immutabiliter uſque ad tempora noſtra Deo regente videntur ſubſiſtere: quos ipſe Epiſcopus & Abbas cum Eccleſia ſibi credita ſtrenue rexit & religioſe.

III. *De*

Digitized by Google

AN.CHR. 675 21. Febr.

III. *De obitu ſancti Gundelberti Archiepiſcopi & primi Abbatis Senonienſis.*

6. POſt immenſos denique & innumerabiles in hac noſtra Voſago pro Chriſto toleratos labores, cum jam ſuum emeritum militem pro ſuæ militiæ meritis Deus remunerare decreviſſet; ab hac ærumnoſa peregrinatione, non tamen in hoc noſtro loco Senonienſi, neſcio quo occulto ſuo judicio, ſubtrahere *a* voluit. Sed quia de ejus ſepultura nihil fide dignum invenire potui, melius tacere, quam aliquod dubium de ipſo ſcribere dignum duxi: licet aliqui apud Medium-vicum cum aliquibus Sanctis, ſancto ſcilicet Pientio & aliis ſociis ſuis, eum quieſcere contendant. Enimvero de cellis circumquaque poſitis, quas ſancti viri hujus noſtri fundatoris Gundelberti eo tempore conſtruxerant, mentionem me facturum memini promiſiſſe: ne indigneris, quæſo, Lector, ſi a materia digredi aliquantulum videar: quia non parum utilitatis conſequeris, cum tantorum virorum ad hanc Voſagum adventum ipſorumque ſanctam converſationem, & Eccleſiarum fundationes, & fundatorum nomina perlegeris.

CIRCA AN. 680 19. Junii.

IV. VITA ET ACTUS SANCTI DEODATI *Nevernenſis Epiſcopi.*

7. FUit igitur eodem tempore, cum noſter fundator Gundelbertus ad has Voſagi deveniſſet partes, ut ſupra memoravimus, in Alverniæ partibus in civitate Nevernenſi vir egregius, nomine & operibus DEODATUS, ejuſdem civitatis Epiſcopus ſanctiſſimus. Hic cum audiſſet quia hæc Voſagi eremus a tot & tantis ſanctis viris inhabitaretur, zelo quærentium Dominum ductus, Epiſcopatus ſui honoribus ſimul cum cathedra relictis, paucis cum laboratoribus ſibi junctis, viam quæ ducit ad vitam aggreditur tenendo ad ſolitudinem, ut in deviis montium, in cavernis petrarum Deum diu quæſitum inveniat. Veniens igitur ad quoddam caſtellum, quod *Romont* vocatur, itinere laſſus cum ſuis ad pauſandum modicum reſedit: quo in loco quemdam reperit infantulum ferramenta carpentariorum prandentium ſervantem. Sciſcitatus eſt ab eo quæ ibi agerentur, cujuſve domus eſſet: cognitoque ex ordine facto, puer ei de quadam trabe, quæ præ ſui deformitate vel tortitudine ab ædificatoribus in faſtigio ipſius domus adaptari nequibat, innotuit: propter quod dominus domus eiſdem carpentariis ſuis non modicum iraſcebatur, præſertim cum ſilvam & ligna in promtu haberentur, quibus ipſam trabem longiorem vel groſſiorem, aut certe rectiorem commutare poterant, ſi voluiſſent. Quo vir ſanctus comperto, ut erat pietatis gratia præditus, laborantium periculo condolens, convocatis diſcipulis ſuis, invocato Domini Salvatoris nomine, ipſam magnæ molis trabem ipſius domus in excelſo, nulla tortitudine obſtante, ubi poni debuerat, collocavit. Cumque idem Sanctus perpetrato dictæ trabis miraculo iter cœptum carpere velle, ecce dominus domus cum operariis ſuis ad locum operis revertitur, inventumque Sacerdotem Dei Deodatum cum ſuis ſodalibus inquiſivit qui eſſent. Audito vero qua cauſa inſignes viri iter tam laborioſum & difficile aggreſſi eſſent, viſoque miraculo trabis; nobilis ille labori Sanctorum condolens, ſe & ſua eis liberaliter expoſuit, dicens ſe ibidem requiei Sancti locum præbiturum ſi vellet, & neceſſaria vitæ ſe donaturum promiſit. Sanctus quoque cum gratiarum actione humiliter promiſſa recuſans, quia ſui deſiderii curſum nondum viderat expeditum, licentiam abeundi quæſivit. Videns denique Nobilis viri Dei conſtantiam, ne tanti patroni orationum fraudaretur juvamine, domum eamdem de *Romont* quam ædificabat, ſub titu-

a Incertum quo die: in mſ. Florario apud Bollandum *Kalendis Martii* fit mentio S. Gumberti Senonum Epiſcopi: at in Martyrologiis Benedictino & Gallicano 9. *Kal. Martii*, quo die agit de eo Bollandus.

Digitized by Google

titulo quinque ſiclorum argenti eidem Sancto annuatim perſolvendorum in memoriam trabis fertur contuliſſe : quos ſolidos uſque ad tempora noſtra Eccleſiæ S. Deodati, quæ nunc eſt, a domino de *Romont* perſolutos eſſe cognovimus. Beatus igitur Deodatus ſuo datori vale dicens, cum ſuis ſodalibus cœptum iter arripuit, per devia quæque Chriſtum quærendo gradiens infatigabiliter laborabat .. Sed antequam ad optatum ſibi locum perveniret, plurima diſcrimina viæ, importunas ruſticorum irritationes, tædioſæ famis inediam, improbam malorum expulſionem pluribus in locis miſerabiliter eſt perpeſſus. CIRCA AN. 680 19. Junii.

V. *De adventu S. Deodati in Alſatiam.*

8. HIS itaque tot & tantis, ut prædiximus, viæ & vitæ impedimentis beatus Deodatus ad quemdam locum pervenit, qui Teutonico idiomate *Heligevorſt*, Latine Sancta-ſilva vocitatur, juxta opidum quod Hegenowia dicitur, in Alſatiæ finibus ſitum : ubi ſe ſui voti requiem reperiſſe credens, aliquanto tempore ibidem detulit : ſed inde invidorum injuriis propulſus, ad Clauſtrum quod *Abreſenniſten* vocatur, in eiſdem Alſatiæ partibus ſitum veniens, ipſo loco & Fratribus ibidem Deo ſervientibus non multo tempore fertur præfuiſſe : ubi cognitionem & familiaritatem memorandi viri ARBOGASTI, qui de Scotia oriundus, non multo ante tempore veniens, Argentinæ de novo Epiſcopus factus, miraculis fulgens erat, adeptus eſt : ac deinde beati FLORENTII ejuſdem Arbogaſti ſucceſſoris, qui a dicta inſula Scotiæ, ſicut & prædeceſſor ipſius, venerat, qui & apud Haſcla in introitu Bruſcæ vallis, quam primus Eremita incoluerat, in corpore requieſcit, S. Deodato contemporaneus amoris vinculo adſtrictus fuit. Cernens itaque vir beatus Deodatus tumulum populi, quem in Epiſcopatu reliquerat, ſe iterum incurriſſe; decrevit ad ſecretiora loca tranſmeare. Veniens igitur ad quamdam villam, lingua Alemannica Vvilra dictam, juxta villam quæ Amalrici-villare dicitur, in parva quadam valle reſedit, & habitacula humano uſui apta ibidem erigere cœpit. Incolæ igitur dictæ villæ cum viderent Sancto plura prædia a Fidelibus, & aliquantas conferri poſſeſſiones; crediderunt Sanctum illum ſibi ſuas uſurpare velle, eum ab ipſo loco ubi habitare volebat inhumaniter expulerunt : quod factum divina ultio ſtatim eſt ſubſecuta. Nam quotquot in ſupra dicta villa nati ſunt infantes, omnes ſtrumoſo getture nati apparuerunt : quod matronæ parituræ conſiderantes, tempore partus inſiſtente rivulum, qui eamdem villam præterfluit, tranſeuntes, pueros enixæ illius ſtrumoſitatis vindictam declinabant.

VI. *De S. Deodato & Hunone compatre ejus.*

9. IGitur beatus Deodatus inde progrediens ad quamdam villam, quæ ſui poſſeſſoris nomine Hunonis-villa vocabatur, advenit. Poſſeſſor enim dictæ villæ HUNO nomen habebat, cum æquivoca uxore ſua Huna, ex nobilibus orti, Deum verbo & opere, quantum humana fragilitas permittebat, excolebant. Credidit igitur nobilis ille beatiſſimum ſibi Deodatum a Deo fore deſtinatum : Chriſtum in ipſo honorans, gratanter ipſum cum ſodalibus ſuis, ut erat pius hoſpitalitatis amator, benigniſſime ſuſcepit, & eum aliquamdiu, licet invitum, detinuit. In ipſo itaque tempore quo vir Dei apud dictum nobilem moraretur, contigit dictam Hunam uxorem ipſius nobilis, quem de ipſo conceperat filium peperiſſe : quem Beatus ille & baptizavit, & de ſacro fonte levavit. Reminiſcens igitur beatiſſimus Dei ſervus Deodatus ſe non opum ſæcularium gratia, ſed ſolius Dei intuitu ſua cum Epiſcopatu & dulci patria reliquiſſe, decrevit ad eremi deſerta (quod prius deſideraverat) properare : qui hoſpitibus ſuis vale dicens,

Digitized by Google

CIRCA AN. 680 19. Junii.

dicens, datis inter ſe mutuis amplexibus, cum magno ejulatu ab invicem diſceſſerunt. Aggrediens vero vir Dei cœptum iter per ardua montium, per concava vallium, per defoſſa terrarum, inceſſanter laborans, tandem nutu Dei ad quamdam pervenit vallem ſpecioſam & ſpatioſam, nemoribus undique conſitam, aquis irriguis, & piſcoſis copioſam: quam cum vir Dei diligenter conſpiciendo perluſtraſſet, tandem in quodam loco juxta montem qui *Cumberch* dicitur, reſedit, & ibidem Oratorium in honore beati Martini, quod uſque hodie perdurat, erexit & conſecravit. Tranſiens igitur fluvium, Mortam nomine, ad Septentrionalem plagam, quia locus decentior ibi ad Eccleſias conſtruendas habebatur, in clivo monticuli Eccleſiam in nomine ſanctorum Martyrum Mauricii & ſociorum ejus exſtruxit. Deinde juxta illam in honore Matris Chriſti Eccleſiam ædificavit, & circa illam clauſtrum cum officinis ad uſus Monachorum exſtruens, Fratres ſub Regula ſancti Benedicti ibidem militaturos collocavit *a*: qui uſque ad tempora cujuſdam tyranni Ducis Lotharingiæ, ſicut poſtea explicabimus, quieta pace permanſerunt.

VII. *De donis ſancto Deodato collatis.*

10. CUM igitur circum adjacentium locorum viri fideles & devoti cognoviſſent, quod Sanctus ille Epiſcopus vallem ſupradictam incoleret, ad ipſum confluxerunt: videnteſque ejus admirabilem converſationem, prædia ſua, poſſeſſiones, redditus, & alia bona ei largiſſime contulerunt. Cum igitur vir beatus Deodatus in illa vaſta eremo laborans agonem ſuum Domino commendaret, & neceſſaria victui ei operanti non ſatis ſuppeterent; jam eo cum cohabitatoribus ſuis inedia & fame deficiente, omnipotens Deus, qui ſibi ſervientibus ſemper præſto eſt, non permiſit Sanctum ſuum tantæ paupertatis mole diutius coartari. Apparuit ſiquidem in viſu noctis illi nobili viro ſupradicto Hunoni Dominus, dicens: En, inquit, famulus meus Adeodatus in illa eremi ſolitudine magnis detinetur languoribus, & inopia laborat; & tamen meis non deſinit quotidie inhærere ſervitiis: tu vero hic bonis tibi a me collatis, quibus abundas, ſine miſericordia delectaris. Cui ille, ut erat vir providus & diſcretus; Domine, inquit, nec locum ſcio, neque viam novi, nec ubi vir Dei lateat ſcire valeo, & quomodo ſui poſſum misereri? At ille: Onera ſaumarios * & alios portitores tuos, & mane facto ſine duce permittas abire, & quo ſors ipſos deduxerit, a longe ſubſequi facias; & ubi eos exonerari contigerit, ibi ſcias dilectum meum eſſe Deodatum. Qui mane conſurgens, & viſionis ſuæ myſterium conſiderans, fecit ſecundum quod ei præceptum fuerat. Onerati quippe portitores diverſorum alimentorum & aliarum rerum opulentia, eadem via, licet nondum eſſet a quoquam frequentata, qua Sanctus Domini Deodatus eremum penetraverat, ſagaciter gradientes, ad locum ubi vir Dei commanebat recto itinere pervenerunt. Quos ut vidit Dei famulus, cognovit illum ſui curam gerere, qui quinque millia hominum quinque panibus ſatiavit in deſerto. Jam vix famuli Sancti portitores exoneraverant, cum viri ſubſequentes eos apparuerunt, qui de inventione viri Deo gratias exhibentes, cum licentia ſancti Epiſcopi ad dominum ſuum cum lætitia reverſi ſunt. Extunc quidem fama illius ſancti Eremitæ circumquaque ita innotuit, ut a multis ſua eidem largientibus honorabiliter frequentaretur. Et quia idem Sanctus pluribus declarabatur miraculis, & virum ſanctum eum credebant, & apud Deum multi plura eum poſſe confidebant; vallem illam, quam ille inhabitabat, incolere maturarunt: & quia vallis ſpatioſa erat & lata ad colendum, decem & octo Eccleſias & manſiunculas in queis

* equos ſarcinarios

a Fundationis tabulas a Childerico Rege factas ſignarunt Numerianus Archiepiſcopus Trevirenſis, & Epiſcopi Chlodulfus Metenſis, Giſloaldus Virdunenſis & Eborinus Tullenſis, inquit Henſchenius in Commentario hiſtorico de S. Gumberto, eaſque poſtea Hildulfus confirmavit.

Digitized by Google

in queis habitarent conſtruxerunt. Et ne actuum ipſius Sancti prolixitas Lectorem onerare videatur, ad finem ſui curſus ſtilum dare curavimus. CIRCA AN. 680 19. Junii.

VIII. *De obitu ſancti Deodati.*

11. PERACTIS igitur, ut prædiximus, ipſius loci ædificiis, ordinatiſque ibidem ad ſerviendum Deo Fratribus idoneis, diſpoſitiſque utriuſque vitæ præſentis & æternæ ſubſidiis, levi febre correptus, Angelorum cœtibus ſociandus, lætus Deo ſpiritum reddidit [a]. Sed quia Monaſterium illud (quod tunc pro conjunctione duorum rivulorum, ſcilicet *Robach* & Mortæ, ille Beatus Juncturas appellaverat, qui modo Sanctus Deodatus vocatur) ſine Rectore remanſerat, beatus Deodatus viro ſanctiſſimo & Deo & ſibi amantiſſimo HIDULFO, de quo poſtea ſcribere curabimus, in ſomniis apparuit, & ei ut curam loci ſui & Fratrum quos reliquerat, prout videret expedire, excreſceret. Quam admonitionem beatus Hidulfus gratanter ſuſcipiens, viginti & octo annis, quibus poſt obitum beati Deodati ſuperfuit, ſuam & ipſius Deodati apud Juncturas ſtrenue & religioſe; adjuvante Deo, rexit Eccleſias.

IX. *De miraculo vini & muſcarum.*

12. ENIMVERO ne quis hunc beatiſſimum Deodatum credat apud Deum magni non eſſe meriti, inuſitatum unum de multis huic paginæ non pigebit inſerere. Erat igitur vir quidam ſatis locuples in Alſatiæ partibus, in villa quæ Teutonice *Sigoltesſem* vocitatur; qui fama ſancti Epiſcopi excitatus, partem prædiorum ſuorum beato contulit Deodato, in qua parte quidam ager vineæ donatus eſt, qui illi donatori, quia peroptimum vinum gignebat, incomparabiliter carus erat. Cumque Monachi Monaſterii beati Deodati aliquanto tempore poſſiderent eam, ipſius vineæ donator conſiderans ſe in omnibus vineis ſibi relictis tam pretioſum vinum nuſquam habere; animi cupiditate cœcatus ipſam vineam, quam prius devotus Deo donaverat, jam ſuæ largitatis invaſor effectus, in proprios uſus iterum reſumere præſumſit: quam coluit, vindemiavit, & vinum ſollicite in quodam vaſe collocavit, & ſibi caute conſervari præcepit. Denique cum quadam die ad manducandum cum quibuſdam amicis lætus recumberet; vocato ad ſe pincerna ſuo, de illo optimo vino ſuo ſibi jubet apportari: qui concito curſu ad cellarium, ubi vas cum vino habebatur, accepto vaſe vinario, quod cantrum vocatur, acceſſit. Cumque paxillum de fundo ipſius vaſis ad emittendum vinum retraxiſſet, & vinum ſe crederet habiturum; mira res! pro vino tanta multitudo muſcarum per foramen ebullivit, ut putares te, ſi vidiſſes, in Ægypto eſſe, ubi plaga muſcarum Ægyptios juſſu divino puniiſſe narratur. Videns igitur is qui ad hauriendum vinum venerat hoc mirabile factum, obſtupuit, & paxillum cum cantro quod manu tenebat in terram projecit; curſuque rapidiſſimo ad dominum ſuum, narraturus quæ facta fuerant, advenit: ſtatimque examen muſcarum cum illo veniens dominum aggreditur, & tanto niſu dominum morſibus & aculeis crudeliter adtrectavit, ut iſdem dominus compunctus, & fundum reddere, & de commiſſo veniam petere cogeretur. Reſtituto ſiquidem Monachis fundo & venia obtenta, illa muſcarum multitudo a viri vexatione ceſſavit: & ita vinea illa uſque ad hoc tempus a Deodatenſibus poſſideri dignoſcitur. Et ne Lectorem faſtidire videamur, ad alia ſtilum reducamus.

X. *Quod*

[a] Nempe 13. Kalend. Julii, ut legitur in ejus Vita apud Surium. Reliquiæ ejus in Eccleſia modo collegiata S. Deodati hactenus adſervantur.

CIRCA AN. 680 19. Junii.

X. *Quod* BODO *Epiſcopus Tullenſis Bodonis-Monaſterium conſtruxit, quod & ſancti Salvatoris dicitur.*

13. ELapſo etenim modico tempore poſtquam vir beatiſſimus ille Deodatus in hanc ſubintravit Voſagum, erat vir æque ſanctiſſimus BODO nomine, Tullenſis Epiſcopus, qui Dei ductus zelo in quodam prædio ſuo, quod ejus nomine Bodonis-Monaſterium appellatur, adunato non modico conventu Sanctimonialium Clauſtrum ibidem ſtatuit, & eidem Monaſterio pluribus collatis redditibus Ordo Sanctimonialium multo tempore ibidem perduravit. Sed poſtmodum a quodam ſucceſſore ſuo BERTHODO Tullenſi Epiſcopo eidem Monaſterium deletum eſt, & in ſuperiori loco, qui modo ſancti Salvatoris dicitur, pro illo ipſe Epiſcopus a fundamentis ædificavit, & ibidem Monachos ſub norma B. BENEDICTI Abbatis inſtituit: qui poſtea inde expulſi, Ordinis ſancti Auguſtini Canonici, ſicut uſque nunc ibidem permanent, ſunt inthronizati. Enimvero, quia antequam ad propoſitum redeam, cujuſdam adhuc ſancti & admirandi viri mentionem, quia in hoc vicino noſtro olim reſedit, huic libello noſtro ſpecialiter adnotare deſidero; hujus inſpectores operis, ne ob hoc iraſcantur, poſtulo: quia & ejus vita & actus tanto ſunt ad legendum delectabiliora, quanto ſunt & mirabiliora.

XI. VITA S. HIDULFI *Archiepiſcopi Trevirenſis.*

CIRCA AN. 707 11. Julii.

14. IN Bauvariorum igitur territorio, in civitate quæ *Reneſporcb* dicitur, duo viri fratres exſtiterunt, ex nobilibus illius terræ genitoribus procreati: quorum unus ERARDUS, alter vero Hidulfus vocabatur. Hi etenim fratres litteris liberalibus traditi, ſe ita clericali miniſterio mancipaarunt, ut meritis propriis exigentibus, unus eorum, domnus ſcilicet Erardus, ſupradictæ civitatis *Reneſporcb* ſublimaretur Epiſcopus: Hidulfus vero ad Archiepiſcopatum Trevirorum potius eſt tractus quam electus. Et ita utrique fratres adeo ſibi ſunt vinculo carnis & gregibus ſibi commiſſis charitate adſtricti, ut non mercenarios, ſed veros ſibi catholica Eccleſia gauderet adquiſiviſſe Paſtores.

15. Enimvero cum vir Deo dignus Hidulfus aliquamdiu Archiepiſcopatui Trevirorum feliciter deſerviſſet, audiens quod tot & tanti viri de remotis partibus ad hanc noſtram Voſagum ad ſerviendum Deo deveniſſent; non ſui tardus proviſor effectus, ne ſuorum compreſbyterorum merito in ipſa commorantium fraudaretur, relictis omnibus voluit cum beatis pauperibus pro terrenis cœleſtia commutare. Inito itaque cujuſdam viri venerabilis, JACOB nomine, Suffraganei ſui Tullenſis Epiſcopi conſilio, quo in loco ad ſerviendum Deo requiem reperire quiret, tandem ad has Voſagi noſtræ partes Beatus ille venire decrevit. Volens igitur inter hos ſanctos Patres, qui in hac eremo de novo convenerant, habitare; quia eorum familiaritatem diu deſideraverat, ad locum, ubi poſtea Monaſterium, quod Medianum-Monaſterium dicitur, erexit, applicuit. Sed quia ibidem habitandi ſpatium non invenit, quia confinia noſtræ hujus Senonienſis Eccleſiæ, & Monaſterii Stivagienſis ibidem jungebatur; impetrata ab utraque Eccleſia aliquanta terræ portione ibidem habitare decrevit. Et quia de nomine loci, qui antea nomen non habebat, anxius erat; conſiderata loci poſitione, quia ab Oriente Senonienſe Monaſterium, ab Occidente Stivagium, a Meridie Juncturas, quæ nunc Sanctus-Deodatus vocatur; a Septemtrione autem Bodonis-Monaſterium habebat; illum ſuæ habitationis locum Medianum-Monaſterium *a* appella-

a Mediani-Monaſterii Abbates fuere Fortunatus Patriarcha Hieroſolymorum, teſte Richerio in lib. 2. cap. 6. HUMBERTUS, dein Cardinalis, qui plurium Sanctorum, in his Hidulfi ac Deodati Epiſcoporum Laudes ſeu Reſponſoria rhythmice ac metrice compoſuiſſe memoratur apud eumdem Auctorem lib. 2. cap. 18. Eidem Monaſterio ſubjecta erat Acherici-cella, in qua viri ſancti Blidulfus, Willelmus, & Achericus vitam monaſticam duxerunt, ex cap. 9.

Digitized by Google

pellavit, quod nomen uſque hodie perdurat. Videns igitur beatus Hidulfus ob religionis gratiam multos ad ſe confluere, Monaſterium & officinas Monachis habiles in ipſo loco ædificare ſtuduit. Multitudine equidem magna tam Clericorum quam laicorum ad ſe adunata, quia tot in tam arto loco ſimul habitare nequibant, ſtatuit in circumadjacentibus locellis cellulas conſtruere, in quibus habitare deberent. Deſtinavit ſiquidem apud Septem-abietes quoſdam, alios ad Sanctum Joannem, & alios apud Orbacum, alios autem apud Sanctum-Præjectum, alios apud Viſivallem, quoſdam vero ad Altam-petram, quæ Monaſterio præeminet; alios etiam ad quemdam locum in ſummitate montis, qui Robertiſons dicitur, degere decrevit. CIRCA AN. 707 11. Julii.

XII. *De Begonis-cella & trecentis Monachis, & de obitu* S. SPINULI.

16. DEnique ad locum qui Begonis-cella, nunc vero Sanctus-Baſilius dicitur, beatum Spinulum adhibitis ſecum quibuſdam Fratribus converſari præcepit. Locum vero illum cum nemoribus & montem, qui Fulconis-rupis appellatur, cum multo terræ ſpatio adjacente BEGGO vir nobilis & locuples beato viro Hidulfo ad Monaſterium ſuum ampliandum paullo ante contulerat. Fratres quoque qui in prædictis locis habitabant, tunc æſtimabantur numero quaſi trecenti, ſub regimine S. Hidulfi Archiepiſcopi & Abbatis conſtituti. Devoluto igitur non multo tempore beatus Spinulus, cujus ſuperius meminimus, militiæ ſuæ donativum recepturus cœlo ſpiritum reddidit. Quod cum ſervus Dei Hidulfus Angelo adnunciante comperiſſet: ad cellam ubi vir Dei jacebat, properavit. Compoſito igitur Sancti viri corpore in feretro, crucibus præviis & cereis ardentibus, cum hymnis & canticis ſpiritalibus glebam Sancti ad Monaſterium reportare parabant. Aggredientibus vero illis iter, ſubito tanta pluviæ inundatio & ventorum immenſitas exorta eſt & tempeſtas, ut non ſolum munitas arbores, ſed etiam grandes quercus & excelſas abietes radicitus evellendo terræ proſterneret: & cum tantus ſæviens eſſet turbo & tribulatio abhorrenda, nec portitores Sancti ſunt læſi, nec luminaria cereorum ſunt exſtincta; ſed uſque ad Monaſterium corpus Sancti ita miraculoſe detulerunt. Sed ut omnipotens Deus omnibus innoteſceret, qualem idem ſanctus Pater, & quam religioſe inſtructum famulum ad cœlos deſtinaſſet, iſta miranda voluit Sancto demonſtrare. Cujus exſequias rite peragentes, in Oratorio B. Gregorii, quod ipſe beatus vir Hidulfus cum cimiterio ſuo ædificaverat & conſecraverat, in tumulo lapideo illa ſancta membra collocaverunt. Et ut divina majeſtas dilecti ſui Spinuli merita lucidius declararet, tanta ad ipſius tumulum mirabilia oſtendere dignata eſt, ut nulli credenti ad ipſius auxilium reportandum venienti munus ſanitatis foret denegatum.

XIII. *De miraculis S. Spinuli & aqua ſalſa inventa.*

17. HIS itaque ſe habentibus, ad augmentum gloriæ Sancti tres ſalinarii fontes in horto penes Monaſterium ſunt inventi. Fama igitur miraculorum & ſalinarum longe lateque divulgata, tantam populi multitudinem ad ipſum locum deduxit, ut locus affluentiam gentium minime capere potuiſſet. Unde vir ille S. Hidulfus ſuæ inquietationis moleſtiam, quam ab advenientibus ſuſtinebat, ferre non valebat: licet Monaſterio ſuo pro virtutibus Sancti & ſalinarum quæſtu aliquid emolumenti conferri ab illa gente videretur. Vir igitur beatiſſimus Hidulfus, qui pro divitiis mundi adquirendis paupertatis onus ſibi non adſumſerat; videns ſe & ſuos a propoſito ſuo non modicum affluentia populi deviare, auxilium divinum ſuper hoc duxit requirendum. Eccleſiam tandem B. Gregorii baculo artus NOTA. ſuſtentante, ut jam erat vigiliis & orationibus & jejuniis ſatis attenuatus,

 lento

Digitized by Google

CIRCA AN. 707. 11. Julii. lento gradu pervenit: doloremque ſe prementium populorum corde concipiens, cum ad ſepulcrum dilecti ſui Spinuli perveniſſet, orationi incubuit, & quaſi vivo loqueretur, ſic ait: Gratias agimus Deo Salvatori, o frater Spinule, quod miraculis fidem facientibus te divinæ majeſtati adſtare certiſſime credimus; etiam naufragia præſentis ſæculi evaſiſſe te, ac cœleſti gloria potiri gaudemus. Sed ſi frequentia populorum, quam Deus per te huc confluere fecit, aliquamdiu preſſi fuerimus, non modicum a via regia *a* quæ ducit ad vitam nos declinare videbis. Unde te in illa obedientia, quam dum viveres nobis intædiabiliter exhibere ſolebas, admonemus & exhortamur in Domino, ut affluentem & omnium bonorum largitorem Deum pro nobis interpelles, ut repreſſa inquietudine gentium, & præſentis vitæ fluctuationibus amotis, curſum cœleſtis vitæ expedito greſſu nobis liceat peragrare. Videres mortuum, quaſi viveret, Magiſtro jubenti obedire, ceſſantibus ſignis miraculorum, aquis ſalſis in dulcedinem redeuntibus. Affluentia repreſſa populorum, vir ſanctus & Fratres ſui ſine tumultus moleſtia Deo deinde ſervierunt. Videns vero Deus famulum ſuum ſibi toto corde & non mundo inhærere, quia parvum & inſtabilem quæſtum tam leviter abjecerat, majora pro minoribus ſtatim ei reſtituere dignatus eſt. Nam prædia multa in Alſatiæ partibus, necnon in Lotharingia a potentibus & primatibus terræ, & alia quamplurima a diverſis Fidelibus Deo operante ſunt collata; quæ omnibus ſupradictis trecentis Fratribus ad victum ſufficere poſſent. Sed poſtmodum, ut poſtea referemus, pars maxima de menſa Monachorum peccatis exigentibus per quemdam Nobilem exſtitit exciſa.

XIV. *De adventu* S. ERARDI *Epiſcopi*, *&* *de* S. ODILIA.

8. Januar. 18. CUM igitur beatus Hidulfus in hac ærumnoſa peregrinatione debilem duceret vitam, & fama ſuæ converſationis longe lateque diffunderetur; cognovit vir ſanctus ERARDUS Epiſcopus, ejus germanus, ipſum in hac Voſagi ſolitudine peregrinari: qui quantocius iter arripiens ad partes iſtas, ut fratrem quem videre deſiderabat, inveniret, acceſſit, quem diu quæſitum in Monaſterio, quod jam ædificaverat, invenit. Qui eum ingenti gaudio ſuſcipiens, vitam pluribus diebus duxere cœleſtem. Cum vero hæc ita ſe haberent, contigit cujuſdam Nobilis filiam cœcam natam ad Monaſterium dictum deportari, quam pater ejus ETICO nomine, quia cœca nata fuerat, necari præceperat. Quod cum mater puellæ comperiſſet, per quamdam aniculam, quæ eidem matri familiaris erat, eam exſulari maluit potius, quam occidi. Comperto vero quod talium parentum proles erat, nec adhuc baptiſmate regenerata erat; illi duo ſancti fratres & Epiſcopi Hidulfus & Erardus eam in nomine Trinitatis baptizantes, mente & corpore illuminatam de ſacro fonte levaverunt, & eam ODILIAM * appellaverunt *b*. Quæ cum ad annos perveniſſet diſcretionis, frater ejus qui cum patre remanſerat, audiens quod ſoror ejus, quæ nata cœca fuerat, foret illuminata, gaviſus eſt valde: & nuntiis accerſitis ſororem Odiliam ad ſe venire mandavit. Quod cum pater comperiſſet, filium ad ſe venire juſſit, & interrogato eo quis tantam præſumſiſſet audaciam perpetrare, ut cœcam illam repatriare feciſſet; cum filius ejus ſe feciſſe ſpe paternæ benignitatis reſpondiſſet, pater iratus baculo, quem forte tunc manu tenebat, juvenem percutiens, & filium trucidavit, & hereditatis ſuæ ſucceſſorem amiſit.

* Vita infra.

19. Vi-

a Notatus hic locus in Præfatione ad tomum primum iſtius Sæculi.

b *Hinc*, ait Conradus in Vita S. Erardi, *vir Dei reverſus eſt in Bajoariam & in civitatem Ratiſbonam, ubi ſpecialiter ad inferius Monaſterium in honore venerabilis Dei Genitricis fabricatum converſatus eſt*, & poſt mortem *infra baſilicam ſupradicti Monaſterii ad latus Septemtrionale tumulatus*, ubi *crebris claruit & hodie claret miraculis*. In inferiori illo Monaſterio, uti & in ſuperiori, degebant Sanctimoniales, quas ad regularem S. Benedicti normam revocavit B. Wolfgangus. Erardus dicitur ædificaſſe Monaſteria ſeptem, quorum nomina haud exprimunt Vitæ ſcriptores.

Digitized by Google

19. Videns autem idem vir nobilis ſe ſuo orbatum herede, admodum ipſe indoluit, ac deinde filiam ſuam Odiliam, quam ante ſpreverat, intimo dilexit amore: ita ut poſtmodum in caſtro patris, quod *Hoemborch* appellatur, Clauſtrum Sanctimonialium Ordinis ſancti Benedicti ipſa beata Odilia auxilio & voluntate patris inſtrueret, & proprio ditaret patrimonio. Beata igitur Odilia cum ad ſe videret populorum turbas adventare, in ſubdita valle caſtro domum hoſpitalem ad ſupervenientes recipiendos conſtruxit. Sed ipſa hoſpitalis domus ita eſt augmentata, ut opulentiſſimum Clauſtrum fieret Monialium, nec ſuperiori Clauſtro in ullo haberetur ſubjectum. Sed hæc de beata Odilia dicta ſufficiant, nunc ad noſtrum Hidulfum revertamur. CIRCA AN. 707 11. Julii.

X V. *De morte ſanctorum Epiſcoporum Deodati & Hidulfi.*

20. BEatus igitur Hidulfus cum adhuc Deo donante ſe ſibique commiſſos ſtrenue gubernaret, contigit beatum Deodatum ab hac vita migrare ad Dominum: qui ab ipſo S. Deodati per viſum, ut ſui Monaſterii curam gereret, eſt admonitus: quod beatus Hidulfus viginti octo annis ſtrenue gubernavit, & multis redditibus ampliavit. His denique ita feliciter peractis, Dominus carum ſuum Hidulfum pro ſuorum meritorum exercitatione remunerare volens, noluit eum diutius hujus corporis ſarcina detineri, ipſum febre quadam examinatum ad ſe tranſvexit. Cujus ſacra membra Fratres in ſupradicto Oratorio a tergo altaris ſancti Gregorii in tumba lapidea cum ſummo honore ſepelierunt: unde poſtea ſunt revelatæ reliquiæ ipſius & tranſlatæ in Monaſterio ſuo, quod ipſe de novo conſtruxerat, ſicut adhuc ibidem reſervantur, ſcrinio argenteo reconditæ.

X V I. *De morte ſanctorum Epiſcoporum Deodati & Hidulfi.*

21. ENimvero defuncto, ut ſupra dictum eſt, glorioſiſſimo Hidulfo Archiepiſcopo, alii atque alii ad illius Eccleſiæ regimen ſucceſſerunt, qui prout potuerunt, Deo adjutorium præſtante, ipſum Monaſterium gubernaverunt. Sed quia idem Monaſterium, ſicut & alia circumjacentia, Imperio Romano ſubjacebant, & in expeditione Imperatoris armatorum cuneos de jure mittere ſolebant; præliis crebrius innovantibus Eccleſiæ miſerabiliter opprimebantur. Unde contigit Abbatem iſtius Monaſterii clauſtri Mediani-Monaſterii conſtangiis * dictorum armatorum ita attritum, ut ab Imperatore admonitus armatos in rhedam Principis mittere nequiret. Quidam vero dux, qui tunc in Lotharingiis præerat, ad ipſum Imperatorem in armis venerat: qui ab ipſo Imperatore requiſitus, cur Abbas Mediani-Monaſterii armatos non tranſmiſerat, & Dux ſe neſcire reſponderet; Imperator interrogavit Ducem, ſi vellet Abbatis vices agere. Quo reſpondente, quia vellet: Princeps ejus juriſdictioni Monaſterium Medianenſe, quod ante Imperiale erat, tradere non diſtulit: quod factum illi Monaſterio magnæ deſolationis exſtitit occaſio. Nam Duce ipſo ad patriam revertente, dominio Ducis, quod ante non fuerat, Monaſterium illud ſubmittitur, res Monaſterii diſſipantur, & Fratres moleſtantur: tandem a menſa Monachorum mille quingenti & undecim manſi dirimuntur, & Ducis Lotharingiæ ditioni ſubduntur. Quid fieret de Monachis, qui fame & inedia laborant? Dimittunt cellas, alias victum quæritando vagantur: ita ut deni vel duodeni in loco principali vix ſuſtentari queant. Quapropter ipſa Abbatia uſque nunc & divino officio, & ſuſtentatione Fratrum irremediabiliter eſt fraudata, ſicut hodie ipſius ſtatus inveniri poteſt.

* ſumtibus

Digitized by Google

CIRCA AN. 707 11. Julii.

XVII. *De diſcidio Monachorum Eccleſiæ Mediani-Monaſterii & diſſolutione Monachorum.*

22. FRatribus igitur Cellarum ita a locis ſuis eliminatis, iis quoque qui in Abbatia remanſerant ſuis redditibus deſtitutis, cœperunt a ſemita recta retrahere pedem. Abbates vero ſegniores effecti, de grege Domini non curantes, ſecundum Prophetam quod craſſum erat adſumebant, & quod macrum erat abjiciebant. Monachos nempe qui ſibi non Chriſto vivere volebant, diligebant, alios ſpernebant. Videntes igitur Monachi cuncta ſibi pro voluntate ſua licere, licet non expedirent, ad præcipitia potius quæque quam ad bona cœperunt eſſe proniores.

XVIII. *De viſione Monachi Senonienſis.*

23. CUM igitur Monaſterium illud talibus deturparetur poſſeſſoribus, qui vilioribus inſiſtebant actionibus; Dominus qui eſt conſpector ſæculorum, volens eos ab errore viæ ſuæ miſericorditer avertere, ſatis miti & ſalubri admonitione ſub hac forma ſubmonuit. Quidam enim Monachus hujus noſtræ Eccleſiæ Senonienſis vidit ſe in ſomnis ante fores Monaſterii Medianenſis, quæ ducunt ad clauſtrum, ſtare; & ex Monaſterio ipſo quemdam virum facie decorum, canitie decoratum, infula epiſcopali redimitum, virgam paſtoralem manu portantem, atque univerſas officinas cum ſuſpiriis ingentibus & dolore cordis circumeuntem; & ex omnibus exeundo uberrimas plangendo emittebat lacrymas. Tandem ad cameram Abbatis veniens, manibus comploſis, pectus tundendo, plus ſolito uberiores effundens lacrymas, talia in verba prorupit: *Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti:* & iſta ſæpe repetendo, nuſquam comparuit. Quod cum ab ipſo Monacho, cui hæc revelata fuerant, Abbas ille & Monachi loci comperiſſent, viſioni falſæ adſcripſerunt: ſed poſtea exitus rei factum approbavit. Imprecatio namque Sancti tam celeriter eſt ſubſecuta, ut unus poſt alium mori inciperent, incipientes a ſenioribus uſque ad juniores, ut nullus ex ipſa multitudine, ſicut de Ægyptiis legitur in mari rubro merſis, excepto Abbate ſolo ſupereſſe videretur. Quod Abbas videns, non Dei judicio, ſed caſu hoc adveniſſe arbitratus eſt. Circuiens vero civitates, quoſcumque invenire potuit qui volebant monachari, ſecum adduxit; & eos tonſuratos, non corde, ſed habitu tantum monachavit: & talibus pyratis locus ille redimitus non diu eſt gaviſus. Nam, ſicut alii, unus poſt alium vitam finientes, omnes in modico tempore ſunt decucullati: & ita male adunati, male diſperſi ſunt. Abbas vero fuga lapſus ad Alſatiam, unde natus fuerat, repedavit: & ita Monaſterium iſtud Abbate & Monachis diu caruit. Nec aliquando divina ibi agebantur, excepto quod ibidem Presbyter villæ adjacentis aliquando Miſſam gratis celebrabat, donec a quibuſdam Monachis [a] Gorzienſibus (ut credo) ad hoc a Deo miſſis, ordo Monachorum & officia divina ibi ſunt reſtituta.

XIX. *De obſeſſo a peritiſſimo dæmone, & ſanato in Mediano-Monaſterio.*

24. ENimvero quia de miſerabilibus ejuſdem loci habitatoribus miſerabilique converſatione aliqua explicavi, ne mihi ad odium imputent, cum ſciant me ipſum locum ſicut meipſum dilexiſſe: volentibus audire, de aliis tacendo, miracula quæ ibi per merita ſemper reminiſcendi Hidul-

[a] Nimirum per quemdam ADELBERTUM Monachum Gorzienſem, ut tradit Richerius in Chronici lib. 2. cap. 8. qui Adelbertus *accerſito ſui Monaſterii Monacho*, EUCHERBERTO *nomine*, *S. Deodati Monaſterium tradidit providendum*, cap. 10. & *S. Hildulfi corpus tranſtulit*, infra. Et Rambertus in eodem Gorzienſi Monaſterio inſtitutus, Senonienſe ad meliorem frugem revocavit, ex cap. 18.

Digitized by Google

Hidulfi omnipotens Deus dignatus eſt operari, pauca de multis recitaturus aggrediar. Beatiſſimo igitur Patrono noſtro Hidulfo adhuc vitam præſentem agente, ut erat corpore prudens & ſpiritu, nec quæ ſua erant quærens, ſed quæ JESU-CHRISTI; cuncta quæ intra clauſtrum erant diſcrete moderans, & quæ exterius cum moderatione diſponens, ut Deum offendere timeret, & a Fratribus ſibi commiſſis plus amari quam timeri affectaret. Ordinans ſiquidem interius clauſtri cuncta religioſe, decrevit domum hoſpitum, ne Fratres a ſupervenientibus moleſtarentur, ad portam Monaſterii ædificare: & juxta illam, capellam, in qua hoſpites ad divina audienda convenirent, in honore B. Joannis Baptiſtæ erexit, quam & nomini ejus conſecravit. Ad gloriam igitur & honorem Omnipotentis, & dilectorum ſuorum magni ſui vatis Joannis, & B. Hidulfi Archipræſulis, ut opinor, tot & tantis miraculis mirandis Deus deorum dignatus eſt illuſtrare Eccleſiam, ut quotquot energumeni, quotquot dæmoniaci ad ipſum Oratorium delati fuiſſent, ſtatim a quocumque ſpiritu vexabantur, liberarentur. Habebatur quippe in ipſo Oratorio dolium aqua exorcizata plenum, ut energumeni & alii a dæmoniis obſeſſi, in ipſo merſi ſanarentur: quod & ita fiebat. Cum ergo hæc ita agerentur, contigit quemdam ruſticum a valle S. Deodati illuc adventaſſe, qui a tam potentiſſimo dæmone obſeſſus erat, ut vix catenis ferreis adſtrictus teneri poſſet; qui etiam tantæ erat ſcientiæ, ut ſe omnium linguarum jactaret habere notitiam. Artium quoque liberalium omnium eruditus erat prudentia, omniumque actuum præteritorum, & cogitationes ſimultateſque omnium ad ſe venientium eruditiſſime referebat. Officio Miſſæ & aliarum horarum intererat, & cum cantantibus cantabat, & cum pſallentibus pſallebat, nec crucem, nec crucifixum vitabat. Hic talis ad dictum Oratorium adductus, in dolio ipſo merſus, quia & circumſtantibus inſultabat, Monachus quidam, qui ad officium energumenorum deputatus erat, audiens quod dæmon ſecretos actus hominum revelaret, timuit ad illum venire: ſed adiens quemdam Seniorem, omnia quæcumque fecerat illi confeſſus eſt, & ad dæmoniacum reverſus ita eum alloquitur: O tu mendaciſſime hominum deceptor, qui tuis mendaciſſimis adſertionibus te dicis ſcire hominum cogitationes & actus, dic ea quæ de me cognoſcis. At ille attonitus, demiſſo vultu in terram, cogitat quid diceret: tandem in hæc verba prorupit: Nudiuſtertius rem grandem feciſti, quæ modo lapſa eſt a memoria mea. Quare cum ipſe reſponſa dæmonis audiiſſet, animatus pro confeſſione, cœpit ſuper caput illius ſanctum Evangelium Joannis recitare. Cui ille indignans dixit: Idiota tace, nonne ſcis me melius ſcire hoc Evangelium? Scias illud plane me ſcire, & ejus myſterium, nec per ipſum ab iſto hoſpitio me expellere poteris. Vade, & quære tibi aliud quod tibi melius placuerit. Quo audito Monachus ad Eccleſiam quantocius properavit, & ibi accepto ſcrinio, in quo Sanctorum plurimorum reliquiæ erant reconditæ, ad dæmoniacum quantocius cum ſcrinio ipſo repedavit. Appropinquante vero illo cum reliquis, dæmon cœpit clamare: Tolle, tolle inimicos meos. Qui accedens, ſcrinium cum reliquiis poſuit ſuper caput ejus. At ille clamans dixit: O me infelicem! quantum lapidum acervum ſuper caput meum adunaſti! tolle a me, quæſo, iſta, quia valde crucior. Quod cum Monachus audiret, gaviſus eſt valde, & tunc cœpit artius adjurare. At ille acrius clamabat: Tolle, tolle, tolle inimicos meos. Ille vero interrogans eum qui eſſent inimici ſui, ait, Stephanus & Laurentius: unum lapidavi, alterum aſſavi: & jam meritis ipſorum oportet me hinc exire. Et hæc dicendo proſiliit ex ore ipſius quaſi ſcarabeus, & cecidit in terram, & lento greſſu videntibus cunctis pervenit ad oſtium Eccleſiæ, & ita volatu ſe elevans, miſcuit ſe ventis. Cumque ille interrogatus utrum aliquid ſciret, an non; adſeruit ſe nihil penitus ſcire, niſi maternam linguam, quam a pueritia didicerat. Ego vero in ipſo ſcrinio vidi cum pluribus aliis ipſorum Martyrum reliquias, de ſaxo

CIRCA AN. 707 11. Julii.

NOTA.

CIRCA AN. 707. 11. Julii. quo lapidatus eſt ſanctus Stephanus, & carbones ſanguineos ſancti Laurentii Levitæ, & dalmaticam ſancti Leodegarii. Plures etiam utriuſque ſexus ſenes & juvenes, alii canabinis funibus ligati, alii vinclis ferreis adſtricti, ad locum ipſum ab amicis & vicinis adducebantur, qui ſtatim in dicto dolio merſi curabantur. Et ita Dominus merita ſervorum ſuorum declarando, nos ad ipſius timorem & amorem quotidie invitat.

XX. *De miraculis tempeſtatis a S. Hidulfo quater in die repulſæ.*

25. ADhuc ſancti Patris noſtri Hidulfi facta me ſcribere delectat, ut ea lecta vel recitata hominibus, glorificent Deum Patrem qui in cœlis eſt, qui dedit poteſtatem talem hominibus. Una dierum cum anno revoluto ſollemnitas beati Hidulfi eveniſſet, & Fratres Mediani-Monaſterii ſolito celebrius, ut decebat, feſtivitati inhærerent, contigit hora tertia magnam imminere tempeſtatem. Adunata igitur a quatuor ventis craſſitudine nubium, coruſcationum & tonitruum horribilitatem geſtantium, ita ad ima ſe detrudebat, ut putares cœlum cum nubibus ſuper locum illum & totis adjacentibus locis velle fulminare cadendo. Apparebat enim tanta in nubibus horribilis cum turbinum apparatu nigredo, ut adſpicientibus multum moverent timorem. Cumque tale ac tantum immineret exitium, Fratres perterriti ad altare cucurrerunt: alii cruces, alii reliquias Sanctorum, alii corporalia ſancta efferebant, alii campanas ſonabant, atque alii Deum invocabant: & quanto plus Fratres hinc inſtabant, tanto plus illa nubium adunatio cladem minabatur. Quare cum Monachi viderent contra hanc moleſtiam precum inſtantiam nihil proficere, ad ſolitum Patroni ſui refugium confugerunt. Compoſito quidem feretro, in quo ſanctum ejus corpus habebatur, altiſonis vocibus ipſum inclamantes exportaverunt. Videres vero in exportatione ſanctorum artuum totam illam comminantem nubium moleſtiam, quaſi intelligibilem creaturam, ſui Creatoris famulo cedere imperanti. Solutis nempe illis horribilium nubium adunationibus, tota illa maſſa ſeſe in quatuor dedit partes; & ita retrocedens, quod factura erat ad tempus repreſſit, & aeris ſerenitate reddita, Fratres cum ingenti gaudio, quaſi prœlii triumphatores, reliquias Patris Hidulfi venerandi ad locum ſuum reportaverunt; & ita cum ſumma devotione Miſſam inchoaverunt majorem. Necdum ipſam finierant, cum ſubito, quaſi inſidiatores ab inſidiis erumpentes viatores deprædari deſiderant, ita illa, ut prædiximus, vaſtationis oppreſſio a locis in quibus ſe prius in exportatione Sancti occultaverat, exſiliens cum inevitabilibus ventorum colliſionibus, fulgurum coruſcationibus, & magnorum tonitruum mugitibus revertendo ſuper faciem illius loci multo truculentius quam antea accumulavit, & ad ſolum omnia æquaturum minabatur. Accurrunt, periculum Fratres vident, mirantur, expaveſcunt, ad ſecurum ſibi auxilium recurrunt. Glebam Sancti cum crucibus & thuribulis contra aeris tempeſtates pugnaturam exportant. Quid plura? adventus famuli Dei ſicut prius, ſancta ejus anima in cœlis Deum rogante, illam periculoſam in quatuor iterum partes diviſit, nec mora redditur ſerenitas. Monachi & tota plebs, quæ ad feſtum convenerant, pro tam evidenti miraculo exſultant, Deum totis niſibus laudant, corpus Sancti cum ſumma veneratione reportant. Nec mora, locatis reliquiis viri Dei, tanto labore attriti & pavore ad menſam ſuam ſero pranſuri conveniunt, & inter prandendum de iſto turbine & clade ita irrumpente habetur ſermo. Sed nondum a menſa ſurrexerant, cum tonitruum fragor auditur, ventorum impulſio mittitur, fulgurum coruſcationes ſagittantur, grandinum calculi tectis illiduntur. Quid agere poſſent Monachi? tam ſubita illa ſupervenerat calamitas, ut jam deſperati a loco moveri nequirent. Coacti vero tanta turbinis impulſione, immo quia mortem ſibi credebant imminere;

Digitized by Google

ſurgunt a prandio, tota acclamat populi multitudo, ut ille promtus adjutor exportetur. Curritur quantocius, ille ſe leniorem portitoribus præbet, tertium, immo continuum initurus bellum adeſt. Pugnat interventu, juſſu expugnat: ſtatim venti ſilent, tonitrua obmuteſcunt, fulgurum ſagittæ reprimuntur, grando caſus ſuos in altum ſuſpendit, nubium denſitas clareſcit, & aeris cœlique tranquillitas adeo emicuit, ut crederes in tota illa die vel nocte ſequenti nec unam pluviæ guttam caſuram. Enimvero quia eadem dicta tempeſtas nunc recedendo, nunc ſubito revertendo toties ipſos terruerat Fratres, arbitrati ſunt loculum Sancti cum cuſtodibus cuſtodem dimittere, ne ipſos nequam impulſio ſub noctis ſilentio loco damna valeret inferre. Ita igitur cunctis diſpoſitis horas veſpertinas perficiunt, dies ad ſuum finem devenit. Igitur nocte incipiente laſſi Fratres ad lectulos pauſaturi veniunt. Videns vero ille tempeſtatum ductor, ſe pro præſentia Sancti, ſui videlicet impugnatoris, nil ſuæ malæ voluntatis adimplere poſſe; voluit tamen, quid facere, ſi licuiſſet, volebat, demonſtrare. Nocte vero eadem cum ſe omnes ſopori dediſſent, tanta congeries grandinis inter clauſtrum & domum hoſpitum in media nocte cum ſummo ſilentio demiſſa eſt, prout ſcriptum reperi, ut in tanto fervore ſolis & temporis, illa grandinis maſſa infra quindecim dies liquari nullatenus poſſet; nec tamen in toto confinio illo extra ambitum clauſtri, nec una quidem gutta pluviæ vel grandinis granum illa nocte viſa vel audita cecidiſſet. CIRCA AN. 707 11. Julii.

XXI. *De ruſtico S. Præjecti a tempeſtate digne colliſo in feſto S. Hidulfi.*

26. ALio quoque anno, quo etiam ejus revolutio feſtum adduxerat, fuit quidam ruſticus apud Sanctum-Præjectum, qui junctis bobus feno currum oneraverat, & ad ſuum domicilium revertendo fenum cum curru jam prope villam minaverat: cum ſubito aer, qui antea ſatis clarus & purus apparebat, obtenebratur, tonitrua mugiunt, coruſcationes fulminant, atque grandinis tanta influentia inundat, ut vix ruſticus ille ſubſiſtere valeret. Procella ſiquidem invaleſcente ruſticus atteritur, concutitur, grandinis globis lapidatur, nihil refugii invenire poterat, niſi quod relictis plauſtro & bobus ſe ſub curru protegeret: quod & facere non diſtulit. Sub plauſtro latitare ſperat: ſpes tollitur, quia ex improviſo ventus tam validus inſufflavit, ut non tantum currum ipſum everterit, ſed etiam fenum totum per lata camporum totaliter diſperſit, & ruſticum ſine tecto reliquit. Quid ultra? vapulat ruſticus vento, rebus ſpoliatur, grandine lapidatur, inundatione aquarum pluviarum ſuffocatur, terretur tonitru, fulmine jaculatur, & ita fere ad extrema perducitur. Illo etenim ita caſtigato, ſtatim univerſitas illius villæ ſupervenit, ſcrutantes ſi illa tempeſtas frugibus terræ in aliquo nocuiſſet. Cumque inveniſſent quod non; invenerunt illum juxta currum jacentem ſemimortuum. Quem ad domum ſuam deportantes, judicabant digna pro meritis eveniſſe, quia Deo nec honorem, nec ſancto ſuo Hidulfo incredulus impendere cogitaverat, unde iſta ei accidiſſe certum erat. Ita noſter adjutor Hidulfus & ſuos novit contemtores corripere, & ſuos protegere cultores. Conſidera, o peccator, ſi Deus omnipotens tam aſpera contemtoribus, cultoribus vero bona quæque in præſenti redonare ſolet, quid de futuris eum facturum exiſtimas, cum iſta tranſitoria, illa vero ſint æterna; iſta terrena terrenis refundentur.

27. Revertentes igitur ad noſtræ narrationis ordinem, iſtius noſtræ Eccleſiæ eventus ſuo modo proſequamur. De aliis quoque Cellis & earum ſtructoribus circumquaque erectis, prout ſe locus obtulerit, diſſeremus. At vero quia de hoc noſtro fundatore Gundelberto, quantum adinvenire po-

Digitized by Google

CIRCA AN. 707 11. Julii. potuimus, diſſeruimus; ad poſterorum ſuorum Abbatum explicationem, & ipſorum actuum publicationem calamum revocemus *a*.

De tranſlatione corporis S. Hildulfi.

28. QUarto-decimo poſt hæc anno dictus Abbas Mediani Monaſterii Adelbertus corpus beatiſſimi Hildulfi, quod adhuc ſaxea tumba tenebat, convocatis pluribus Abbatibus & aliis viris religioſis cum magno apparatu levavit, & in quodam ſcrinio ligneo, quod ad hoc præparaverat, collocavit. Eo tempore levata ſunt corpora ſanctorum germanorum JOANNIS & BENIGNI, diſcipulorum Sancti Hildulfi: qui miraculoſe ad hanc lucem venientes, numquam ab invicem diſceſſerunt. Una namque hora ſunt concepti, una hora in ventre matris ſunt formati; ſimul procreati, una hora nati; ſimul educati, ſimul ſtudiis traditi; una die cucullati, ſimul converſati; una die lecto infirmitatis decubuerunt, una die defuncti *b*; ſimul cœlo recepti, tumulo uno collocati. Unde de his ſane poteſt dici: *Et ab invicem non ſunt ſeparati.*

De tranſlatione S. Deodati per BEATRICEM *Duciſſam Lotharingiæ viduam.*

29. POſtea vero anno Domini 1003. vergente numero, erat quædam Duciſſa, quæ viro ſuo viduata Lotharienſem Ducatum pro modulo ſuo regebat. Inter cetera quæ temporibus ſuis contigerunt, acceſſit ad Eccleſiam Sancti Deodati, & Canonicis & Clericis & vulgo comminata eſt, quod ſi corpus domini ſui, ſcilicet beati Deodati, non oſtenderent, quod ſe jactabant habere, ipſos perpetualiter in propriam redigeret ſervitutem: quod adhuc ſaxeo tumulo tenebatur. Minis etenim Clerici & populus perterriti, convocatis undecumque viris religioſis, jejuniis & orationibus præmiſſis, corpus ipſius Sancti, loci ipſius primi fundatoris Deodati, de tumulo in medio ipſius Eccleſiæ locato, ante altare ſanctæ Crucis, quod nunc eſt parochiale, levaverunt, & in ſcrinio novo ad hoc peracto pridie ante vigiliam depoſitionis ejus locaverunt. Unde adhuc ſingulis annis ejus ſacra tranſlatio a Clero & populo eo die recolitur.

VI-

a Id exſequitur Auctor quatuor ſequentibus libris, ex quorum ſecundo ſubjecta capita duo referemus, nempe capita 11. & 15. de tranſlatione S. Gildulfi & S. Deodati: quæ S. Hildulfi tranſlatio facta eſt anno 956. nempe quatuordecim annis poſt reſtitutam Mediani-Monaſterii diſciplinam per Adelbertum Abbatem anno 942. ex cap. 10.

b Nempe die 21. Julii, teſtante Auctore anonymo, qui Vitam S. Hildulfi Gallice vertit anno 1623. S. Hildulfi reliquiæ hactenus in baſilica B. Mariæ a Benedictinis Congregationis S. Vitoni ſodalibus apud Medianum-Monaſterium religioſe coluntur.

Digitized by Google

VITA SANCTÆ ODILIÆ CIRCA AN. 720

VIRGINIS ET ABBATISSÆ 13. Dec.

HOEMBURGENSIS IN ALESATIA,

Auctore anonymo, qui vixiſſe ſæculo 11. videtur.

Ex mſ. codice Cheſniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Quis ſit hujuſce Vitæ ſcriptor, non facile dixerim. Reinerus Cœnobii S. Laurentii in monte Leodicenſi Monachus, in libro de viris illuſtribus Monaſterii ſui, reponit in Indice operum Ruperti Abbatis Tuitienſis* Vitam S. ODILIAE Virginis. *Verum quænam ſit Odilia, quæve illa Ruperti lucubratio, necdum neſcire potui. Exiſtimo tamen eam eſſe Vitam S. Odiliæ, unius ex illo numeroſo Virginum collegio, quæ martyrium paſſæ apud Coloniam Agrippinam, cui vicinum eſt Tuitienſe Monaſterium. Fuit & alia apud Leodicenſes* ODILIA, *ſed vidua, & quidem ſæculo 13. Sane alius a Ruperto fuiſſe videtur Auctor hic editus : tametſi ab ejus ætate non valde remotus. Is agens de tribus arboribus ab Odilia noſtra plantatis, ait num.* 15. quæ uſque hodie umbra ſua videntur in ardore æſtatis præſtare ancillis Chriſti magnum refrigerium, ſe per plurimum extendendo ſpatium. *Vivebat Auctor eo tempore, quo Virgines Hoemburgenſes ſe Canonicas profitebantur, ex num.* 16. *proindeque ante medium ſæculum* 11. *Tunc enim eas ad regularem obſervationem revocavit Rechilindis Abbatiſſa, de qua infra : eoque in Inſtituto perſeverabant ſæculo* 13. *teſte Richerio Chronographo Senonienſi; & hactenus perſeverant.* Vitæ auctor incertus.

2. *Laudatur* ODILIA * *noſtra tum in Actis S. Erardi Ratiſponenſis (ut ajunt) Epiſcopi ſupra, tum apud Richerium in Chronici Senonienſis lib.* 1. *cap.* 14. *ubi ipſius genus illuſtre & ſanctitas declaratur : & in lib.* 2. *cap.* 18. Humbertus Abbas Mediani-Monaſterii, *poſtea Cardinalis*, Laudes ideſt Reſponſoria S. Odiliæ virginis rhythmice ac metrice compoſuiſſe *fertur*. Odiliæ memoria, * S. Othilie

3. *Odiliæ genus ita explicant nonnulli, ut paternam ejus lineam ab Erchinoaldo Majore domus Chlodovei ſecundi, maternam ex familia S. Leodegarii Æduenſis Epiſcopi deducant. Ejus ſententiæ patronus eſſe videtur auctor fragmenti hiſtorici, quod Alberti Argentinenſis Chronico ab Urſtitio præfixum, ab Andrea Cheſnio recuſum eſt in tomo* 1. *ſcriptorum Hiſtoriæ Francicæ, pag.* 782. *Ait quippe iſte Auctor* Leudeſium *Erchinoaldi filium*, cum Major-domus eſſet, *duxiſſe uxorem* de proſapia S. Sigiſmundi Regis Burgundiæ, *ejus qui a Chlodomiro Chlodovei Magni filio cæſus eſt : ex qua ſuſceperit* ATHICUM ſeu Adalricum, qui patre adhuc ſuperſtite & Hilderico regnante uxorem duxerat Berſvvindam nomine, filiam ſororis S. Leodegarii, ſororem videlicet Reginæ : & hoc cauſam conſanguinitatis a præfato Rege Ducatum Germaniæ adeptum eſſe; habuiſſeque ſedem in villa regia Ehenheim, & in caſtro quod Hoemburg nominatur; ac demum genuiſſe Odilam, quæ ab ſancto Herhardo Ratiſponenſi Epiſcopo & Hildolfo Treverenſi baptizata, in ſacro fonte viſum recepit. *Verum, ut recte advertit Carolus Cointius in tomo* 3. *Annalium ad annum* 674. *vitioſiſſimum eſt fragmentum iſtud, ac nullius pene fidei. Erchinoaldus quippe homo Neuſtraſius fuit : Auſtraſii Odiliæ parentes, niſi ſi Adalricus Odiliæ pater eſt Adalricus dux, qui Theodorico Chlodovei junioris filio contrarius, Auſtraſiis ſe copulavit, cujus bona Theodoricus Monaſterio Beſuenſi adjudicavit, dato diplomate anno quarto regni ſui, uti legitur in Chronico Beſuenſi Spicilegii tomo* 1. *Leudeſius Erchinoaldi filius, & non ante Childerici necem Major-domus, alius eſt ab* Leuthario Duce Alamannorum, *memorato in Chronici Fredegariani cap.* 88. *qui Leutharius idem eſſe videtur ac* Liuthericus *Odiliæ avus. Denique* Berſvvinda (*ut fuerit ſororis S. Leodegarii filia, quæ tamen ſoror matris ejus fuiſſe dicitur in Vita ſubſequente*) *non fuit ſoror Reginæ, Bilhildæ ſcilicet, Childerici uxoris. Deceptus eſt fragmenti auctor loco male intellecto Vitæ S. Leodegarii ab Anonymo æquali ſcriptæ, in qua Leodegarius Childericum Regem arguiſſe perhibetur quod* Reginam quam habebat conjugem, filia ſui eſſet avunculi, *ideſt avunculi Childerici : quod tamen Auctor de Leodegarii avunculo perperam interpretatus eſt.* genus & parentes.

4. *Sic ergo Odiliæ genus ſtatuendum videtur. Avus ejus fuit* LEUTHARIUS *ſeu* LIUTHERICUS Dux Alamannorum, *in Chronico Fredegariano laudatus. Pater ejuſdem* ADALRICUS, Athicus, Ethicuſ*ve : mater* BERESVVINDA *ſive* Berehſinda, *Sigradæ Leodegarii matris ſoror, ut ſcribit Odiliæ Encomiaſtes, cui potior fides, quam fragmento præcitato. Tertius Auctor, qui res geſtas S. Leodegarii litteris mandavit, memoratus in Sæculo*

 noſtro

Digitized by Google

CIRCA AN. 720 13. Dec. noſtro ſecundo, *ita Leodegarii parentes ac poſteros laudat :* Illum etenim clariſſimi inter Francorum Principes non mediocris potentiæ parentes genuerunt : de quorum ingenuitate, quoniam adhuc plures ejuſdem proſapiæ principantur in glorioſo Regno Franciæ, non fuit opus hic plura dicere. In illis enim ſi cupit quis, valet experiri, quam nobili ortu vir beatus, de quo loquimur, enituerit. *Quibus verbis deſignare videtur Auctor ille Adalrici poſteros, qui Aleſatiam Auſtraſii Regni partem adminiſtraſſe memorantur: etſi enim eo tempore,* Francorum *nomine Neuſtraſii proprie appellabantur ; tamen Regnum Francorum etiam continebat Auſtriam, quæ* Francia Auſtri & Regnum orientale *dicta eſt. Nec aliam fortaſſe ob cauſam* Eberhardus, *ipſius Adalrici (ut ajunt) filius, Cœnobium Murbacenſe in honorem S. Leodegarii, adfinis utique ſui, dedicari curavit* Dux Sueviæ, Comes Alſatiæ. *Lege Bucelinum in Topographiæ Germanicæ tomo 2. ubi de Monaſterio Murbacenſi; & Lazium lib. 8. de migrationibus gentium, ubi de ſtirpe Ducum Sueviæ & Alamanniæ in Alſatia.*

Regula S. Benedicti ab ipſa ſervata. 5. *Odilia Parthenona in caſtro patris* Hoemburg, *loco edito poſitum rexiſſe, alium inferiorem in radice montis ipſa ædificaſſe dicitur, &* canonicam vitam regulari prætuliſſe. *Quod poſtremum dixiſſe videtur Auctor babita ratione ſui temporis, quo Sanctimoniales Hoemburgenſes, uti & pleræque aliæ, a Monaſtico ad canonicum Inſtitutum deſciverunt. Certe Odilia Regulam S.* Benedicti *in Cœnobio Palma didicerat : & in Chronico Senonienſi* clauſtrum Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti in caſtro Hoemborch auxilio & voluntate patris inſtruxiſſe *memoratur. Neque enim in Gallia Canonicarum nomen Inſtitutumve auditum ante finem ſæculi octavi, ſicuti in Præfatione Sæculi ſecundi fuſe docui. Nec ſane me pœnitet, cum legam Melbodienſes Virgines, quæ ſe ab initio Canonicas fuiſſe jactitant,* poſt lapſum ad pœnitentiam revocatas *per Anſoaldem Sanctimonialem,* quæ annuente Gerardo Epiſcopo Cameracenſi & Rainero Comite Montenſi Ordinem Religionis Monaſticæ, quæ pene adnihilata erat in eo Monaſterio, correxit, & in melius reparavit, *uti legitur in Vita S. Theoderici Abbatis Andainenſis. Idem etiam Ratiſponæ præſtitit ſæculo 10. S. Vvolfgangus, ut ſuo loco dicemus. Prævaluit tamen poſtea Canonicarum licentia* in partibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibuſdam Teutonicorum & Alemannorum provinciis, *auctore Jacobo a Vitriaco in Hiſtoria occidentalis cap. 31. ubi earum mores & inſtitutum carpit. Pari modo etiam in Hoemburgenſi Partheneio Sanctimoniales ab Inſtitutis monaſticis defecerant ſæculo 11. ſed Recbilindis Abbatiſſa ſub annum Chriſti 1140. a Cœnobio Bergenſi diœceſis Eiſtetenſis evocata, collapſam diſciplinam inibi reſtituit, tribus ac triginta ſibi adſociatis Virginibus vitæ ſeverioris. Huic ſucceſſit Herradis Abbatiſſa, quæ Latina lingua librum ſcripſit, quem* Hortum deliciarum *nominavit, & ſuis Montis Odiliæ Virginibus dedicavit, teſtante Gabriele Bucelino in Topographia Germaniæ. Hactenus in eodem Parthenone perſeverat Benedictina vivendi norma, vigetque S. Odiliæ cultus, a qua Monaſterium vulgo appellatur* Mons S. Othiliæ, *ſitum in diœceſi Strateburgenſi, haud procul a Voſago.*

Monaſterii ſtatus.

Odilia altera ibi Abbatiſsa. 6. *Fuit & alia Odilia, ejuſdem Cœnobii Abbatiſſa piiſſima, ſæculo 11. de qua Hugo Abbas Flaviniacenſis agit in Chronici parte 2. cap. 3. his verbis :* Herimannus *Comes,* qui & Hezelo, Mathildem duxit uxorem, ex qua genuit duos filios, bonæ ſpei arbores, Gregorium & Godefridum, & filiam Odiliam, quæ fuit Abbatiſſa ancillarum Dei in Monte S. Odiliæ. *Hæc Verodunum aliquando profecta,* volens cum patre & matre & fratribus diem Paſchæ celebrare, *prænuntiato per S. Richardum Abbatem inopinati obitus* die in cinere & cilicio *exſpiravit in Monaſterio S. Vitoni, cui Richardus præerat : ubi &* Sabbato ſancto *ſepulta eſt* in clauſtro Monaſterii, *ut tradit idem Auctor cap. 9.*

Adalricus cum ſuis locum ſecretum petit. 1. TEMPORIBUS Hildrici *a* Imperatoris, erat quidam Dux illuſtris, nomine Adalricus *b*, qui etiam alio nomine Edichin * dicebatur, ex nobiliſſimis parentibus generis nomen ſortiens, Gallienſium territorio oriundus. Pater illius nomine Liuthericus *, in palatio prædicti Imperatoris honore Majoris-domus ſublimatus erat. Filius autem ejus cum eſſet juſtus, vitamque religioſam in laico habitu quamvis poſitus ducere cupiens, Dei inſpirante gratia cogitare cœpit, ut aliquem locum habitabilem ad Domini miniſterium implendum præpararet, ac arcanum ſui cordis fidelibus ſuis pandere præcepit. Qui jam conſilium ſui domini cognoſcentes ac voluntati ſuæ libenter ſatisfacientes, ſecretum tenuerunt, & tandem locum diu deſideratum requiſitumque manifeſtaverunt, dicentes venatores ipſius quemdam reperiſſe locum in præcelſi montis cacumine ſitum, cui nomen ab altitudine urbium * Houm-

* al. Etih
* al. Luithericus
* ſ. urbis

a Intellige Childericum Chlodovei ſecundi filium, quo exſtincto Liuthericus ſeu Leudeſius Erchinoaldi filius Major-domus effectus eſt, paullo poſt necatus, ut ſupra obſervatum.

b An alius ab Adalrico Duce, qui una cum Didone & Bobone Leodegarium comprehendiſse perhibetur ab anonymo ejus Vitæ ſcriptore.

Digitized by Google

CIRCA AN. 720 13. Dec.

Houmburch erat, qui ſibi aptus videretur fore ad implendum deſiderium ſuæ voluntatis, ſi ipſius venerabili paternitati placeret. Qui etiam olim propter firmitatem atque defenſionem ingruentium bellorum conſtructus MARCELLIANI *a* tempore Regis fertur eſſe. Præclarus igitur vir Dei eorum manifeſtationi conſenſum præbens, concite ipſum peragrans locum, diligenterque inveſtigans, Deo gratias referre cœpit, quod ſibi talem manifeſtare dignaretur manſionem, quæ tam competens aptaque eſſet ad explendum propoſitum ſui deſiderii. Moxque inibi Eccleſiam & cetera ædificia, quæ militantibus Chriſto neceſſaria ſunt, ædificari ordinavit.

ibi Eccleſiam condit.

2. Hujus ergo thalamis venerabilis conjux adhærebat ex nobiliſſimis progenitoribus orta, nomine BEREHSINDA *, ſicuti adſertione plurimorum didicimus, affinitate S. LEODEGARII redimita, ſoror beatiſſimæ SIGRANDÆ *b* matris ipſius ſanctiſſimi Leodegarii. Quæ quamvis lege conjugali ligata foret, tamen eleemoſynis & ceteris juſtitiæ operibus dedita, necnon & ſanctarum paginas ſcripturarum libenter audiens, Deo ſtudebat illibatum exhibere ſervitium, memor illius Apoſtoli: *Qui habent uxores, tamquam non habent ſint*. Judicio autem Dei præveniente contigit, ut ex eis nata eſſet filia a nativitate cœca. Pater autem ut audivit quia cæca nata erat, turbatus eſt in ſeipſo dicens, quia pro aliquo delicto eveniſſet, cogitans ut eam occidi præcepiſſet, dixit ad conjugem ſuam: Nunc cognoſco quia Deum in aliquo iratum habeo, quia hoc evenit mihi, quod ante nulli ex genere meo contigit. Juſſit ergo ut occideretur. Mater vero ejuſdem filiæ reſpondit dicens: Domine mi, noli eſſe triſtis: cognoſco, quia judicium Dei manifeſtandum eſt, quia ipſe Chriſtus reſpondebat diſcipulis ſuis de cœco nato interrogantibus dicens, quia hic neque peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo. Ipſe vero nolebat per hæc verba nullam conſolationem habere, ſed magis ac magis in corde ſuo dolebat, ſi hæc puella viveret: dixitque iterum ad conjugem ſuam, magnam ſibi verecundiam eſſe, quod filia ejus viſu oculorum fruſtrata eſſet. Et ideo præcepit ei, ut aliquem ſibi familiarem ſatageret quærere, per quem ipſa puella occideretur *c*, aut in eum locum duceretur, ubi manifeſtaretur nuſquam.

ex Berchſinda uxore ſuſcipit filiam cœcam,

* f. Berchſinda, al. Berſinda, & Perſinda.

1. Cor. 7. 29.

quam necari jubet, aut a ſe removeri.

Jo. 9. 3.

3. Mater vero magnis anguſtiis circumdata, juſſionem mariti non perficiens ſponte, huc illucque animo fluctuare cœpit, ignorans quid filiæ ſuæ facere debuiſſet. Tandemque animo ſuo dijudicavit melius eſſe, ut eam in peregrinationem mitteret vel in aliquod latibulum, quam per conſilium morti traderetur. Et obnixe ſtudebat Dominum deprecari, ut conſilium ſuæ gratiæ per Spiritum-ſanctum ei oſtendere dignaretur, qui mœrentium conſolator eſſe cognoſcitur. Tunc Domini inſpirante gratia recordari cœpit cujuſdam feminæ, quam ab infantia familiariter in domo ſua nutrierat, ſed propter aliquod delictum eo tempore de domo ſua ejecta erat: ſed jam marito conjuncta, filiam cum viro ſuo poſſidebat. Domina vero ejus audiens eam jam filiam habere, memorque priſtinæ familiaritatis, miſit nuntium ut eam ad ſe magna cum feſtinatione accerſiret. Quæ imperium ſuæ dominæ gratulanter amplectens, quod per nuntium mandaverat, velociter ad eam pervenit. Poſtquam ergo ſe mutuo viderentur, domina cum magna triſtitia ei cuncta replicando retulit, quæ vel qualiter dominus ejus ſuper filiam ſuam mandaverat. Ipſa autem famula ut audivit, quomodo domina ejus contriſtabatur, multum dolori ejus condolens dixit ad eam: Domina mea, Deo cara, noli te mœrore afficere propter filiam tuam, quia ipſe Dominus qui

Mater eam nutrici clam commendat.

a An Marcellianus Patricius Occidentis? qui Dalmatiam Illyrici occindentalis provinciam occupaviſſe, ac tenuiſse regia poteſtate dicitur apud Procopium anno 468. in Baſilici Ducis cui ſe adjunxerat exercitu confoſsus.

b SIGRADAM eam vocat Leodegarius in epiſtola matri inſcripta, relata in Seculo 2. poſt ipſius Vitam.

c Id rejicit Lazius in lib. 8. de tranſmigrationibus gentium. Et certe, ut juſſerit pater filiam cœcam longe a paterna domo nutriri; alienum eſt a viro (uti dicitur) religioſo tam atrox & inhumanum mandatum.

Digitized by Google

CIRCA AN. 720 13. Dec. qui eam ſecundum voluntatem ſuam creavit, potens eſt etiam in ea reſtaurare quod imperfectum eſt. Quod ſi veſtræ placuerit voluntati, tradite eam mihi ad alendum: meum enim erit Domino annuente eam perducere ad perfectam ætatem. Tunc venerabilis domina conſolatione ſuſcepta accepit puellam, & tradidit in manus ancillæ dicens: Tibi eam do ad nutriendum, & Domino meo JESU-CHRISTO commendo.

Palmam dein ſubduci curat, 4. Tunc ipſa gratulanter accepta puella remeavit in domum ſuam, & nutrivit eam fere per annum integrum, uſquedum ipſi vicini ſermocinarentur, cujus hæc filia eſſet, quam ipſa tam honorabiliter nutriret. Nutrix aut eorum agnitione comperta verborum, magno timore perculſa, quia hoc palam fieri timebat, quod occultare cupiebat; miſit nuntium & intimavit dominæ ſuæ, qualiter vicini ejus loquerentur. Ipſa autem ei remandavit, ut latenter properaret transfugere in alium locum, qui Palma *a* vocabatur, ibique ſecum ipſam puellam occultaret, adſerens ſe ibi habere quemdam amicam, quæ illi neceſſaria quibus indigeret largiretur. Tunc juſſionibus ejus latenter obtemperans, ad conſignatum pervenit locum, & in eodem Cœnobio ipſam puellam educavit, donec cuidam Epiſcopo nomine HERHARDO de partibus Bauvariorum Dominus in viſione mandavit dicens: Vade ad quoddam Monaſterium quod dicitur Palma, & ibi invenies puellam a nativitate cœcam: accipe eam, & baptiza in nomine trinæ Majeſtatis, imponens ei nomen ODILIA: & continuo poſt baptiſmum viſum recipiet. Ipſe ergo præceptum ſibi injunctum iter implere feſtinans, propere ad præfatum pervenit locum, ac omnia ſicut oſtenſum ei fuerat invenit. Tunc accepit ipſam puellam, & ſecundum mandatum ſibi datum eam in fontem ſanctificatum immerſit. Et cum eam a fonte ſancto elevaret, & oculos ipſius chriſmate liniret, illico ligaturis oculorum laxatis clare intendebat in faciem Antiſtitis. Sanctus ergo Dei famulus ingenti gaudio repletus, dignas Deo laudes ac gratias retulit, & eidem congregationi quomodo ei in viſione omnia oſtenſa ſunt patefecit, admonens & exhortans ancillam Chriſti, ut ſtrenue diligenterque curam Virginis Chriſto conſecratæ niterentur habere, & exinde oſculum pacis filiolæ ſuæ porrexit dicens: In regno æterno, ſuperna concedente clementia, liceat nobis denuo noſtros contemplari mutuo vultus. Ac his omnibus finetenus expletis ad patriam repedavit propriam.

ubi ab Herhardo baptizata Odilia, viſum recipit.

Pie iſtic educatur. 5. Sanctæ autem Moniales care Virginem Chriſti nutriebant, eique ut meditationi ſcripturarum operam daret injungebant. Tunc ſacra Virgo indepta oculorum viſione, ſtudebat in ſacra lectione ſollers, pervigil in oratione, in parcitate ſtrenua inſiſtere, ac eleemoſynis ſecundum propriam facultatem inſigniter deſervire, necnon culmine ſolidæ mentis omnes pompas mundani faſtus veluti pro nihilo deſpicere: quatinus expedita ab omnibus quæ mentem ipſius per illicita deſideria ſeducerent, illi ſoli liberius deſerviret, cujus militiæ ſe manciparet.

Patris in notitiam venit. 6. Patri autem ejus cœlitus oſtenſum eſt, quod filia ſua qua interimi decreverat *, & quomodo per Epiſcopum ſacro fonte abluta viſum recepiſſet. Antiſtes autem ignorans quod patri illius hæc omnia revelata fuiſſent, dum in patriam rediret, miſſo nuntio ad prædictum Ducem ei omnia quæ geſta erant intimavit, obſecrans obnixe, ut diſſenſionem quæ inter ſe & filiam ejus diabolo incitante erat, Deo opitulante diſrumperet, & in concordiam redire feſtinaret.

*ſupple viveret.

Monacharum odium paſſa, 7. Eximia ergo Odilia in Monaſterio poſita, Deo ſtudebat conſuetum impendere famulatum. Qua de re accidit, ut omnium malorum incentore inſtigante, quædam feminæ in ipſo habitu poſitæ, ſicut ſemper malorum eſt bonorum invidere actibus, eam odio habere inciperent. Ipſa vero nihil horum

a *Balma* recentioribus, Parthenon in Comitatu Burgundiæ, Veſontionem inter & Montem-Biliardæ, alius a Palma Monaſterio virorum in diœceſi item Veſontionenſi. Erardo ſocius in hoc facto adjungitur S. Hildulfus, ſupra.

Digitized by Google

horum curans, ſed omnia pro Dei amore amplectens, convivia * in Domini ſervitio augebat. Habebat autem fratrem decorum in domo patris ſui optime edoctum, quem & ipſe pater valde diligebat: illa autem eum in collocutione & contemplatione incognitum habebat. Tunc ergo ſcripſit epiſtolam, eamque globo coccineo involutam eodem germano per quemdam peregrinum tranſmiſit, implorans ejus fraternitatem, ut pro Dei amore, qui non ſolum propinquos & amicos, ſed etiam inimicos diligere jubet, recordari ſui dignaretur. Frater autem litteras a dilecta ſorore deſtinatas non ſolum ſuſcepit, verum etiam intente perlegit, & inde ſuum patrem allocutus eſt dicens: Domine mi cariſſime, præbeto pium auditum ſuaſionibus famuli tui clementiam ſupplicantis. Pater autem reſpondit dicens: Si ea quæ ad regnum pertinent poſtulaveris, incongruum eſt ut tibi adſenſus præbeatur. Cui ille reſpondit: Congruum eſt, ſi veſtræ placuerit paternitati quia nihil aliud poſtulo, niſi ut filiam veſtram, quæ nunc in extera gente omnium ſuorum deſtituta parentum conſiſtit ſolatio, revocari & veſtræ præſentiæ præſentari faciatis. Pater vero imperavit, ut de hac re omnino reticeret. Bonæ autem indolis adoleſcens dolori ſororis ſuæ compatiens, patre ignorante, miſſo curru, & ceteris quæ iter facientibus neceſſaria erant, fecit eam in proprium reverti locum.

CIRCA AN. 720 13. Dec.

* f. communia.

ſcriptis ad fratrem litteris,

patre haud annuente,

in domum paternam reducitur.

8. Eodem autem Duce una cum filio & ſuis hominibus conſedente in ædificio * ejuſdem urbis loco, qui ob etymologiam ipſius nominis *Houmburch* dicitur, contigit ut Odilia ſponſa Chriſti in curru ſedens, ſicut illis temporibus mos erat eundi, cum turba copioſa adveniret, ſicut ei frater diſpoſuerat. Ipſe vero elevatis ſuis obtutibus cernens multitudinem illam, percunctatus eſt quidnam hoc eſſet. Tunc adoleſcens reſpondit, quod filia ejus Odilia eſſet. Et ipſe inquit: Quis tam ſtolidus & temerarius fuit, qui eam revocare præſumſit ſine meo juſſu? Frater autem animadvertens quod jam latere non potuiſſet hoc quod fecerat, patri reſpondit: Ego famulus tuus, arbitrans quod in opprobrium nobis perveniret, ſi in tanta paupertate permaneret, multum illius afflictioni compaſſus revocavi eam. Sed nunc, pater, hoc mihi indulge, quia ſcio me nimis ſtulte egiſſe, quod eam ſine tuo revocare præſumſi imperio. Sed ipſe heu! male iracundia devictus, baculo quem manu geſtabat puerum percuſſit durius, quam ſibi voluntati eſſet. Tunc adoleſcens ex eodem ictu in ægritudinem decidit, vitamque finivit. Pater vero immanitatem reatus ſui conſiderans, ſemetipſum in lamentatione & abſtinentia affligere ſtuduit, & longa ſuſpiria extrahendo dixit: Væ mihi miſero quia filium meum interimendo ſuperni iram Judicis incurri. Ac deinceps uſque ad obitum ſuum in Monaſterio *a* perſeverans, Deum ſibi placare nitebatur dignis pœnitentiæ fructibus, & Sanctorum limina frequentando in ſpiritu contrito & corpore macerato eorum interceſſionem implorabat.

Iratus pater,

* f. in edito

filium fuſte cædit,

cujus necem expiat in Monaſterio.

9. Tunc ſuperna diſponente clementia recordatus eſt abjectionis filiæ ſuæ, eamque ad ſe accerſiri præcepit. Quæ cum accerſita veniſſet, aliquid mitius erga eam agere volens, tradidit eam Sanctæmoniali, quæ de Britannico territorio erat, & conſtituit ei dare quotidie ſtipendium unius ancillæ. Ipſa autem cum gratiarum actione hoc ipſum accipiens, in ipſo Monaſterio multo permanens tempore, nihil aliud habens quam quod una ancillarum habere conſuevit.

Filia ejus juſſu parce nutrita in Monaſterio.

10. Interim autem accidit, ut nutrix ejus de hoc ſæculo migravit. Ipſa autem non immemor eam quemadmodum ſuperius cum induſtria magna nutrierat, terram fodere ad ſepeliendum præcepit, & per ſemetipſam eam terræ commendare curavit. Contigit autem poſt ſpatium octoginta fere annorum, ut ſepulcrum quo prædicta nutrix ſepulta fuerat, evacuaretur ad aliud

ſepelit nutricem ſuam,

a Forte in Monaſterio *Eberſheim-munſter* dicto, quod ipſe Adalricus in inſula Noviento ad confluentes Rheni & Illæ ædificaſſe memoratur apud Lazium: cui Monaſterio Eberhardus Abbas primus præfectus, a quo nomen loco hæſiſse videtur. Refert Lazius primordiales litteras Theodorici Regis, cujus principatu Monaſterium ædificari cœptum.

Digitized by Google

circa an 720 13. Dec. eum mammilla integra poſt multos annos inventam. aliud corpus humandum. Tunc vero toto corpore putrefacto ac penitus in pulverem converſo, ſola dextera mammilla ita incorrupta & integra inventa eſt, acſi eodem in momento a corpore eſſet abſciſa. Hoc vero ad comprobandum ſacræ Virginis almitatem factum creditur: quia ſagax illius nutrix aliquid cœleſte comprehendens, de ſola dextra mammilla ei lac præbuerat, & per omne tempus lactationis eam lineo circumdatam habebat pallio.

Patri reconciliata, 11. Sancta autem Virgo eodem ſtipendio contenta, multn tempore in Monaſterio erat, nihil aliud habens, quod nec pater eam vocavit, nec ipſa non vocata ad eum ire præſumſit. Sed cum jam ſuperna pietas lucernam ſuam ſuper candelabrum ponere decreviſſet, ut intrantes domum lumen cernerent; accidit ut quadam die farinam in vaſculo ſubter pallio quo circumamicta erat portans, patrem intra ſæpta Monaſterii obviaret, tamque rigida depoſita mente per divinam inſpirationem eam allocutus eſt dicens: Filia mea cariſſima, unde venis & quo ire cupis, vel quid portas? Ipſa autem ſubſiſtens reſpondit: Parum farinæ ego, domine, fero, ut ex ea aliquid cibi faciam ad recreandos egenos. Ipſe autem: Noli, inquit, contriſtari quod hactenus in peregrinatione duxiſti vitam, quia Domino annuente in proximo eſt ut hoc exſuperes. Ac idem Monaſterium cum omnibus appendiciis in manibus ejus tradidit, obſecrans eam ut una cum ſancta congregatione Dominum ſedule pro ſuo facinore interpellaret.

Monaſterium ab ipſo accipit. ejus animam ab igne purgatorio eripit. 12. Et non multo poſt vivens tempore, diem ſortitus eſt extremum. Ipſa autem per judicium plurimorum & revelationem ſanctam agnovit, quod pater ejus in pœnali loco eſſet propter peccata, pro quibus in hoc ſæculo dignum pœnitentiæ fructum non fecit. Tunc illa ingenti mœrore propter interitum ſui patris vallata, in vigiliis, in orationibus, in jejuniis pro eo Dominum deprecari ſtuduit, recolens eum dixiſſe ſuis diſcipulis: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis*. (Marc. 11. 24.) Cum vero ſuperna pietas famulam ſuam de tanto mœrore conſolari vellet, ipſa orante in ſecreto latere ipſius montis, ſuper quem Monaſterium ſitum eſt, & illic ſe tanto ardentius, quanto liberius pro abſolutione ſui patris affligente, aperto cœlo tanta lux cœlitus emiſſa ſuper eam in oratione proſtratam emicuit, ut quædam pars ejuſdem Cellæ ex eodem ſplendore emicuiſſet, voxque ad eam facta eſt: Odilia Deo dilecta, jam angorem afflictionis a te compeſce, quia remiſſionem peccatorum patri tuo a Domino impetraſti. Ecce ab inferno *a* liberatus, in choro Patriarcharum collocandus ab Angelis ducitur. Beata autem Odilia hoc audiens, mox intulit dicens: Gratias tibi ago, Domine, quia me indignam, non meis meritis, ſed tua bonitate exaudire dignatus es.

Præeſt Sanctimonialibus 130. 13. Habebat etiam ſub cura ſui regiminis numerum Monialium quaſi centum triginta. Quibus dimiſcam * Mater duplici ſtuderet præeſſe doctrina, ut quas verbis inſtrueret, corroboraret exemplis; ſatagebat quotidie, ſe in divinis exercere obſequiis, illud apoſtolicum in mente recolens: *Ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*. (1. Cor. 9. 27.) Erat autem ſancta Odilia in oratione conſtans, divinæ lectioni intenta, in locutione moderata, in abſtinentia ſingularis, ita ut præter dies ſollemnes nihil aliud cibi ſumeret, niſi panem hordeaceum & legumina. (rigide vivit.) In lecto namque ſuo urſinam pellem habere, & pro plumatio capiti ſuo petram ſubponere conſuevit. Iſta autem faciendo non laudem requirebat humanam, ſed ſolam ſui Redemtoris inſpectionem: ac ideo cum magna occultatione omnia divina faciebat obſequia, recolens illum dixiſſe: *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua*, (Matth. 6. 3.) & reliqua huic ſimilia.

* ſ. dum ſancta

Xenodochium commodo loco extruit. 14. Monaſterium vero quod venerabilis Abbatiſſa gubernabat, ſicut jam prælibavimus, in excelſo monte erat conſtructum: & idcirco non ſolum debiles & infirmi, ſed etiam integritatem corporis habentes cum magna difficulta-

a Id eſt a Purgatorio, qui locus ſubterraneus non raro *infernus* appellatur.

cultate illuc adſcendebant. Tunc ſancta Dei famula dolens eos propter difficultatem itineris raro ad ſuum venire Cœnobium, cum & non haberet hoſpitalitatem præcipuam, convocavit omnem congregationem quam ſub ſuo habebat regimine, uti earum volens conſilio, dixit ad eas: Cernitis, dilectiſſimæ Sorores, quod aſperitas itineris magnum laborem adſcendentibus peregrinis & debilibus confert, & ideo pauci nos adeunt. Ego autem volo jubere, ſi veſtræ placuerit ſanctitati, in inferiori latere iſtius montis hoſpitalitatem ad recipiendos Chriſtianos ædificari. Tunc omnes reſponderunt, optimum ejus eſſe conſilium. Et accepta earum dilectione *, in primis ibi Eccleſiam conſtruxit, & eam in honore S. Martini dedicari rogavit, & deinde receptionem pauperum fecit. Placuit Sororibus habitatio illa, quia locus amœnus erat, & aquarum abundatione locuples: & poſtulaverunt ut ibi Monaſterium faceret, quia ſuperius Monaſterium in magna aquarum penuria ſitum erat. Illa autem conſilio illarum adſenſum præbens, ædificavit & ibi Monaſterium, ſicut & hodiernus comprobat dies.

CIRCA AN. 720 13. Dec.

* ſ. directione

tum aliud Monaſterium.

15. Factum eſt autem dum in eodem opere occupata eſſet, ut veniret quidam vir ad eam, portans in manu ſua tres virgas de arbore tilia, & dixit ad eam: Domna, accipe has tres virgas, & planta eas ut in poſterum ob memoriam tui habeantur. Illa autem accipiens, tres juſſit parari foſſas. Interim autem acceſſit ad eam una de Sororibus, & ait: Noli has plantare virgas, Domna, quia frequenter ex ipſa arbore naſcuntur vermes mali. Et illa: Noli, inquit, turbari, quia numquam aliud contrarietatis ex his arboribus veniet. Et tulit unam in manu ſua, & ait: In nomine Patris te planto. Et accipiens alteram dixit: Et te in nomine Filii. Et tertiam tulit dicens: Et te in nomine Spiritus-ſancti; myſterium Trinitatis complens. Quæ uſque hodie umbra ſua videntur in ardore æſtatis præſtare ancillis Chriſti magnum refrigerium, ſe per plurimum extendendo ſpatium.

Tres arbores plantat.

16. Erat autem ei conſuetudo peregrinas ad ſanctam converſationem ſuſcipere feminas, tam de Scotia, quam & de Britannia: necnon & viros religioſiſſimos ex diverſis provinciis venientes cum gaudio ſuſcipiebat, & ex eis ſibi Presbyteros ordinari rogavit. Et conſummavit utraque Monaſteria, & collocavit in eis Sanctimoniales. Et poſt hæc convocavit omnes Sorores, & rogavit eas ut ſibi indicarent, utrum Canonicam *a*, an Regularem vitam ducerere vellent. Tunc omnes unanimiter reſponderunt, ſe Regularem vitam velle ducere & converſationem habere. Illa autem cum humilitate & manſuetudine reſpondit dicens: Scio, meæ cariſſimæ Sorores & Matres, vos promtiſſimas eſſe ad omnia aſpera & dura pro Chriſti nomine toleranda: ſed timeo nos, ſi Regularem vitam elegerimus, maledictionem a ſucceſſoribus noſtris incurrere, quia iſte, ut ſcitis, locus valde incompetens eſt & laborioſus Regulari vitæ, adeo ut nec aqua niſi cum magno labore adipiſci poteſt hic. Unde mihi videtur, ſi veſtræ placuerit almitati, melius eſſe, ut in Canonico habitu conſiſtatis. Tunc omnes ſecundum illius verba elegerunt Canonicam Regulam, in qua uſque hodie in ſupradictis Monaſteriis degentes præcedentium normam ſequentes perſeverant. Illa autem ut cognovit quod Canonicam Regulam elegerunt, ait: Gratias tibi ago, Domine JESU-CHRISTE, qui me indignam, non meis meritis, ſed tua ineffabili clementia ex cæcitate per ſanctum Baptiſmum eripere dignatus es: te Domine ſupplico, ut hanc familiam tuam, cui me præeſſe feciſti, tua protectione ubique cuſtodias, & omnem cupiditatem carnalium deſideriorum ab eis avertas, ut tibi, Domine, toto niſu mentis illibatum ſtudeant ſemper impendere famulatum. Ipſa autem per adſcenſum ſanctarum virtutum quaſi bona abies in altum proficiebat.

Scottos & Brittones excipit,

eligit Canonicam vitam,

17. Et quamvis toto conamine omnes Sanctos ad auxilium ſibi ſatageret invocare, ſæpius tamen Reliquias S. Joannis Baptiſtæ frequentabat, eo quod

eccleſiam conſtruit S. Joanni Baptiſtæ,

a Id ſcribit Auctor habita ratione ſui temporis, quo Virgines Hoemburgenſes a monaſtico ad Canonicarum ſtatum deflexerant, ut ſuperius obſervatum.

CIRCA AN. 720 13 Dec.

quod in Baptiſmate viſum adepta fuerat. Unde etiam Eccleſiam in honore ipſius ædificare cogitabat. Sed quia per illius revelationem ſcire volebat, in quo ſibi Eccleſiam conſtrui prædeſtinaret; ante nocturnas horas conſurgens, ſecretum quem ſibi ad orandum elegerat locum petiit, ſeque in orationem ſuper unam prægrandem petram proſtravit, quæ ob memoriam ipſius, Crucis lineam geſtat non modicam. Dumque ibi in oratione ſe effudiſſet largiter, S. Joannes Baptiſta magna claritate comitatus dicitur apparuiſſe taliter, ſicut Salvator eſt in Jordane circumamictus. Una autem ſanctarum feminarum, cujus miniſterium erat horam divini officii prævidere, ſurgens foras egreſſa eſt, ut ſtellis contemplatis ſciret, ſi jam eſſet tempus ad ſignum nocturnale pulſandum. Videns tantam claritatem, ſcire volens quid hoc eſſet, pedetentim propius acceſſit. Cumque propius acceſſiſſet, nimio ſplendore perterrita, continuo ad proprium repedavit officium, nihilque ibi videre potuit, niſi ſanctam Virginem nimia claritate circumdatam: ſanctum autem Joannem minime vidit. Tunc ſanctus Joannes electæ Dei Virgini & locum ubi Eccleſiam conſtrui vellet, & quantum ſpatium in longitudine & latitudine habere deberet, patefecit. Finitis autem Nocturnis, & ſtatim extemplo eam Dei ancillam, quæ huic viſioni intererat, ad ſe convocavit, & ei interdixit ne ulli hanc ante obitum ſuum manifeſtaret viſionem, & hoc quod ipſam latebat, aperuit dicens: Claritatem quam vidiſti, non propter me, ſed propter S. Joannem Baptiſtam advenit, qui mecum loquendo præceptum Eccleſiæ ſibi conſtruendæ injunxit. Facto vero mane ingenti gaudio repleta, mox divinum quod ſibi oſtenſum fuerat opus facere inchoavit.

cœleſti nuntio admonita.

Eccleſia per miraculum abſoluta illic degit.

18. In ipſa autem inchoatione accidit miraculum, quod nequaquam arbitror ſilentio occultandum. Boves namque qui plauſtrum onuſtum petris ad fabricam Eccleſiæ trahebant, ab ipſo cacumine montis, quod a ſummo uſque deorſum ſpatio ſeptuaginta pedum vel amplius diſtabat, ceciderunt. Tunc omnes per deſcenſum illuc currentes, ut ſaltem eos ſi quid vitale in ſe haberent gladio jugularent, quatinus eorum carnibus veſci liceret; ſuffragantibus meritis S. Joannis Baptiſtæ boves illæſos plauſtrumque onuſtum repererunt, rurſumque eos per viam anguſtam quæ vix equis pervia eſt, ſurſum adſcendere plauſtrum trahendo ad prædictum opus fecerunt. Qua perfecta juxta eam dormitorium & ceteras officinas conſtrui juſſit, & ibi ipſa cum pace ſecretam vitam ducebat.

Neptes ſuas admittit ſecum.

19. Habebat etiam fratrem nomine ADALARDUM *a*, qui habebat tres filias, quarum una EUGENIA, alia ATALIA, tertia GUNLINDIS dicebatur. Quæ audientes opinionem ſanctæ Virginis, cogitaverunt & ipſæ per charitatem Dei mundum relinquere, & amitæ ſuæ ſe diſcipulatui mancipari: quatenus exemplis illius inſtructæ, perfecte diſcerent omnes voluptates carnalium deſideriorum in ſe edomare, & Domino JESU-CHRISTO dignam perſolvere ſervitutem, ut ſimul cum illa immarceſſibile æternæ vitæ præmium mererentur accipere. Illa autem ut audivit illarum deſiderium, libenter eas ſuſcepit, diligenterque edocuit.

Homicidium factum luget.

20. Poſt hæc contigit, ut quidam vir ex ſervitoribus ejus Monaſterii ipſius occideret fratrem. Tunc ipſa magnopere pro illius morte contriſtari cœpit, omniſque congregatio cum illa. Unde etiam Dominum rogabant, ut ipſe eam in eo qui eam tam fortiter contriſtavit vindicare dignaretur, melius eſſe dicentes, ut in præſenti dignam caſtigationem haberet, quam in futuro pœnam ſubiret. Quarum preces, ut poſteritas illius probat, ſubito exaudiri meruerunt: quia nullus poſtea ex ipſius genere humanam ſortitus eſt vitam, qui non aliquid in ſe debilitatis haberet.

Vino deficiente,

21. Evenit etiam, ut quadam die, ſicut conſuetudo in eodem Monaſterio erat, ſcilicet ut quotidie ſecundum ordinem virium jejunarent & pſalterium de-

a Et tamen Lazius loco citato non numerat Adalardum inter Adalrici filios quatuor, ſcilicet Adalbertum, Hettonem ex Augienſi Abbate Epiſcopum Strateburgenſem, Hugonem & Bataconem. Addit filias duas, Othiliam & Roſvvindam, utramque Sanctimonialem. Penes illum ſit fides.

Digitized by Google

decantarent, veniret dies jejunii. Dumque in oratione ſtando pſalterium me- CIRCA AN.
moriter explerent, acceſſit ad eam una de miniſtralibus, & dixit ad eam: 720
Domna, nobilitatem veſtram celare nequeo, quod unde conſororibus noſtris 13. Dec.
ex vino ſervire debemus defectum eſt, quia ſuper menſuram hodiernam nihil habemus. Tuum eſt enim prævidere quid de hoc agere debeamus. Illa autem: Noli contriſtari, filia, ſed habeto fiduciam, quia qui ex quinque panibus & duobus piſcibus tot millia hominum ſatiavit, potens eſt & ipſam parvam quam ſervare dignatus eſt menſuram, ſi ſuæ voluntati placuerit, multiplicare. Sed vade, & ſollicita eſto erga miniſterium tibi commiſſum,
& noli oblivıſci quod ipſe ait: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus*, Luc. 12. 31.
& reliqua. Tunc ipſa petita benedictione, ad ſuum remeavit officium. Tempore autem quo conſuetudo erat Sororibus vinum propinare, acceſſit ad vas Vas vinarium cœlitus impleri meretur.
vinarium, in quo parva menſura remanſit, quod ſecundum idioma Gallienſium *Wiugin* * vocatur: plenoque invento ſtatim reverſa, nuntiavit dominæ ſuæ quod factum fuerat. Illa autem convocatis Sororibus ait: Gratias agite * f. Winugin
Domino Jesu-Christo, qui non deſerit ſperantes in ſe, & nobis menſuram vini ſua benignitate multiplicare dignatus eſt, ut debitam illi ſervitutem ſine murmuratione impendere valeamus. Ac deinceps eas ex eodem vino lætabundas pro Dei charitate refecit.

22. Sancta ergo Virgo per plurima exercitia magis ac magis caſtigando, Morti proxima, orationes poſtulat,
ac de virtute in virtutem proficiendo, quotidianos profectus ſanctarum virtutum congregavit. Sed cum jam Dominus Sanctam ſuam tanto labore certaminis quieſcere, eique remunerationem quam in præſenti cum magna agilitate adquiſivit reddere decreviſſet, ſciens ſolutionem corporis ſui imminere, perrexit ad Eccleſiam ſancti Joannis Baptiſtæ, illicque omnibus accerſitis Sororibus, admonuit eas ut ſemper diligerent Dominum, obſecrans etiam earum ſanctitatem, ut tam pro ſe quam pro patre ſuo & ceteris propinquis Dominum ſedule interpellarent. Et his expletis juſſit eas in Oratorium exire, & ibi pſalmodiam celebrare: ipſa autem ſola ibi remanſit. Illis vero exanimis facta,
juſſionem illius implentibus & pſalmos cantantibus, ſancta illa anima a carne ſoluta eſt. Tanta autem fragrantia miri odoris illis adſperſa eſt, acſi omnis domus aromatibus plena eſſet. Dumque completa oratione reverſæ eſſent, ſpiritalem Matrem jam defunctam invenientes, nimio mœrore contriſtari cœperunt, quod tam ſancta egrediente minime intereſſe meruerunt, & quia earum dilectiſſima Mater antequam Viaticum acciperet ſpiritum exhalaſſet ſupremum. Dumque nimis anguſtiarentur, unanimiter in oratione pro- halitum recipit.
ſtratæ lacrymis ex intimo affectu profuſis Dominum rogare cœperunt, ut ſanctis qui animam ipſius deduxerant, Angelis imperaret eam iterum in corpus reſtitui. Mirumque in modum illis toto conamine orantibus, animaque repente in corpus recepta, ſancta Dei famula reſedit, ac eas allocuta eſt his verbis: O dulciſſimæ Matres & Sorores, quare mihi talem inquietudinem irrogare voluiſtis, ut animam pondere corruptionis exutam hoc quod ſemel amiſerat denuo reviſere juberet? Ego enim gratia annuente contubernio Luciæ virginis conjuncta, tanto gaudio perfruebar, quod nec lingua exprimere, nec auris audire, nec oculus intueri ſufficit. Illæ autem econtra ferebant, ſe Viatico ſumto,
hoc idcirco egiſſe, ne negligentia notarentur, ſi ipſa expers dominici corporis obiret. Cumque calicem in quo dominicum corpus & ſanguis habebatur, ſi- NOTA.
bi adferri juſſiſſet, propriis manibus eum accipiendo, ſancta communione participata, omnibus cernentibus animam reddidit. Ipſe autem calix in eodem moritur,
Monaſterio ob memoriam illius venerabilis facti eatenus permanet. Tunc Dei ancillæ ſacrum corpus cum magno honore ſepulturæ tradiderunt in ipſa Eccle- ſepulta in Eccleſia S. Joannis,
ſia, in dextro latere ante altare ſancti Joannis Baptiſtæ. Fragrantia miri odoris, quæ prius adſperſa erat, uſque in octavum diem inibi continuo conſiſtebat: ubi ſuperna pietate præſtante, intervenientibus meritis ſanctæ Dei Genitricis, nonnulla miracula poſt ejus obitum facta memorantur. Nec mirum videri debet, ſi ſe ſocietati ſanctæ Luciæ virginis atque martyris Chriſti conjun-

Digitized by Google

CIRCA AN. 720 13. Dec. junctam eſſe dicebat, quamvis ipſa per martyrium vitam ab aliis irrogatum non finierit: quia hoc quod carnem ſuam per tot aſpera & ardua edomare, immo macerare ſtuduit, conjici datur, nequaquam eam in cervicem ferrum renuiſſe ſubmittere, ſi ferocitas perſecutoris non deeſſet. Migravit autem ſancta Odilia, vel, ut ita dixerim, vitam in melius mutavit Idus Decembris *a*, regnante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Idibus Decembris.

CIRCA AN. 700 8. Sept.

DE SANCTO DISIBODO

CONFESSORE IN GERMANIA.

Vitæ auctor.

I. DISIBODI *res geſtas locis fere communibus amplificavit* S. HILDEGARDIS, *idque præſtitit rogatu* HELINGERI *Abbatis Monaſterii S. Diſibodi*, anno dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo, *ex Prologo: ubi ait*, ex divinæ ſapientiæ pietate *audiſſe ſe vocem de cœlo ea commemorantem*, *cum ipſa* corpore & animo vigilaret: *& iterum ſub finem ſuæ ſcriptionis:* Quæ autem, *inquit*, a nobis commemorata ſunt, ad gloriam nominis Dei & B. Diſibodi memoriam itemque audientium caſtigationem, per Spiritum-ſanctum veraci revelatione manifeſtata ſunt, quibus eæ, quas diximus, hominum fabuloſæ opiniones admiſcendæ non ſunt. *Integram lucubrationem edidit Surius, at more ſuo expolitam: nobis ſat erit deliberare capita quædam: iis qui plura volent, præſto eſt Surius.*

Compendium.

2. *Diſibodus in Hibernia natus, ibidem Epiſcopus fuiſſe dicitur. Pravis ſuorum moribus exagitatus & pulſus acceſſit in Alamanniam.* Poſt decem peregrinationis ſuæ annos *ſubſtitit in pago Moguntiacenſi. Tranſmiſſo fluvio, quem* Glan *vulgus appellat, ſubiit in* montem excelſum ac ſilvigerum *cum tribus ſociis* Giſvaldo, Clemente & Saluſtio, qui ſe ex Hibernia ſecuti fuerant. In montis deſcenſu ad Orientem, propter aquæ commodum, ſibi habitationem deſignavit: vitæque inſtitutum quod diu concupierat, ſtrenue inchoans, orando, vigilando, jejunando, dure & aſpere ſolitariam illic vitam duxit. *Dein* fama ſanctitatis ejus per totam regionem volitante, quidam religioſi homines ad eum venere, parvumque Oratorium in montis deſcenſu verſus Orientem ei ædificarunt, in quo divina Officia cum ſuis celebraret: alii autem ad Occidentem in planitie pedis ejuſdem montis vepres & frutices exſtirpantes, beato viro hortos & pecudum paſcua parvaque tuguria apparârunt. Propter eos frutices, quos vulgo ſtudinos vocant, locus ille initio dictus eſt *Studernheim*. Inde factum eſt, ut Principes & nobiles opulentique homines, cum reliquo ejus regionis populo, montem illum cum omnibus finibus ejus ultra decurrentes fluvios Naham & Glan, in longum & latum, ei & poſteris ejus donarent, ut piis hominibus illic congregatis vitæ degendæ neceſſaria affatim ſuppeterent.

3. *Poſtea Diſibodus* diu noctuque multum æſtuans, ſecum animo reputabat, quemadmodum ex longo tempore deſideraſſet rationem aliquam invenire, qua locum quemdam poſſet obtinere, ubi religioſos & aſperioris vitæ ſtudioſos viros colligeret. Agente autem Spiritu-ſancto omne animi ſtudium & voluntatem ad vitam & doctrinam S. BENEDICTI, qui jam ad Deum tranſierat, & quoſdam beatos viros, ſanctæ inſtitutionis ſuæ fideles adminiſtros, iis temporibus adhuc ſuperſtites reliquerat, appulit, & ad longinqua loca, ubi ea inſtitutio religioſe & ſancte colebatur, nuntios miſit, ſupplices preces offerens, ut quidam ad ipſum venirent, vineam Domini Sabaoth ad præſcriptum doctrinæ beati BENEDICTI plantaturi. Is

a Annus nullo certo charactere definiri poteſt. Odiliam tamen ad annum fere 720. perveniſse veri ſimile eſt ex dictis ſupra de ætate Hidulfi & Erardi.

Digitized by Google

Is enim ſanctus Pater Benedictus Regulam, quæ ſpiritalibus hominibus eſſet accommodata, e Sanctorum vitis ſancto Spiritu docente & oſtendente condiderat. Ita ergo quamplurimos beatus Diſibodus ejuſmodi inſtituti & converſationis viros religioſos ad ſe adduxit, quibus etiam Oratorium & congrua domicilia in montis ſupercilio, propter difficilem & arduum acceſſum, contra Orientem conſtruenda curavit, ne adventantis populi ſtrepitu interturbarentur, & fervor atque vigor inſtituti quotidiana eo confluentium viſitatione diſſolutus & enervatus, in deſidiam & ſegnitiem abiret. Porro ipſe ſolitarius permanſit in domicilio & Oratorio illo, quod in montis deſcenſu ad Orientem exſtructum erat, ut ad occurſantia omnia paratus eſſet, & ſupervenientibus pro cujuſque ratione & conditione opportuna poſſet reſponſa dare. *Monachorum religionem ubi* ſæculares homines didicere, ex tota illa regione occurrerunt, & quidquid ille inchoaverat perfecere. Atque hac ratione effectum eſt, ut beata illa congregatio annis duodecim ad quinquageſimum uſque perfectorum Fratrum numerum excreverit.

CIRCA AN. 700 8. Septemb.

4. Duxit autem vir ſanctus inter ſuos vitam eremiticam, quæ eſt radix vitæ monaſticæ vel cœnobiticæ. *Attamen* ſui vivente illo alium Magiſtrum non requirebant, maxime cum ejus juſſu & voluntate tales inter ſe haberent, qui ipſos ſine offenſione & murmure per iter rectum dirigerent. Habitum autem monaſticum quo ejus congregationis Fratres utebantur, ipſe non induit. Permiſerat enim illis vivere ad propoſitum Regulæ S. Benedicti, cum ipſe ſeverius & magis arduum vitæ genus ſequeretur. Idcirco autem habitum illum ſumere noluit, ne ſi Fratribus habitu ſimilis eſſet, nec tamen quidquam remitteret de ſuæ vitæ aſperitate & rigore in jejuniis, vigiliis, ceteriſque carni moleſtis exercitiis; ipſorum inſtituto derogare, & vivendi communem modum evertere videretur. Nam quoad vixit, viliſſimo alimento, quod corpori ſuſtentando vix ſufficeret, & aſpero duroque indumento, ſicut e ſua terra peregrinaturus exierat, frequenter utebatur.

5. *Denique in morbum incidit*, & ingraveſcente dolore finem ſuum jam imminere ſignificavit: atque ita poſt multos exantlatos labores, poſt multas toleratas cruces & afflictiones, anno ætatis ſuæ octogeſimo primo, octavo Idus Julii a corpore migravit. Tumulatus autem eſt in exiguo ſui Oratorii, quod ipſe ſibi paraverat, umbraculo. *Hæc de vita S. Diſibodi ſcripſit Hildegardis Abbatiſſa ſanctiſſima Ordinis S. Benedicti, de qua infra.*

6. *His ſubjungit varios caſus Monaſterii S. Diſibodi, in quo regionis incolæ munimentum condidiſſe feruntur adverſus barbarorum excurſiones, Monachis interea alio amandatis: qui poſtliminio revocati, locum illum denuo incolere cœperunt.* Deinde cum majoribus natu & ſapientibus ejus provinciæ communicato conſilio, accedente etiam conſenſu & auctoritate Bonifacii Moguntinæ ſedis Antiſtitis, tempus & diem præfixere, quo B. Diſibodi oſſa levarent. Præſente eo quem diximus Antiſtite itum eſt ad beati viri ſepulcrum, & cum magna veneratione oſſa ejus & cineres inde ſublata ſunt, & de Oratorii umbraculo in Monaſterium, ad occidentalem fere ejuſdem montis plagam conditum eſt. *Locum poſtea ſæculares homines occupavere: eumque rurſus Moguntinus Archiepiſcopus, Willigiſus ſcilicet, Monachis reſtituit.*

7. *Præter Hildegardem cujus hactenus ſententias retulimus, nemo veterum, quos legerim, Diſibodi mentionem facit præter Hrabanum Maurum & Marianum Scotum: quibus e poſterioribus Tritbemius accedit. Marianus Scotus, aut forſan Dodechinus Monaſterii S. Diſibodi Abbas, Mariani continuator, de S. Diſibodo ita ſcribit ad annum* 674. Hibernia inſula ſanctis viris plena habetur: de qua beatus Pater noſter Diſibodus Epiſcopatu abdicato cum pleriſque ſociis egreſſus, hunc locum inhabitavit, & divinis laudibus hic ſe a Fidelibus venerari apud Deum promeruit. *In mſſ. Annalibus Trevirenſibus invenio*, Ingobertum, Diſigotum, Wandelinum, Karileſum *cum aliis* ſuper montem Colenam ſeu S. Pauli claruiſſe *pontificatu Magnerici Epiſcopi Trevirenſis: an Diſigoti nomine intelligendus Diſibodus; qui eo in monte vixerit*

CIRCA AN. 700 8. Septemb. ante aditum Maguntiæ ſolum? *Hrabanus Maurus in Martyrologio celebrat S. Diſibodum* 6. Idus Septemb. *in hæc verba :* In ſuburbanis Magontiacenſis Eccleſiæ natale S. Diſibothi Confeſſoris. *Hrabani auctoritas Hildegardi præferenda videtur, ſcribenti Diſibodum obiiſſe* 8. Idus Julii, *qui dies forſan elevationis fuerit, Pippini Regis ævo celebrata. Præterea in prædicto Martyrologio nulla fit mentio de S. Diſibodi epiſcopali dignitate. Unde oritur ſuſpicio, num ei (quod pluribus aliis accidit) adfictum fuerit Epiſcopi vocabulum. Ceterum quod Hrabanus ait, Diſibodi natale celebrari* in ſuburbanis Magontiacenſis Eccleſiæ; *cave id intelligas more uſitato, quaſi in Maguntiæ ſuburbiis ſitum fuerit S. Diſibodi Monaſterium.* Monaſterii ſitus. *Nam* ſuburbanorum *nomine veteres nonnumquam deſignabant totum territorium, tractum, ſeu ditionem alicujus civitatis, ut in Actis S. Euſtaſii Abbatis & S. Salabergæ demonſtravi Sæculo* 2. *Certe Monaſterium S. Diſibodi erectum eſt* in diœceſi Moguntina, in Comitatu Spanheimenſi, duobus a Cruciniaco *, & uno a Monaſterio Spanheim miliaribus, ubi Nahus & Glanus confluunt, *teſte Joanne Trithemio in lib.* 1. *Compendii Annalium. Naba fluvius,* vulgo la Nahe, *augetur Glano * a dextra, deinde influit in ſiniſtram Rheni ripam apud Bingium *, ubi Hildegardis in monte S. Ruperti dicto conſtruxit Cœnobium Virginum, quibus illa præfuit, poſtquam in monte S. Diſibodi a B. Jutta educata fuerat.*

* Creutznach * Glan * Bingen

8. varii ſtatus. *Poſt Vvilligiſum Archiepiſcopum Magontiacenſem Ruthardus ejuſdem ſedis Antiſtes curavit inſtaurari Monaſterium S. Diſibodi, referente Dodechino his verbis :* Anno 1109. cœptum eſt novum Monaſterium conſtrui in monte S. Diſibodi. Piæ namque memoriæ Burchardus Abbas divi Jacobi Moguntiæ, quem dominus Archiepiſcopus Ruthardus Eccleſiæ beati Diſibodi primum Abbatem præfecerat, pridie Kalend. Julii primum fundamenti lapidem juſſu præfati Præſulis poſuit. *Trithemius addit in Chronico Hirſaugienſi:* acceptiſque de monte S. Jacobi Monachis, conventum juxta Regulam ſanctiſſimi Patris Benedicti inſtituit. *Dodechinus ad hæc :* Anno 1138. die Paraſceve Paſchæ, calendis Aprilis, poſt celebratas matutinas, mox a Fratribus apertum eſt ſepulcrum ſanctiſſimi Patris noſtri Diſibodi, præſentibus venerabilibus perſonis, domino ſcilicet Conone, ipſius loci quarto Abbate, domino Gerardo Abbate S. Maximini cariſſimo, & domino Bernhelmo primo Abbate in Spanheim, cum omni congregatione ejuſdem Eccleſiæ : ab uno Fratre ſigillatim allatæ ſunt foras ejuſdem Patris reliquiæ. Repertæ ſunt autem in veteri Monaſterio, ubi reconditæ fuerant a domino Willigiſo Archiepiſcopo. *Eadem fuſius apud Trithemium in præcitato Chronico. Nunc Monaſterium S. Diſibodi ſæcularibus Canonicis ſubjectum eſt.*

CIRCA AN. 705 23. Sept.

DE SANCTO ADAMNANO

ABBATE HIIENSI IN SCOTIA,

Ubi de alio ADAMNANO Monacho Coludienſi.

1. Adamnanus Hiienſis Abbas. ADAMNANUS *ſeu* Adomnanus, *quem alii* Adamannum, *corrupte* Adamandum *vocant; in Monaſterio Hiienſi ſeu ſancti Columbæ ſub finem ſæculi ſeptimi floruit. Iſtud Monaſterium ſitum erat in inſula Hii, contermina Hiberniæ ac provinciæ Pictorum, quæ vulgato* Scotiæ *nomine noſtro ævo appellatur. Poſt Columbam, de quo in Sæculo primo egimus, locum rexere* Baitheneus, Segeneus, *aliis* Segienus Segenuſve, & Failbeus, *cui ſucceſſit* Adamnanus. *Hæc conſtare videntur ex Actis ſancti Columbæ,* quæ

quæ Adamnanus tribus libris deſcripſit, ubi ſe ipſe exprimit Adomnanus *non ſemel: tametſi* Adamnanus *dicitur apud Bedam, & in libris de locis ſanctis. Baitheneum ſucceſſorem ſuum dixit* Columba *in extrema vitæ ſuæ periodo, quæ anno* 598. *accidit. Segienus Baitheneo ſuffectus eſt ab anno* 622. *ad* 652. *ut ex Annalibus Ultonienſibus probat Uſſerius in Sylloge Hibernicarum epiſtolarum. Is eſt Segeneus ſeu Segeneus, qui in epiſtola Romani Cleri ad Hibernicum nominatur, & cui* ERENEUS ille famoſus per omnes Scotiæ Eccleſias *quædam de ſe ipſo ab Columba* prophetata *enarraſſe perhibetur in lib.* 1. *de vita ſancti Columbæ: quo in loco Adomnanus* Failbeum deceſſorem ſuum *memorat*. CIRCA AN. 705 23. Sept.

2. *Adamnanus iſte laudatur a Beda in lib.* 5. *cap.* 16. *in hæc verba:* Quo tempore plurima pars Scottorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Britannia, rationabile eccleſiaſticum paſchalis obſervantiæ tempus Domino donante ſuſcepit. Siquidem ADAMNAN Presbyter & Abbas Monachorum qui erant in inſula Hii, cum legationis gratia miſſus a ſua gente veniſſet ad ALDFRIDUM Regem Anglorum, & aliquamdiu in ea provincia moratus videret ritus Eccleſiæ canonicos; ſed & a pluribus qui erant eruditiores, eſſet ſollerter admonitus, ne contra univerſalem Eccleſiæ morem vel in obſervantia paſchali, vel in aliis quibuſcumque decretis cum ſuis pauciſſimis in extremo mundi angulo poſitis vivere præſumeret; mutatus mente eſt, ita ut ea quæ viderat & audierat in Eccleſiis Anglorum, ſuæ ſuorumque conſuetudini libentiſſime præferret. Erat enim vir bonus & ſapiens, & ſcientia Scripturarum nobiliſſime inſtructus. Qui cum domum rediſſet, curavit ſuos qui erant in Hii, quive eidem erant ſubditi Monaſterio, ad eum quem cognoverat, quemve ipſe toto ex corde ſuſceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Navigavit Hiberniam, & prædicans eis ac modeſta exhortatione declarans legitimum Paſchæ tempus; plurimos eorum & pene omnes qui ab Hiienſium dominio erant liberi, ab errore avito correctos ad unitatem reduxit catholicam, ac legitimum Paſchæ tempus obſervare perdocuit. Qui cum celebrato in Hibernia canonico Paſcha ad ſuam inſulam revertiſſet, ſuo quoque Monaſterio catholicam temporis paſchalis obſervantiam inſtantiſſime prædicaret, nec tamen perficere quod conabatur poſſet; contigit eum ante expletum anni circulum migraſſe de ſæculo, divina utique gratia diſponente, ut vir unitatis & pacis ſtudioſiſſimus ante ad vitam raperetur æternam, quam redeunte tempore paſchali graviorem cum eis, qui eum ad veritatem ſequi nolebant, cogeretur habere diſcordiam. Paſcha ſuſcipit catholicum.

3. *Aldfridus, ad quem Legatus miſſus eſt Adamnanus, Rex erat Nortanbumbrorum, Egfridi filius ac ſucceſſor, is qui anno* 705. *vitam abſolvit. Adamnanus vero catholicis partibus acceſſit hortante potiſſimum* CEOLFRIDO *Abbate Vviremuthenſi, uti Ceolfridus ipſe teſtatur in epiſtola ſua ad Naitonum Regem ſcripta apud Bedam in lib.* 5. *cap.* 22. Neque vero me hæc ita proſecutum exiſtimes, quaſi eos qui hanc tonſuram habent, condemnandos judicem, ſi fide & operibus unitati catholicæ faverent: immo confidenter profiteor, plurimos ex eis ſanctos ac Deo dignos exſtitiſſe. Adamnanus Abbas & Sacerdos Columbienſium egregius, cum Legatus ſuæ gentis ad Aldfridum Regem miſſus, noſtrum quoque Monaſterium videre voluiſſet, miramque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, religionem oſtenderet, dixi illi inter alia colloquens: Obſecro, ſancte Frater, qui ad coronam te vitæ quæ terminum neſciat tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? & ſi beati Petri conſortium quæris, cur ejus quem ille anathematizavit, tonſuræ imaginem imitaris? & non potius ejus, cum quo in æternum beatus vivere cupis, etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monſtras? Reſpondit ille: Scias pro certo, Frater mi dilecte, quia etſi Simonis tonſuram ex conſuetudine patriæ habeam, ſimoniacam tamen perfidiam tota mente deteſtor ac reſpuo: beatiſſimi autem Apoſtolorum Principis, quantum mea parvitas ſufficit, veſtigia ſequi deſidero. At ego: Credo, inquam, quando & per quem.

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23. Sept. quam, vere quod ita ſit: ſed tamen indicio ſit, quod ea quæ Apoſtoli ſunt Petri in abdito cordis amplectimini, ſi quæ ejus eſſe noſtis, etiam in facie tenetis .·.·. Hæc tum Adamnano dixi: qui quidem quantum conſpectis Eccleſiarum noſtrarum ſtatutis profeciſſet, probavit, cum reverſus ad Scotiam multas poſtea gentis ejuſdem turbas ad catholicam temporis paſchalis obſervantiam ſua prædicatione correxit: tametſi eos qui in Hii inſula morabantur Monachos, quibuſque ſpeciali Rectoris jure præerat, necdum ad viam ſtatuti melioris reducere valebat.

Benedictinus. 4. *Ex duobus locis iſtis intelligimus primo, Adamnanum hortatu Ceolfridi (ut jam dicebam) adductum eſſe ad Romanos ritus: deinde eum aliquamdiu moram egiſſe in Monaſterio Vviremuthenſi, ubi Regulæ Benedictinæ, quæ inibi ſervabatur, mores hauſit ſuſcepitque cum ritibus Romanis. Ea enim erat illorum temporum conſuetudo penes Monachos, ut qui Scottorum tonſura abjecta Romanam ſuſcipiebant cum legitima Paſchatis obſervatione, ii Benedictinis ſeſe Inſtitutis conformarent. Teſtes ea de re ſunt Monachi Lindisfarnenſes in Britannia inſula, Landevvenecenſes in Armorica, Luxovienſes in Gallia. Præterea ex iiſdem locis apparet, Adamnanum mortuum eſſe paullo poſt ſuam legationem ad Aldfridum, anno* 705. *defunctum, teſte Beda in lib.* 5. *cap.* 19. anno regni ſui vigeſimo necdum impleto. *Ad hæc, ipſum Adamnanum a Ceolfrido* Rectorem Columbienſium Monachorum *appellari &* Sanctum: *quo etiam nomine appellatur apud Alcuinum in epigrammate quodam;*

Sanctus.

Patricius, Cheranus, Scottorum gloria gentis,
Atque Columbanus, Congallus, Adomnanus atque,
Præclari Patres, morum vitæque magiſtri.
Hic pietas precibus horum nos adjuvet omnes.

Quæ videtur inſcriptio altaris cujuſdam fuiſſe, uti & alia fere epigrammata. Certe Adamnanus in faſtis noſtris colitur 9. *Kal. Octobris.*

alius ab Adamnano Monacho Coludienſi. 5. *Colitur & alius Adamnanus* 6. *Kal. Januarii, qui Monachus vixit in Cœnobio Coludienſi, cui præerat ſancta Ebba Abbatiſſa,* amita Egfridi Regis, *quæ* Sanctimonialis habitum ab Antiſtite Wilfrido, *Regulæ noſtræ propagatore eximio,* acceperat, *auctore Beda in lib.* 4. *cap.* 1. *Erat Monaſterium iſtud, ut cetera Sanctimonialium paſſim, duplex, virorum æque ac puellarum,* poſitum in loco quem Coludi urbem nominant, *inquit Beda, in Merchia Scotiæ recentioris regione,* Coldingham *modo appellatam.* Erat in eodem Monaſterio vir de genere Scottorum, ADAMNANUS vocabulo, ducens vitam in continentia & orationibus multum Deo devotam, ita ut nihil unquam cibi vel potus, excepta die dominica & quinta ſabbati, perciperet, ſæpe autem noctes integras pervigil in oratione tranſigeret. Quæ quidem illi diſtrictio vitæ artioris primo ex neceſſitate emendandæ ſuæ pravitatis obvenerat: ſed procedente tempore neceſſitatem in conſuetudinem verterat: *& cetera quæ Beda fuſe commemorat in lib.* 4. *cap.* 25. *ubi Adamnanus Ebbæ Abbatiſſæ incendium ſui Monaſterii prædixiſſe perhibetur. Cave ergo confundas iſtum Admnanum Monachum Coludienſem (ut jam erratum a multis eſt) cum Adamnano Abbate Hiienſi, de cujus lucubrationibus quædam obſervanda.*

quæ ſcripſerit. 6. *Adamnanus Abbas, præter Vitam ſancti Columbæ Abbatis, quam in tres libros digeſſit,* ſcripſit de locis ſanctis librum legentibus multis utiliſſimum, *ait Beda in lib.* 5. *cap.* 16. cujus auctor erat docendo ac dictando Galliarum Epiſcopus ARCULFUS, qui locorum gratia ſanctorum venerat Hieroſolymam. *Quis fuerit* ARCULFUS *ille, quiſve* PETRUS *ejus ſocius ac dux itineris, incompertum: tantum ſcimus Arculfum* Epiſcopum Gallum *fuiſſe; Petrum* Eremitam e Burgundia ortum. *Adamnani librum, id eſt opuſculum de locis ſanctis, in tres libros diſtinctum, dudum perquiſivi, ac reperi tandem in mſ. codice Corbeienſi; ſed mutilum ac imperfectum. Revolvendo tomum* 1. *Bibliothecæ novæ Labbeanæ incidi in eum locum, ubi Labbeus indicat ex ſchedis Sirmondi, exſtare libros illos manu deſcriptos in Bibliotheca Vaticana. Scripſi ea de re ad noſtrum Antonium Durbanum amicum & popularem meum, qui res Congregationis no-*

Digitized by Google

nis noſtræ in Curia Romana procurat. Luſtravit ille Bibliothecam Vaticanam, invenit apographum diu deſideratum, & codicis Corbejenſis lacunas & hiatus ſupplevit: monuitque inſuper Adamnani opuſculum de locis ſanctis in Bibliotheca Barberina reperiri editum Ingolſtadii anno 1619. opera & ſtudio Jacobi Gretſeri Theologi ac Presbyteri Societatis JESU. *Ejus editionis exemplum tandem a V. C. Raimundo Formentino Doctore Sorbonico accepi cura ac providentia V. C. Antonii Vionis Herovallii, qui litteratorum ſtudiis invigilare non ceſſat. At quia iſtius editionis exempla in his partibus adeo rara ſunt, ut vix cuiquam nota eſſet hæc editio; e re litteraria eſſe exiſtimarunt viri eruditi, ſi iſtos Adamnani libros recuderemus. Quod & locus ſuaſit, & Adamnani memoria, his libris illuſtrior futura. Gretſerus e regione textus Adamnani oppoſuerat textum Bedæ, qui librum de locis ſanctis ex Adamnani ſcriptione collegerat. Nobis ſat viſum eſt ſolum reddere Adamnanum cum figuris quatuor, quarum quarta deeſt apud Gretſerum, aliæ imperfectæ ſunt. Ratus eſt librorum numerus in exemplaribus, ſed non ſeries capitulorum, quæ variat apud Gretſerum & in codicibus Vaticano & Corbejenſi.* CIRCA AN. 705 23. Sept.

7. *Adamnani libris ſubjiciendum viſum eſt Itinerarium cujuſdam Franci in loca ſancta, factum ſæculo nono jam inclinante, pontificatu ſcilicet Nicolai primi. Eo in Itinerario fit mentio ignis illius, qui quotannis in ſabbato ſancto lampadas ſepulcri dominici cœlitus accendebat: qua de re nulla mentio in libris Adamnani, frequens tamen apud hiſtoricos, qui de bello Hieroſolymitano poſtea cripſerunt: tametſi nullum, qui ejus rei meminerit, legi auctorem hoc Anonyſmo antiquiorem. Id inter conſueta miracula commemoravit V. C. Carolus Freſnius Cangii dominus in Notis ad Annam Comnenam pag. 389. adſtipulantibus in primis Rodulfo Glabro in lib. 4. cap. 6. Vvillelmo Malmesburienſi in lib. 4. de Regibus Anglorum cap. 2. duobus in locis, ſectione 35. & 48. Chronico Andrenſi in tomo 9. Spicilegii pag. 465. Chronico Monaſterii de Fontanis cap. 4. in tomo 10. Spicilegii: quos locos idem vir humaniſſimus mihi indicavit. Vvillelmi Malmesburienſis locus primus adſcribendus hic eſt, quo diſcimus Auctorem poſterioris Itinerarii eſſe* BERNARDUM *Monachum Francum, eumque in loca ſancta profectum anno 870 Sic enim habet Vvillelmus de Hieroſolymis agens:* Ibi decenti opere compacta Eccleſia ſancti ſepulcri capax, a Conſtantino Magno ædificata, nullam unquam ab inimicis Fidei tulit injuriam, metu (ſicut conjicio) pro igne cœleſti perculſis, qui quotannis in vigilia Paſchæ ſerenus infulget. Quod miraculum quando cœperit, vel ſi ante tempora Saracenorum fuerit, nullius hiſtoriæ cognitione diſcernitur. Legi ego in ſcripto BERNARDI Monachi, quod abhinc annis ducentis quinquaginta, id eſt anno Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo idem Hieroſolymam profectus, ignem illum viderit, hoſpitatuſque fuerit in xenodochio, quod idem glorioſus Carolus Magnus conſtrui juſſerat, ubi & bibliothecam ingentis expenſæ compegerat; *& infra:* Verumtamen quia Bernardus THEODOSII tunc Patriarchæ nomen non tacet, ipſa me monet occaſio, ut omnia Patriarcharum nomina proponam. *Hæc omnia conveniunt in poſterius Itinerarium, cujus proinde Bernardum Monachum auctorem certo pronuntiare non vereor: tametſi nomen deeſt in codice Remigiano, quo uſus ſum. Quis vero fuerit Bernardus ille, forſan aliquando adſequi licebit. Jam Adamnani libros videamus.*

CIRCA AN. 705 23. Sept.

ADAMNANI ABBATIS HIIENSIS LIBRI TRES

De locis ſanctis, ex relatione ARCULFI Epiſcopi Galli.

Ex mſſ. codicibus Vaticano & Corbejenſi, & editione Gretſeri.

PROLOGUS AUCTORIS.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, texere librum de locis incipio ſanctis. ARCULFUS ſanctus Epiſcopus, gente Gallus, diverſorum longe remotorum peritus locorum, verax index & ſatis idoneus, in Hieroſolymitana civitate per menſes novem hoſpitatus, & locis cotidianis viſitationibus peragratis, mihi ADAMNANO hæc univerſa quæ infra craxanda ſunt experimenta diligentius perſcrutanti, & primo in tabulas deſcribenti, fideli & indubitabili narratione dictavit, quæ nunc in membranis brevi textu ſcribuntur.

CAPITULA LIBRI PRIMI.

CAPUT I. *De ſitu Hieruſalem.*
II. *De eccleſia rotundæ formulæ ſuper ſepulcrum ædificata.*
III. *De ipſius ſepulcri figura & ejus tegurioli.*
IV. *De ipſo lapide qui ad oſtium monumenti advolutus eſt.*
V. *De eccleſia B. Mariæ ſemper virginis, quæ rotundæ eccleſiæ cohæret.*
VI. *De illa eccleſia quæ in Calvariæ loco conſtructa eſt.*
VII. *De baſilica Conſtantini vicina ſupradictæ.*
VIII. *De alia exedra intra eccleſiam Calvariæ.*
IX. *De lancea militis, qua latus Domini ipſe pupugit.*
X. *De ſudario illo quo Domini caput ſepulti contectum eſt.*
XI. *De linteo quod (ut fertur) ſancta contexuit* MARIA *virgo.*
XII. *De alia ſumma columna in illo poſita loco, ubi cruce Domini ſuperpoſita mortuus revixit juvenis.*
XIII. *De Eccleſia S. Mariæ in valle Joſaphat fabricata, in qua monumentum ejus habetur.*
XIV. *De turre Joſaphat in eadem conſtructa valle.*
XV. *De monumentis Symeon & Joſeph.*
XVI. *De ſpelunca in rupe montis Oliveti habita contra vallem Joſaphat, in qua quatuor menſæ & putei ſunt duo.*
XVII. *De porta David.*
XVIII. *De illo loco in quo Judas Scariothes laqueo ſe ſuſpendit.*
XIX. *De forma grandis baſilicæ in monte Sion fabricatæ, & de ipſius montis ſitu.*
XX. *De agello illo qui Hebraice Acheldemach vocitatur.*
XXI. *De aſperis, & petroſis locis ab Hieruſalem uſque ad civitatem Samuhelis late patentibus, & uſque ad Cæſaream Palæſtinæ Occaſum verſus ſuccedentibus.*
XXII. *De monte Olivarum.*
XXIII. *De loco dominicæ Adſcenſionis, & de eccleſia in eo ædificata.*
XXIV. *De ſepulcro Lazari, & eccleſia ſuper illud conſtructa, & de Monaſterio eidem adhærente.*
XXV. *De eccleſia ad dexteram Bethaniæ partem conſtructa.*

DE LOCIS SANCTIS OCCIPIT LIBELLUS I.

CAP. I. De ſitu Hieruſalem.

DE ſitu Hieruſalem nunc quædam ſcribenda ſunt pauca ex his, quæ mihi ſanctus dictavit ARCULFUS: ea vero quæ in aliorum libris de ejuſdem civitatis poſitione reperiuntur, a nobis præmittenda ſunt. In cujus magno murorum ambitu idem Arculfus 84. numeravit turres & portas bis ternas: quarum per circuitum civitatis ordo ſic ponitur. Porta David ad occidentalem partem montis Sion prima numeratur. II. Porta villæ Fullonis. III. Porta S. Stephani. IV. porta Beniamin. V. portula, hoc eſt parvula porta ab hac per gradus * ad vallem Joſaphat deſcenditur. VI. porta Tecuitis.

* al. grados

Hic itaque ordo per earumdem portarum & turrium intercapedines a porta David ſupra memorata per circuitum, Septemtrionem verſus, exinde ad Orientem dirigitur. Sed quamlibet ſex portæ in muris numerentur, celebriores tamen ex eis portarum introitus

troitus frequentantur, unus ab occidentali, alter a ſeptemtrionali, tertius ab orientali parte. CIRCA AN. 705

Ea vero pars murorum cum interpoſitis turribus quæ a ſupra deſcripta David porta per aquilonale montis Sion ſupercilium, quod a meridie ſupereminet civitati, uſque ad eam ejuſdem montis frontem dirigitur, quæ prærupta rupe orientalem reſpicit plagam, nullas habere portas comprobatur. 15. Sept.

Sed & hoc etiam non eſſe prætereundum videtur, quod nobis ſanctus Arculfus de hujus civitatis in Chriſto honorificentia præfatus narravit, inquiens: Diverſarum gentium undique prope innumera multitudo 15. die menſis Septembris anniverſario more in Hieroſolymis convenire ſolet ad commercia mutuis * venditionibus & emtionibus peragenda. Unde fieri neceſſe eſt, ut per aliquot dies in eadem hoſpita civitate diverſorum hoſpitentur turbæ populorum: quorum plurima camelorum & equorum aſinorumque numeroſitas mulorum, necnon & boum * maſculorum diverſarum vectorum rerum, per illas plateas ſtercorum abominationes propriorum paſſim ſternit: quorum nidor non mediocriter civibus invehit moleſtiam, quæ & ambulandi impeditionem præbent. Mirum dictu! poſt diem ſupra memoratum receſſionis cum diverſis turmarum jumentis, nocte ſubſequente immenſa pluviarum copia de nubibus effuſa ſuper eamdem deſcendit civitatem: quæ totas abſtergens abominabiles de plateis ſordes, ablutam ab immunditiis facit eam. Nam Hieroſolymitanus ipſe ſitus a ſupercilio aquilonalis montis Sion incipiens, ita eſt molli a conditore Deo diſpoſitus declivio uſque ad humiliora aquilonalium orientaliumque murorum loca, ut illa pluvialis exuberantia nullo modo in plateis, ſtagnantium aquarum in ſimilitudinem, ſuperſedere poſſit: ſed inſtar fluviorum de ſuperioribus ad inferiora decurrit: quæ ſcilicet cœleſtium aquarum inundatio per orientales interfluens * portas & omnia ſecum ſtercoralia auferens abominamenta, vallem Joſaphat intrans, torrentem Cedron auget: & poſt talem Hieroſolymitanam baptizationem continuatim eadem fluminalis exuberatio ceſſat. Hinc ergo non negligenter adnotandum eſt, quanti vel qualis honoris hæc electa & prædicabilis civitas in conſpectu æterni Genitoris habeantur, qui eam ſordidatam diutius remanere non patitur: ſed ob ejus Unigeniti honorificentiam citius eam emundat, quæ intra murorum ejus ambitum ſanctæ crucis & reſurrectionis ipſius loca habet honorifica.

* al. motuis

* al. bovum

* al. influens

Ceterum in illo famoſo * loco, ubi quondam templum magnifice conſtructum fuerat, in vicinia muri ab Oriente locatum; nunc Saraceni quadrangulam orationis domum, quam ſubrectis tabulis & magnis trabibus ſuper quaſdam ruinarum reliquias conſtruentes vili fabricati ſunt opere, ipſi frequentant, quæ utique domus tria hominum milia ſimul (ut fertur) capere poteſt.

* al. formoſo

Arculfus itaque de ipſius civitatis habitaculis a nobis interrogatus reſpondens ait: Memini me & vidiſſe & frequentaſſe multa civitatis ejuſdem ædificia, plurimaſque domos grandes lapideas per totam magnam civitatem intra mœnia circumdata, mira fabricatas arte, ſæpius conſideraſſe: quæ omnia nunc a nobis ſunt prætermittenda, ut æſtimo, exceptis eorum ædificiorum ſtructuris, quæ in locis ſanctis, crucis videlicet & reſurrectionis, mirifice fabricata ſunt.

II. De eccleſia ſepulcri Domini.

De quibus diligentius ſanctum interrogavimus Arculfum, præcipue de ſepulcro Domini & eccleſia ſuper illud conſtructa, cujus mihi formam in tabula cerata ipſe dipinxit. Quæ utique valde grandis eccleſia tota lapidea mira rotunditate ex omni parte conlocata a fundamentis in tribus conſurgens parietibus, inter unumquemque parietem & alterum latus * habens ſpatium viæ; tria quoque altaria in tribus locis parietis medii artifice fabricatis. Hanc rotundam & ſummam eccleſiam ſupra memorata habentem altaria, unum ad Meridiem reſpiciens, alterum ad Aquilonem, tertium ad Occaſum verſus, 12. miræ magnitudinis lapideæ ſuſtentant columnæ. Hæc bis quaternales portas habet, hoc eſt quatuor introitus per tres e regione interjectis viarum ſpatiis ſtabilitos parietes: ex quibus quatuor exitus ad Vulturnum ſpectant, qui & Calcias dicitur ventus; alii vero quattuor ad Eurum * reſpiciunt. In medio ſpatio hujus interioris rotundæ domus rotundum ineſt in una eademque petra exciſum tegorium *, in quo poſſunt ter terni homines ſtantes orare, & a vertice alicujus non brevis ſtaturæ ſtantis hominis uſque ad illius domunculæ camaram * pes & ſemipes menſura in altum extenditur. Hujus tegorioli introitus ad Orientem reſpicit: quod totum extrinſecus electo tegitur marmore, cujus exterius ſummum culmen auro ornatum, auream non parvam ſuſtentat crucem. In hujus tegorii aquilonali parte ſepulcrum Domini in eadem petra interius exciſum habetur: ſed ejuſdem tegorii pavimentum humilius eſt loco ſepulcri. Nam a pavimento ejus uſque ad ſepulcri marginem lateris, quaſi * trium menſura altitudinis palmorum haberi dinoſcitur. Sic mihi Arculfus qui ſæpe ſepulcrum Domini frequentabat, indubitanter emenſus pronuntiavit. Hoc in loco proprietas ſive diſcrepantia nominum notanda inter monumentum & ſepulcrum. Nam illud ſæpe ſupra notatum rotundum tegorium, alio nomine Evangeliſtæ monumentum vocant: ad cujus oſtium advolutum & ab ejus oſtio revolutum lapidem reſurgente Domino pronuntiant. Sepulcrum vero proprie dicitur ille locus in tegorio, hoc eſt in aquilonali parte monumenti, in quo dominicum corpus linteaminibus involutum conditum quievit:

* al. latum

* al. Occaſum

* al. tegurium

* al. cameram

* al. quaſi menſuræ a pollice uſque ad auriculam, altitudinis trium palmorum


Digitized by Google

CIRCA AN. quievit : cujus longitudinem Arculfus in ſeptem pedum menſura propria menſus eſt ma-
705 nu. Quod videlicet ſepulcrum non (ut quidam falſo opinantur) duplex eſt, & quamdam
23. Sept. de ipſa maceriola petram habens exciſam, duo crura & femora duo intercedentem &
* al. latum, ſeparantem : ſed totum ſimplex a vertice uſque ad plantas, lectum * unius hominis ca-
* al. præbens ſpatium pacem ſuper dorſum jacentis præbens * in modum ſpeluncæ, introitum a latere habens ad auſtralem partem monumenti e regione reſpicientem, culmenque humile deſuper eminens fabrefactum : in quo utique ſepulcro duodenæ lampades juxta numerum 12. ſanctorum Apoſtolorum ſemper die ac nocte ardentes lucent : ex quibus quatuor in imo illius lectuli ſepulcralis loco inferius poſitæ; aliæ vero bis quaternales ſuper marginem ejus ſuperius conlocatæ ad latus dexterum, oleo nutriente præfulgent.

III. De ſepulcri figura. Sed & hoc notandum eſſe videtur, quod mauſoleum * Salvatoris, hoc eſt ſæpe ſupra memoratum tegorium, ſpelæum ſive ſpelunca recte vocitari poſſit : de quo videlicet, Domino JESU-CHRISTO in ea ſepulto, Propheta vaticinatur dicens : *Hic habitavit in excelſa ſpelunca petræ fortiſſimæ*. Et paullo poſt de ipſius Domini reſurrectione ad Apoſtolos lætificandos ſubinfertur : *Regem cum gloria videbitis*. Supradictæ igitur eccleſiæ formulam cum rotundo tegoriolo in medio ejus conlocato, in cujus aquilonali parte dominicum habetur ſepulcrum, ſubjecta declarat pictura necnon & trium aliarum figuras eccleſiarum, de quibus inferius intimabitur.

* al. magiſoleum

Iſa. 33.



A Tegurium rotundum
B Sepulcrum Domini
C Altaria dualia
D Altaria
E Eccleſia
F Golgothana eccleſia
G In loco altaris Abraham
H In quo loco Crux dominica cum binis latronum crucibus ſub terra reperta eſt
I Menſa lignea
K Plateola, in qua die ac nocte lampades ardent
L Sanctæ Mariæ eccleſia
M Conſtantiniana baſilica, hoc eſt martyrium
N Exedra cum calice Domini

NOTA. In eadem vero eccleſia quædam habetur in petra exciſa ſpelunca infra locum dominicæ Crucis, ubi ſuper altare pro quorumdam honoratorum animabus ſacrificium offertur : quorum corpora interim in platea jacentia ponuntur ante januam ejuſdem Golgothanæ eccleſiæ, uſquequo finiantur illa pro ipſis defunctis ſacroſancta myſteria. Has itaque quaternalium figuras eccleſiarum juxta exemplar quod mihi (ut ſuperius dictum eſt) Arculfus in paginola figuravit cerata, depinximus : non quod poſſit earum ſimilitudo formari in pictura : ſed ut dominicum monumentum, licet tali vili figuratione, in medietate rotundæ eccleſiæ conſtitutum monſtretur, aut quæ huic propior eccleſia, vel quæ eminus poſita declaretur.

IV. De lapide ſepulcri. Sed inter hæc de illo ſupra memoraro lapide, qui ad oſtium monumenti dominici poſt ipſius Domini ſepultionem crucifixi multis tradentibus viris advolutus eſt, breviter intimandum eſſe videtur : quem Arculfus interciſum & in duas diviſum partes refert, cujus pars minor ferramentis dolata eſt, & quadratum altare in rotunda ſupraſcripta eccleſia ante oſtium ſæpe illius memorati tegorii, hoc eſt dominici monumenti ſtans, conſtitutum cernitur : major vero illius lapidis pars æque circumdolata eſt, & in orientali ejuſdem eccleſiæ loco quadrangulum aliud altare ſub linteaminibus ſtabilitum exſtat.

De

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23. Sept.

De illius ergo petræ coloribus, in qua illud ſæpe dictum tegorium dolatorum ferramentis interius cavatum, dominicumque ſepulcrum in aquilonali loco ipſius habens de una eademque petra exciſum qua & monumentum, hoc eſt ipſum tegorium, Arculfus a me interrogatus dixit: Illud dominici monumenti tegorium nullo intrinſecus ornatu tectum uſque hodie per totam ejus cavaturam ferramentorum oſtendit veſtigia, quibus dolatores ſive exciſores in eodem uſi ſunt opere: color vero illius ejuſdem petræ monumenti & ſepulcri non unus, ſed duo permixti videntur, ruber utique & albus: unde & bicolor eadem oſtenditur petra. Sed de his iſta ſufficiant.

V. De eccleſ. B. Mariæ.

Ceterum de ſanctorum ſtructuris locorum pauca addenda ſunt aliqua. Illi rotundæ eccleſiæ ſupra ſæpius memoratæ, quæ & Anaſtaſis, hoc eſt reſurrectio vocitatur, quæ in loco dominicæ reſurrectionis fabricata eſt; a dextera cohæret parte ſanctæ Mariæ matris Domini quadrangulata eccleſia.

VI. De eccleſia Calvariæ.

Alia vero pergrandis eccleſia Orientem verſus in illo fabricata eſt loco, qui Hebraice Golgotha vocitatur: cujus in ſuperioribus grandis quædam ærea cum lampadibus rota in funibus pendet: infra quam magna argentea crux infixa ſtatuta eſt eodem in loco, ubi quondam lignea Crux, in qua paſſus eſt humani generis Salvator, infixa ſtetit.

VII. De baſilica Conſtantini.

Huic eccleſiæ in loco Calvariæ quadrangulata fabricatæ ſtructura, lapidea illa vicina orientali in parte cohæret baſilica, magno cultu a Rege C o n s t a n t i n o conſtructa, quæ & Martyrium * appellatur, in eo (ut fertur) fabricatum loco, ubi Crux Domini cum aliis latronum binis crucibus ſub terra abſcondita, poſt ducentorum 33. annorum cyclos ipſo Domino donante reperta eſt. Inter has itaque duales eccleſias ille famoſus occurrit locus, in quo Abraham Patriarcha altare compoſuit, ſuper illud imponens lignorum ſtruem; & ut Iſaac immolaret filium ſuum, evaginatum arripuit gladium: ubi nunc menſa habetur lignea non parva, ſuper quam pauperum eleemoſynæ a populo offeruntur. Sed & hæc mihi diligentius interroganti ſanctus addit Arculfus inquiens: Inter Anaſtaſim, hoc eſt illam ſæpe ſupra memoratam rotundam eccleſiam & baſilicam Conſtantini, quædam patet plateola uſque ad eccleſiam Golgothanam, in qua videlicet plateola die ac nocte ſemper lampades ardent.

* al. Monaſterium.

VIII. De alia exedra in eccleſia Calvariæ.

Inter illam quoque Golgothanam baſilicam & Martyrium quædam ineſt exedra in qua eſt calix Domini, quem a ſe benedictum propria manu in cœna pridie quam pateretur, ipſe conviva Apoſtolis tradidit convivantibus: qui argenteus calix ſextarii Gallici menſuram habens, duaſque anſulas in ſe ex utraque parte altrinſecus contenens compoſitas. In quo utique calice illa ineſt ſpongia, quam aceto plenam hyſſopo circumponentes Dominum crucifigentes obtulerunt ori ejus. De hoc eodem calice (ut fertur) Dominus poſt reſurrectionem cum Apoſtolis convivans bibit. Quem ſanctus Arculfus vidit, & per illius ſcrinioli, ubi reconditus habetur, operculi foramen pertuſi * manu tetigit propria oſculatus *: quem videlicet calicem univerſus civitatis populus cum ingenti veneratione frequentat.

* al. perforati

* al. & oſculatus eſt

IX. De lancea militis.

Item Arculfus nihilominus & illam conſpexit lanceam militis, qua latus Domini in cruce pendentis ipſe percuſſerat. Hæc eadem lancea in porticu illius Conſtantini baſilicæ inſerta habetur in cruce lignea, cujus haſtile * in duas interciſum eſt partes: quam ſimiliter tota Hieroſolymitana frequentans oſculatur & veneratur civitas.

* al. haſſale.

X. De ſudario Domini.

De illo quoque ſacroſancto Domini ſudario, quod in ſepulcro ſuper caput ipſius fuerat poſitum, ſancti Arculfi relatione cognovimus, qui illud propriis conſpexit obtutibus, hanc quam nunc craxamus * narrationem, quam totus Hieroſolymitanus veram eſſe proteſtatur populus. Plurimorum namque teſtimonio fidelium Hieroſolymitanorum civium hanc pronuntiationem ſanctus Arculfus didicit, qui ſic ipſo intentius audiente ſæpius pronuntiarunt dicentes: Ante annos ferme ternos ſacroſanctum linteolum, quod quidam ſatis idoneus credulus Judæus ſtatim poſt ejus reſurrectionem de ſepulcro Domini furatus, multis diebus apud ſe occultavit; ipſo donante Domino poſt multorum circulos annorum repertum, in notitiam totius populi venit. Ille igitur felix & fidelis fur illud dominicum ſudarium quod in primis furtim abſtulit, in extremis conſtitutus duobus filiis manifeſtans accerſitis detulit, dicens: O filii mei nunc optio vobis datur. Dicat ergo quivis e vobis duobus, quid potius optare deſiderat, ut & ego indubitanter ſcire poſſim, quis ex vobis erit, cui juxta propriam optionem, aut omnem ſubſtantiam meam quam habeo, commendare debeam; aut hoc ſolummodo Domini ſacrum ſudarium. Quibus auditis ex ore patris verbis, unus qui genitoris divitias accipere cupiebat univerſas, ſuſcipit eas a patre, juxta promiſſionem a patre commendatas. Mirum dictu! ex illa die omnes ejus divitiæ & patrimonium omne, propter quod ſudarium Domini vendidit, decreſcere cœpit; & univerſa quæ habuit, diverſis caſibus perdita ad nihilum redacta ſunt. Alter vero ſupradicti furis filius beatus, qui ſudarium Domini omnibus prætulit patrimoniis; ex qua die illud de morientis manu accepit genitoris, magis ac magis donante Deo, terrenis etiam opibus eſt ditatus, nec fraudatus cœleſtibus. Et ita hoc dominicum ſudarium patres filiis de ejuſdem ter beati hominis progenie ſati, quaſi hereditario jure fideles fidelibus, ſecundum eorum proſapiæ ſeriem, fideliter uſque ad quintam commendabant gene-

* al. caraxamus, id eſt exaramus

nera-

CIRCA AN. 705 23. Sept.

nerationem. Sed poſt quintæ tempore generationis annorum multis proceſſibus tranſactis, ejuſdem cognationis deficientibus hereditariis fidelibus, ſacrum linteum in manus aliquorum infidelium devenit Judæorum: qui & ipſi quamlibet indigni tali munere, tamen illud honorifice amplexi, divina donante largitione nimis diverſis locupletati opibus divites facti ſunt. Judæi vero credentes, orta in populo de ſudario Domini certa narratione, cœperunt cum infidelibus Judæis de ſacro illo linteamine fortiter contendere, totis viribus illud appetentes in manus accipere. Quæ ſubnixa contentio Hieroſolymitanam plebem in duas diremit partes, hoc eſt fideles & credulos contra infideles & incredulos. Unde & Sarracenorum Rex, nomine NAVIAS *, ab utriſque interpellatus partibus, ad eos incredulos Judæos, qui ſudarium Domini pertinaciter retinebant, * inter utroſque dijudicans dixit: Sacrum quod habetis linteolum date in mea manu. Qui Regis verbo obtemperantes, illud de ſcrinio proferentes, regnatoris in ſinu deponunt: quod cum magna reverentia ſuſcipiens Rex, in platea coram omni populo rogum fieri juſſit. Quo nimia inflammatione ardente, ſurgens ipſe & ad ipſum accedens rogum, elevata voce ad utraſque diſcordes dixit partes: Nunc Chriſtus mundi Salvator paſſus pro humano genere, qui hoc quod nunc in ſinu conteneo ſudarium, in ſepulcro ſuo ſuper caput habuit poſitum, inter vos de hoc eodem linteo contendentes per flammam judicet ignis, ut ſciamus cui parti horum duum exercituum contentioſorum hoc tale donum condonare dignetur. Et hæc dicens, ſacrum Domini ſudarium projecit in flammas: quod nullo modo ignis tangere potuit, ſed integrum & incolume de rogo ſurgens, quaſi avis expanſis alis cœpit in ſublime volare, & utraſque diſſidentes contra ſe populi partes & quaſi in procinctu belli conſertas ſedentes acies de ſummis proſpiciens duas, in vacuo aere per aliquorum intervallum momentorum circumvolans, proinde paullatim deſcendens, Deo gubernante ad partem Chriſtianorum interim Chriſtum judicem exorantium declinans, in eorum ſinu conſedit. Qui Deo gratias levatis ad cœlum manibus agentes, cum ingenti lætatione ingeniculantes, ſudarium Domini magna cum honorificentia ſuſcipiunt ad ſe de cœlo venerabile emiſſum donum, hymnificaſque laudes Chriſto ejus donatori referunt, & in ſcrinio eccleſiæ in alio involutum linteamine recondunt. Quod noſter frater Arculfus alio die de ſcrinio elevatum vidit, & inter populi multitudinem illud oſculantis & ipſe oſculatus eſt in eccleſiæ conventu, menſuram longitudinis quaſi octenos habens pedes: de quo hæc dicta ſufficiant.

* al. Majuvias

* G. addit, præſentibus Chriſtianis Judæis,

XI. De linteo quod (ut fertur) ſancta contexuit Maria.

Aliud quoque linteum majus Arculfus in eadem Hieroſolymitana civitate vidit, quod (ut fertur) ſancta MARIA contexuit, & ob id magna reverentia in eccleſia habitum totus veneratur populus. In quo videlicet linteo duodecim Apoſtolorum formulæ habentur intextæ, & ipſius Domini imago figurata: cujus linteaminis una pars rubei coloris, & alrera e regione in altero latere viridis habetur.

XII. De alia columna.

De aliqua * valde ſumma columna quæ in locis ſanctis ad Septemtrionem in medio civitatis ſtans pergentibus obvia habetur, breviter dicendum eſt. Hæc eadem columna in eo ſtatuta loco, ubi mortuus juvenis Cruce Domini ſuperpoſita revixit, mirum in modum in æſtivo ſolſtitio meridiano tempore ad centrum cœli ſole perveniente umbram non facit. Solſtitio autem tranſmiſſo, quod eſt 8. Kal. Julii, ternis diebus interjectis, paullatim decreſcente die umbram primum facit brevem, deinde proceſſu dierum longiorem. Hæc itaque columna, quam ſolis claritas in æſtivo ſolſtitio meridianis horis ſtantis in centro cœli e regione deſuper circumfulgens ex omni parte circumfuſa perluſtrat, Hieroſolymam orbis in medio terræ ſitam eſſe proteſtatur. Unde & Pſalmographus propter ſancta paſſionis & reſurrectionis loca, quæ intra ipſam Heliam * continentur, vaticinans canit: *Deus autem Rex noſter ante ſæculum, operatus eſt ſalutem in medio terræ*, hoc eſt Hieruſalem, quæ mediterranea & umbilicus terræ dicitur.

* al. alia

* Æliam, id eſt Hieruſalem Pſal. 78.

XIII. De eccleſia S. Mariæ.

Sanctorum locorum ſedulus frequentator ſanctus Arculfus ſanctæ Mariæ eccleſiam in valle Joſaphat frequentabat: cujus dupliciter fabricatæ inferior pars ſub lapideo tabulato mirabili rotunda ſtructura eſt fabricata: in cujus orientali parte altarium habetur; ad dexteram vero ejus partem, ſanctæ Mariæ ineſt ſaxeum cavum ſepulcrum, in quo aliquando ſepulta pauſavit *. Sed de eodem ſepulcro quomodo, vel quo tempore, aut a quibus perſonis ſanctum corpuſculum ejus ſit ſublatum, vel quo loco reſurrectionem exſpectat, nullus * (ut fertur) pro certo ſcire poteſt. Hanc inferiorem rotundam ſanctæ Mariæ eccleſiam intrantes, illam vident petram ad dexteram parieti inſertam, ſupra quam Dominus in agro Gethſemani * illa nocte qua tradebatur a Juda in manus hominum peccatorum, flexis oravit genibus ante horam traditionis ejus: in qua videlicet petra duorum veſtigia genuum ejus quaſi in cera molliſſima profundius impreſſa cernuntur. Ita nobis noſter Frater Arculfus pronuntiavit, ſanctorum viſitator locorum, qui hæc quæ nos deſcribimus, propriis conſpexit oculis. In ſuperiore igitur æque rotunda eccleſia ſanctæ Mariæ, quatuor altaria ineſſe monſtrantur.

* al. requievit, ut ſatis apparet.

* al. nullus pro certo, ut prædictus vir teſtatur, ſcire poteſt.

* al. Gethſamani.

XIII. De turre Joſaphat.

In eadem ſupra memorata valle non longe ab eccleſia ſanctæ Mariæ turris Joſaphat monſtratur, in qua ipſius ſepulcrum cernitur: cui videlicet turricula quædam lapidea

Digitized by Google

lapidea domus a dextera cohæret parte, de rupe exciſa & ſeparata montis Oliveti: in qua intrinſecus ferramentis cavata duo monſtrantur ſepulcra ſine aliquo ornatu: quorum unum illius Symeonis juſti viri eſt, qui infantulum Dominum JESUM in templo ambabus * amplexus manibus de ipſo prophetizavit: alterum vero æque juſti Joſeph, ſanctæ MARIAE ſponſi, & Domini JESU nutritoris.

XV. De monumentis Simeon & Joſeph.

* al. ambis

XVI. De ſpelunca duorum puteorum.

In latere montis Oliveti quædam ineſt ſpelunca, haud procul ab eccleſia ſanctæ Mariæ, in eminentiore loco poſita contra vallem Joſaphat, in qua duo profundiſſimi habentur putei, quorum unus ſub monte in altum infinita profunditate productus extenditur; alter vero in ſpeluncæ pavimento, cujus vaſtiſſima (ut fertur) concavitas in profundum dimerſa deſcendens, recto tractu dirigitur: qui duo putei ſemper ſupercluduntur. In eadem ergo ſpelunca quatuor inſunt lapideæ menſæ, quarum una eſt juxta introitum ſpeluncæ ab intus ſita Domini JESU, cui procul dubio menſulæ ſedes ipſius adhæret, ubi cum duodenis Apoſtolis ſimul ad alias menſas ibidem habitas ſedentibus & ipſe conviva aliquando recumbere ſæpe ſolitus erat. Illius putei os concluſum * quem in pavimento ſpeluncæ ineſſe ſupra deſcripſimus, Apoſtolorum menſis propius haberi monſtratur. Hujus ſpeluncæ portula ligneo (ut refert Arculfus) concluditur oſtio, qui eamdem Domini ſpeluncam frequentavit ſæpius.

* al. clauſum

XVII. De porta David.

Porta David montis Sion molli clivio * ab occidentali adhæret parte. Per eamdem de civitate egredientibus portam, & montem Sion proximum ad ſiniſtram habentibus pons lapideus occurrit, eminus per vallem in auſtrum recto tramite directus, arcubus ſuffultus.

* al. clivo


XVIII.

Ad cujus medietatem ab occaſu ille vicinus habetur locus, ubi Judas Scariothes deſperatione coactus laqueo ſe ſuſpendens diſperiit. Ibidem & grandis hodieque monſtratur ficus, de cujus (ut fertur) vertice inlaqueatus pependit, ut de ipſo Juda Juvencus Presbyter verſificus cecinit:

Informem rapuit ficus de vertice mortem.

XIX. De baſilica montis Sion.

Et quia paullo ſuperius montis Sion mentio interceſſit, de quadam pergrandi baſilica in eo conſtructa quædam breviter ſuccinteque intimanda ſunt: cujus ſic deſcribitur formula.



A Locus cœnæ Domini.
B Hic Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit.
C Hic columna marmorea ſtat cui Dominus adhærens flagellatus eſt.
D Hic ſancta Maria obiit.
E Porta.

XX. De illo agellulo qui Hebraice Acheldemach vocatur.

Hic petra monſtratur, ſuper quam Stephanus lapidatus extra civitatem obdormivit. Extra hanc ſupra deſcriptam grandem baſilicam, quæ intrinſecus talia ſancta complectitur loca, alia memorabilis exſtat ad occidentalem partem petra, ſuper quam (ut fertur) flagellatus eſt Dominus. Hæc itaque apoſtolica eccleſia (ut ſupra dictum eſt) in montis Sion ſuperiore campeſtri planitie lapidea eſt fabricata ſtructura.

Hunc parvum agellulum ad uſtralem montis Sion partem ſitum noſter Arculfus ſæpe frequentans viſitabat, lapidum maceriam habentem, in quo diligentius plurimi humantur peregrini: alii vero ex ipſis aut pannis aut pelliculis tecti, negligentius relinquuntur inhumati, ſuper terræ faciem putrefacti jacentes.

XXI. De aſperis & petroſis locis ab Hieruſalem ad civitatem Samuelis & Cæſaream.

Ab Ælia Septemtrionem verſus uſque ad Samuhelis civitatem, quæ Ramatha * nominatur, terra petroſa & aſpera per quædam monſtratur intervalla. Valles quoque ſpinoſæ uſque ad Tamniticam regionem patentes. Altera vero a ſupradicta Ælia & monte Sion qualitas regionum monſtratur uſque ad Cæſaream Paleſtinæ occaſum verſus. Nam quamvis aliqua reperiantur anguſta & brevia aſpera loca interpoſita, præcipue tamen latiores plani monſtrantur campi, interpoſitis olivetis lætiores.

* al. Armathem.

Alia-

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23. Sept.

XXII. De monte Oliveti.

Aliarum arborum genera, exceptis vitibus & olivis, in monte Oliveti, ut refert Arculfus, raro reperiri poſſunt: ſegetes vero frumenti & ordei in eo valde læte conſurgunt. Non enim brucoſa, ſed herboſa & florida illius terræ qualitas demonſtratur. Altitudo autem ejus æqualis eſſe altitudini Sionei montis videtur: quamvis mons Sion ad montis Oliveti comparationem in geometricæ dimenſionibus, latitudine videlicet & longitudine, parvus & anguſtus eſſe videtur. Inter hos duos montes vallis Joſaphat, de qua ſuperius dictum eſt, media interjacet, a ſeptemtrionali plaga in auſtralem porrecta partem.

XXIII. De loco dominicæ adſcenſionis & eccleſia ejus.

In toto * monte Oliveti nullus alius locus altior eſſe videtur illo, de quo Dominus ad cœlos adſcendiſſe traditur: ubi grandis eccleſia ſtat rotunda, ternas per circuitum cameratas habens porticus * deſuper tectas. Cujus videlicet rotundæ eccleſiæ interior domus ſine tecto & ſine camara, ad cœlum ſub aere nudo aperta patet, in cujus orientali parte altare ſub anguſto protectum tecto conſtructum exſtat. Ideo itaque interior illa domus camaram, ſupra collocatam non habet, ut de illo loco in quo poſtremum divina inſtiterant veſtigia, cum in cœlum Dominus in nube ſublevatus eſt, via ſemper aperta & ad æthera cœlorum directa oculis in eodem loco exorantium pateat. Nam cum hæc, de qua nunc pauca commemorantur, baſilica fabricaretur, idem locus veſtigiorum Domini, ut alibi ſcriptum repertum eſt, continuari pavimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit. Siquidem quæcumque adplicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, in ora adponentium excuſſis marmoribus *. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum eſt, ut veſtigia cernantur impreſſa: & cum cotidie confluentium fides a Domino calcata diripiat, damnum tamen area non ſentit, & eamdem adhuc ſui ſpeciem veluti impreſſis ſignata veſtigiis terra cuſtodit. In eodem igitur loco, ut ſanctus refert Arculfus ſedulus ejuſdem frequentator, ærea grandis per circuitum rota deſuper explanata collocata eſt, cujus altitudo uſque ad verticem haberi monſtratur menſurata: in cujus medietate non parva patet pertuſura *, per quam deſuper apertam veſtigia pedum Domini plane & lucide impreſſa in pulvere demonſtrantur. Illa quoque in rota ab occidentali parte quaſi quædam ſemper patet porta, ut per eam intrantes facile adire locum ſacrati pulveris poſſint, & per apertum deſuper ejuſdem rotæ foramen de ſacro pulvere porrectis manibus particulas ſumant. Igitur noſtri Arculfi de loco veſtigiorum Domini narratio cum aliorum ſcriptis recte concordat, quod nec culmine domus, nec aliquo ſpeciali inferiore & viciniore tegmine ullo quoque modo protegi potuerit, ut ſemper manifeſte ab univerſis ejus frequentatoribus conſpiciatur, & dominicorum veſtigia pedum in ejuſdem loci pulvere depicta clare demonſtrentur. Hæc enim eadem dominica veſtigia ingentis claritudine lampadis ſupra eamdem rotam in trochleis pendentis die & nocte flammantis inluminantur. Illius itaque ſupra memoratæ eccleſiæ rotundæ in occidentali parte bis quaternales ſupernæ fabrefactæ habentur feneſtræ, valvas habentes vitreas, quibus utique feneſtris ejuſdem numeri vicinæ lampades intrinſecus e regione poſitæ in funibus pendentes ardent: quæ videlicet lampades ſic collocatæ ſunt, ut unaquæque lampas nec ſuperius, nec inferius pendeat; ſed quaſi adhærens eidem feneſtræ videatur, cui interius e regione propinqua ſpecialiter cernitur. Quarum utique lampadum in tantum claritas refulget, ut earum lumine, quaſi de ſuperiore montis Oliveti loco coruſcantium, per vitrum abundanter effuſo, non tantum ea ejuſdem montis pars, quæ ad Occaſum verſus eidem adhæret rotundæ & lapideæ baſilicæ; ſed etiam civitatis Hieroſolymæ de valle Joſaphat adſcenſus per quoſdam gradus * in altum ſublimatus clare quamlibet in tenebroſis ſimiliter noctibus mirabiliter inluſtretur, & major ejuſdem pars urbis anterior e regione poſitæ eadem inluminetur claritate. Hæc fulgida & prædicabilis octonalium magnarum coruſcatio lucernarum, de monte ſancto & de loco dominicæ adſcenſionis noctu refulgentium, majorem (ut Arculfus refert) divini amoris alacritatem credulorum reſpicientium cordibus infundit, quemdamque pavorem menti cum ingenti interna compunctione incutit.

* al. iſto

* al. porticos

* Gretſero mox prioribus


* al. percuſſura

* al. gradus

Sed & hæc nobis non eſſe tacendum videtur, quod ſæpe memoratus Arculfus de hac eadem rotunda eccleſia mihi diligentius interroganti retulit dicens: In anniverſaria diei dominicæ Adſcenſionis ſollemnitate per omnes annos validiſſimi flaminis procella meridianis horis poſt peracta in eadem baſilica ſacroſancta Miſſarum ſollemnia forti impetu inruere in tantum ſolet, ut nullus hominum ſtare vel etiam ſedere in illa eccleſia & vicinis eis locis quoquo poſſit modo: ſed omnes tamdiu in terra proſtratis vultibus ſuperſtrati jacent, donec illa terribilis procella pertranſeat. Hujus terrifici flatus cauſa facit, ut illa pars domus habere camaram non poſſit ſupra locum impreſſorum Domini veſtigiorum, quæ intra ſupradictæ rotæ medium foramen aperte monſtrantur, ad cœlum ſemper patefacta appareat. Nam quaſcumque materias deſuper ad camaram componendam ſi quando humanæ manus ars ædificare conabatur, ſupra memorati divinitus emiſſa venti validitas deſtruebat. De hac itaque formidabili procella ſanctus Arculfus taliter nobis enarravit, qui eadem hora qua in die dominicæ Adſcenſionis ille validiſſimus inruit flatus, & ipſe præſens in eadem eccleſia Oliveti interfuit montis. Cujus videlicet rotundæ eccleſiæ figura, vili quamvis pictura ſic de-

Digitized by Google

depicta declaratur; æreæ necnon in ejus medietate collocatæ rotæ formula hac deſcriptiuncula demonſtratur ſubjecta. CIRCA AN. 705 23. Sept.



Sed & hoc etiam ſancti relatione Arculfi didicimus, quod in eadem rotunda eccleſia ad conſuetum 8. ſupra memoratarum noctu intrinſecus refulgentium lucernarum prope innumerabiles in nocte feſtiva dominicæ Adſcenſionis aliæ adjici ſoleant lampades: quarum terribili & admirabili coruſcatione per vitreas feneſtrarum valvas abundanter effuſa mons Oliveti non ſolum inluminari, ſed etiam ardere totus videtur, totaque civitas inluſtrari in humiliore & vicino ſita loco.

XXIV. De ſepulcro Lazari & Monaſterio eidem adhærente.

Arculfus ſanctorum ſupra memoratorum frequentator locorum, quemdam Bethaniæ campulum magna Olivarum ſilva circumdatum viſitavit: ubi grande ineſt Monaſterium, & grandis baſilica ſuper illam ædificata ſpeluncam, de qua Dominus quatriduanum mortuum ſuſcitavit Lazarum.

XXV. De alia eccleſia ad dexteram partem conſtructa.

De alia celebriore eccleſia ad Auſtralem Bethaniæ partem, & in eo montis Oliveti loco fundata, in quo Dominus ad diſcipulos habuiſſe ſermonem dicitur, breviter ſcribendum arbitramur. Hinc non negligenter inquirendum eſt, qualem ſermonem, & quo tempore, vel ad quas ſpeciales perſonas diſcipulorum Dominus ſit loquutus: quæ tria ſi trium Evangelia ſcriptorum aperire voluerimus, Matthæi, Marci, Lucæ nobis manifeſte clarebunt, qui de ſermonis qualitate concinnanter * loquuntur, de loco ipſius conventionis nemo dubitare poterit, & de ſermonis forma * qui Matthæi Evangelium legit, ubi de Domino ipſe commemorat Evangeliſta dicens: *Sedente autem eo ſuper montem Oliveti acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt? & quod ſignum adventus tui & conſummationis ſæculi?* de perſonis interrogantium hic Matthæus tacuit, ſed Marcus non tacet, qui ita ſcribens dicit: *Interrogabant eum ſeparatim Petrus & Jacobus & Joannes & Andreas:* quibus interrogantibus reſpondens qualitatem habiti ſermonis juxta tres ſuperius commemoratos Evangeliſtas oſtendit ita dicendo: *Videte ne quis vos ſeducat, Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum Chriſtus*: & cetera ſequentia de noviſſimis temporibus & ſæculi conſummatione, quæ Matthæus prolixo ſermone proſequitur uſque ad eum locum, quo & de tempore * hujus manifeſte idem Evangeliſta ex verbis Domini protracti ſermonis oſtendit ita dicens: *& factum eſt cum conſummaſſet* JESUS *ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis: Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur*: & cetera. Aperte ergo oſtenditur Dominum in die quartæ feriæ, biduo reſtante uſque ad primam azymorum diem qui dicitur Paſcha, ſupra commemoratum ſermonem prolixum ad interrogantes fuiſſe loquutum quatuor ſupradictos Apoſtolos. In loco itaque habiti illius ſermonis ſuperius memorati, ob recordationem fundata eccleſia in magna habetur honorificentia. Huc uſque de locis ſanctis Hieroſolymitanæ civitatis & montis Sion montiſque Oliveti & vallis Joſaphat interjacentis juxta ſancti Arculfi eorumdem frequentatoris locorum certam narrationem ſufficiat deſcripſiſſe.

Hic primi libri vel libelli terminus fiat.

* al. concinentes
* Corb. ſtyma
Matth. 24. Marc. 13.
* al. tempus
Matth. 26.

ABHINC

CIRCA AN. 705 23. Sept.

ABHINC SECUNDI CAPITULATIONES LIBRI ſequuntur.

Caput I. De Bethleem civitatis ſitu.
II. De loco nativitatis Domini.
III. De illa petra extra muros ſita, ſuper quam aqua primæ lavationis ejus poſt nativitatem effuſa eſt.
IV. De illa eccleſia, in qua illud Davidicum conſpicitur monumentum *.
V. De alia eccleſia, in cujus interiore parte ſancti Hieronymi ſepulcrum habetur.
VI. De monumentis illorum trium paſtorum, quos naſcente Domino cœleſtis circumfulſit claritudo.
VII. De ſepulcro Rachel.
VIII. De Chebron.
IX. De valle Mambre.
X. De ſepulcris quatuor Patriarcharum.
XI. De monte & quercu Mambre.
XII. De illo pineto, ex quo ligna in camelis ad ignis miniſteria in Hieroſolymis perficienda vehuntur.
XIII. De Hiericho.
XIV. De Galgalis.
XV. De 12. lapidibus, quos filii Iſrael tranſvadato Jordanis fluvio, ſiccato detulerunt profundo.
XVI. De illo loco, in quo Dominus ab Joanne baptizatur.
XVII. De Jordanis colore.
XVIII. De mari mortuo.
XIX. De fontibus Jordanis.
XX. De mari Galilææ.
XXI. De puteo Samariæ.
XXII. De quodam ſolitudinis fonticulo.
XXIII. De locuſtis & melle ſilveſtri.
XXIV. De illo loco in quo Dominus quinque panes & duos benedixit piſces.
XXV. De Capharnaum.
XXVI. De Nazareth & eccleſia ejus.
XXVII. De monte Thabor.
XXVIII. De Damaſco.
XXIX. De Tyro.
XXX. De Alexandria & Nilo flumine & crocodilis ejus.

* honorarium ſcilicet, ſeu cenotaphium nam verum Davidis ſepulcrum Hieroſolymis fuiſse probant Adrichomius & Gretſerus ex lib. 2. Eſdræ c. 3. v. 8. & Actuum 2. Quamquam Hieronymus in ep. 16. & in lib. de locis Hebraicis cum Arculfo conſentit.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAP. I. De ſitu Bethleem.

In hujus noſtri ſecundi libelli exordio de ſitu Bethleem civitatis, in qua noſter Salvator ex Virgine ſancta naſci dignatus eſt, pauca breviter craxanda ſunt aliqua. Quæ civitas non tam ſitu grandis, ſicuti nobis Arculfus retulit qui eam frequentavit, quam fama prædicabilis per univerſarum gentium eccleſias diffamata, in dorſo * ſita eſt anguſto, undique ex omni parte vallibus circumdato: quod utique terræ dorſum ab occidentali plaga in orientalem partem quaſi mille paſſibus porrigitur. In cujus campeſtri planitie ſuperiore humilis ſine turribus murus in circuitu per ejuſdem monticuli extremitatis ſupercilium conſtructus, valliculis hinc & inde circumjacentibus ſupereminet: mediaque intercapedine intra muros per longiorem tramitem habitacula civium ſternuntur.

* ſupple montis

II. De loco nativitatis Domini.

In ejuſdem vero civitatis orientali & extremo angulo quaſi quædam naturalis dimidia ineſt ſpelunca, cujus interior ultima pars præſepe Domini nominatur, in quo natum puerum reclinavit Mater: alius vero ſupradicto contiguus præſepio introeuntibus propior, locus proprie nativitatis dominicæ traditur fuiſſe. Illa ergo Bethleemitica ſpelunca præſepis dominici tota intrinſecus ob ipſius Salvatoris honorificentiam marmore adornata eſt pretioſo: cui utique ſemiantro ſuper lapideum cœnaculum ſanctæ Mariæ eccleſia ſupra ipſum locum, ubi Dominus natus ſpecialius traditur, grandi ſtructura fabricata fundata eſt.

III. De petra ſuper quam aqua lavationis dominicæ effuſa eſt.

De illa petra extra murum poſita, ſuper quam aqua primæ poſt nativitatem dominici ablutionis corpuſculi, de muri ſummitate inclinato, in quo fuit effuſa vaſculo, breviter commemorandum æſtimo. Quæ ſacri lavacri aqua de muro effuſa in petra inferius jacente, quaſi quamdam natura cavatam invenit foſſam: quæ eadem undula in primo dominico repleta natalitio, ex eadem die ad noſtra uſque tempora per multos ſæculorum circuitus puriſſima plena monſtratur lympha ſine ulla defectione vel diminutione, noſtro Salvatore hoc miraculum a die nativitatis ſuæ peragente, de quo Propheta canit: *Qui eduxit aquam de petra*: & Apoſtolus Paulus: *Petra autem erat Chriſtus*, qui de duriſſima contra naturam petra in deſerto ſitienti populo conſolatoriam produxit un-

Pſalm. 77. 1. Cor. 10.

CIRCA AN. 705 23. Sept.

undam. Idem ipſe eſt Dei virtus & Dei ſapientia, qui & de Bethleemitica illa petra aquam eduxit, ejuſque lacunam plenam ſemper lymphis conſervat. Quam noſter Arculfus propriis obtutibus inſpexit, & in ea faciem lavit.

IV. De ſepulcro David.

Arculfus de ſepulcro David Regis a me interrogatus, hoc nobis reſponſum dedit, inquiens: Sepulcrum David Regis in terra humati ego ipſe non negligenter inquirens frequentabam: quod in parte media pavimenti eccleſiæ ſine aliquo habetur ſuperpoſito ornamento, humilem lapideam habens pyramidem lampademque ſemper ſuperpoſitam. Hæc ergo eccleſia extra civitatis muros in valle contigua eſt fundata, quæ Bethleemitico in parte aquilonali monticulo cohæret.

V. De ſepulcro S. Hieronymi.

De ſepulcro quoque ſancti Hieronymi ſimili ſollicitudine nobis inquirentibus Arculfus ſic ait: Sepulcrum ſancti Hieronymi de quo inquiritis, ego conſpexi, quod in alia habetur eccleſia, quæ extra eamdem civitatulam in valle eſt fabricata, quæ in meridiano latere ſita ſupra memorati dorſo monticelli eſt contermina Bethleemitici. Quod videlicet Hieronymi ſepulcrum, ſimili opere ut Davidicum monumentum compoſitum, nullum ornatum habet.

VI. De monumentis trium paſtorum.

De monumentis illorum paſtorum quos nocte dominicæ nativitatis cœleſtis circumfulſit claritudo, Arculfus nobis brevem contulit relatiunculam, inquiens: Trium illorum in eccleſia paſtorum tria frequentavi monumenta juxta lapidem * grandem humatorum, quæ mille circiter paſſibus contra orientalem diſtant Bethleem. Quos in eodem loco naſcente Domino, hoc eſt prope turrem gregis, angelicæ lucis claritas circumdedit: in quo eadem eccleſia eſt fundata eorumdem paſtorum contenens ſepulcra.

*Corb. juxta turrem

VII. De ſepulcro Rachel.

Rachel in Effrata, hoc eſt in regione Bethleem, etiam liber Geneſeos ſepultam narrat: ſed & locorum liber in eadem regione juxta viam humatam refert Rachel. De qua via Arculfus mihi percunctanti reſpondens ait: Eſt quædam via regia, quæ ab Ælia contra meridianam plagam Chebron ducit: cui viæ Bethleem vicina ſex milibus diſtans ab Hieroſolyma, ab orientali plaga adhæret. Sepulcrum vero Rachel in eadem viæ extremitate ab occidentali parte, hoc eſt in dextro latere habetur pergentibus Chebron cohærens, vili operatione collocatum, & nullam habens adornationem, lapidea circumdatum pyramide. Ibidem & nominis ejus titulus hodieque monſtratur, quem Jacob maritus ſuper illud erexit.

VIII. De Chebron.

Chebron, quæ & Mambre, olim Philiſtinorum metropolis & habitaculum gigantum fuerat, & in qua David ſeptem regnavit annis; nunc, ſicut ſanctus refert Arculfus, murorum non habet ambitum, & quædam ſolummodo dirutæ olim civitatis in reliquiis veſtigia oſtendit ruinarum, vicos tamen habet quoſdam vili opere conſtructos & villas, alias intra & alias extra illas muralium reliquias deſtructionum, per campeſtrem collocatas planitiem: in quibus videlicet vicis & villis multitudo populi inhabitat.

IX. De valle Mambre.

Ab orientali vero plaga ejuſdem Chebron ager occurrit ſpeluncæ duplicis reſpiciens Mambre, quem emit Abraham ab Effron Hethæo in poſſeſſionem duplicis ſepulcri.

X. De ſepulcris 4. Patriarcharum.

In hujus valle ſanctus Arculfus locum ſepulcrorum Arbee viſitavit, hoc eſt quatuor Patriarcharum, Abraham & Iſaac & Jacob & Adam primi hominis: quorum plantæ, non ſicut in aliis orbis regionibus ad Orientem humatorum converti moris eſt, ſed ad Meridiem verſæ & capita contra ſeptentrionalem plagam converſa. Horum locus ſepulcrorum quadrato humili circumvenitur muro. Adam protoplaſtus cui peccanti continuo poſt perpetratum peccatum a Deo creatore dictum eſt: *Terra es & in terram ibis*; ſeparatur a ceteris tribus haud longe ad borealem illius extremam quadrangulati lapidei valli partem, non in ſaxeo in petra exciſo ſepulcro ſuper terram, ut ceteri de ſemine ejus honorati quieſcunt; ſed in terra humatus humo tectus, & ipſe pulvis in pulverem verſus, exſpectans reſurrectionem cum univerſo ſemine ſuo pauſat. Et ſic de tali ſepulcro ejus ad ipſum de ſe ipſo prolata expletur divina ſententia. Et juxta exemplum primi parentis ſepulcri, ceteri tres Patriarchæ & ipſi vili pulvere tecti dormientes pauſant: quorum quatuor ſepulcra habent circumciſas & dolatas de ſingulis lapidibus ſuperpoſitas, quaſi ad formam alicujus baſilicæ, parvas Memorias fabricatas, juxta menſuram longitudinis & latitudinis uniuſcujuſque ſepulcri formatas. Abraham & Iſaac & Jacob tria ſepulcra vicina tribus ſuperpoſitis duris conditis lapidibus, ad hanc de qua ſcripſimus figuram formatis, ut ſuperius dictum eſt, proteguntur: Adam vero ſepulcrum ſuperpoſito quidem, ſed obſcurioris lapide coloris & vilioris operis protegitur. Trium quoque feminarum viliores & minores Memorias ibidem adſpexit Arculfus, Sarræ videlicet & Rebeccæ & Liæ, humatarum in terra. Illorum itaque Patriarcharum ſepulcralis agellus a muro illius antiquiſſimæ Chebron in unius ſtadii ſpatio Orientem verſus diſtare dignoſcitur. Quæ utique Chebron, ut fertur, ante omnes non ſolum Palæſtinæ civitates condita fuerat, ſed etiam univerſas Ægyptiacas urbes in ſua præceſſit conditione: quæ nunc miſerere monſtratur deſtructa. Huc uſque de ſepulcris Patriarcharum ſufficiat craxaſſe.

NOTA & lege hac de re homiliam Haimonis Epiſ Halberſtat. in vigilia Paſchæ & Baron. ad ann. 34.

XI. De Mambre colle.

Mambre collis, mille paſſibus a monumentis ſupra deſcriptis ad boream ſeparatus diſtat, herboſus valde & floridus, reſpiciens Chebron ab Affrico ſibi occurrentem. Idem itaque monticellus, Mambre nominatus, habet in cacumine campeſtrem planitiem; ubi ad aquilonalem ejuſdem cacuminis partem lapidea magna fundata eſt eccle-

CIRCA AN. 705 23.Sept.

eccleſia: in cujus dextrali parte inter duos grandis ejuſdem baſilicæ parietes (mirum dictu!) quercus Mambre exſtat in terra radicata, quæ & quercus Abraham dicitur, eo quod ſub ea quondam Angelos hoſpitio receperit. Quam ſanctus Hieronymus alibi narrat ab exordio mundi uſque ad Conſtantini Regis imperium permanſiſſe: & fortaſſis ideo non dixit penitus defeciſſe, quia eadem ætate, quamvis non tota illa, ſicuti prius fuerat, grandiſſima quercus monſtrabatur; tamen aliqua pars ejus permanſit in ſuo ſtabilita loco: ex qua, ut refert Arculfus qui eam propriis conſpexit oculis, adhuc quoddam * truncatum remanet ſpurium radicatum in terra, eccleſiæ protectum tegmine, menſuram quaſi duorum longitudinis virorum habens: de quo videlicet conſo * ſpurio ex omni parte ſecuribus circumciſo, haſtellarum ad diverſas orbis provincias particulæ aſportantur ob ejuſdem quercus venerationem & recordationem, ſub qua (ut ſperius commemoratum eſt) Angelorum quondam conventio ad Abraham Patriarcham famoſa & prædicabilis fuerat condonata. In circuitu ejuſdem eccleſiæ, quæ ibidem ob loci illius honorificentiam conſtructa habetur, pauca quædam Religioſorum habitacula fabricata monſtrantur. Sed de his iſta ſufficiant dixiſſe, ad alia pergamus.

* Gretſero quidam truncus

* G. corroſo

XII. De pineto

Egredientibus de Chebron in campi latitudine ſita ad aquilonalem plagam, haud procul a margine viæ ad ſiniſtram, occurrit pinoſus non grandis mons, tribus milibus a Chebron diſtans: a cujus pineto pinea ad Hieroſolymam uſque in camelis vehuntur ligna ad focos nutriendos. In camelis inquam; nam in omni Judæa, ut Arculfus refert, plauſtra vel etiam currus raro repperiri poſſunt.

XIII. De Hiericho.

Hiericho urbis, quam Jeſus Jordane tranſmiſſo ſubvertit Rege illius interfecto, ſanctus noſter Arculfus conſpexit locum, pro qua Oza de Bethel ex tribu Effraim aliam exſtruxit: quam noſter Salvator ſua præſentia viſitare dignatus eſt. Quæ eodem tempore, quo Hieruſalem Romani obſedebant, propter civium perfidiam capta & deſtructa eſt, pro qua tertia condita eſt, quæ poſt multa temporum intervalla & ipſa ſubverſa eſt: cujus nunc quædam (ut Arculfus refert) ruinarum veſtigia monſtrantur. Mirum dictu! ſola domus Rahab poſt tres in eodem loco deſtructas civitates remanſit, quæ duos exploratores quos Jeſu-bennun * tranſmiſit, in ſolario ejuſdem domus ſuæ lini ſtipula abſcondit: cujus lapidei parietes ſine culmine permanent. Locus vero totius urbis ab humana deſertus habitatione, nullam domum habens commorationis, ſegetes & vineta recipit. Inter locum ejuſdem deſtructæ civitatis & Jordanem fluvium grandia inſunt palmeta, in quorum medio campuli interpoſiti habentur, in quibus quorumdam Channaneæ ſtirpis homuncionum prope innumeræ ſunt fabricatæ habitantium domus.

* id eſt Joſue filius Nun

XIV. De Galgalis

Arculfus ſæpe memoratus quamdam grandem eccleſiam in Galgalis fundatam vidit, eo in loco conſtructam, in quo filii Iſrael Jordane tranſgreſſo caſtra metati primam in terra Chanaan manſionem habuere.

XV. De duodecim lapidibus. Joſue 4.

In qua videlicet eccleſia idem ſanctus Arculfus illos conſideravit duodenos lapides, de quibus ad Joſue Dominus poſt tranſitum Jordanis locutus eſt, dicens: *Elege duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus, & præcipe eis ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi Sacerdotum ſteterunt pedes, duodecim duriſſimos lapides, quos ponetis in loco caſtrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria*. Hos, inquam, Arculfus viderat: e quibus ſenos in dextera eccleſiæ parte in pavimento jacentes, & alios ejuſdem numeri in aquilonali, omnes inpolitos & viles conſpexit: quorum unumquemque (ut ipſe refert Arculfus) hujus temporis duo juvenes viri fortes vix poſſunt de terra ſublevare. Ex quibus unus, quo caſu accidente neſcitur, in duas confractus partes, iterum ferro condenſatus, manu artificis conjunctus eſt. Galgal itaque, ubi ſupra memorata fundata eſt eccleſia, ad orientalem antiquæ Hiericho plagam cis Jordanem eſt in ſorte tribus Juda, in quinto miliario ab Hiericho: ubi & tabernaculum fixum multo tempore fuit, in cujus loco (ut traditur) eſt eccleſia ſupradicta conſtructa, in qua illi duodeni ſupra memorati habentur lapides, ab illius regionis mortalibus miro cultu & honorificentia habita honorificatur.

XVI. De illo Jordanis loco, ubi Dominus ab Joanne baptizatus eſt.

Ille ſacroſanctus & honorabilis locus, in quo Dominus ab Joanne baptizatus eſt, ſemper aquis fluminis tegitur Jordanis: &, ſicut Arculfus refert qui ad eumdem pervenerat locum, hucque & illuc per eumdem tranſnatavit fluvium, in eodem ſacroſancto loco lignea crux ſumma infixa eſt, juxta quam aqua uſque ad collum longiſſimi venit ſtantis viri; aut alio in tempore nimiæ ſiccitatis aquis imminutis ad mammillas uſque: inundatione vero facta majore, illa tota crux aquarum adjectione protegitur. Locus itaque ejuſdem crucis, in quo (ut ſuperius dictum eſt) Dominus baptizatus eſt, citra alveum fluminis habetur: a quo uſque in alteram ripam in parte Arabiæ homo fortis jactare lapidem poteſt funda inpellente. Igitur a loco ſupra memoratæ crucis pons lapideus arcubus fultus ad aridam uſque porregitur, per quem ipſam adeuntes crucem, per clivium homines deſcendunt, ad aridam reverſi adſcendunt. In extremitate vero fluminis quædam habetur parva quadrata eccleſia, in eo (ſicut traditur) fundata loco, ubi dominica veſtimenta hora illa cuſtodita ſunt, qua baptizatus eſt Dominus. Hæc quatuor lapideis ſuffulta cancris, ſtat ſuper aquas inhabitabilis: quia ſub ipſam hinc & inde ſubintrant aquæ. Hæc deſuper coctili protegitur creta: inferius vero, ut dictum eſt, cancris & arcubus ſuſtentata. Hæc talis eccleſia in locis infe-

Digitized by Google

inferioribus illius vallis exſtat, per quam influit Jordanis fluvius. In ſuperioribus vero locis quoddam ineſt grande Monachorum Monaſterium, quod ſupra deſcriptæ ſupereminet eccleſiæ in ſupercilio monticuli e regione conſtructum: ibidemque & eccleſia in honore ſancti baptizatoris Joannis fundata, eodem Monaſterii circumdatur muro, quadratis conſtructo lapidibus. CIRCA AN. 705 23. Sept.

Jordanici color fluminis, ſicut nobis Arculfus intimavit, albidus in ſuperficie quaſi lac videtur: cujus talis color mare ſalinarum intrantis longo tramite a colore maris Mortui per alveum ejus facile diſcerni poteſt. XVII. De colore Jordanis.


Quod videlicet Mortuum mare in magnis tempeſtatibus fluctuum colliſione ad terras ſal efficit per illius circuitum maris abundanter haberi: quod non ſolum undique vicinis, ſed etiam longe poſitis nationibus valde magnum profectum præbet, ſolis colore ſatis ſufficienter ſiccatum. Aliter vero ſal in quodam Siculo monte haberi ſolet. Nam illius montis lapides de terra evulſi, verum naturaliter ſalſiſſimum ſal eſſe guſtu comprobantur, quod proprie nominatur ſal terræ. Aliter ergo ſal maris atque aliter ſal terræ vocitari ſolet. Unde & Dominus in Evangelio per ſimilitudinem ad Apoſtolos dixiſſe creditur: *Vos eſtis ſal terræ*, &c. De hoc itaque ſale terræ in Siciliæ monte reperto nobis ſanctus intimavit Arculfus, qui illud per aliquot dies in Sicilia manens viſu & guſtu atque tactu comprobavit eſſe verum ſalſiſſimum ſal. Idem nobis & de maris Mortui ſale narravit; quod ſimiliter iiſdem tribus ſupradictis ſenſibus a ſe comprobatum nuntiavit: qui etiam ejuſdem ſuperius memorati lacus maritimam frequentavit oram, cujus longitudo uſque ad Zoaros Arabiæ ſtadiis quingentis octuaginta dirigitur, latitudo ſtadiis centum quinquaginta uſque ad viciniam Sodomorum. XVIII. De mari Mortuo. Matth. 5.

Arculfus noſter & ad illum pervenit locum in provincia Phœnicis, ubi Jordanis ad Libani radices de duobus vicinis fontibus emergere videtur: quorum unum nomine Jor, & alter Dan vocitatur: qui ſimul mixti compoſitum Jordanis accipiunt nomen. Sed notandum, non eſſe in Panio exordium Jordanis, ſed in Traconitide terra 120. interjectis ſtadiis uſque ad Cæſaream Philippi, quæ nunc Panias a Panio monte tractum nomen accipiens vocitatur. Eſt ergo illius fontis nomen, qui eſt in Trachonitide, Fiala, plena aquarum ſemper, unde Jordanis ſubterraneis meatibus derivatur, & in Panio diviſus, aquarum effuſionibus ebullit: quæ (ut ſupra dictum eſt) Jor & Dan nominari ſolent. Unde quoque emergentes & interjecto quodam intervallo in unum confluentes fluvium coeunt: qui exinde ſuum dirigens curſum, 120. ſtadia ſine ulla interfuſione uſque ad urbem, cui nomen eſt Julias, progreditur. Poſtea lacum qui Genezar dicitur, medio tranſit fluento: quibus ex locis plurima circumvagatus deſerta, Aſfaleo ſuſcipitur lacu, atque in eum conditur. Itaque duos lacus victor egreſſus, in tertio hæret. XIX. De Jordanis binis fontibus.

Noſter ſæpe memoratus ſanctus Arculfus mare Galileæ, quod & lacus Cinereth & mare Tiberiadis nominatur, ex majore circumivit parte, cui magnæ finitimæ adhærent ſilvæ. Lacus * ipſi veluti quoddam mare ampliſſimis in longitudinem 140. ſtadiis extenditur, latitudine 40. diffunditur: cujus aquæ dulces & ad potandum ſunt habiles, ſiquidem nec paluſtris uliginis craſſum aliquid aut turbidum recipit: quia arenoſo undique litore circumvenitur, unde & purior hauſtus ejus ac melior eſt ad uſum. Genera quoque piſcium guſtu & ſpecie nuſquam in alio loco præſtantiora repperiri poſſunt. Hæc brevia de Jordanis exordio & lacu Cinereth, partim de tertio Judaicæ captivitatis libro, partim de ſancti Arculfi experientia excerpta retulimus: qui, ut ipſe indubitanter refert, ab eo loco quo de faucibus maris Galileæ Jordanis egreditur, uſque ad eum locum ubi in mare Mortuum intrat, 8. dierum iter habuit: quod ſcilicet idem mare ſalſiſſimum & de montis Oliveti ſpecula ſæpius (ſicut ipſe narrat) ſanctus proſpexit Arculfus. XX. De mari Galileæ. * Corb. Latus ipſius

Arculfus Sacerdos ſanctus regionem Samariæ peragrans, ad ejuſdem provinciæ pervenit civitatem, quæ Hebraice dicitur Sichem, Græca vero & Latina conſuetudine Sicima nominatur: quæ, quamlibet vitioſe, Sichar vocitari ſolet. Itaque prope hanc eamdem civitatem, quamdam extra murum vidit conſtructam eccleſiam, quæ quadrifida in quatuor mundi cardines formata extenditur, quaſi in ſimilitudinem crucis, cujus figura inferius deſcribitur. XXI. De puteo Samariæ.

CIRCA JAN. 705 23. Sept.



In cujus medietate fons Jacob, qui & puteus dici ſolet, ad ejus quatuor reſpiciens partes, intrinſecus medius habetur, ſuper quem Salvator itineris labore fatigatus, cujuſdam diei hora ſedebat ſexta, & ad eumdem puteum illa Samaritana mulier eodem meridiano tempore aquam haurire venit. De quo videlicet puteo eadem mulier inter cetera ad Dominum reſpondens dixit: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.* (Joan. 4.) Arculfus itaque qui de ejuſdem putei bibit aqua, & de illius altitudine enarrat dicens: Ille quem adſpexi puteus altitudinis habet bis vicenas orias, hoc eſt 40. cubitos. Oria ergo ſive cubitus eſt utriuſque manus a latere extenſio utroque. Sichem ergo, quæ & Sicima, quondam ſacerdotalis civitas & fugitivorum, habetur in tribu Manaſſe & in monte Effraim: ubi & oſſa Joſeph ſunt humata.

XXII. De quodam fonticulo ſolitudinis.

Arculfus ſæpe memoratus quemdam in deſerto lucidum fonticulum adſpexit, de quo (quemadmodum traditur) ſanctus Joannes bibebat baptizator, lapideo protectum tecto, calce perlito.

XXIII. De locuſtis & ſilveſtri melle.

De eodem namque Joanne Evangeliſtæ ſcribunt: *Eſca autem ejus erant locuſtæ & mel ſilveſtre.* Idem noſter Arculfus in illa ſolitudine, ubi Joannes habitabat, quoddam locuſtarum vidit minimum genus, quarum corpuſcula in modum digiti manus, exilia & brevia ſunt: & quia earum brevis eſt volatus ſimilis levium ſaltibus ranarum, facile in herbis capiuntur; & coctæ per oleum, pauperem præbent victum. De melle vero ſilveſtri hanc ab Arculfo experientiam didicimus, ita dicente: In eodem deſerto quaſdam videram arbores, quarum folia lata & rotunda ſunt lactei coloris & ſaporis mellei, quorum utique foliorum natura fragilis valde eſt: & qui ea in eſcam ſumere cupiunt, primum manibus confricant, deinde comedunt: & hoc eſt ſilveſtre mel, in ſilvis ſic repertum.

XXIV. De illo loco in quo Salvator 5. panes & duos benedixit piſces.

Ad quem locum noſter ſæpe memoratus pervenit Arculfus: cujus herboſus & planus campus ex qua die in eo Salvator 5. millia quinque panibus & duobus piſcibus ſaturavit, numquam aratus eſt. In quo nulla cernuntur ædificia: quaſdam ſolummodo columnas paucas Arculfus adſpexit lapideas, ſuper marginem illius fonticuli jacentes, de quo illi eadem biberunt (ut fertur) die, qua Dominus eſurientes eos tali refectione recreavit: qui videlicet locus citra mare Galileæ eſt, reſpiciens civitatem Tiberiadem ab auſtrali plaga ſibi occurrentem.

XXV. De Capharnaum.

Qui ab Hieroſolymis deſcendentes Capharnaum adire cupiunt, ut Arculfus refert, per Tiberiadem via vadunt recta: deinde ſecus lacum Cinereth, quod eſt & mare Tiberiadis & mare Galileæ, locumque ſuperius memoratæ benedictionis pervium habent: a quo per marginem ejuſdem ſupra commemorati ſtagni non longo circuitu Capharnaum perveniunt maritimam, in finibus Zabulon & Neptalim: quæ, ut Arculfus refert qui eam de monte vicino proſpexit, murum non habens, anguſto inter montem & ſtagnum coartata ſpatio, per illam maritimam oram longo tramite protenditur, montem ab aquilonali plaga, lacum vero ab auſtrali habens, ab Occaſu in Ortum extenſa dirigitur.

XXVI. De Nazareth.

Civitas Nazareth, ut Arculfus qui in ea hoſpitatus eſt, narrat, & ipſa ut Capharnaum murorum ambitum non habet, ſupra montem poſita; grandia tamen lapidea habet ædificia, ibidemque duæ pergrandes habentur constructæ eccleſiæ: una in medio civi-

civitatis loco ſuper duos fundata cancros, ubi quondam illa fuerat ædificata domus, in qua noſter nutritus eſt Salvator. Hæc itaque eadem Eccleſia duobus (ut ſuperius dictum eſt) tumulis & interpoſitis arcubus * ſubfulta, habet inferius inter eoſdem tumulos lucidiſſimum fontem conlocatum, quem totus civium frequentat populus, de illo exhauriens aquam, & de latice eodem ſurſum in Eccleſiam ſuperædificatam aqua in vaſculis per trocleas ſubregitur. Altera vero Eccleſia in eo fabricata habetur loco, ubi illa fuerat domus conſtructa, in qua Gabriel Archangelus ad beatam Mariam ingreſſus, ibidem eadem hora ſolam eſt locutus inventam. Hanc de Nazareth experientiam a ſancto didicimus Arculfo, qui in illa duabus hoſpitatus eſt noctibus & totidem diebus: & idcirco in ea diutius hoſpitari non poterat, quia ipſum cogebat locorum peritus Chriſtus miles feſtinare, de Burgundia ortus, vitam ducens ſolitariam, PETRUS nomine, qui poſt eumdem circuitum ad illum in quo prius commoratus reverſus eſt ſolitarium locum.

CIRCA AN. 705

23. Sept.

* Corb. arcibus.

XXVII. De monte Thabor.

Mons Thabor in Galilæa tribus milibus a lacu Chenereth diſtat, mira rotunditate ex omni parte collectus, a parte boreali reſpiciens ſupradictum ſtagnum; herboſus valde & floridus. In cujus amœna ſummitate ampla planities, ſilva prægrandi circumcincta habetur: cujus in medio campo Monachorum ineſt grande Monaſterium, & plurimæ eorumdem cellulæ. Nam illius montis campeſtris vertex, non in anguſtum coartatur cacumen, ſed in latitudinem dilatatur ſtadiorum viginti quatuor, altitudo autem ejus triginta ſtadiis ſublimatur.

In eadem quoque ſuperiori platea, non parvi ædificii ternæ fundatæ ſunt Eccleſiæ celebres, juxta illorum tabernaculorum numerum, de quibus in eodem ſancto monte Petrus cœleſti lætificatus viſione, & valde pavefactus, ad Dominum locutus, ait: *Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, & Moyſi unum, & Eliæ unum*. Itaque ſupra memorati Monaſterii, & trium Eccleſiarum ædificia cum cellulis Monachorum, lapideo omnia circumveniuntur muro: ubi ſanctus Arculfus una hoſpitatus eſt nocte in ejuſdem ſancti montis celſitudine. Nam PETRUS Burgundio Chriſticola, in illis terris ſemitarum ejus ductor, non ipſum ſinebat in uno eodemque hoſpitio diutius immorari, feſtinationis intuitu.

Matth. 17.

Sed inter hæc & hoc eſt notandum, quod illius famoſi montis nomen, Græcis literis ſic oporteat ſcribi per θ & ω longum Θαζώρ: Latinis vero literulis cum aſpiratione Thabor; producta o litera. Hujus orthograghia vocabuli in libris Græcitatis eſt inventa.

XXVIII. De Damaſco.

Damaſcus civitas regalis magna, ut Arculfus refert, qui in illa per aliquot hoſpitatus eſt dies, in campo poſita lato, amplo murorum eſt ambitu circumcincta, inſuper & crebris turribus communita; plurima extra muros habens oliveta, quam & magna flumina quatuor interfluentia gaudenter lætificant. In qua Saracenorum Rex adeptus eſt principatum, & regnat; & ibidem in honore S. Joannis Baptiſtæ grandis fundata eſt Eccleſia. Quædam etiam Saracenorum Eccleſia incredulorum & ipſa in eadem civitate, quam ipſi frequentant, eſt fabricata.

XXIX. De Tyro.

Plurimarum peragrator regionum noſter Arculfus, etiam Tyrum Phœnicis provinciæ metropolim introivit, quæ Hebraico & Syro ſermone Soar appellatur, quæ nullum habuiſſe de terra introitum in Græcis & Latinis barbariſque hiſtoriis legitur. Sed poſtea a Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum jactos eſſe aggeres nonnulli adfirmant, & ab oppugnatore jaculis & arietibus locum fuiſſe præparatum, ac deinde inſulam factam eſſe & campi planitiem. Hæc pulcra & nobilis valde erat, quæ non immerito latine interpretatur anguſtia: nam eamdem terræ demenſionem anguſta habet inſula & civitas. Hæc in terra Chanaan poſita eſt, de qua mulier Chananæa ſive Tyrophœniſſa in Evangelio fuerat commemorata.

Notandum itaque eſt, quod ſancti Arculfi de ſitu Tyri relatio per omnia concordat cum his, quæ ſuperius de ſancti Hieronymi commentariis excerpta detulimus. Similiter & ea quæ ſupra de montis Thabor ſitu & forma juxta ſancti Arculfi narrationem deſcripſimus, nullo diſcrepant modo ab his, quæ de ſitu ejuſdem montis & mira rotunditate ſanctus Hieronymus narrat: a quo videlicet Thabor monte uſque ad Damaſcum iter ſeptem * dierum Arculfus habuit.

* al. octo

XXX. De Alexandriæ ſitu & Nilo flumine.

Grandis illa civitas, quæ quondam metropolis Ægypti fuerat, Hebraice olim No vocitabatur: urbs valde populoſa; quæ ab Alexandro Rege Macedonum ejuſdem conditore famoſo, Alexandria noto per univerſas gentes nominatur vocabulo, & magnitudinem urbis & nomen accipiens ab eodem reædificatore. De cujus ſitu etiam Arculfus enarrans, ab his quæ prius lectione didicimus, nullo diſcrepat modo. Qui ab Hieroſolymis deſcendens, & ab Joppe navigare incipiens, 40. * dierum iter uſque ad Alexandriam habuit, de qua breviter Naum Prophetæ ſermo habetur, ita dicentis: *Aqua in circuitu ejus*: cujus divitiæ, mare; aquæ, muri ejus. Ab auſtrali namque parte oſtiis Nili fluminis cingitur, ab aquilonali vero plaga, lacu Mareotico. Sic itaque deſcriptus aperte ſitus monſtratur ejus, quod ſuper Nilum & mare poſita, hinc & inde aquis ambiatur: quæ quaſi clauſtrum inter Ægyptum & mare magnum interjacet, civitas importuoſa & ab externo difficilis acceſſu. Cujus portus ceteris diffi-

* ſic

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23.Sept. difficilior, quaſi ad formam humani corporis in capite ipſo & ſtatione capacior, in faucibus vero anguſtior, qua meatus maris ac navium ſuſcipit, quibus quædam ſpirandi ſubſidia portui ſubminiſtrantur. Ubi quis anguſtias atque ora potius evaſerit, tamquam reliqua corporis forma, ita diffuſio maris longe lateque extenditur. In ejuſdem dextera parte portus parva inſula habetur, in qua maxima turris eſt, quam in commune Græci ac Latini ex ipſius rei uſu Pharum vocitaverunt, eo quod longe a navigantibus videatur, ut priuſquam in portum adpropinquent nocturno tempore, terram finitimam ſibi & propinquam eſſe flammarum incendio cognoſcant: ne tenebris decepti in ſcopulos incidant, aut ne veſtibuli limitem nequeant comprehendere. Sunt itaque illic miniſtratores, per quos ſubjectis facibus ceteriſque lignorum ſtruibus adoletur ignis, quaſi terræ & prænuntius & index, portenſium faucium demonſtrans ingredienti anguſtias, undarum ſinus & veſtibuli anfractus: ne tenuis carina perſtringat cautes, & in ipſo ingreſſu inter opertos fluctibus ſcopulos offendat. Itaque directum curſum paulliſper inflecti oportet, ne cœcis illiſa ſaxis ibi incurrat navis periculum. Anguſtior enim aditus in portu eſt, qui a dextera parte laterali artatur; a læva vero latus eſt portus. Circa inſulam ergo inſtructæ ingentis magnitudinis moles dejiciuntur, ne aſſiduo adſurgentis impetu maris, inſulæ colliſa cedant fundamenta, atque ventorum injuria ſolvantur. Unde procul dubio fit, ut in adverſo inter ſcrupeas rupes moleſque diſruptas canalis ille medius ſemper ſit inquietus atque exaſperans, toto tranſitu periculoſus fiat navis ingreſſus. Amplitudo autem portus ſtadiorum triginta patet dimenſione. Et quamvis maxima tempeſtas ſit, intus tutiſſimus eſt portus converſatione; qui a ſupra memoratis

* f. quoniam anguſtiis atque objectu inſulæ a ſe maris repellit undas: quam * per eaſdem portueuſis litoris anguſtias totius diſtenſus ſinus ſubmovetur a tempeſtatibus, placidatur a frigoribus, per quas ingreſſus exaſperatur. Nec immerito vel tutamen, vel magnitudo hujus portus eſt ejuſmodi: cum in eum quæ ad uſum totius orbis proficiant, convectari neceſſarium

* f. orbis ſit. Nam & populi innumerabiles eorumdem locorum ad uſum ſui totius urbis * expetunt commercia, & frugum regio eſt ferax ceterorumque terræ munerum vel negotiatorum abundans, totum frumento alit atque inſtruit neceſſariis mercibus orbem terrarum. Cui ſcilicet tali regioni, quæ procul dubio pluviarum indigua eſt, Nili irrigua ſpontaneos imbres miniſtrant, ubi utrumque arva temperat, hoc eſt cœli ubertas & terræ fecunditas; & ubi opimentum nautis & agricolis ſolum commodum habetur. Hi navigant, illi ſerunt: iſti circumvehunt navigiis, illi excolunt terram ſine aratro ſerentes, viantes ſine carpento. Diſtinctam fluentis cernas regionem, & quaſi quibuſdam excelſa mœnibus navigiorum totis domicilia terris, quæ Nili fluminis riparum marginibus ex utraque cohærent parte. Navigabilis enim eſt uſque ad urbem (ut appellant) Elephantorum: ulterius navem procedere cataractæ, hoc eſt fluminales aquarum colles non ſinunt, non defectu gurgitis, ſed totius fluminis præcipitis & quadam ruina currentium aquarum. Sancti igitur Arculfi relatio de Alexandriæ ſitu & Nili non diſcrepare comprobatur ab his, quæ in aliorum libris ſcripta ex lectione cognovimus: de quibus quædam brevi textu excerpta in hac præſenti deſcriptione interpoſita inſeruimus, hoc eſt de illius importuoſitate urbis vel portuenſi difficultate, de inſula & turre in ea conſtru-

* Vatic. vel cta, de Alexandnia inter * mare vel oſtia fluminis Nili terminata poſitione, & de ceteris. Quæ procul dubio cauſa facit, ut ejuſdem civitatis locus, qui ita ex duabus coartatus partibus ſtrangulatur, longo valde & anguſto tramitis ſpatio ab Occaſu in Ortum protenditur: quod etiam Arculfi narratio demonſtrat: quia ut ipſe refert, hora diei tertia cœpit intrare in civitatem menſe Octobri, per longitudinem deambulans urbis: & vix ante veſpertinum tempus ad extremitatem longitudinis ejus pervenire poterat. Hæc longo murorum ambitu crebris inſuper turribus communitorum, per marginem fluminis & oram curvi maris ambitur compoſitorum. Item de parte Ægypti adventantibus, & urbem intrantibus Alexandrinam, ab aquilonali propinquo latere occurrit grandis ſtructuræ eccleſia, in qua MARCUS Evangeliſta in terra humatus jacet: cujus ſepulcrum ante altare in orientali ejuſdem quadrangulæ loco eccleſiæ Memoria ſuperpoſita marmoreis lapidibus conſtructa monſtratur.

* Hic articulus deeſt in cod. Vaticano * Hæc itaque de Alexandria, quæ prius quam ab Alexandro Magno in majus aucta ædificaretur, No (ut ſupra dictum eſt) vocitabatur: cui (ut ſuperius dictum eſt) oſtium Nili fluminis cohærens, quod Conopejum nominatur, Aſiam cum Ægypto & Libyam diſterminat. Ob cujus itaque Nili fluminis inundationem Ægyptii excelſos aggeres circa ripas ejus conſtruunt: qui ſi cuſtodum negligentia vel nimia aquarum eruptione rupti fuerint, ſubjacentes campos nequaquam rigant, ſed opprimunt & populantur. Ob quam cauſam plurimi qui plana Ægypti incolunt, ut ſanctus refert Arculfus qui eumdem fluvium in Ægypto means ſæpe tranſmeavit, in domibus, tranſverſis trabibus ſuffultis, aquas ſupra inhabitant.

XXXI. De crocodilis Nili fluminis. Crocodili, ut Arculfus refert Sacerdos, in Nilo fluvio aquaticæ commorantur quadrupedes beſtiæ, non grandes, valde edaces, & in tantum validæ, ut etiam una ex eis, ſi forte equum vel aſinum vel bovem juxta ripam fluminis herbam carpentem invenire poterit, ſubita irruptione emergens invadat, & vel etiam animantis unum pedem mordens, & ſub aquas trahens penitus totum devoret animal.

IN-

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23. Sept.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT I. De *Conſtantinopolitana civitate*.
II. *De conditione ejuſdem civitatis*.
III. *De illa eccleſia in qua Crux Domini habetur*.
IV. *De ſancto* GEORGIO *martyre*.
V. *De Imagine S.* MARIAE.
VI. *De monte Vulcanio*.

ARCULFUS ſæpe memoratus Alexandria reverſus, per aliquot dies in Creta hoſpitatus inſula, & ab ea navigans Conſtantinopolim appetivit, in qua per aliquot demoratus eſt menſes: quæ procul dubio Romani eſt metropolis Imperii, undique mari circumdata, excepta aquilonali parte illius, quod mare 60. millibus paſſuum a mari magno erumpens, ad murum uſque civitatis extenditur: a muro vero Conſtantinopoleos uſque ad oſtia Danubii fluminis 40. * milibus hoc idem protenditur mare. Hæc itaque imperatoria civitas non parvo murorum ambitu per 12. millia paſſuum circumcincta, angulos juxta ſitum maris habens per maritimam (ut Alexandria ſive Carthago) conſtructos oram, & ad Tyri ſimilitudinem crebris inſuper turribus communitos muros, domus intra civitatis mœnia habet numeroſas: ex quibus plurimæ miræ magnitudinis lapideæ inſtar Romæ habitaculorum conſurgunt. CAP. I. De Conſtantinopoli. * Gretſero 60.

De cujus conditione hanc traditionem cives a majoribus promulgatam enarrant, dicentes: Imperator Conſtantinus infinita hominum multitudine congregata, & undique infinitis ſumtibus pene nuditate omnium civitatum collectis, urbem ſui participem nominis in Aſiæ parte, hoc eſt in Cilicia, interjecto mari, quod in illis finibus inter Aſiam & Europam diſterminat, ædificare cœpit. Quadam vero nocte cum innumerabiles operatorum exercitus per immenſam caſtrorum longitudinem in papilionibus dormirent, omnia ferramentorum genera, quibus diverſorum operum artifices uti conſueverant, ſubito quomodo ſint ſublata, neſcitur. De quorum ſubitanea & improviſa ſublatione cum primo mane ad Imperatorem Conſtantinum plurimi operatores mœſtitia moleſtati querimoniam detuliſſent, Rex conſequenter inquirit dicens: Si alias res de caſtris ſubtractas audiſtis? Nullas, inquiunt, exceptis omnium operum ferramentis. Tum deinde Rex præcepit inquiens ad eos: Ite citius, & circumeuntes ultra citraque per maritimas regionum oras conterminarum luſtrate: & ſi in aliquo agrorum loco forte veſtra repereritis ferramenta, ibidem interim ea cuſtodite, & illa huc non reportetis; ſed ad me aliquos ex vobis reverti facite, ut pro certo ſcire poſſim de ferramentorum repertione. Quibus auditis operarii obſequuntur ſermonibus a Rege deſcriptis vel dictis: & exeuntes, ſicuti fuerant juſſi, luſtratis hinc & inde ponto, vicinis agrorum terminis; & ecce in Europæ parte ultra mare ferramentorum congeriem reperiunt & inter duo maria in unum congregatam. Loco reperto ad Regem ex eis aliqui veniunt remiſſi, & inventa nuntiant ferramenta in tali loco. Quo comperto Rex continuo tubicines per caſtrorum circuitum tubis jubet canere & exercitum movere caſtra, dicens: Commigremus hinc ad ædificandam civitatem in loco nobis divinitus deſignato: ſimulque præparatis cum univerſo exercitu navibus, ad locum repertorum ferramentorum transfretavit, quem videlicet locum in tali eorum translatione cognovit ſibi a Deo præparatum deſignari. In quo & ipſe continuo civitatem condidit, quæ compoſito nomine ex proprio ejus vocabulo & appellativa civitatis Græca nominatione Conſtantinopolis vocitatur, ut conditoris vocamen in priore ineat compoſitionis parte. Hæc de ſitu & conditione illius regiæ urbis deſcripta ſufficiant. II. De ejus conditione.

Ceterum de celeberrima ejuſdem civitatis rotunda miræ magnitudinis lapidea eccleſia ſilere non debemus: quæ, ut ſanctus Arculfus refert, qui eam non brevi frequentavit tempore, ab imo fundamentorum in tribus conſurgens parietibus, triplex ſupra illos altius ſublimata, rotundiſſima & nimis pulcra ſimplici conſummatur culminata camera. Hæc arcubus ſuffulta grandibus, inter ſingulos ſupra memoratos parietes latum habet ſpatium vel ad inhabitandum, vel ad exorandum Deum aptum & commodum. Interioris domus aquilonali in parte pergrande & valde pulcrum monſtratur armarium, in quo capſa habetur lignea, quæ ſimiliter ligneo ſuperclauditur operculo, in quo ſalutare habetur reconditum Crucis lignum, in quo noſter Salvator pro humani generis ſalute ſuſpenſus paſſus eſt: quæ videlicet prædicabilis capſa, ut ſanctus refert Arculfus, in tribus continuis diebus poſt expletum annum ſuper aureum altare cum tali elevatur pretioſo theſauro: quod utique altarium in eadem habetur rotunda eccleſia, duos longitudinis habens cubitos & unum latitudinis. In ternis, inquam tantummodo anniverſariis ſibi ſuccedentibus diebus dominica Crux ſuper altare elevata ponitur, hoc eſt in Cœna Domini, qua die Imperator & exercitus militum eccleſiam intrantes & ad illud accedentes altare, aperta illa ſacroſancta capſella ſalutarem oſculantur Crucem. Primus ante omnes Imperator orbis illam inclinato oſculatur vultu: deinde juxta conditionum vel ætatum ordinem unus poſt unum accedens, III. De eccleſia in qua Crux Domini habetur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 705 23. Sept.

honorabile oſculatur patibulum. Proinde craſtino die, hoc eſt ſexta feria ante Paſcha, Reginæ, matronæ, & omnes populi mulieres, ſupra memorato ordine accedunt, cum omni veneratione oſculantes. Tertia die, hoc eſt ſabbato paſchali, Epiſcopi & univerſus poſt eum Clerus cum timore & tremore & omni honorificentia accedunt ordinatim, victoriale oſculantes lignum in ſua poſitum capſa: finitiſque ſanctis & lætificis talibus ſacroſanctæ Crucis oſculationibus, illa venerabilis capſa ſuperclauditur, & ad ſuum cum tam honorifico theſauro reportatur armarium. Sed & hoc non negligenter intuendum, quod non duo, ſed tria ibidem inſtar crucis habeantur brevia ligna, hoc eſt tranſverſum lignum, & longum, inciſum & in duas æquas diviſum partes: e quibus tripertitis honorificabilibus lignis, quando illa aperitur capſa, miri odoris fragrantia acſi omnium florum inibi collectorum mirabili plena ſuavitate exoritur, ſatians & lætificans omnes in propatulo intra illius eccleſiæ parietes interiores poſitos, qui eodem temporis ſpatio intrantes ſtant. Nam de nodis eorumdem trinalium lignorum liquor quidam odorifer, quaſi in ſimilitudinem olei expreſſus, talem facit univerſos intrantes ex diverſis gentibus adgregatos ſupra memoratam ſentire ſuaviſſimi odoris fragrantiam: cujus videlicet liquoris ſi etiam parvula quædam ſtillula ſuper ægrotantes imponatur, qualicumque languore vel morbo moleſtati, plenam recuperant ſanitatem. Sed de his iſta ſufficiant deſcripſiſſe.

IV. De ſancto Georgio.

Arculfus homo ſanctus, qui nobis hæc omnia de dominica Cruce narravit, quam ipſe propriis conſpexit oculis & oſculatus eſt; aliam nobis de alio Confeſſore, GEORGIO nomine, relationem contulit, quam in Conſtantinopoli urbe a quibuſdam expertis didicit civibus, qui hoc modo narrare ſoliti eidem dicebant.

In Dioſpoli civitate, cujuſdam Confeſſoris Georgii in quadam domo ſtatua marmorea in columna, contra quam alligatus perſecutionis tempore flagellatus eſt, formula depicta eſt: qui tamen poſt flagellationem ſolutus e vinculis, multis vixit annis. Quadam vero die cum quidam duri cordis & incredulus homuncio in equo ſedens eamdem intraſſet domum; eamdem videns marmoream columnam, ab his qui ibidem inerant interrogabat dicens: Cujus eſt imago in marmorea columna formata? Quibus reſpondentibus & dicentibus: Georgii Confeſſoris hæc figura eſt, qui ad hanc vinculatus & caſtigatus eſt columnam. Quo audito ille ſtolidiſſimus homunculus, valde iratus contra inſenſibilem rem, ſancti Confeſſoris formulam inſtigante diabolo lancea percuſſit. Quæ videlicet ejuſdem adverſarii lancea, quaſi per globum nivis mollem mirum in modum facile penetrans, lapideam illam perforavit columnam exteriori parte ejus: cujus ferrum interius inhærens retentum eſt, nec unquam quoquo modo retrahi potuit. Haſtile autem ad ſancti colliſum Confeſſoris marmoream imagunculam exterius confractum eſt. Illius quoque miſelli homuncionis equus quo ſedebat, eodem momento ſub eo in pavimento domus cecidit mortuus. Ipſe autem ſimul miſellus in terram cadens, manus in illam marmoream miſit columnam, ejuſque digiti, quaſi in palme * vel luto intrantes, in eamdem impreſſi columnam inhæſerunt. Quod videns miſer qui retrahere duarum digitos manuum ad ſe non poterat, & in marmorea ſancti Confeſſoris inhærentes formula colligatos & inſertos, nomen Dei æterni & ejuſdem Confeſſoris agens pœnitentiam invocat, & ut ab eodem abſolveretur vinclo illacrymatus precatur. Quam ejus lachrymoſam pœnitudinem miſericors Dominus ſuſcipiens, qui non vult peccatoris mortem, ſed ut convertatur & vivat; non ſolum ab illo præſenti marmoreo viſibili abſolvit vinculo, ſed etiam a peccatorum inviſibilibus alligamentis fide ſalvatum ſubveniens miſericorditer liberavit. Hinc itaque manifeſte oſtenditur, quantæ & qualis honorificentiæ fuerit apud Deum Georgius ſuus inter tormenta Confeſſor, cujus thoracleam * in re natura impenetrabili penetrabilem potentia fecit, lanceaque adverſarii æque naturaliter impenetrabilem mirabiliter effecit penetrabilem, digitoſque ejuſdem homunculi infirmos in eadem natura impenetrabiles potenter penetrabiles fecit, quos in marmore vinculatos primo & ipſe durus retrahere non potuit: ſed eodem momento valde perterritus & exinde mitigatus, pœnitens Deo donante retraxit. Mirum dictu! uſque in hodiernum diem eadem bis quinorum ejus veſtigia digitorum apparent uſque ad radices, in marmorea inſertorum columna: in quorum loco ſanctus Arculfus ſuos denos proprios inſeruit digitos, ſimiliter ad radices uſque intrantes. Ejuſdem quoque homunculi ſanguis equi, cujus coxa in pavimento mortui cadentis in duas confracta eſt partes, nullo modo ablui aut deleri potuit, ſed indelebilis in pavimento domus uſque ad noſtra permanet tempora idem equinus cruor.

* Gretſerus legit politice, correxit mollicie

* G. thoracidam

Aliam quoque de eodem Georgio Confeſſore certam relationem nobis ſanctus Arculfus intimavit, quam ab expertis quibuſdam ſatis idoneis narratoribus in ſupra memorata Conſtantinopolitana urbe indubitanter didicit, qui hoc modo de illo ſancto Confeſſore pronuntiare ſoliti erant, dicentes: Quidam homunculus ſæcularis Dioſpolim civitatem in equo ſedens ingreſſus eo in tempore, quo ad expeditionem faciendam multa populorum millia undique conveniebant collecta, illam accedens intravit in domum, in qua ſupra memorata marmorea exſtat columna in ſe ſancti Confeſſoris Georgii habens depictam imaginem, ad quam quaſi ad præſentem Georgium loqui cœpit dicens:

Digitized by Google

dicens : Me tibi Georgio Confeſſori & meum commendo equum, & ut per orationem virtutum tuarum ab univerſis bellorum atque morborum, aquarumque periculis liberati, ambo hanc uſque urbem poſt expeditionis tempus incolumes reverſi perveniamus : & ſi tibi ita Deus miſericors noſtram reverſionem donaverit proſperare ſecundum optionem noſtræ parvitatis, ego hunc meum quem valde amo equum, ipſum tibi pro munere donandum offeram in conſpectu tuæ adſignaturus formulæ. Qui ſermunculis ocius terminatis domum egreſſus, inter exercitus multitudinem cum ceteris contubernalibus commeans idem homuncio, in expeditionis comitatu emigrat, qui prius multa & diverſa bellica pericula iterque miſella plurimorum millia homunculorum, quæ conſtrata diſperierant, ipſe in eodem ſuo ſedens dilecto equo ab omnibus infeſtis caſibus juxta ſupra memoratam talem exemtus commendationem, Chriſticolæ Georgio, Deo condonante, ad Dioſpolim proſpere revertitur : illamque domum in qua ejuſdem ſancti Confeſſoris habebatur imago ſecum deferens aurum in equi pretium ſui, gaudenter intrat, ſanctumque Georgium acſi præſentem alloquitur, dicens : Sancte Confeſſor, Deo æterno grates refero, qui me per tuæ celſitudinis firmitudinem orationis ſoſpitem reduxit. Propterea hos tibi viginti ſolidos auri adfero, equi pretium mei, quem tibi primule commendatum mihi uſque in hodiernum conſervaſti diem. Hæc dicens, ſupra deſcriptum auri pondus ante pedes ſancti formulæ Confeſſoris deponit, plus equum amans, quam aurum : & egreſſus foras ingeniculatione expleta, tale jumentum ſupra ſedens, ad emigrandum inſtigat quidem, ſed nullo modo moveri potuit. Quod ille homunculus videns, deſcendit de equo, reverſuſque domum intrat, alioſque decem adfert ſolidos, inquiens : Sancte Confeſſor, manſuetus quidem mihi equiti tutor in expeditione inter pericula fuiſti ; ſed tamen, ut video, durus & avarus es in commercio equi. Hæc dicens 10. ſuper 20. ſolidos adjiciens ad ſanctum dicit Confeſſorem : Et hos tibi addo ſolidos, ut mihi placabilis fias, & meum ad ambulandum reſolvas equum. Hoc dicto egreſſus iterum adſcendens equum, ad meandum incitat : qui quaſi infixus in eodem ſtabat loco, nec etiam unum poterat movere pedem. Quid plura ? poſt equum adſcenſum deſcenſumque per quatuor ſingulas vices, intrans domum, decem ſecum ſolidos adferens, & ad immobilem reverſus equum; iterum in domum regreſſus huc atque illuc currebat : & tamdiu illum nulla inſtigatione removere poterat, uſquequo numerus ſolidorum 60. adimpleretur congregatorum. Tum deinde ſupra commemoratum repetens ſermonem de ſancti Confeſſoris manſueta humanitate & tuta in expeditione cuſtodia, & de ejus quaſi duritia vel etiam in commerciis avaritia, commemoranſque talia verba, ut fertur, per quaternales ſingulas vices, in domum reverſus repetebat; ad ultimum hoc modo ſanctum alloquitur Georgium dicens : Sancte Confeſſor, nunc tuam pro certo cognoſco voluntatem. Hoc itaque juxta id quod deſideras, totum auri pondus, videlicet 60. ſolidos tibi munus offero, ipſum quoque meum equum quem tibi prius promiſeram poſt expeditionem condonandum, nunc tibi licet inviſibilibus alligamentis vinculatum condono, ſed mox, ut credo, reſolvendum per tuam Deo honorificentiam. Hoc terminato ſermone egreſſus domum, eodem horæ momento abſolutum reperit, ipſumque ſecum deducens in domum, Sancto donatum adſignavit Confeſſori in conſpectu imaginis ipſius : indeque lætabundus Chriſtum magnificans diſceſſit. Hinc manifeſte colligitur, quod omne quodcumque Domino conſecratur, ſive homo erit, ſive animal, juxta id quod in Levitico ſcriptum eſt libro, nullo modo redimi poſſit aut motari : nam ſi quis motaverit, & quod motatum eſt, & pro quo motatum, ſanctificabitur Domino, & non redimetur.

CIRCA AN. 705 23. Sept.

Levit. 17.

V. De imagine S. Mariæ.

Arculfus ſæpe memoratus & de ſanctæ MARIAE matris Domini thoracida * certam nobis relationem, quam in Conſtantinopolitana urbe ab expertis quibuſdam teſtibus didicit, indubitanter enarravit inquiens. In eadem metropolitana civitate imago beatæ Mariæ in brevi tabula figurata lignea in pariete cujuſdam domus ſuſpenſa pendebat : de qua cum quidam ſtolidus & duricors homo percunctaretur, cujus eſſet propria ; a quodam reſpondente didicit, quod eſſet ſanctæ Mariæ ſemper virginis figura faciei. Quod audiens ille Judæus incredulus, diabolo inſtigante eamdem de pariete valde iratus tulit imaginem, & ad vicinam cucurrit domum, ubi humana ſtercora per longarum foramina tabularum egeſta ſupra ſedentium ventribus egeri ſolent : ibidemque ob Chriſti ex Maria nati dehonorationem, imaginem Matris ejus per foramen ſuper humanum ſtercus inferius jacens projecit, & ipſe ſuperſedens per idem foramen alvum purgans, proprii ſtercus ventris ſuper thoracidam beatæ Mariæ paullo ante inibi depoſitam dimittens, ſtolidiſſime agens effudit, & poſt turpiſſimam illam ventris purgationem ille infeliciſſimus diſceſſit homo. Quid vero poſtea geſſit, aut quomodo vixit, vel qualem vitæ terminum habuit ; incompertum habetur. Igitur poſt illius diſceſſum maligni, alius de Chriſtianorum plebe ſupervenit, felix homo, zelotypus dominicarum rerum, ſciens quod factum fuerat, imaginem ſanctæ Mariæ requiſivit, & inter humana ſtercora abſconditam inveniens ſublevavit, & diligenter abſtergens & lavans aquis emundavit mundiſſimis, ſecumque in domo honorifice conlocatam habuit. Mirum dictu ! ex eadem beatæ Mariæ imaginis tabula verum ebul-

* G. thoraciola

CIRCA AN. 705 liens diſtillat ſemper oleum : quod Arculfus, ut referre ſolet, propriis conſpexit oculis. Hoc mirabile oleum honorem proteſtatur Mariæ matris Domini Jesu, de quo Pater
23. Sept. ait : *In oleo ſancto meo linivi eum.* Item Pſalmigraphus ad ipſum filium Dei loquitur dicens : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Hæc itaque quæ ſu-
Pſalm. 88. & 44. perius de Conſtantinopoleos ſitu & conditione, necnon & de illa rotunda eccleſia in qua ſalutare lignum reconditum habetur, & cetera ab ore ſancti Sacerdotis Arculfi intente didicimus : qui in eadem primaria Romani Imperii civitate a paſchali ſollemnitate uſque ad dominicum permanſit natalitium : poſtea exinde Romam appetens enavigavit.

VI. De monte Vulgano qui ſemper intonat.

Quædam inſula in mari magno habetur ad orientalem plagam, 12. milibus a Sicilia diſtans, in qua Vulganus mons quaſi tonitruum totis diebus & noctibus in tantum intonat, ut Siciliæ terra longius poſitæ horrifico tremore ſubmoveri putetur. Sed majus ſexta feria & ſabbato intonare videtur : qui omni tempore noctibus flammare monſtratur, diebus vero fumare. Hæc mihi Arculfus ſcribenti de eodem dictavit monte, qui propriis illum oculorum adſpexit obtutibus, nocte ignitoſum, die vero fumoſum. Ejus quoque tonitrualem ſonitum propriis aurium audivit auditibus, in Sicilia per aliquot hoſpitatus dies *.

* hucuſque codex Vaticanus.

Obſecro itaque eos quicumque breves legerint libellos, ut pro eodem ſancto Sacerdote Arculfo divinam precentur clementiam, qui hæc de ſanctis experimenta locis eorum frequentator libentiſſime nobis dictavit. Quæ & ego quamlibet inter laborioſas & prope inſuſtentabiles tota die undique conglobatas eccleſiaſticas ſollicitudines conſtitutus, vili quamvis ſermone deſcribens declaravi. Horum ergo lectorem admoneo experimentorum, ut pro me miſello peccatore eorumdem craxatore * Chriſtum judicem ſæculorum exorare non neglegat.

* ſcriptore

AN.CHR. 870

BERNARDI MONACHI FRANCI
ALIUD ITINERARIUM,

Factum in loca ſancta, anno 870.

Ex mſ. codice Bibliothecæ Remigianæ apud Remos.

1. IN nomine Domini viſendi * loca Sanctorum duobus memet ſociavi Fratribus in devotione charitatis : ex quibus unus erat ex Monaſterio beati Innocentii Beneventani, alter Hiſpanus : Francia vero eſt nativitatis meæ locus. Igitur adeuntes in Urbem, domni Pontificis Nicolai præſentiam obtinuimus cum ſua benedictione, necnon ejus auxilio peragendi deſideratam licentiam.

* ſupple cauſa

2. Inde progreſſi venimus ad Montem Garganum, in quo eſt eccleſia ſancti Michaelis ſub uno lapide, ſuper quem ſunt quercus glandiferæ, quam videlicet ipſe dicitur dedicaſſe : cujus introitus eſt ab Aquilone, & ipſa quinquaginta homines poteſt recipere in ſe. Intrinſecus ergo ad Orientem ipſius Angeli habet imaginem; ad Meridiem vero eſt altare, ſuper quod ſacrificium geritur, & præter id nullum munus ibi ponitur. Eſt autem ante ipſum altare vas quoddam ſuſpenſum, in quo mittuntur donaria, quod etiam juxta ſe alia habet altaria : cujus loci Abbas vocabatur Benignatus, qui multis præerat Fratribus.

3. De Monte autem Gargano abeuntes, per centum quinquaginta miliaria venimus ad civitatem Barrem Sarracenorum, quæ dudum ditioni ſubjacebat Beneventanorum : quæ civitas ſupra mare ſita, duobus eſt a Meridie latiſſimis muris munita; ab Aquilone vero mari prominet expoſita. Hic itaque petentes Principem civitatis illius, nomine Suldanum, impetravimus cum duabus epiſtolis omne navigandi negotium : quarum textus epiſtolarum Principi Alexandriæ, necnon & Babyloniæ, notitiam vultus noſtri vel itineris exponebat. Hi denique Principes ſub imperio ſunt Amarmomini, qui imperat omnibus Sarracenis, habitans in Bagada & Axiam, quæ ſunt ultra Hieruſalem.

4. Exeuntes autem de Barre, ambulavimus ad Meridiem 90. miliaria uſque ad portum Tarentinæ civitatis, ubi invenimus naves ſex, in quibus erant novem millia captivorum de Beneventanis Chriſtianis. In duabus nempe navibus quæ primo exierunt Affricam petentes, erant III * captivi : aliæ duæ primo exeuntes in Tripolim deduxerunt ſimiliter III.

* tria millia

5. In reliquis demum duabus introeuntes, in quibus quoque prædictus erat numerus captivorum, delati ſumus in portum Alexandriæ, navigantes diebus 30. Volentes vero progredi in litus, prohibiti ſumus a principe nautarum, qui erat ſuper 60. Ut autem nobis copia daretur exeundi, dedimus ei aureos 6.

6. Inde progreſſi adivimus Principem Alexandriæ, cui oſtendimus epiſtolam, quam nobis

Digitized by Google

nobis dedit Suldanus : quæ nihil nobis profecit, licet omnes illius epiſtolas dixerit ſe non ignorare : quo urgente dedit ei unuſquiſque noſtrum pro ſe 13. denarios : & fecit nobis litteras ad Principem Babyloniæ. Conſuetudo præterea illorum hominum talis eſt, ut quod ponderari poteſt, non aliter accipiatur niſi in pondere. Unde accidit, ut 6. apud nos ſolidi & 6. denarii faciant apud illos 3. ſolidos & 3. denarios. Hæc Alexandria mari adjacet, in qua prædicans ſanctus Marcus Evangelium, geſſit pontificale officium. Extra cujus portam orientalem eſt Monaſterium prædicti Sancti, in quo ſunt Monachi apud eccleſiam, in qua prius ipſe requievit. Venientes vero Venetii navigio tulerunt furtim corpus a cuſtode ejus, & deportarunt ad ſuam inſulam. Extra portam occidentalem eſt Monaſterium, quod dicitur ad Sanctos 40. in quo ſimiliter Monachi degunt. Ab Aquilone eſt portus illius civitatis : a Meridie habet introitum Geon ſive Nilus, qui rigat Ægyptum, & currit per mediam civitatem, intrans in mare in prædicto portu.

AN. CHR. 870

NOTA.

7. In quo intrantes navigavimus ad Meridiem diebus 6. & venimus ad civitatem Babyloniam, ubi regnavit Pharo Rex, ſub quo ædificavit Joſeph 16. horrea adhuc manentia. Dum exivimus autem in Babyloniam, cuſtodes ipſius civitatis deduxerunt nos ad Principem, qui dicebatar ADELHACHAM Sarracenus, qui ſciſcitatus eſt a nobis omne negotium itineris noſtri, de quibus ſcripta habemus Principibus. Qua de cauſa oſtendimus ei litteras de parte Principis Alexandriæ, quod nihil nobis profecit : ſed ab illo miſſi ſumus in carcerem, donec poſt dies ſex inito conſilio cum Dei auxilio tredecim denarios unuſquiſque dedit pro ſe, ſicut & ſuperius. Qui quoque fecit nobis litteras, quas quicumque viderunt, in quacumque civitate aut in quocumque loco, nihil deinceps a nobis exigere auſi ſunt. Erat enim ſecundus Imperio Amarmomini prædicti. Poſtquam vero inferius nominatas civitates ingreſſi ſumus, non prius permiſſi ſumus exire, quam chartam aut ſigilli impreſſionem acciperemus, quod uno vel duobus denariis impetrabamus. Eſt itaque in hac civitate Patriarcha domnus MICHAEL, & ſuper totum Ægyptum diſponens gratia Dei ordinem omnium Epiſcoporum, & Monachorum, & Chriſtianorum. Iſti autem Chriſtiani talem habent legem apud paganos, ut pro poſſe perſonæ ſuæ unoquoque anno ſolvant tributum prædicto Principi, ut vivant ſecure & libere. Iſtud autem tributum aut 3. aut 2. aut 1. exigit aureum, vel a viliori perſona 13. denarios. Si autem talis eſt, ut non poſſit hos 13. denarios ſolvere ; ſive ſit incola, ſive advena Chriſtianus, mittitur in carcerem, donec aut Dei pietate per Angelum ſuum liberatur, aut ab aliis bonis Chriſtianis redimitur.

8. Fluvium * Geon, Sitimulh civitatem : de Sitimulh progreſſi ſumus ad Mohalla, de Mohalla transfretavimus ad Damiatem, quæ habet ab aquilonari mari civitatem Thamis, in qua ſunt Chriſtiani multi, aut etiam Religioſi hoſpitalitate nimia ferventes. Hæc autem civitas nihil habet terræ, excepto ubi ſunt eccleſiæ, & ubi monſtratur campus Thaneos, in quo jacent trium inſtar murorum corpora eorum, qui exterminati ſunt tempore Moyſi.

* f. Per fluvium

9. In civitate Faramea ibi eſt eccleſia in honore ſanctæ Mariæ, in loco, ad quem Angelo monente fugit Joſeph cum puero & matre. In illa civitate eſt multitudo camelorum, quos ibi ab incolis illius pretio locant advenæ ad ferenda ſibi onera propter deſertum, quod habet iter dierum 6. Hujus deſerti introitus a prædicta incipit civitate. Et bene deſertum dicitur : quoniam nec herbam, nec alicujus ſeminis fructum adfert, exceptis arboribus palmarum : ſed tabeſcit ut Campania tempore nivis. Habet autem medio itinere duo hoſpitia, unum quod vocatur Albara, & alterum Albacara, in quibus negotia exercentur a Chriſtianis & paganis ejuſmodi, quæ neceſſaria ſunt iter agentibus. In eorum vero circuitu nihil præter quod dictum eſt gignit terra. In Albacara ibi eſt terra fecunda, uſque ad civitatem Gazan, quæ fuit Samſon civitas, tum * opulentiſſima omnium rerum.

* in mſ. tumis

10. Deinde venerunt Alarixa, de Alarixa in Ramula, juxta quam eſt Monaſterium beati GEORGII Martyris, ubi ipſe requieſcit. De Ramula ad Emmaus caſtellum, de Emmaus ad ſanctam civitatem Hieruſalem. Ibi habetur hoſpitale, in quo ſuſcipiuntur omnes, qui cauſa devotionis illum adeunt locum lingua loquentes Romana : cui adjacet eccleſia in honore ſanctæ Mariæ, nobiliſſimam habens Bibliothecam ſtudio prædicti * Imperatoris cum 12. manſionibus, agris, vineis & horto in valle Joſaphat. Ante ipſum hoſpitale eſt forum, pro quo unuſquiſque ibi negotians in anno ſolvit duos aureos illi, qui illud providet. Infra hanc civitatem, exceptis aliis eccleſiis, quatuor eminent eccleſiæ, mutuis ſibimet parietibus cohærentes : una videlicet ad Orientem, quæ habet montem Calvariæ, & locum in quo reperta fuit Crux Domini, & vocatur Baſilica Conſtantini : alia ad Meridiem ; tertia ad Occidentem, in cujus medio eſt ſepulcrum Domini, habens 9. columnas in circuitu ſui, inter quas conſiſtunt parietes ex optimis lapidibus : ex quibus 9. columnis, 4. ſunt ante faciem ipſius monumenti, quæ cum ſuis parietibus claudunt lapidem coram ſepulcro poſitum, quem Angelus revolvit, & ſuper quem ſedit poſt peractam Domini reſurrectionem. De hoc ſepulcro non eſt neceſſe plura ſcribere, cum dicatur Beda in hiſtoria Anglorum ſufficientia dicere, quæ & nos poſſumus referre. Hoc tamen dicendum, quod Sabbato ſancto, quod eſt vigilia Paſchæ, mane officium incipitur in eccleſia : & poſt peractum officium,

* id eſt Caroli Magni ex notatis ſupra.

NOTA.

Ki-

AN.CHR. 870 *Kyrie eleiſon* canitur, donec veniente Angelo lumen in lampadibus accendatur, quæ pendent ſuper prædictum ſepulcrum: de quo dat Patriarcha Epiſcopis & reliquo populo, ut illuminet ſibi in ſuis locis. Hic autem Patriarcha * THEODOSIUS, qui ob meritum devotionis a Chriſtianis eſt raptus de ſuo Monaſterio, quod diſtat ab Hieruſalem 15. milibus; & ibi Patriarcha conſtitutus ſuper omnes Chriſtianos, qui ſunt in terra repromiſſionis. Inter prædictas igitur 4. eccleſias eſt paradiſus * ſine tecto, cujus parietes auro radiant: pavimentum vero lapide ſternitur pretioſiſſimo, habens in medio ſui confinium 4. catenarum, quæ veniunt a prædictis quatuor eccleſiis, in quo medius dicitur eſſe mundus.

* ſupple vocabatur

* vulgo le parvis

11. Eſt præterea in ipſa civitate alia eccleſia ad Meridiem in monte Sion, quæ dicitur ſancti Symeonis, ubi Dominus lavit pedes diſcipulorum ſuorum, in qua pendet ſpinea Domini corona. In hac defuncta traditur ſancta MARIA: juxta quam verſus Orientem eſt eccleſia in honore ſancti Stephani, in loco, in quo lapidatus adſeritur. Indirectum autem ad Orientem eſt eccleſia in honore beati Petri in loco, in quo Dominum negavit. Ad Aquilonem eſt templum Salomonis, habens ſynagogam Saracenorum. Ad Meridiem ſunt portæ ferreæ, per quas Angelus Domini eduxit Petrum de carcere, quæ poſtea non ſunt apertæ.

12. De Hieruſalem in valle Joſaphat miliari, & habet villam Gethſemani cum loco nativitatis ſanctæ Mariæ, in quo eſt in honore ipſius eccleſia permaxima. In ipſa quoque villa eſt eccleſia ſanctæ Mariæ rotunda, ubi eſt ſepulcrum illius, quod ſupra ſe tectum non habet, pluviam minime patitur. In ipſo etiam loco eſt eccleſia in quo Dominus traditus eſt. Habet ibi quatuor menſas rotundas Cœnæ ipſius. In valle quoque Joſaphat eſt eccleſia in honore ſancti Leonis, in qua dicitur venturus Dominus ad judicium.

13. Inde venerunt in montem Oliveti, in cujus declivio oſtenditur locus orationis Domini ad Patrem. In latere autem prædicti montis oſtenditur locus, in quo Phariſæi deduxerunt ad Dominum mulierem deprehenſam in adulterio. Habetur ibi eccleſia in honore ſancti Joannis, in qua ſervatur ſcriptura in lapide marmoreo, quam Dominus ſcripſit in terra.

14. In cacumine autem ſæpius dicti montis, miliari 1. a valle Joſaphat, eſt locus Adſcenſionis Domini ad Patrem. Habetur ibi eccleſia rotunda ſine tecto, in cujus medio, hoc eſt in loco Adſcenſionis Domini, habetur altare ſub divo patens, in quo celebrantur ſollemnia Miſſarum.

15. Inde perrexerunt a Bethania, quæ eſt ad Meridiem, diſtans a monte Oliveti miliari uno, in deſcenſu illius montis, in quo eſt Monaſterium, cujus eccleſia ſepulcrum monſtrat Lazari: juxta quod eſt piſcina ad Aquilonem, in qua juſſu Domini lavit ſe ipſe Lazarus reſuſcitatus, qui dicitur poſtea exſtitiſſe Epiſcopus in Epheſo 40.
NOTA. annis. In deſcenſu etiam de monte Oliveti ad occidentalem plagam oſtenditur marmor, de quo deſcendit Dominus ſupra pullum aſinæ. Inter hæc in vallem Joſaphat ad Meridiem eſt natatoria Siloe.

16. Inde tranſierunt in Bethleem, ubi Dominus fuit natus, habens 6. milia. Oſtenſus eſt illis campus, in quo laborabat Habacuc, quum Angelus Domini juſſit ei prandium ferre Danieli in Babylonem, quæ eſt ad Meridiem, ubi regnavit Nabuchodonoſor, quam nunc ſerpentes ac beſtiæ inhabitant. Bethleem ergo habet eccleſiam valde magnam in honore ſanctæ Mariæ, in cujus medio eſt ſcriptura ſub uno lapide, cujus introitus eſt a Meridie; exitus vero ad Orientem, in quo oſtenditur præſepium Domini ad Occidentem ipſius ſcripturæ. Locus autem in quo Dominus vagiit, eſt ad Orientem. Habet ibi altare, ubi celebrantur Miſſæ. Juxta hanc eccleſiam eſt ad Meridiem eccleſia beatorum Martyrum Innocentium. Miliario denique uno a Bethleem eſt Monaſterium ſanctorum Paſtorum, quibus Angelus Domini apparuit in nativitate Domini. Ad poſtremum 30. miliariis ab Hieruſalem eſt Jordanis ad Orientem, ſuper quem eſt Monaſterium ſancti Joannis Baptiſtæ. In quibus quoque locis multa conſiſtunt Monaſteria. Eſt inter hæc ad occidentalem plagam Hieroſolymæ civitatis miliario uno Eccleſia ſanctæ Mamillæ, in qua ſunt multa corpora Martyrum, qui a Saracenis interfecti ab ipſa ſunt ibi diligenter conditi.

17. De Hieruſalem intraverunt in mare, & venerunt ad Montem-aureum, ubi eſt crypta habens ibi 7. altaria. Habet etiam ſupra ſe ſilvam magnam, in qua crypta nemo poteſt præ obſcuritate tenebrarum intrare, niſi cum accenſis luminaribus: ibidem fuit Abbas domnus VALENTINUS.

18. De Monte-aureo pervenerunt ad Romam, intra quam urbem ad orientalem partem, in loco qui dicitur Lateranis, eſt eccleſia in honore S. Joannis Baptiſtæ bene compoſita, ubi eſt propria Sedes Apoſtolorum *. Ad occidentalem autem partem eſt Eccleſia beati Petri Principis Apoſtolorum, ubi ipſe requieſcit, cui in magnitudine non eſt ſimilis Eccleſia in univerſa terra, quæ continet etiam ornamenta diverſa. In qua etiam prædicta urbe innumerabilia corpora Sanctorum requieſcunt. Inde venerunt ad ſanctum Michaelem ad duas Tumbas, qui locus eſt ſitus in monte, qui porrigitur in mare per duas leucas: In ſummitate hujus montis eſt eccleſia in honore ſancti Michaelis, & in circuitu illius montis redundat mare quotidie duabus vicibus, id eſt mane

* l. Apoſtolicorum.

Digitized by Google

mane & veſpere, & non poſſunt homines adire montem, donec mare diſceſſerit. In feſtivitate autem ſancti Michaelis non conjungitur mare in redundando in circuitu illius montis, ſed ſtat inſtar murorum a dextris & a ſiniſtris. Et in ipſa die ſollemni poſſunt omnes, quicumque ad orationem venerint, omnibus horis adire montem: quod tamen aliis diebus non poſſunt. AN.CHR. 870 NOTA.

VITA SANCTI ALBERTI

SÆCULO 7
29. Dec.

ABBATIS GAMBRONENSIS IN GALLIA.

Ex mſſ. codicibus Ciſtertiano & Aceienſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Quantam *jacturam reipublicæ tum litterariæ, tum Chriſtianæ intulerint ſuperiorum temporum procellæ, conſtat vel uno S. Alberti Abbatis exemplo. Is in Gallia notiſſimus & clarus quondam, ut qui virorum ac feminarum Cœnobia quindecim ædificaverat, noſtro ævo quis ſit ignoratur. Libellum de ejus vita, ex quo qualemcumque ſancti viri notitiam haurimus, tranſmiſit nobis R. P. Jacobus Lannojus Cœnobita Ciſtertianus, exſcriptum ex mſ. codice Ciſtertiano & ex alio Monaſterii B. Mariæ de Aceio, Ordinis Ciſtertienſis in Comitatu Burgundiæ. Auctor iſtius libelli anonymus temporis incerti, alio vetuſto exemplari uſus eſt, & ex eo tradit, Albertum* ex urbe Sagenſo, *quæ urbs Neuſtriæ epiſcopalis eſt ſub metropoli Rotomagenſi, ortum eſſe: hinc ſeceſſiſſe* ad fluvium Oldam, *& primarium Monaſterium vocabulo* Gambrum *exſtruxiſſe cum aliis omnino numero quindecim;* Curſum ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani *cum* Romano *frequentaſſe, ac demum ſepultum fuiſſe* in baſilica S. Mariae, *ubi ſollemni cultu Auctoris ætate colebatur. Ceterum quo tempore vixerit Albertus, quove in loco ſitum fuerit Cœnobium Gambrum, certo pronuntiare non licet. Litteris hac de re in varia loca tranſmiſſis nihil expiſcari potui. Certum tamen exiſtimo, Albertum floruiſſe poſt medium ſæculum ſeptimum, quo ſæculo Regula S. Benedicti cum Regula S. Columbani conjuncta vigebat. De cetero conjecturas quaſdam in Notis refero, ampliorem notitiam expetens & exſpectans a litteratis viris. Villelmus Abbas in Monaſterio S. Pauli, in Kalendario ſanctorum Monachorum quod ipſe compoſuit anno* 1372. *mentionem facit* Alberti Abbatis III. Kal. Januarii, *tametſi in ſubjectis Actis* 4. *eaſdem Kalendas obiiſſe perhibetur. Prologum Vitæ inutilem & communes quoſdam locos reſecui.*

1. BEatiſſimus Confeſſor Chriſti ALBERTUS haud ſecus quam nobile ſidus temporis ſui ævo, per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris tutus incedens, morum probitate virtutumque ſucceſſione mirabiliter enituit inſignis. Fuit enim vir præclariſſimus, & per cuncta laudabilis, parentum generoſitate non infimus. Sagenſo *a* urbe oriundus, illius tunc temporis in aula Regis educatus: cui ſupernarum gratia virtutum tanta cœlitus infuſa eſt, ut præcipue per humilitatis officium, quæ reliquarum virtutum cuſtos eſſe perhibetur, inter coætaneos ſibi aulicos ſodales ſupremum in palatio Regis obtineret locum. Albertu[s] Sagienſis, in aula Regis educatus.

2. Denique in laicali habitu conſtitutus, mundanis quoque rebus prædives, cum non mediocriter ſacris litteris polleret, amore ſapientiæ flagrabat. Excreſcente vero religionis fervore, divinas ſcripturas per diverſa volumina ſummo ſtudio legere curabat: quatenus legendo ſcilicet anteceſſorum Patrum geſta cognoſcere poſſet, & per eorum exempla gradiens ad æternæ felicitatis præmia, quæ jam illos percepiſſe non dubitabat, perveniret. Nam cum ad illum dominici ſermonis piæ lectionis ſedulitate perveniſſet locum, ubi dicitur, *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me*; &, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, ut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit;* non ſurdus auditor, mente devotus, Spiritus-ſancti gratia perfuſus, renuntiavit omnibus quæ poſſidebat. Uxorem vero ſuam devotam Dei ſervitio mancipavit: quæ de craſtino Res ſuas dimittit cum uxore.

a Interpretor urbem Saiorum ſeu Sagiorum, *Sees*, quæ Neuſtriæ urbs epiſcopalis eſt ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. In deſcriptione regionum ad quas directi ſunt Miſſi Caroli Calvi, numeratur pagus *Sagiſus*.

Digitized by Google

ſtino nullo modo retractans, nihil ſibi in uſus proprios reſervavit: cujus Actuum Apoſtolorum illa ſententia verſabatur in pectore. Refert enim beatus Lucas, quod Anania cum xore ſua vendidit agrum, de cujus agri pretio, conſcia uxore ſua, fraudem fecit: quamdam enim partem ad pedes Apoſtolorum poſuit. Cui ſanctus Petrus dixit: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui-ſancto, & fraudare de pretio agri? *&c.*

S. Bened. Reg. c. 57.

Quam etiam ſententiam ſanctus BENEDICTUS ad gubernatores ſubſtantiæ Monaſteriorum retulit dicens: Ne mortem quam ipſi in corpore perpeſſi ſunt, & ipſi in anima patiantur. Cui etiam rei quidam Metricanorus congruentem ſententiam inferens ait:

Loth Sodomæ fugiente chaos dum reſpicit uxor,
In ſtatuam mutata ſalis ſtupefacta remanſit
Ad pœnam converſa ſuam: quia nemo retrorſum
Noxia contemti vitans diſcrimina mundi
Adſpiciens ſalvandus erit.

Quæ omnia, myſtica ſcilicet & Apoſtoli exempla, beatiſſimus vir iſte Spiritus-ſancti gratia debriatus in trutina ſui pectoris æqua lance examinatis, ſcienſque quia vir *qui dominatur animo ſuo, melior eſt expugnatore urbium;* erexit ſe contra ſe. Semper quoque in animo ſuo ſagaci meditatu revolvebat, quod egregius ille prædicator Paulus ajebat: *Exſpoliate vos veterem tunicam, deponentes opera tenebrarum & induentes novum hominem.*

Tonſura accepta ſecedit cum tribus fratribus.

3. Et ut obeditionem ſancti Patris noſtri Abrahæ, cui dixit Dominus, *Exi de terra & de cognatione tua*, imitaretur; non ſolum patriam parenteſque reliquit, ſed etiam barbam ſuique capitis comam pro ſolius Dei amore ferro depoſuit. Sicque tam rebus omnibus, quam etiam habitu ab omni ſæculari negotio liber effectus, cum tribus fratribus eodem ardore ſuccenſis ſumma agilitate ad eremi ſolitudinem pervolavit: quam eremi vaſtitatem fluvius quidam, nomine Olda *a*, impetu ſuo ſcindebat. Cumque perimmenſam denſitudinem ſilvarum hujus fluminis ripam offendiſſent, & cum hac illacque per vix inaceſſibilia loca gradiendi facultatem quærerent, ægre inveniebant *, præſertim cum ibidem nulla hominum, ſed eſſe magis videretur habitatio ferarum. Aſt quid in longum protrahimus ſermonis diem? Menſam qui parat ſuis in deſerto Fidelibus, eis ducatum præbuiſſe haud dubio credimus. Cumque errabundi jam pene deficerent, tandem illis adfuit divina miſericordia. Interea divertentes ad quemdam locum eminuſque conſpicientes, vident fontes herbarum amœnitate gaudentes: ubi genua ſimul curvantes, cum gratiarum actione Chriſto benefactori ſuo referunt laudes, qui numquam deſerit de ipſius conſolatione præſumentes, qui etiam per Prophetam dicit: *Antequam me invocetis, dicam, Ecce adſum*: nihil enim deeſt timentibus Deum. Denique expleta oratione cum capitulo & benedictione, ſecundum quod ſervorum Dei ordo expetit, & ſecundum Pauli vocem, *Omnia in nomine Domini facite*; invocato Dei nomine, ibidem exciſis viminibus ad modum clauſtri ſepem fecerunt, parvumque tugurium conſtituentes remorati ſunt. In quibus illud dominici ſermonis impletum fuiſſe videtur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Credi quoque poteſt tribus illos principalibus virtutibus perfectos fuiſſe, id eſt ſpe, fide, charitate. Qui locus remotiſſimus eſſe videbatur a ſæcularium hominum incurſione. Denique ſignifer Confeſſor Chriſti Albertus Gambrum inibi nomine, divina auxiliatrice illi clementia, Monaſterium conſtruxit.

*ſupple vitæ neceſſaria

Monaſterium Gambrum conſtruit,

4. Cum

a Olda fluvius eſt apud Andecavos, vernacule *l'Oudon* S. Vincentianus, teſte Herimberto Diacono in ipſius Vita: *In provincia Andegavis, in villa cui nomen Nantogilo, quæ ſita eſt ſuper fluvium Olda, ex prædio & familia Beraldi Ducis ortus eſt*. Eſt & aliud Olda ſeu Olta, *le Lot*, qui urbem Cadurcorum alluit, influitque in Garumnam, a Theodulfo Epiſcopo Aurelianenſi *Olitis* appellatus in Parenæſi ad Judices. Ignotus utrobique S. Albertus Abbas: qui tamen potius Andecavis, utpote Sagienſi pago vicinioribus, quam Cadurcis attribuendus videtur. In Parthenone de Nido-avis Ordinis S. Benedicti, apud Andecavos ad Oldam, colitur S. Albertus Confeſſor. an alius a noſtro?

Digitized by Google

4. Cum autem illi tres ſanctiſſimi viri ſignaculo Trinitatis crucisque armati vexillo in ſæpedicto loco manerent, contigit ad eos quemdam venire hominem: qui ſollicita curioſitate animi pertractans eorum converſationem, cum ex eorum operibus quæ diligentiſſime conſpicatus fuerat, eos Chriſti cultores eſſe didiciſſet, ait ad eos: O præclariſſimi & angelici viri, ſtupens vehementiſſime admiror, quam ob rem non ſolum commanendi, ſed nec ſaltem quidem tranſeundi gratia hanc ærumnoſam vaſtitatem petiſtis: quippe cum ferarum nocivarumque beſtiarum concurſus hic maneat, & cum truces belluæ in hoc eodem loco cauſa illaqueandi prædam conveniant. Hic igitur, cariſſimi, locus quem ad habitandum elegiſtis, omnimodo veſtræ devotionis habitudini non congruit, in quo non diutius immorari poteritis. Terra ſterilis & infecunda eſt, & ad excolendum omnino incommoda. Tunc hi tres almificati viri Trinitatis fide roborati, uno ore eidem homini reſpondentes dixerunt: Nos quidem, o homo, non cito volatu tranſeuntia ac temporalia quærentes lucra huc venimus, immo totius mundi Conditoris ac piiſſimi Redemtoris noſtri JESU-CHRISTI largam & ineffabilem clementiam poſcentes, veniamque de peccatis noſtris conſequi peroptantes, & ut manſionem in cœlis non manufactam poſſideamus, ad hunc declinavimus locum. Idcirco non timemus minas alicujus, quia ipſe Dominus fortitudo noſtra & laus noſtra factus eſt nobis in ſalutem, *&c.* Nam & de infecunditate cæſpitis, ſuper qua nos ſollicitare voluiſti, nulla compunctio formidinis attigit mentem noſtram, Propheta nos hortante ac dicente: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c.* Dum hæc & multa alia mutua ſermocinatione ad invicem ſererent, cœperunt eidem homini verba exhortatoria inferre, quatenus ſcilicet omni ſollicitudine mundiali poſtpoſita ad ſalutem animæ ſuæ illum ſervitio poſſent vincire divino. Tum ille Spiritus-ſancti tactu afflatus, multiſque exemplis divinæ ſcripturæ auctoritatis a ſanctis viris eruditus, ad propriam cauſulam unde venerat regyravit iter. Mane autem facto cum benedictione panis ac favo mellis ad ſæpe fatum hoſpitiolum ſancti Alberti ſociorumque ejus lætus advenit: ſollemniterque alimonia ſpirituali denuo refocillatus, ſecundum eorum admonitionem relicta cum omni curioſitate ſua mundi gleba, in fide ac bona voluntate indiſſolubilique nectamine conjunctus eſt illis. Et ita factum eſt, ut de illis merito dictum videatur: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* SÆCULO 7. 29. Dec. alio ſocio adquiſito.

5. Sed quia nemo accendit lucernam & in abſcondito ponit, ſed ſupra candelabrum, ut omnes qui ingrediuntur lumen videant; continuo a vicinis loci illius fama illorum ſanctæ normalitatis longe lateque diffuſa crevit. Plurimi quippe veniebant ad eos, & multa donaria offerentes, ædificati in verbo fideque veritatis, cum magna cordis exſultatione ad propria diſcedebant. Tanta quoque virtus divina in eodem effloruit loco, ut per exemplum almi Confeſſoris Chriſti Alberti ſociorumque ejus, ſpreto ſæculi occupamine, anguſtumque tramitem qui ducit ad vitam eligentes, ſatanæ ejuſque pompis abrenuntiantes, multi Confeſſores Chriſti eſſe meruerunt, ibique uſque ad obitum ſuæ deceſſionis normaliter Domino ſervientes coronas perpetuæ felicitatis adepti ſunt. & aliis multis.

6. Cumque exuberante gratia Spiritus-ſancti numerus Religioſorum creſcere cœpiſſet, quadam die pauper quidam inopia ſua compellente ad portam Monaſterii reflexit itineris ductum. Quo multoties reclamante ut ſibi victus alimonia daretur, vir vitæ venerabilis Albertus totius prudentiæ ac virtutis magiſter inſignis, adminiſtratori ſuo præcipiens dixit, ut cum miſericordiæ opere pauperi quantocius occurrere feſtinaret. Quo reſpondente omnino ſe non habere quod largiri poſſet præter unius medietatem panis, de quo ſcilicet hora refectionis unuſquiſque illorum vel modicum quid accepturus eſſet; idem beatus vir ad inſtar illius viduæ, quæ tempore famis quondam Heliam pavit in deſerto, de farinæ pugillo oleique Panē ſuum pauperi tribui juſſum,

que

SÆCULO 7. 29. Decem. que lecytho; vel etiam beati BENEDICTI, qui ampullam olei pauperi negatam per feneſtram projici juſſit, ait ad eum: De immenſa bonitate Dei hæſitare non debes: hilarem enim datorem diligit Deus: quia quod illi tribuitur, centuplicata cum uſura donanti reſtituuntur. *Beatus* enim, inquit Propheta, *qui intelligit ſuper egenum & pauperem*, quia utique *in die mala*, id eſt in judiciali ſententia peccatorum, *liberabit cum Dominus*. Quid poſtea miniſter fecerit ignoratur, quia in vetere exemplari non reperitur. Credi tamen perfacile eſt, quod præceptoris ſui Alberti ſanctis correptus adquieverit monitis, ut pauper videlicet pro poſſe victuale ſubſidium præbuerit. quod & ex eo innuitur, quod ſtatim ſequitur. Nam regrediente paupere haud diutino horarum ſpatio interpoſito, cum jam ſcilicet ſol cubitum tenderet; repente pro foribus Monaſterii ſaumarius * ducente quodam homine, non levi pondere divinæ preſſus benedictionis, ſervis ſcilicet Dei omnipotentis epulas divinitus adſtitit miniſtrans. Quo viſo divinæ dignationis miraculo, quæ magnam miſericordiam ſuam oſtendit ſemper in ſervis ſuis fidelibus, & qui magna reddidit pro minimis; omnimodas ſui Conditoris liberalitati gratias retulere. Extunc ac deinceps ita Dei larga benedictio præfatum locum adauxit ipſius ſervorum promerentibus meritis, ut congrue plenitudo copiæ omnem inibi abſtergeret neceſſitatem.

Pſal. 40.

NOTA.

recuperat cum fenore.

* id eſt equus ſarcinarius

Latrones convertit.

7. Alio quoque tempore incredibili crudelitate duo ſæviſſimi latrones ad præmemorati Patris Alberti Cellam gratia furtim abigendi porcos venire viſi ſunt. Dumque ipſius eremi diverſa vagi & inſtabiles ærumnoſa circumirent loca, multis anfractibus caſſi itineris confecti, haud longe a Monaſterio gradum fixerunt: ignorabant tamen proximum ſibi Monaſterium: cum ecce ſubito ſigni pulſu animo exterriti, ac ſuæ audaciæ pudoris enormitatem non ferentes, ſpreto porcorum furto nudi & abſque ulla dilatione ad virum Dei Albertum ſuæ præſumtionis confuſione obtecti celeriter properarunt: & confitentes ſui ſcelera moliminis, qui ad hoc ut inimicitias exercerent venerant inimici, ſuperno reſpectu admoniti jugum leve Chriſti ſuſcipere geſtientes, abſciſi de corpore antiqui ſerpentis, Chriſtique membris conſociati, facti ſunt ei diſcipuli & coadjutores fidei. In quibus ſcilicet prophetiam illam adimpletam eſſe non dubium eſt, quæ dixit: *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis*, &c.

Corvi rapacitas multata.

8. Nec illud ſilendum eſſe arbitror quod Dominus ad magnificentiam & laudem ſui ſermonis per merita famuli ſui Alberti in eodem loco patrare dignatus eſt miraculum. Nam cujuslibet ſpeciei domeſticarum tamen avium Monaſterii ova rapaciſſimus quidam corvus clam atque violenter rapere conſueverat, necnon etiam quidquid de appoſitis in menſa Fratribus poterat, nidulo ſuo quod juxta in quadam erat arbore inferens, per refectionis domi feneſtram nefandiſſimus rapiebat. Frater vero ad quem refectorii cura pertinebat, cum hoc ſæpius deprehendiſſet, & nullatenus ultionem non de ſuo tantum, ſed etiam omnium Fratrum hoſte percipere poſſet; ſimplicibus utens verbis orationis ſuffragium petiit dicens: Domine JESU-CHRISTE, vindica nos de maligno adverſario noſtro, qui quod nobis tua ſancta pietas miſericorditer ſubminiſtrat, pervicacibus inſidiis auferre molitur. Quid plura? ſequentis diei aurora ſurgente, ad radices ipſius arboris, in qua furtum rapinulæ coacervaverat, iſdem corvus exanimis invenitur. Et quis in hoc loco per corvum aptius intelligi valet quam antiquus hoſtis? qui quas Dei providentia virtutes in electis nutrit, ipſe vento elationis ad nihilum ducere feſtinat. Legimus quoque quod Heliam olim in deſerto corvi paverint. Nam & juſſu beati BENEDICTI corvus panem veneno infectum, eidem ſancto viro a quodam tranſmiſſum, in abdito loco ne aliquem læderet exportavit. Sed & corpus ſancti Vincentii Martyris a lupi voracitate corvum defendiſſe manifeſtum eſt: quia videlicet nonnumquam mali ſerviunt bonis. Et quamvis illorum malevolentia hoc non mereatur, per ipſos tamen nutu ſuperni Inſpectoris neceſſaria ſubminiſtrantur San-

Digitized by Google

Sanctis. Sed quia per evagationem mentis modum loquendi exceſſimus, redeundum eſt ad propoſitam narrationem, quam de beatiſſimis viris, ſancto videlicet Alberto comitibuſque ipſius, exorſi ſumus. SÆCULO 7 29. Decem.

9. Cum igitur omnipotens Deus, a quo eſt & velle & poſſe, bonam concertationem mentis illorum vidiſſet, id eſt videri feciſſet, ad perſeverantiam boni operis & ad exemplum imitationemque multorum corda illorum odore ſuo replevit, ſicut Apoſtolus ait: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco*. Nam per multas provincias & regiones ſanctæ converſationis eorum opinio paſſim ſuccreſcendo per ora multorum volitabat. Quo audito multi nobiles virique illuſtres ad contemtum mundi exemplo eorum permoti, obſecrantes poſtulabant ab eodem beato viro, quatenus de ipſorum facultatibus in illorum prædiis Monaſteria conſtrueret: quod vir Deo plenus facere non abnuit. Sæpius enim illius parabolicæ lectionis, in qua ſervus de talenti erogatione a Domino laudatur, memoriam intra ſui pectoris arcana revolvens, non quod ſibi tantum ſoli, ſed quod magis utile eſſet plurimis quærebat. Unde factum eſt, ut quindecim Monaſteria virorum ac ſacrarum feminarum per diverſa loca ejuſdem ſanctiſſimi viri ordinatione atque obedientiali obſequio fundata ſunt. Quibus rite peractis in Gambronenſi Cœnobio, quod primum fecerat, diutino tempore vivens, multa agmina ſecum habens Fratrum, ſedulum Chriſto gratiſſimumque exhibuit officium. Et quia multæ habitationes vel tuguria Monachorum in eodem eremo erant, de quibus magnæ ſollicitudinis cura beato viro incumbebat; frequentiſſime vel aſello, vel etiam mulo inſidens, unumquemque illorum paterno affectu charitatiſque gratia viſebat.

Albertus conſtruit Monaſteria quindecim.

2. Cor. 2. 15.

10. Quodam denique tempore, ſcilicet vigeſimo ſecundo anno inibi adventus illorum, nefandiſſimus hoſtis humani generis cœpit multa tentamina ſuæ præſtigiæ beato viro ejuſque diſcipulis inferre. Et ſicut ſcriptum eſt, circumiens quærebat ſi quem poſſet devorando ſuæ perditionis participem facere: immenſam quippe ſtragem mortalitatis tam in eodem Monaſterio quam etiam in omni illa eremo invidus miſit. Quam mortalitatis peſtem cum idem beatiſſimus vir Dei Albertus in ſubjectis ſuis graſſari cerneret, ſicut veriſſimus paſtor memor dictorum beati Pauli Apoſtoli, quibus ait gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, dixit Fratribus ſuis: O fratres cariſſimi, roborentur corda veſtra in fidei longanimitate contra tentamina antiqui hoſtis. Inter hæc & multa alia ſacra beati viri monita quæ perlongum eſt enumerare, quibus exhortabatur mentes illorum, contigit ut quadam die unus e Fratribus ſupremum redderet ſpiritum. Is autem Frater qui eidem infirmo, ſed jam defuncto Fratri ſervierat, cum magno ejulatu Abbati, ſancto videlicet Alberto, nuntiavit dicens: Heu mihi, Pater ſanctiſſime, Frater ille qui infirmabatur, jam obiit. Quem venerandus Pater Albertus ſollicitus percunctatur, utrum iſdem defunctus frater Viaticum acceperit. Ex cujus reſponſione cum didiciſſet quia minime accepiſſet, exundantibus per genas lacrymis ad lectulum jam defuncti Fratris feſtinus acceſſit. Et cum ex more corpus ejus ad lavandum ſtudioſius detergerent, beatiſſimus vir Albertus uberrime fletibus manans, his verbis exanime corpus alloquitur: Heu, heu mihi, Frater, quæ te cauſa compulit, ut ſine corporis ac ſanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI participatione tranſires e mundo? Dumque ſæpius hæc eadem verba ingeminans replicaret, is qui mortuus fuerat, anima regrediente apertiſque luminibus, quaſi a gravi ſomno ſuſcitatus, ſummiſſa voce dixit Abbati ſuo, ſancto videlicet Alberto: Tune es, Pater? Etiam ego, inquit: ſubjungenſque pacatiſſimus vir Albertus eidem dixit: Narra nobis, Frater, ubi fueris, vel quid videris. Et ille: Orationes tuæ, Pater, fletuſque tui me de itineris anxietate revocarunt, atque adverſarios, a quibus torquendus trahebar, depulerunt. Cui ſanctus Albertus: Vis, inquit, accipere Sacramentum corporis ac ſanguinis Redemtoris tui? Volo, ait. Quo ſumto, cum omni iterum gaudio ab

Peſte ſæviente,

Monachum ſine Viatico mortuum ſuſcitat.

Digitized by Google

SÆCULO 7. 29. Dec.

hac luce receſſit. In quo quid aliud fatendum eſt, quam ut merita ſanctiſſimi viri Alberti pateſcerent, tale Dominus miraculum facere dignatus fuerit? Nam ſicut meritis ſuis ad participandum corpori & ſanguini Domini ad modicum potuit eum reſuſcitare; ita ſi voluiſſet ut plures viveret annos, a Domino (ut reor) impetrare facillime valuiſſet. Nolebat tamen illum in hac diutius permanere vita ad labores & ærumnas hujus ſæculi perferendas.

Item alius famulus a morte excitatus.

11. Aliud quoque nec diſſimile miraculum divinitus in eodem loco per beatiſſimum Confeſſorem ſuum Albertum Dominus operatus eſt. Nam die Nativitatis Domini noſtri JESU-CHRISTI unus ex ejuſdem Monaſterii famulis præſentem exceſſit vitam. Quod cum ſanctus Albertus compeiſſet, adſiſtentibus ſibi Fratribus dixit: Requirite diligenter ſi noſtrorum aliquis defunctus eſt, ut ſepulturæ tradatur. Qui obedienter imperantis vocem ſequentes, ſicut jam diximus, invenerunt unum e famulis reddidiſſe flatum. Quem ut illis a Patre Alberto fuerat juſſum, feretro imponentes cum conſuetudinariis obſequiis humandum ſepulturæ detulerunt. Denique cum jam ad hoc ventum eſſet, ut in defoſſo ſepulcri loco poneretur, ſpiritu remeante illico redivivus apparuit, apertiſque oculis interrogat ubi ſit, vel qualiter illuc advenerit. Cui inquiunt: Ad hoc enim huc delatus es ut ſepelireris. Et adjecit: Reducite me iterum ad Monaſterium: ſpero enim quia Dominus quantumcumque mihi vivendi ſpatium daturus ſit. Qui ab illa infirmitate convaleſcens, multis poſtea ſupervixit annis. Unde factum eſt, ut ex Monachis ſeptuaginta migrarent ad Dominum, vernaculorum vero non eſt numerus. Tandem autem divina interveniente clementia ceſſavit hæc peſtilentia. Sæpedictus quoque vir ſanctus Albertus pro ipſis die noctuque orationi incumbens vota ſua Domino reddebat.

Peſtis vis & ceſſatio.

Albertus lectioni aſſiduus & divinis officiis,

12. Sed & cum poſt collectionem Fratrum gratia quieſcendi ad lectum ſuum veniſſet, unum ex Fratribus ad ſe ſilenter evocans præcipiebat ei ut legeret. Summo quippe ſtudio divinæ ſcripturæ paginulas rimabatur, quatenus ſcilicet nova & vetera in tempore opportuno proferre poſſet implens illud. Tanta certe plenus erat devotione, ut ſanctorum Patrum, beati ſcilicet BENEDICTI atque COLUMBANI, ſed & omnem Romanum Curſum uno die ſtrenua ac pervigili meditatione expleret. Hujuſmodi quoque conſuetudinem habebat, ut omni dominico die tres Miſſæ ante eum canerentur. Erat quippe vultu humilis atque decorus habitu, clam floridus canitie, charitate plenus, fortis in excubiis, in abſtinentia lenis, in tribulatione patiens, in proſperis cautus, in peccantibus miſericors, caſtus, ſobrius, & ut ita concludam, in omni cœleſtis vitæ ſtudio circumſpectus. Ter etiam in anno coma illius tondebatur.

ter quoque anno tonſus.

Virtutes ejus.

13. Nam malum pro malo numquam alicui retribuit: quidquid vero ſibi accidiſſet, æquo animo tolerabat. Sed & ſi quis de tranſitoriarum rerum damnoſitate illi nuntiaſſet, beati Job memor ajebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*. Fons etenim patientiæ ita in eo redundabat, ut unus filiorum Dei videretur & eſſet. Multi quoque ad invicem diſſidentes pacis & concordiæ gratia ſæpius ad illum veniebant, & taliter ſanctis ipſius monitis mitigabantur, ut qui ſub homicidali diſcordia veniſſent, in pacis charitatiſque vinculo utrique læti ad propria remearent. Omnibus nimirum ad ſe venientibus condignum exhibebat officium. Nobilibus equidem ſecundum illud apoſtolici præcepti poteſtatibus ſublimioribus ſubditus fuit: pauperibus vero ac peregrinis, ſicut beatus ait BENEDICTUS, re vera Chriſti omnem præferebat humanitatem, Chriſtum in eis adorabat quem procul dubio ſe ſuſcipere noverat. Inter agendum vero idem dum hæc ageret, tam mente quam etiam vultu ſpiritalem præferebat lætitiam, ſecundum id ſcilicet quod ait Salomon *: *Hilarem datorem diligit Deus*. Si quis vero aliquid ab eo petiſſet, numquam, ſi poſſet, vacuum abire ſinebat. Nam ſicut mo-

Job 1.

S. Bened. Reg. cap. 53.

* immo Paulus Rom. 12 7.

mores bonos colloquia mala, ita quoque colloquia bona collidunt pravos mores. Ut igitur boni in melius auditu proficiant, & quod etiam imperfecti imitentur, alia perplura ejuſdem ſancti viri geſta relatu digna duximus. Multi ſiquidem vi febrium ſuccumbentes, quamquam procul remoti, mox ut particulam ipſius veſtimentorum cum benedictione ſibi ab eo miſſa accepiſſent, omni languore depoſito priſtina incolumitate gaudebant. Nam mulier quædam multimoda ægrotatione decubans, tandem in ſe reverſa miſit ad eum, ut ſui miſereretur. Ille vero ſecundum quod Dominus ait diſcipulis ſuis, *Gratis accepiſtis, gratis date*, fimbriam veſtimenti ſui miſit ad illam: quam illa cum accepiſſet, omnem protinus ſoſpitatem recepit. Sed non ſolum illa, immo alii quamplures qui ipſam fimbriam contigerunt, omnem contraxerunt valetudinem. Erat etiam liberaliſſimus erga pauperes Chriſti, nam per ſingulos dies agapem illis faciebat. Hujuſmodi quoque conſuetudinis tenorem obſervabat, quatenus ſcilicet annuatim bis centum ſolidos in eleemoſyna erogaret, in die videlicet Cœnæ dominicæ, quando Dominus noſter cum diſcipulis ſuis myſticum Paſcha celebraturus diſcubuit; & in die Nativitatis ejuſdem Domini noſtri JESU-CHRISTI. Hac de cauſa permoti multi pauperes ac peregrini, ipſius ſancti viri largitatis famam audientes, ex diverſis & longinquis regionibus ad eum certo tempore confluebant: inter quos etiam pauper quidam multo languore miſer advenit; quem cum membrorum valetudine pene exhauſtum vir Dei conſpicatus fuiſſet, ait ad eum: Pro dolor, mi Frater, ut quid tantum itineris laborem ſumſiſti? Cui inquit: Egeſtatis penuria, mi Pater, compulit ut venirem. Vir quoque vitæ venerabilis Albertus ſubjunxit dicens: Non enim expedit tibi diutius in hoc remorari loco, cum præſertim ſis greſſuum omnino juvamine deſtitutus, ne forte nocturnæ feræ aut etiam te canes devoraverint. Non poſt multum vero temporis cœpit idem pauper convaleſcere, paullatimque artuum vigore ſuccreſcens quemdam excoluit agrum, in quo ſibi hortum inſtituit: poſtea vero factus eſt Monachus. Egit tunc vir ſanctus ſub humilitatis cuſtodia in occulto, quod nobis Dominus ad oſtendenda ſancti Confeſſoris ſui merita palam fieri per ea voluit: nam non dubium eſt, quod ipſius meritis pauper iſte (ut prætulimus) ſanitatis munus accepit.

[Margin: SÆCULO 7. 29. Dec. — Miracula. — Matth. 10. 8. — Pauperibus ducentos ſolidos largitur quotannis.]

14. Sed quia ſtudioſi cum omni aviditate capiunt, quæ a faſtidioſis & negligentibus exſecrata fuerint; placuit huic opuſculo ſubinſerere aliud non contemnendum miraculum, quod per eum Dominus operari dignatus eſt. Quodam denique tempore pauper quidam cum multis aliis pauperibus, qui ad prædicti viri Monaſterium confluxerant, venit, corpore quidem ſanus, ſed, ut ita dicam, mente infirmus; membrorum ſuorum debilitatem, ut ex prædicti viri eleemoſyna plus aliis pauperibus acciperet, falſo prætendere cœpit. Sed juſto Dei judicio, quod fallaciter quæſtus gratia oſtendebat, in veritate illi contigit: nam repente omnium compago membrorum vi febrium diſſoluta eſt: neceſſitate vero compulſus confeſſus reatum ſui ſceleris, & non longe poſt vitalem in eodem loco emiſit flatum.

[Margin: Quidam ægritudinem æmulans eam incurrit.]

15. Prædictus autem vir Domini Albertus eo tempore quo Dominus per illum talia operari dignabatur, ut ipſe referebat, nonagenarius erat. Jamque ad æterni Regis claritatem, & ad ea quæ oculus non vidit, nec auris audivit, pertingere quantocius feſtinans, omnem mundi gloriam floccipendens, caducam præſentis ſæculi vitam exceſſiſſe cupiebat, dicens ſibi cum Apoſtolo Paulo: *Noſtra autem converſatio in cœlis eſt*. Cum igitur vocatio illius divinitus optato fine propinquare cœpiſſet, ſubito febre correptus eſt: & licet vires corporis defeciſſent, mens tamen ejus ſemper cœlo fixa manebat: ſumtoque alimento corporali, in hymnis ac laudibus Deo vacans, ſupernorum meditatione paſcebatur, ita ut merito cum Propheta dicere poſſet: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo*.

[Margin: Albertus nonagenarius obit. — Philip. 3. 10. — Pſal. 33. 1.]

Digitized by Google

SÆCULO 7. 29. Dec.

In ipſa vero incommoditate corporis, quibuſcumque poterat divini pabula verbi ſubminiſtrare ſatagebat. Interea grex ille beatiſſimus, quem Deo adquiſierat, crebris ſuſpiriis vultuque lacrymabili ajebat ad eum: Cur nos, Pater, deſeris, aut cui nos ſolatio deſtitutos relinquis? vel quid jam pro te facturi erimus? Ille vero benigniſſimus ut erat, lenibus verbis in dilectione Dei ac proximi, omnibuſque nominatim virtutibus, videlicet in caſtitate, charitate, ac deinceps corda illorum exhortabatur. Obitus ergo ipſius beati viri quarto Kalendas Januarii debita veneratione a Fidelibus ſollemniter venerabiliter celebratur.

4. Kalend. Januarii.

Diaconus ejus familiaris etiam obit.

16. Illud etiam ſilendum non eſt, quod qui miraculorum prodigiis illum in vita glorificare dignatus eſt, in morte quoque nihilo minus mirificavit. Nam Diaconus quidam totius humilitatis redimitus inſigniis, gratia vero Dei plenus, in ejuſdem S. Alberti Monaſterio ſub eodem tempore commanebat. Hunc enim beatiſſimus Albertus propter gravitatem animique ejus propoſitum glutino charitatis diligebat. Denique idem Diaconus, poſtquam ſæpedictus Confeſſor Chriſti obiiſſet, piis fletibus creberrimiſque gemitibus ingemiſcens, ajebat ad illum: Heu, mi Pater, ut quid non merui, quatenus tu me ſepulturæ tradidiſſes, antequam ab hac luce ſubtrahereris? Eadem vero nocte qua agebatur, ut ſubſequentis diei luce collectis ibidem Fratribus corpus S. Alberti ſepeliretur, prædictus Diaconus hominem exuit: ſicque factum eſt, ut in uno ſepulcri loco ambo ſimul ponerentur, ut quos ſcilicet in terris beata junxerat vita, nec in cœlis mors ſepararet glorioſa.

17. Sepultus autem eſt idem beatus vir Dei Albertus in baſilica ſanctæ MARIÆ ſemper virginis, quam ipſe adhuc in corpore manens in honorem ejuſdem genitricis Dei Mariæ fabricaverat: ubi ad laudem & gloriam nominis ſui Dominus immenſa miraculorum beneficia per eum operatur, qui ipſius ſancti Confeſſoris ſui Alberti meritis & interceſſionibus, cujus hodie ſollemnia colimus, dum in hoc ſæculo ſumus, nos adjuvare dignetur, poſtque decurſum hujus vitæ ad vitam perducat æternam, cui regnum & imperium, laus & perpetuitas abſque initio & ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum, Amen.

CIRCA AN. 731. 24. Nov.

VITA SANCTI MARINI

EREMITÆ ET MARTYRIS

MAURIENNÆ IN GALLIA.

Ex mſ. Breviario Monaſterii Sancti Savini apud Pictavos.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita diſcuſſa.

1. Paullo *minus obſcura eſt Vita* S. MARINI *quam præcedens. Is* tempore Alexandri Papæ *Romæ educatus & inſtitutus dicitur* ELLIDIO Epiſcopo *præceptore: quo mortuo* in Burgundiæ partes *acceſſiſſe*, *& in* Monaſterio Candorenſi, prope Juga-montium, ubi ſub norma beatiſſimi viri BENEDICTI degebat multitudo maxima Monachorum, *in his* beatus EUSIPPIUS, *ſub* ERILIO *an* Egilio Abbate, *ſubſtitiſſe perhibetur*, *quoaduſque cœleſti monitu ſeceſſit* in montem Magnum *prope* villam *ſeu* urbem Maurianenſem ſuper rivulum Suriæ: *ubi a Vvandalis, quorum Dux erat* ACQUIRINUS, ENGALDUS Rex, *cæſus fuit. In his quædam falſa, incerta quædam, cetera fere obſcura. Falſum id quod dicitur, Marinum exſtitiſſe tempore Alexandri Papæ. Alexander Papa primus vixit procedente ſæculo ſecundo æræ Chriſtianæ; ſecundus poſt medium undecimum ſub neutro vixit Marinus: non ſub primo: ſiquidem Monachus vixit ad normam Regulæ S. Benedicti: non etiam ſub ſecundo: cum ipſius reliquiæ jam fuerint in Monaſterio S. Savini tempeſtate Nortmannorum. Ignotum Candorenſe Monaſterium, niſi ſit Condedatiſconenſe a ſanctis Romano & Lupicino exſtru-*

Digitized by Google

CIRCA AN. 731 24. Nov.

exſtructum in locis Jurenſibus : at Candorenſe non procul. aberat ab urbe Mauriana ſeu Maurienna : in qua non minus ignotum Marini nomen, quam locus ubi eremita vixit. Vvandalorum nomine, qui ejus martyrii auctores fuiſſe dicuntur, interpretor Saracenos, de quorum facinoribus actum eſt in tomo primo hujus Sæculi ad annum 731. quo neſcio an Marini interitus acciderit. Fuere & aliæ Saracenorum impreſſiones in Galliam ſub finem ſæculi noni, ut conſtat ex Annalibus Fuldenſibus & ex epiſtolis Formoſi Papæ; & initio ſæculi undecimi, teſte Adalberone Laudunenſi Epiſcopo in carmine ad Rotbertum Regem, hujus rei auctore ſingulari, uti obſervavit Hadrianus Valeſius ejus editor & illuſtrator. Verum hæc contigere ſerius ætate Marini, cujus reliquias, prout inferius videbimus, jam ante Nortmannorum cladem poſſidebant Monachi S. Savini, qui eas ſine dubio a Carolo Magno acceperant. Nec proinde huc torqueri poteſt incurſio illa piratarum in inſulam Lerinenſem, a quibus Monachi cæſi ſub finem ſæculi 11. ut ſcribit Hildebertus Cenomannenſis Epiſcopus in epiſtola 24. ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem.

Monaſterium S. Savini.

2. *Carolus Magnus S. Savini Monaſterii auctor fuiſſe dicitur. In Chronico Malleacenſi, quod Philippus Labbeus in tomo 2. Bibliothecæ novæ edidit, ad annum quo mortuus eſt Carolus Calvus, id eſt ad annum 877. omnia Monaſteria deſtructa fuiſſe feruntur :* Cœnobium S. Savini & caſtrum in quo eſt, quod Carolus Magnus juſſit ædificari, inviolabile manſit ſolum. *Monaſterium illud ſitum eſt apud Pictavos ad Vvartimpam * fluvium, haud longe a monte olim dicto* ad Tres-cypreſſos, *modo S. Savini, ubi S. Savinus martyr, B. Cypriani æque martyris frater, primum ſepultus eſt. Ex eo Monaſterio, quod in opidum S. Savini * nomine accrevit, perſtatque hactenus ſub Benedictina S. Mauri Congregatione, prodiere viri quidam illuſtres. In his* Odo Abbas *principatu Ludovici Auguſti cognomento Pii, is quem Canonici Lemovicenſis Eccleſiæ S. Martialis Monachi fieri volentes* ſibi præpoſuerunt, *teſtante Ademaro Monacho Ecoliſmenſi in Chronico. Inde etiam educti Monachi qui Æduenſem Abbatiam S. Martini reſtituerunt, ut in Actis S. Hugonis Monachi dicemus Sæculo 5. Benedictino. Denique ex eodem loco etiam prodiit B. Bernardus Abbas Tironenſis Monaſterii & Congregationis auctor ſæculo 12.*

* la Gartempe

* S. Savin

3. *Dubitavi aliquando, aliuſne fuerit Marinus iſte ab* Amarino *ſeu* Marino Abbate, *quem una cum S. Præjecto Arvernenſi Epiſcopo interfectum fuiſſe legimus in Sæculo noſtro ſecundo.*

Marinus Romæ inſtitutus ab Ellidio Epiſcopo,

1. TEmpore quo dominus ac beatiſſimus ALEXANDER Papa urbis Romæ regimen eccleſiaſticum adſumſit, fuit homo quidam nomine MARINUS, nobili ortus proſapia, ſanctitate præcipuus, moribus maturus, virtutibus floridus, & in omnibus Dei cultor eximius, exemplarque Sanctorum in cunctis obſervans. Qui undecimo anno ætatis ſuæ Romam delatus a parentibus ſuis, beato ELLIDIO eſt traditus, ut ſcientiam ſcripturarum ei inſinuaret, & qualiter bonum & malum diſcernere valeret ei patefaceret. Ipſe autem quamvis juvenculus eſſet ætate, moribus tamen ſenex erat : & in omnibus quæ ad cultum Dei pertinebant prudentior ceteris, qui jam ex longo tempore didicerant, eſſe videbatur. Videntes autem ceteri qui cum eo erant prudentiam & eloquentiam illius, necnon & qualiter Deo militabat; cœperunt illi invidere, & multa opprobria ei inferre. Ille autem repletus Spiritu-ſancto benedicebat illos, & dicebat : *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 60.

vicennis ſacerdotio initiatur.

2. Videns autem reverendiſſimus vir Ellidius ſanctitatem & ſapientiam illius, cum eſſet viceſimi anni ætatis, quamvis conſuetudo non eſſet, ut uſque ad triceſimum annum quis Sacerdotium præſumſiſſet accipere; tamen quia ſciebat eum juſtum & ſanctum, ordinavit illum ut Miſſam in conſpectu Dei & ante ſe celebraret.

Ellidio mortuo,

3. Poſt parvum vero temporis obiit S. Ellidius *a* in pace. Tunc omnes qui Deum timebant, & ejus præceptis obtemperare cupiebant, ſanctitatemque reverendiſſimi & juſti viri Marini ſciebant, cœperunt clamare, & dicere, quia nullus tam dignus fuiſſet ſucceſſor B. Ellidii, ſicut B. Marinus. Ille autem hoc audiens, cœpit intra ſe cogitare, & dicere : Quid mihi

a Hoc loco venit in mentem Ellidii Epiſcopi Pictonſis, cujus epitaphium ſcripſit Alcuinus, tametſi alium ab iſto fuiſſe non dubito : ſiquidem hic Romæ, ille Viennæ ſepultus eſt.

Digitized by Google

CIRCA AN. 731 24. Nov.

mihi prodeſt ambitio hujus ſæculi ? nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Et ſtatim omnia quæ habebat erogavit pauperibus, & conſurgens media nocte cœpit ſolus pergere in partes Burgundiæ, in locum qui dicebatur Juga-montium, ubi erat Monaſterium in honore ſanctæ Dei genitricis MARIÆ conſtructum, degebatque ibi multitudo maxima Monachorum, ſub norma beatiſſimi viri BENEDICTI permanens. Locus autem ipſe vocatur vulgariter Candorenſis prope urbem Maurianenſem, in quo beatus Euſippius degebat, & multa bona ipſis habitatoribus præbebat.

ſecedit in Monaſterium Candorenſe,

Veniens itaque beatus vir Marinus in ipſo loco, & videns quam arduam vitam & quam magnam religionem ipſi Monachi ducerent; placuit illi ut aliquantulum temporis ibi moraretur. Et veniens ad domnum ERILIUM Patrem ipſius Monaſterii, narravit illi omnem cogitationem ſuam, & qualiter ibi ex urbe Romana adveniret, vel quia ibi commorari vellet. Videns autem eum beatus Erilius eleganti forma, cernenſque ſanctitatem ejus, projecit ſe ad pedes ejus, & rogavit eum ut ibi aliquamdiu moraretur, cunctumque gregem ſibi commiſſum viam veritatis inſtrueret, & doceret illos ſcientiam ſcripturarum. Religioſus autem vir Marinus talentum quod illi Dominus commendaverat cœpit diſtribuere omnibus, & unicuique ſecundum vires ſuas inſtruere.

ubi Monachos erudit.

Cœleſti monitu ſecedit in montem Magnum,

4. Poſt annum autem tranſactum cœperunt ad illum ex multis provinciis advenire, & multa munera ei deferre : quia vita & ſanctitas ejus per diverſa regna divulgata erat. Ille autem cum hoc vidiſſet, dixit intra ſe: Ego pompam hujus ſæculi reliqui, & ſæculum me evomuit : & iterum ſæculum & vanam pompam quæro? Et cum hæc intra ſe cogitaret, ſopore ſomni oppreſſus obdormivit. Cum autem dormiret, apparuit ei beata Dei genitrix MARIA cum duodecim Apoſtolis, & dixit ei : Marine, Marine, quæ cogitas fac citius, quia multa propter nomen Domini oportet te pati proximo in tempore iſto. Mane autem facto veniens beatus Marinus ad domnum Erilium, deprecatus eſt illum ut ei licentiam daret, quatenus in monte qui vocatur Magnus, ſolitarius degere valeret. Beatus autem Erilius cœpit intra ſe cogitare, quid agi deberet ex hac re. Et cum in animo ſuo hæc cogitaret, animuſque ejus contriſtatus eſſet, nolens tam beatum & juſtum virum a ſe recedere; oppreſſus a ſomno cœpit dormire, & confeſtim apparuit ei piiſſimus Pater BENEDICTUS, cujus tramitem tenebat, dixitque illi : Dimitte hominem ſanctum & juſtum hoc quod a te petit peragere, quia multa oportet eum pati pro nomine JESU-CHRISTI proximo in tempore. Iſte autem expergefactus e ſomno continuo vocavit domnum Marinum, & dixit illi, ut omnino quæ in corde ejus erant peragere. Perrexit autem ſanctiſſimus vir Marinus in villam Maurianenſem ſuper rivulum Suriæ, & cœpit ibi ſolus habitare, ſolique Deo vacare.

ubi mire paſcitur,

5. Poſt tertium vero diem venerunt duo urſi ad cellulam ejus, deferentes ei duo vaſcula apum, & projecerunt ſe ad pedes ejus, cœperuntque lingere plantas illius, ſignum oſtendentes ut ex beneficiis illorum comederet. Ille autem Domino gratias referens, accepit refectionem quam ei illi obtulerunt, & comedit, refocillatuſque eſt ſpiritus ejus. Præcepit autem urſis ut redirent ad propria, & per ſingulos dies redirent ad eum cum cibo, quem illis Deus tranſmiſſurus erat. Ipſæ autem beſtiæ quæ tam feroces eſſe conſueverant, ut in conſpectu illarum ſtare nullus auſus eſſet; poſt modicum per meritum beati Marini ita manſuetæ factæ ſunt, ut pedes illius lingerent, & ad ejus imperium quotidie redirent, duos panes ſecum deferentes.

a Wandalis cæditur.

6. Poſt quartum annum poſtquam ibi ſtare in ſolitudine cœpit, & jam ita eſſe, ut nullum conſortium haberet, niſi tantum cum Angelis; ſurrexit impiiſſimus Rex Wandalorum contra Chriſtianos, & maxime in Longobar-

bardos & Burgundiones, eo quod noluiſſent obtemperare præceptis illius. CIRCA AN. 731 24. Nov.
Et miſit duces ſuos & magiſtratus cum illorum ſatellitibus, ut cunctas terras eorum devaſtarent, & igne cremarent, niſi idolis ſacrificarent. Venientes autem ad locum, qui dicitur Candorenſis, ubi turba Monachorum erat, conati ſunt domum illam incendere, & non valuerunt. Ex Monachis autem ibi nullum invenerunt, quia jam omnes in montibus confugerant. Devaſtantes ergo omnia quæ ibi invenerunt, conati ſunt venire ad urbem Maurianam, ut illam igne cremarent. Admonitus eſt ergo beatus Marinus ab Angelo ut eis obviam occurreret, & prædicaret eis, qualiter trinum & unum Deum coleret, acciperetque coronam ſuam, quam Dominus illi repromiſſam ab initio ſæculi habebat. Ipſe autem ſtatim conſurgens occurrit eis obviam, & cœpit illis prædicare nomen JESU-CHRISTI. Illi comprehendentes eum, ligatis manibus ejus duxerunt illum ad Præſidem ACQUIRINUM. Cum ergo ante illum adductus fuiſſet, ſtatim ruptæ ſunt corrigiæ quibus ligatus erat. At illi qui eum ligaverant videntes eum ſine ulla læſione ſolutum, ſtupefacti proni ceciderunt in terram ab hora tertia uſque ad horam ſextam. Videns autem Præſes illum ſolutum eſſe, & ſuos ſatellites ad terram jacere velut mortuos, cœpit dentes ſuos ſtridere præ nimia triſtitia, & ait illi: Quid eſt quod facere voluiſti? numquid cogitas quod per tuas artes magicas me ſuperare valeas? ſacrifica diis, & nega Deum tuum, & ego te faciam cum domino meo ENGALDO Rege multa munera adquirere: inſuper ſi hoc feceris, magnus & magnificus ſuper cunctos noſtræ provinciæ eris. Beatus Marinus dixit illi: Ego nolo theſauros ſæculares adquirere, quia ego theſauros meos in tuto loco habeo abſconditos, ubi nec ærugo, nec tinea eos demoliri poteſt. Acquirinus autem Præſes ait illi: Marine, noli ita agere, ſed ſacrifica: niſi enim ſacrificaveris diis, diverſis pœnis te interficiam, inſuper & morti peſſimæ te certiſſime tradam. Chriſti Martyr conſtanter dixit ad Præſidem: Rex noſter militibus ſuis tormentorum mitigat ſupplicia, & quæ infertis ad pœnam, patenter mutat ad gloriam. Conſtantem Marini animum nullo modo moveri poſſe adſpiciens tyrannus, parato fornacis incendio eum flammis puniri decrevit. In medio fornacis incendio ſuum militem Dominus non dereliquit, ſed excuſſa flammarum immanitate de Præſidis apparitoribus triumphavit, & Martyrem mirabiliter liberavit. Martyr autem Domini ſolutus in medio camini exſultabat, & Dominum pia voce collaudabat. Quod cernens impius dux legionis perfidæ Acquirinus, ſtridenſque dentibus ſuis, jubet per tortorem ſanctum virum capite puniri: cui tandem cervicem præbuit ultroneus *a*.

INVENTIO RELIQUIARUM S. MARINI.

Ex eodem Breviario mſ.

1. HOdierna die, dilectiſſimi Fratres, ſpiritali jocunditate lætemur, quæ de ſacrati corporis Martyris Chriſti MARINI revelatione nobis annua revelatione feſtiva repræſentatur. Hodie namque hic Martyr beatiſſimus, licet requiſitus, cum magnæ tamen admirationis miraculo ſe nobis manifeſtare dignatus eſt. Quod qualiter evenit, vel quo ordine factum fuit, quoniam a nonnullis id ignorari non neſcio, quoquo modo potuero neſcientibus, tam futuris quam præſentibus, ſancti Martyris auxilio ſuffragatus, manifeſtare attentabo: quatenus ex conſideratione perpetrati miraculi cultu celebrior amabiliorque habeatur dies.

a Nimirum Novembris, ut puto, die 24. quo ejus celebritas in Monaſterio S. Savini antiquitus recoli conſuevit.

CIRCA AN. 731 24. Nov.

2. Cum igitur beatiſſimus Martyr Marinus Dei diſpoſitione ſuaque electione á loco in quo primo ſepultus fuerat, huc tranſportaretur, & tam ſuperna declaratione, quam miraculorum atteſtatione, non mediocri veneratione ab omnibus ſuſciperetur; illi venerabiles Patres, videlicet anteceſſores noſtri, per quos hujus loci cura tunc temporis adminiſtrabatur, ditati theſauri tanti adeptione, timentes ne forte aliquo modo, vel maxime Nortmannorum incurſione, qui ſuis de ſedibus temporibus illis ſæpe incertiſque vicibus proſilientes populabantur quæque loca attingere poterant, eo privarentur; recondiderunt terræ eum quam ſecretius potuerunt: non ſolum autem illum, verum etiam beatiſſimum Martyrem Savinum, jam de Biturica civitate relatum, ubi barbaricæ dictæ ſuperius incurſionis timore ab hujus loci ſenioribus delatus, per triginta annorum curricula illatæ perditionis & perſecutionis finem operuerat: necnon venerabilem egregiumque verſificatorem PRUDENTIUM, quem ab Hiſpania referunt ab Imperatore CAROLO Magno in has regionum partes fuiſſe delatum: qui qualis quantæque peritiæ vir fuerit, ſatis ab eo libris editis dignoſci poteſt. Sanctum quoque MAXENTIUM, qui & Adjutor dicitur, quem ejuſdem perſecutionis tempore occaſione quadam huc referunt eſſe delatum: venerandum quoque ROMARDUM a caſtello Haylone: ac beatum FLORENTIUM a * Booya inſula, in qua claruiſſe plurimis refertur virtutum chariſmatibus. Terra itaque omnes hos pariter per diverſa Eccleſiæ loca ſine aliquibus indiciis, quibus reperiri ulterius poſſent, ut præfati ſumus, recondiderunt. In quodam tamen eminentiori ipſius baſilicæ arcu adnotaverunt, infra ejuſdem ſepta baſilicæ omnium ſupradictorum Sanctorum corpora conſervari.

Corpus S. Prudentii ab Hiſpania jubente Carolo Magno in Galliam delatum.

* al. Haia

3. Tempore autem non pauco prius evoluto factum eſt, ſub ſanctæ videlicet recordationis diebus GUNGALDI Abbatis, ut ODO *a* qui ſub ejus Patris regimine Præpoſiti fungebatur officio, cui & in regimine decedenti meruit ſubrogari; licentia & deprecatione ipſius Patris, non modica pecunia ab ALMONE *b* Pictavorum Comitiſſa, ab hac vita recedente, ſuſcepta quantitate, quatenus eam, quo utilius proficere ſciret, ad ipſius remedium animæ ordinaret. Qui ex ea hoc inſtituit, ut Eccleſia melioraretur, & a ſtatu quo primitus fabricata fuerat, omni parte ſui amplificaretur. Cum jam denique ad id uſque perventum fuiſſet, ut antiquæ fabricationis dejicerentur materiæ, quatenus ædificationis reparandæ fundamenta erigerentur; non primitus tamen hoc fieri delegerunt, donec quæ in eadem credebantur baſilica requieſcere, Sanctorum corpora reperirentur. Et quoniam ſuper terram nullum apparebat indicium, quo eorum certi fierent repertionis: nullus quoque eorum omnium intererat, nec uſquam ab eis reperiri poterat, illa videlicet jam tota generatione deceſſa, qui ubi reconditi fuerant a quoquam ſe numquam fateretur audiviſſe. Quid ergo facerent neſciebant: tamen quo apertius arbitrati ſunt eos poni potuiſſe, fodere aggrediuntur. Et cum jam licet ceterorum perveniretur facilis ſatiſque compendioſa repertio, beatus tamen Marinus Martyr cum grandi difficultate laboris, & non ſine ſtuporis immenſi prodigio repertus eſt. Facta igitur difficultate beati Martyris corpus inveniendi, reliquis ad votum inventis ac ſine grandi moleſtia effoſſis, debitaque cum reverentia in Eccleſia collocatis, ad Chriſti Martyris Marini inquiſitionem animos denuo appulerunt *c*.

MO-

a Odo iſte alius fuit ab Odone Abbate, qui Canonicos Eccleſiæ S. Martialis monaſticis inſtitutis imbuit, ex dictis in Obſervationibus præviis.

b Hæc eſt Admodis ſeu Adalmodis Boſoni Marchiæ Comiti primum, dein Guillelmo Aquitaniæ Duci nupta ineunte ſæculo 11. Lege Chronici Malleacenſis lib. 1. §. 6. tomo 2. Bibliothecæ Labbeanæ.

c Cetera deſunt in Breviario mſ. in quo hæc Inventio reponitur die 11. Martii. S. Marini oſſa, quæ ſub ara ipſi ſacra latebant, ſollemni ritu defoſſa ſunt anno 1671. die 16. Junii, & in urnula lapidea inventa eſt hæc inſcriptio: INCLYTUS MARTYR MARINUS HIC REQUIESCIT. Reliquiæ in ligneo loculo laminis aureis tecto repoſitæ.

Digitized by Google

CIRCA AN. 731
24. Nov.

MONITUM.

EXSTAT *etiam in eodem codice hiſtoria translationis S. Savini ad diem 17. Januarii, facta poſt cladem Nortmannorum, quorum tempore Monaſterium in ſolitudinem redactum fuiſſe perhibetur. Tum* BONITUS *quidam Presbyter religione animatus*, Eccleſiam beati Martyris reconſtruere, locumque ut eſt hodie (*ſic loquitur Auctor*) reſtituere *cœpit. Denique proſapia clarus, rebus inclytus* BACDULUS Clericus Palatinus, Abbas Monaſterii Majoris Turonenſis, hereditaria ibidem, maxime in villa nuncupata Seriſio jure propinquitatis poſſidens prædia, *de vulgatis S. Savini reliquiis inquiſivit. Hæc tantum in mſ. codice habentur.*

Lubet hoc loco ſubjicere epitaphia duo, quæ Maſſiliæ exſtant in Monaſterio S. Victoris Ordinis S. Benedicti: unum EUSEBIAE *Abbatiſſæ Cœnobii S. Quiricii a Joanne Caſſiano exſtructi prope urbem, quæ una cum Sanctimonialibus quadraginta, ne pudicitiæ ſuæ vis ab Saracenis inferretur, naſum ſibi præcidit, eodem forſan tempore, quo S. Marinus ab eiſdem Barbaris necatus eſt. Quam loci traditionem confirmat generoſæ illius heroinæ effigies dimidia facie & naſo præciſo tumulo impoſita cum hac epigraphe:*

PER HIC REQUIESSET IN PASSE EUSEBIA RELIGIOSA
MAGNA ANCELA DOMINI
QUI IN SECULLO AB HENEUNTE ETATE SUA VIXIT
SECOLARES, ANNUS 14. ET UBI A DOMINO
ELLECTA EST IN MONASTERIO SANCTORUM CYRICI
SERVIVET ANNUS QUINQUAGENTA. RECESSET
SUB DIE PRIDIE KALL. OCTOBRIS INDICTIONE SESTA.

Sanctimoniales quadraginta, quæ una cum illa naſum ſibi eodem animo præcidere, jacent in medio ſacello B. Mariæ de Confeſſione, ut vocant: cujus aditus mulieribus interdictus.

In eodem ſacello cernitur ſepulcrum, & epitaphium Tilliſiolæ Abbatiſſæ in hæc verba:

✠ ✠ ✠

IN HOC TUMULO SITA EST TILLISIOLA
ABBATISSA, QUE NOMINIS SUI DECUS
VITA FACTISQUE SERVABIT.
CHRISTI EI IA9. MARIAM MENTE
SEC. TUA FIDEM VIRGO
VIRGINIBUS SACRIS XL PRAEFUIT
ANNIS US XII. VIII. IX X.
DIEBUS VII. IDUS APRILIS INDICT. VIII.

VITA S. SEGOLENÆ

SÆCULO 8
24. Julii.

ABBATISSÆ TROCLARENSIS IN AQUITANIA PRIMÆ,

Auctore anonymo, ejus æquali, ex cap. 17.

Ex mſ. cod. Moiſacenſi & Bibliotheca Labbeana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. BEATAE SEGOLENAE * *ſeu* Sigolenæ *geſta litteris mandavit anonymus Auctor gravis, & quidem ejus æqualis, ut patet tum ex Prologo, tum ex cap. 17. ubi miraculum commemorat ſe præſente factum a Segolena, quam non ſemel* Matrem noſtram *appellat. Lucubrationem ſuam nuncupat* ALIPHIAE *Abbatiſſæ Monaſterii Troclarenſis a Segolena conditi, de quo poſtea.* Segolenæ Vita, * S. Sigoulene,

2. *S. Segolenæ memoriam nulla produnt veterum Martyrologia: antiquum tamen ejus cultum probant tum ſubjecta Vita ab optimæ notæ Auctore graviter conſcripta, tum vetus index Eccleſiarum & altarium diœceſeos Claromontenſis, in quo* S. Segolenæ altare in Monaſterio Rubiacenſe *quondam exſtitiſſe legitur in lib. 2. num. 9. tum denique Gaufredus Prior Voſienſis, qui agens* de Sanctis in diœceſi Lemovicenſi clarioribus, *hæc habet:* Eccleſia memoria & cultus,

Digitized by Google

SÆCULO 8 quæ vocatur Monaſterium Leolenum, & quædam aliæ, Maximum, SIGULENAM & Sagittarium habere ſe fantur. *Segolena ut vidua ſancta colitur officio ſollemni Albiæ in Eccleſia cathedrali, & officio duplici per totam diœceſim.*

24. Julii.

ortus & genus. 3. *Segolena in urbe Albia * ſeu Albiga in Aquitania, ad Tarnum fluvium, nata eſt parentibus illuſtribus: ut quæ* SIGIBALDUM Epiſcopum *&* BABONEM Aldienſium Ducem *fratres habuit. Eam Antonius Dominicius S. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi cognatis adnumerat in lib. de Ansberti familia cap. 8. eidemque patrem* GODINUM, *matrem* DODINAM *in prævio ſtemmate attribuit: id quod ſatis refellitur ex hac vita, in qua Segolenæ pater* CHRAMSICUS *non ſemel nominatur.*

* Albia

Ætas. 4. *Quo tempore vixerit Segolena, non facile quis definierit. In ejus Actis laudantur* SIGIBALDUS *Epiſcopus,* BABO *Albienſium Dux, germani ejus;* EVANTIUS *&* GISLOALDUS *Abbates: at de nullius ætate certa poteſt ferri ſententia. Cujus ſedis Epiſcopus fuerit Sigibaldus, ignoratur. Sigibaldus Mettenſis Epiſcopus ab anno fere 718. ad 42.* generoſis ortus natalibus *dicitur. Verum a pago Albigenſi remotior eſt civitas Mediomatricum, quam ut Sigibaldus Mettenſis, podagræ alioqui dolore impeditus, ſororem in pago Albigenſi demorantem inviſere potuiſſet tam ſæpe, quam id de Sigibaldo Segolenæ fratre ſcribitur.* Evantii *Abbatis æque ac aliorum notitia etiam obſcura. Exſtat apud Henricum Caniſium in tomo 5. antiquarum lectionum* epiſtola Evantii Abbatis *contra Hiſpanos nonnullos in Cæſarauguſta partibus agentes*, qui ſanguinem animalium immundum judicant, & carnem mundam eſſe dicunt. *An forte Evantius in Vita Segolenæ memoratus? nam epiſtolæ ſcriptor non fuit Evantius ille Viennenſis Epiſcopus, qui obiit anno 11. Childeberti; nec Evantius a Fortunato laudatus: ſiquidem auctor in epiſtola ſua citat* librum Paſtoralem ſancti Gregorii, *qui liber pontificatu Evantii Epiſcopi Viennenſis vixdum editus a Gregorio erat: certe nec Gregorius Magnus tum dicendus* ſanctus.

Monaſterium. 5. *Monaſterii Troclarenſis a Segolena conditi locus æque obſcurus. Ejus tamen ſitum conjicimus ex loco* Inſula dicta, *quo Sanctimonialium cadavera humanda deferebantur. Quippe antiquitus non in ipſis Cœnobiorum clauſtris, ſed extra, mortuorum corpora ſepeliri mos erat. Atqui viſitur etiam nunc* Inſula *opidum ad Tarnum fluvium octava fere leuca infra Albigam; & in diverſa fluminis ripa vicus S. Martini, quo in loco (ut veri ſimile eſt) conditum erat Troclarenſe Parthenium: cujus* Oratorium *ſancto Martino,* Eccleſia *beatæ Mariæ ſacrata erat, ex capp. 18. & 22. Paſchalis Papa ſecundus in litteris conceſſis Ottoni Abbati Monaſterii ſancti Victoris apud Maſſiliam conditi, inter alia memorat* Cellam ſanctæ Segolenæ in diœceſi Albigenſi: *quo nomine forſan intelligit* la Grave, *Baroniæ titulum, cujus loci Eccleſia hactenus ſanctæ Segolenæ nuncupata eſt. Vixit in Cœnobio ſuo ſancto Segolena* ſecundum priſcorum Patrum inſtituta *cap. 12. ſeu* juxta inſtitutionem ſanctæ Regulæ *cap. 13. quo nomine Benedictina deſignari ſolet.*

PROLOGUS AD ALIPHIAM ABBATISSAM.

SÆpius mente devota, reverenda mihi ſacrataque Chriſto ALIPHIA, cum choro ſodalium Monacharum tibi commiſſo, imperitiæ meæ imperatis, ut almæ Matris noſtræ SEGOLENÆ, meo ſtuderem ſtilo texere geſta. Nefas tamen eſſe credo, ſi tam ſancto deſiderio minime paream. Quæſo ergo ut conatum meum veſtris orationibus juvetis. Igitur Deo juvante, qui dixit, *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*; adgrediar implere quod poſtulaſtis. Et multa quidem ipſius beatiſſimæ mihi narratione comperta, & a memetipſo viſa; nonnulla etiam venerabilium Sororum diſcipularum ſuarum quæ ei ab adoleſcentia ſervierunt, relatione prolata didici in hoc opere. Et ut legentibus faſtidium amputarem, ſtudui ſub compendio brevitatis, ruſtico quidem ſermone, de virtutibus prædictæ Dei famulæ pauca de plurimis narrans, multis cognitam reddere veritatem: & ſi minus expleta utiliter fuerint quæ præcepiſtis, meam potius difficultatem quam inobedientiam accuſetis. Ecce, ut juſſiſtis, habetis exiguam dictationem. Nunc igitur vivendo ſequi quiſque appetat, quod legendo ſcire feſtinat. Dignitatem igitur veſtram obſecro, ut cum ſemel legeritis, judicio peritorum decorentur *, ut apta legentibus fiant.

Matth. 10. 19.

Auctoris fides.

* al. deponantur.

IN-

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA.

CAPUT I. De habitu ſæculari vel converſatione.
II. De eleemoſynis.
III. De locis Sanctorum.
IV. De officio vel vigiliis.
V. De admonitione ſuæ ſalutis.
VI. De propoſito caſtitatis.
VII. De tranſitu viri ſui.
VIII. De conſecratione ejus.
IX. De renuntiatione mundi.
X. De reſponſione patris.
XI. De ingreſſione Monaſterii.
XII. De retruſione ejus.
XIII. De jejunio vel abſtinentia.
XIV. De officiis Monaſterii.
XV. De miraculis, vel leproſis curatis.
XVI. De clerico dæmoniaco liberato.
XVII. De quadam Sanctimoniali a dæmonio liberata.
XVIII. De quadam puella ab inimici invaſione liberata.
XIX. De ancillis Monaſterii a dæmone liberatis.
XX. De Monacha a dæmonio liberata.
XXI. De quadam femina a dæmonio liberata.
XXII. De ejus germani viſitatione.
XXIII. De notitia divinitus delata.
XXIV. De monacho qui de Monaſterio diſcedere voluit.
XXV. De puero a dæmonio liberato.
XXVI. De Tranſimundo presbytero.
XXVII. De puerulo illuminato.
XXVIII. De quadam Sanctimoniali illuminata.
XXIX. De quadam puella contracta & ſanata.
XXX. De ejus appropinquante tranſitu.
XXXI. De exhortatione ſuis Virginibus.
XXXII. De felici ejus tranſitu.
XXXIII. De exuberatione olei.

INCIPIT CONVERSIO SEU TRANSITUS S. SEGOLENÆ Abbatiſſæ, cujus corpus pago Albienſium quieſcit, & eſt tranſitus ipſius 9. Kalend. Auguſti.

AD converſionem ſeu correctionem mortalium multum proſunt exempla bonorum, quibus ædificatur homo varias conſectari virtutes. Si enim ad boni incitamentum divina quibus admonemur præcepta deeſſent; pro lege nobis Sanctorum exempla ſufficerent. Hoc a ſæculis egit Rex auctor æternus, ut famulorum ſuorum famularumque famam commendaret perennem, & ut futuris temporibus exempla illorum memoriæ commendando ventura ſoboles gloriaretur. Igitur quoniam tantæ Matris SEGOLENÆ adgredimur texere geſta, erit noſtrorum arbiter dictorum virtutum largitor immenſus, qui ei munera vitæ perennis gratia ſua largitus eſt. Igitur beatiſſima Segolena fuit ex urbe Albienſium natalibus nobilis, religione nobilior: quæ cum ſuis parentibus brevi commanens tempore, & ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudioſis laboribus operibuſque pro ſexu inſtituta, juncta eſt matrimonio annorum circiter duodecim; ſublimemque genere, divitiis atque moribus GISLULFUM nomine ſortitur jugalem. Nubit ergo terreno homini, nec tamen ſeparatur a Rege cœleſti: plus participatur a Chriſto, quam ſociata conjugio; ſubdita Deo, ſemper monita ſectans Sacerdotum; timens ne a Domino degradaretur, cum mundi gradu proficeret. Tranſeunte igitur ſpatio temporis, jam feliciſſima pro charitate Dei quam prætulerat amori carnis, quam ex toto odiens, fervens ſpiritu deſiderabat placere Deo; ait ad virum ſuum: O tu vir adoleſcentiæ flammis exæſtuans, omnes facultates meas ſuſcipe: tantum ut corpus meum liberum efficias, ut perficiam quod eſt CAP. I.

Sic Fortunatus in Vita S. Radegundis.

SÆCULO 8 24. Julii. eſt ſecundum deſiderium meum. Et ille : Adhuc paulliſper ſuſtine, & cum voluntas Dei fuerit, ita poſtea fiet. Et cum ipſe ſancto illuſtrante Spiritu firmum propoſitum & tam mirabilem & ſubitam converſionem frequenter in ea regnare reperiſſet; gratulans de ejus excellenti deſiderio, ſciens hanc eſſe mutationem dexteræ Excelſi, ait : Manus Domini qui potens eſt, dirigat omnem actum tuum in bono : age ergo quod agis, operare quod operaris. At illa gaudens ab eodem talem ſe percepiſſe licentiam, quod jam ex multo tempore valde cupiebat & deſiderabat pro conſervando continentiæ propoſito, glorificavit omnipotentem Dominum.

II. Ex illo namque tempore ſciens eleemoſynis cœlorum regna poſſe mercari, ſe ſua cum facultate eleemoſynæ dedicavit, apud quam nec egeni vox inaniter ſonuit. Sæpe donans indumenta, membra Chriſti ſe tegere ſub inopis veſte credens : hoc reputans ſe perdere, quidquid pauperi non dediſſet. Tendens adhuc animum ad opus miſericordiæ infirmos viſitabat, peregrinos advenientes gaudens ſuſcipiebat, in itinere ſumtus adminiſtrabat, pauperibus omnia gaudens diſpenſabat, ut læta diceret : *Diſperſit, dedit pauperibus : juſtitia ejus manet in æternum.* Pſal. 3.

III. Quid beatiſſima egerit circa Sanctorum templa, quæ eloquentia ſuppleat? quis ſermo explicet, quam ſe munificam ea monſtravit ergà Eccleſiam? Veſtibus & ornamento quod clariore ſolebat ferre cultu in ſæculo, ſacra componebat altaria : deinde quod ſupererat, Monaſteriis diſpenſabat.

IV. Erat enim vera Domini cultrix : & neceſſe erat, ut quam Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Chriſto igitur cotidie ſedulum exhibebat officium : & ſi ſederet in prandio excubans * jugalem, caſu aliquo ut Deo redderet debitum, ſe ſubducebat convivio, quidquid ferret, leve reputans, tantum ne Chriſto vileſceret.

* ſupple prope. Eadem Fortunatus de S. Radegunde.

V. Quodam tempore adveniente quodam Fratre in urbe jam dicta, religioſa gratulatione beatiſſima cum reverentia, ut Patrem ſuſcepit ſpiritualem : & cum pollens eſſet ingenio, ſtatim peculiariter ab eo requirit, dicens : Animam meam ſervare volo; doce me, obſecro, viam juſtitiæ. Et ille : In divina poteſtate conſiſtit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare. Potens & clemens Deus verum & magnum in animo tuo poſuit deſiderium, qui ſolus potens eſt perſeverantes innovare perenniter & beatificare. Igitur qui ſecundum Deum vult vivere, non quod ei carnaliter delectat, ſed quod ſpiritualiter ædificat, facit : & quidquid cupit aut agit, non vult ex ſua, ſed ex Dei ſui voluntate procedere totis viribus concupiſcit.

VI. Illa in timore Chriſti dedita, nempe Spiritu-ſancto plena, credens ſibi a Domino impetrare optimam virtutem continentiæ, ait : Scio, Pater, quia a Deo continentiæ virtus datur; noſtrum vero eſt petere, ſuum eſt concedere. Ipſe Dominus dixit : *Petite & accipietis.* Luc. 11. 9.

VII. Nec longo poſt tempore vir ejus defunctus eſt. Plangunt ſervi dominum, affines proximum : tota quippe domus erat in luctu : illa autem beatiſſima ſepelivit eum diligentiſſima ſepultura. Fuit Sancta ſubdita viro annos circiter decem : de cujus obitu quia graviter contriſtabatur, conſolabatur a parentibus, & ipſa dicebat illis : Nullo modo conſolabor, niſi permiſeritis me omnem ſollicitudinem contemnere ſæcularem. Illi non cauſæ Religionis inſiſtunt, ſed denuo conjugii jura ſollicitant, ut cum ipſa poſtmodum temporaliter gloriarentur. Erat interea jurgium inter ſanctum propoſitum Dei famulæ & parentum ſæcularem conflictum. Elegit venerabilis Segolena potius monaſticam ducere vitam, quam in propria domo vivere cum periculo caſtitatis. Parentes ejus cum ſe jam victos cernerent, nec poſſent reſiſtere ſuæ propoſito voluntatis; volentes nolenteſque cui obſiſtere non poterant, ſancto ejus deſiderio abdicata propria voluntate ſatisfaciunt. Exſultavit autem Sancta gaudio magno de conſenſione parentum : & ſic in omnibus libera effecta, gratias agebat Domino.

VIII. Eo ſub tempore directam legationem ad Pontificem prædictæ urbis ſui mi-

miſerunt parentes, ut ipſam mutata veſte Domino conſecraret. Qui eorum SÆCULO 8
agnita voluntate, manu ſuperpoſita conſecravit Diaconam *a*.
At vero cum Dei famula largita ſibi a Pontifice benedictione domum re- 24. Julii. IX.
meaſſet, cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius dominici imperii ad
Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam monſtravero tibi*. Gen. 12. 1.
Mox religioſiſſima cum lacrymis inclinatur ad genua patris ſui divino cultui dediti, nomine CHRAMSICI, accenſaque ſancto deſiderio his verbis alloquitur: Gloriam hujus ſæculi quæ ſicut flos feni tranſit, & falſas mundi divitias pro amore regni cœleſtis, inſpirante Domino noſtro JESU-CHRISTO qui omne bonum tribuit, delibero contemnere juxta dictum ſancti Evangelii, ſæculoque renuntiare, & jugum Chriſti ferre quod ferentibus leve eſt, cupio, & liberari de ſæculi compedibus. Divinitus namque adjuta conniventia parentum & veſtro permiſſu, ſociare me in ſancto ovili cum ſacratis Deo Virginibus & ab omni inquietudine ſæculi abſolutis decrevi, ubicumque potuero, rectius Dei ſervare mandata.

Audiens hæc pater ejus, mirari cœpit ignitum igne Domini deſiderium e- X.
jus & cordis ardorem, & conjungitur * corde. * f. compungitur
Ipſe vero cum eſſet ſenex, de ſuavi ejus eloquio & viſione ſui animo non ſatiabatur, & propter ſanctum propoſitum ejus flendi præ gaudio fiebat neceſſitas. Et ſubito ſubintrat ei deifica inſpiratio, ut ſuo opere cum fidei gratia Cœnobium, ubi ipſa degeret, loco amœniſſimo in prædio ſuo cognomento Troclaris * conſtrueret: * al. Troglaris
quod ita Domino providente & juvante factum eſt. Et conſolabatur eam paterna affectione & hortabatur, ut in Domino ſemper fideret, ejuſque imperiis efficaciter obediret; nam exſulem fieri de propria regione non permiſit.

Eo itaque tempore beatiſſima pulſare cœpit, ut ad deſideratum locum per- XI.
veniret. Itaque domos reliquit proprias, progreſſa cum ſodalibus ſuis Chriſto duce cum præcedente pſallentium choro. Ovantes omnes cum fide robuſta accedunt, & valde propter venerabilem ejus ſanctitatem ſuſcepit eam honorifice pater ejus. Deus autem qui fidem & conſtantiam ancillæ ſuæ providerat, bonum ejus propoſitum ad effectum perduxit. Ingreſſa eſt ergo locum: ad quem cum veniſſet, cum ſuis reſedit, ibique ſola orationibus & jejuniis vacare cœpit, mortificationem in ſuo corpore ferendo, ut uberius exemplum monſtraret. Et non poſt dies multos congregat ibidem ſanctiſſima non paucas Monachas, quæ in miniſterio Dei hymnis & canticis ſpiritualibus Chriſtum laudarent.

Tranſacto itaque parvo temporis intervallo, elegit beatiſſima ſimul cum XII.
ſuis omnibus ſecundum priſcorum Patrum inſtituta regulariter vivere. Quod & præſtitit ei Deus, qui voluntatem timentium ſe ſemper perficere conſuevit, & juxta Apoſtoli dictum, communia multis omnia erant.
Illuc nobilium quæque libenter undique concurrere nitebantur, ut exem- Act. 1.
plo ejus faleramenta ſæculi præſentis & pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent. Cumque jam multarum Monacharum ſocietate denſaretur, inſtituitur dies qua ſe ſancta intra ſepta Monaſterii (ut mos Virginum eſt) deliberaverat retrudi. Adfuit etiam plebium multitudo: omnes gaudent, omnes exſultant de ejus glorioſo propoſito.

Ex ea die qua Religionis ſumſit exordium, cœpit eſſe in vigiliis prom- XIII.
ta, in obſervatione ſollicita, in obauditione feſtina, in labore devota, in humilitate præcipua, memor præcepti illius: *Qui ſe humiliat exaltabitur*. Matth. 23. 12.
Tanta pietas, charitas, manſuetudo, modeſtia, lenitas, atque ſobrietas in ea redundabant, ut ſi quis cuncta percurreret, ipſam prædicaret tam Confeſſorem quam Martyrem. Ergo venerabilem illi præter diem dominicum fuit illi ſolitum, ut juxta inſtitutionem ſanctæ Regulæ, & omnis Fortunatus idem habet de S. Radegunde.
dies jejuniorum lenticulæ & oleris haberet edulium. Prima quoque Quadra-

a Iiſdem verbis, ſanctus Medardus Radegundem Diaconam conſecraſse dicitur apud Fortunatum, cujus verba paſſim uſurpat iſte Auctor. De conſecratione Diaconarum per manuum impoſitionem lege Albaſpinæi Notas in quædam vetera Concilia. Diaconas in Eccleſia deſiiſse ævo Attonis Vercellenſis Epiſcopi, id eſt ſæculo 10. probat ejus epiſtola in tomo 8. Spicilegii.

Digitized by Google

SÆCULO 8 dragesima, qua se retrusit in cellula, donec fuisset transacta, potum præter aquam atque pyracium non bibit, panem hordeaceum sumsit, quem tamen ipsa coxit & moluit. Cibus ejus legumen & olera, sine olei gutta, exiguæ mensuræ fuit. Cilicium etiam semper interius mœrens habebat pro linteo *; jugiter Cursum * decantans, discalceata peragebat vigilias: ante se cinerem stratum superjecto cilicio habens, ad caput lapidem pro pulvillo, hoc utebatur pro lectulo: parum autem ei videbatur hoc sustinere corpusculum. Aliis Quadragesimis qualiter gessit, per singula quis enumeret, cum sint infinita? nam ex quo tempore consecrata est, semper vitam duxit per discretionem austeram usque ad terminum vitæ, ne forte attritione nimia solveretur, memor illius verbi, non in solo pane hominem vivere, sed satiari verbo vitæ, & velut affluenti dape abundare.

24. Julii. * id est pro camisia seu tunica linea * id est officium divinum

Deut. 8. 5.

XIV. Illud quoque quam devote providebat pro salute sua in proximis laborem impendere, non est silendum. Infirmantibus suis vicibus serviebat, ipsa cibos decoquens, ægrotis fæces abluens, calidam porrigens visitabat quod fovebat: credebat se minorem, si se non nobilitaret vilitate servitii. Nam de officiis monasterialibus, in quantum carnis fragilitas non obstabat, nihil sibi placuit, nisi prima serviret. Inter omnium cœtum Monacharum, & religionis studio, & regularis disciplinæ cultu præcipua habebatur.

eadem Fortunatus de S. Radegunde.

XV. Illud quod gessit occulte, proferatur in publicum. Eo itaque tempore duo leprosi conjuges jam cognita bonæ opinionis ejus fama, habentes secum unicam filiam, devote venerunt ad Beatæ præsentiam: prostrati ad ejus genua, ut dignaretur pro illis Dominum deprecari exorant. Respondit illis benevole: Ille qui dixit, *Volo, mundare*, si vult potest vos curare. Quid plura? sequenti die cum ipsi signo facto se proderent, jubet Sancta secretissime vix duabus testibus balneo parato intra fores Monasterii, sic ut nemo perciperet; jussit & servientibus in calidam aquam deponere illos. Remansit autem cum duabus tantum, sed serviente se sola ægroti simul cum medica: quantum est licitum feminis, a capite usque plantas succincta linteo infirmorum membra combajulat, capita lavans, purgans cutis putredines. Fugabatur lepra, deinde morbidi quos deposuerat, exeunt salubres de tepida: postera vero die ad Ecclesiam venerunt, cute nitentes: gratias pro sanitate quam receperant, Deo agebant. Jubet sanctissima occultare miraculum, quod jam pene tota civitas referebat in publico; nec passus est omnipotens Deus lucernam occultare sub modio.

Matth. 8. 3.

XVI. Ergo illo tempore quidam juvenis, DADULFUS nomine, sub professione Monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit, habitavitque aliquamdiu cum venerabili viro EVANTIO Abbate in communi cum Fratribus suis. Exigentibus meritis correptus a dæmone est. Dum ab inimico nequiter torqueretur, Troclaris Monasterium inter manus ad Sanctam defertur curandus: nec data dilatione promeruit quod petebat.

XVII. Patratum est deinceps aliud simile miraculum. Quædam puella cum ab adversario graviter vexaretur, sequenti die, Sancta orante, nova Christi curatione per summitatem verticis & crepantem cutem, ut cænonymia *a* foras adversario exeunte, sana est reddita. Hoc nobis præsentibus actum est.

Auctor testis.

XVIII. Adjiciatur laudi quod non defuit merito. Quædam puella, nomine CANCIOLA, ancilla jamdictæ Cellæ, dum inimici invasione gravissime laboraret, & vix ad Dei famulam potuissent hostem rebellem adducere; jubente prædicto viro CHRAMSICO genitore ejus in Oratorium beati Martini intromittitur, & cum ingenti vociferatione statim proclamat: Quousque non cessas persequi nos, Christiana? Tenentes namque se cœpit manibus calcibusque cædere. Tum ad orationem mox Beata prosternitur: post orationem vero, quam cum lacrymis fudit, commota pietate & fide plena appre-

a Forte cynomia, id est cynips seu musca canina.

Digitized by Google

apprehendit eam manu ſua: & qui timebatur extimuit: confeſtim fugato SÆCULO 8
dæmone, integram recepit ſoſpitatem.

24. Julii.

Nec illud prætereatur quod eſt facto ſimillimum. Poſt aliquantulum XIX.
vero tempus duas mulieres ancillas præfati Monaſterii, Pallideam & Palladiam, a dæmone horribiliter correptas, per eamdem famulam ſuam Dominus curare dignatus eſt.

Cœpit exinde infirmantium cohors ob ſanitatem integrandam eam fre- XX.
quentare: quæ omnium petitionibus parens, orationum medicamine cunctorum ad ſe venientium infirmitatibus, divino fulta auxilio, curando ſubveniebat. Exin parvo temporis intervallo quædam Sanctimonialis de Rutenæ urbis territorio, BAUDELONA nomine, dum annis plurimis energumena torqueretur, inſpirata divinitus rogavit ſe ad Sanctæ præſentiam duci. Cum veniſſet, præſentatur & traditur, ad genua ejus advolvitur, flebiliter rogans ut Dominum pro ſalute ſua exorare dignaretur. Incumbit beatiſſima Segolena ſine mora orationi, congregatio tota proſternitur. In tantum mora fuit, dum de oratione conſurgitur, adeſt Divinitas, fugatur inimicus; & poſt eadem die ſine ullo erroris indicio in eodem Cœnobio ſuſcepta, Chriſto ſubdita vitam finivit.

Quis numeret mirabilia, quæ Chriſti per eam operatur clementia? Quæ- XXI.
dam mulier, nomine Regnoalda *, dum jam longo tempore graviter dia- * al. Ramnoalda
bolica invaſione vexaretur, vix ad Beatæ præſentiam perducitur; voce flebili orat ut a vexatione ipſa ejus mereretur orationibus liberari. Jacebat per triduum jam exanimis: & nihil proficiebat. Quidam vero Frater dixit Beatiſſimæ: omni animæ miſereri utile eſt. Imperat denique pater, ut pro infirmæ ſalute exueret quo induta erat cingulum, & ex ipſo cingeretur. Ne inobediens patri appareret, non cenodoxiæ acta vitio, ſed ejus parendo imperio exuit ſe, & cinxit eam; adhibitiſque ſimul Sororibus, pro ea Domini miſericordiam deprecatur. Statim oratio interceſſionis impletur, & mulier ab inimici invaſione illico liberatur. Celare ſancta humiliter volebat & Deo reddere honorem. Acceptam * ergo mulier ſanitatem, omnibus * accuſativus pro ablativo
rem geſtam patefecit.

Quadam vero die germanus memoratæ Dei famulæ, SIGIBALDUS *a* XXII.
nomine, virtute venerabilis, ad eam gratia exhortationis atque ædificationis cogente charitate acceſſerat, qui diligebat eam valde: quem Beatiſſima cum omni gaudio ut virum Dei ſuſcepit. Interea cum omni affectu docebat eam ſpiritalem doctrinam. Poſt ſermonem autem ædificationis facto jam veſpere, eum multis precibus rogat, ut ibi nocte illa maneret: quod vir Dei fieri cum magna humilitate prohibuit. Cumque hoc Dei famula au- Idem contigit S. Benedicto Scholaſticam viſenti.
diſſet, contriſtata ad divinum ſe auxilium contulit: moxque ingreſſa B. MARIÆ ſemper virginis eſt Eccleſiam, ibique orationi incubuit. Sed omnipotens Deus qualis eſſet oſtendit. Nam poſt paullo orationem ejus pluvia in locum eumdem ab Oriente venit enormis valde. Tunc vir ille videns, immenſitatem pluviæ ſe ferre non poſſe, manſit ibi nocte illa: ſicque intellexit dona divini muneris ejus meruiſſe fidem. Cujus rei teſtis ipſe, & pluſquam plures alii ſunt.

Proferatur in medium quod gratuletur religio. Eodem vero tempore XXIII.
cum quidam Frater viſitationis gratia ad eam veniſſet, & dulcia ſibi invicem verba vitæ transfunderent, & ſuavem cœleſtis patriæ cibum in collatione ſuſpirando guſtarent, ait Beatiſſima: Multi, Pater, ut non igno- NOTA.
ras, vitam ſine crimine habere poſſunt, ſine peccato non poſſunt, Apoſtolo atteſtante qui dixit: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos* 1. Joan. 1. 8.
ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Sed, quæſo te, pro me Dominum deprecare, quia ipſe promiſit dicens: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite* Marc. 11. 24.
quia

a Erat is Epiſcopus, uti intelligitur ex cap. ſequenti, diſerte vero ex cap. 32. cujus vero ſedis? non Albigenſis, ut conſtat ex catalogo Epiſcoporum Albigenſium edito in tomo 7. Spicilegii Acheriani; neque Mettenſis, ut videtur, ex dictis ſupra: an tandem Cadurcenſis? nam poſt S. Deſiderium hiatus eſt in catalogis & Segolena poſt Deſiderium vixit.

Digitized by Google

SÆCULO 8 *quia accipietis, & venient vobis*. Illico de parvis minimiſque peccatis, ſine
24. Julii. quibus eſſe non poſſumus, cum gravia peccata deeſſent, memor illius Pſal-
Pſal. 31. 4. mographi præconii, *Peccatum meum cognitum tibi feci*; quæque geſſit lacrymans confitetur: cœpitque cum cordis humilitate depoſcere, ut ex fide quæ eſt juſtitiæ fundamentum, notitia ex ipſis fieret, & ſub anuli ſignaculo divino ſuper altario *a* poneretur. Quid inter hæc Frater ageret, anxio corde penſabat. Armavit mentem fides, docuit impetrare opportuna: ſigillo ſignatum opus pluribus præſentibus, de quorum religione nihil dubitabatur, ſacro commendavit altario. Pene cotidie ſalutarem hoſtiam pro ea eodem anno obtulit, ſeſeque lacrymis ipſa afflixit; vigiliis, jejuniiſque conſtrinxit: pie petenti larga ſubvenit poteſtas. Peracto temporis ſpatio natalis dominici diem exſpectantibus qui nunc dono Creatoris ſuperſunt viris venerabilibus, ſummo quoque Chriſti Præſule germano ejus, necnon nobili viro GISLOALDO Abbate, in eorum præſentiam tracta eſt notitia, ſolutum eſt ſignaculum. Sic fides & oratio meruit, ut æterni Judicis virtus qui culpas examinat, fidelis ſuæ famulæ univerſa ablueret delicta, & paginolam candori redderet priſtino. Conditori agit gratias, qui ſic quæſita dona largitur.

XXIV. Alio quoque tempore quædam puella paupercula ſpiritu ad converſionem venit, quam beatiſſima libentiſſime ſuſcepit. Brevi tempore Monacharum virtutes exæquaverat. Interea ſubiit in ea cogitatio injecta per diabolum, & permanere in Monaſterio nolebat. Quadam die furtim de congregatione diſcedere volens, illico impletur a dæmone: ſed trementem ad Monaſterium reduxerunt Sorores. Cum coerceri in ea immundus ſpiritus non valeret, neceſſitate cogente magnis funibus alligatur. Non immerita pœna fuit fugitivæ *b*: ut quam non cohibuerat fides, funis cohiberet. Incumbit beata Segolena ſine mora orationi, tota congregatio proſternitur, obtinetur obſeſſæ curatio: quæ ſtatim promiſit numquam ſe eſſe a Monaſterio receſſuram; atque ex eadem hora in ſua promiſſione permanſit.

XXV. Quodam autem tempore cum eſſet dies Litaniarum venerabilis, quæ in unum plures Chriſtianos collegerat, erat ibi Dux germanus ejus, BABO nomine, nobilitate & ſapientia pollens, qui per Albica arva incolas gentes regebat. Dum Tertia celebraretur, mox illuc ingreditur unus ex populo (cujus faciem ſcio, nomen neſcio) qui dæmonio arreptus coram omni populo vexari cœpit, & magnis vocibus clamare dicens: Huc miſſus ſum ut debeam mundari. Hunc propinqui illius flentes omnipotentis Dei famulæ Segolenæ obtulerunt: quo ſuſcepto multis ſe diebus ac noctibus in oratione dedit. Non poſt multos dies ita ſanum atque incolumen reddidit, ac ſi in eum jus proprium diabolus numquam habuiſſet. Divino itaque purgatus eſt auxilio Dei, dæmon fluxu ventris egreſſus eſt.

XXVI. Eo quoque tempore quidam Presbyter, nomine TRANSIMUNDUS oculorum lumen amiſerat, ita ut omnino nihil videret. Admonetur in ſomnis ut ſignaret beatiſſima Segolena ejus oculos. Nocte vero eadem evigilans de ſopore, cum mane facto ſurrexiſſet, præcepit domus ſuæ familiariſſimo ut eum duceret in beatæ Segolenæ præſentiam. Venit itaque & advolvit ſe pedibus ejus, atque oravit ut pro eo Domini dignaretur exorare clementiam. Fit communis omnium dolor. Ancilla autem Chriſti Segolena, plena Spiritu-ſancto, invocans Trinitatem, orationem breviter fudit.

a Non legerat hunc locum Ditmarus Merſeburgenſis Antiſtes, cui cum Bernarius Epiſcopus *volumen longum, facinoribus ſuis inſcriptum, ac prius ceteris Confeſſoribus ſuis oſtenſum* aperuiſset ac legiſset, is ſchedula accepta abſolutionem commiſsorum *divina poteſtate* impertiit: ac deinde ſchedulam *ſupra pyxidem reliquiis Sanctorum refertam* poſuit, ut eorum interventu peccata confitenti remiſſio fieret. *Hoc numquam*, Ditmarus addit, *vidi aliquem feciſſe aut audivi. Sed quia infirmitatem meam nihil prodeſſe timui, ad Sanctos interceſſores confugi*. Perperam: ſiquidem ex *divina poteſtate* ſibi commiſsa impertierat abſolutionem. Non longe abſimile factum legitur in Vita S. Joannis Patriarchæ Alexandrini, cognomento Eleemoſynarii.

b Eadem omnino res eiſdem fere verbis de Monacho fugitivo refertur a Sulpicio in libro de virtutibus orientalium Monachorum.

fudit. Mox evacuatum tenebris lumen virtutis * implevit; ita ut tractus cum veniſſet, nullo ducente recederet. Exſultant parentes miraculo, ſanctæ Segolenæ contremiſcit congregatio. SÆCULO 8 24. Julii. * f. virtus

XXVII. Alio quoque tempore dum oculorum quidam puer, nomine Vaſſus, lumen amiſiſſet, ad hanc omnipotentis Dei famulam Segolenam deductus, interceſſionis ejus opem petiit & impetravit. Tunc beata Segolena ſolito more pro eodem in oratione proſternitur: facta oratione ejus oculos oleo ſacro perunxit. Illico luce reddita, nox cœcitatis abſceſſit.

XXVIII. Eodem namque tempore quædam Sanctimonialis, SIGITRUDIS nomine, cum lumen amiſiſſet oculorum, orans beatiſſima Segolena ad Dominum pro ea, ſuaſque inſtillans lacrymas, oculos ejus ſacro perunxit oleo, & protinus vidit.

XXIX. Quodam igitur tempore infelix & infirma puella, ancilla prædictæ puellæ, manibus pedibuſque contractis per terram reptabat: pro qua re quadam die pedibus ſe beatiſſimæ Segolenæ parentes ejus proſtraverunt, dicentes: Confidimus tibi a Domino nihil eſſe negandum; funde pias pro ea preces, & ſalva erit. Quo audito mota pietate, & compulſa parentum lacrymis, noluit ſacratiſſima Segolena denegare. Sola tamen ad orationem proſternitur. Cumque orationem compleſſet, porrecta manu levavit puellam pedibus ſuis, atque omnibus membris recuperatis, ad ſuum hoſpitiolum incolumis ambulavit. Nam quantis virtutibus emicuerit, quis valeat enarrare?

XXX. Jam, ut ſpero, etſi ſenſu ruſtico, prolixum ſermonem de tantæ Matris converſatione produximus: & tamen ejus meritis digna præconia non valuimus narrare. Nec enim paucitatis * meæ ingenium aut memoria ſufficeret univerſa ejus ſpiritalia ſtudia, vel in amore Chriſti profuſum deſiderium pronuntiare vobis. Sanctiſſima enim benigna & ſincera conſcientia, quidquid aliis præcepit, ipſa fecit omnia propter Dominum & implevit, ut in die judicii digna eſſet ei retributio conferenda. Orationi, lectioni, prædicationibus & eleemoſynis inceſſanter inſiſtebat; nec docuit verbis, quod non implevit exemplis. Nam vultu inſiſtebat ſemper placido & angelico, ita ut ſecundum ſcripturam corde lætante vultus floreret. Numquam otioſa ab opere Dei eſſe voluit, ut merito corona gloriæ coronaretur. Sed quia jam me ad finem & felicem ejus tranſitum perducit oratio, pauca perſtringam. Factum eſt autem cum multas in mundo jam ſuſtineret tribulationes, ſecundum quod ſcriptum eſt, per arma juſtitiæ a dextris & a ſiniſtris fidem conſervans, curſum conſummans, repoſitam a Chriſto coronam juſtitiæ exſpectans ſibi reſtitui, deſiderabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto. * l. parvitatis

XXXI. Cum infirmitas ejus per dies jam plures extenderetur, collecto ſane omnium cœtu Virginum dicit eis: Jam diſſolvi cupio & eſſe in requie:
„ vos autem moneo, viſcera mea dulciſſima & ſancta membra, in Chri-
„ ſto vivite, & cum timore Dei ſpiritalem Regulam perficite. Scriptum
„ eſt enim: *Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter*. Certate introire Hierem. 48. 10.
„ per anguſtam portam. Modicum laborate, ut multa recipiatis: contem-
„ nite terreſtria, ut cœleſtia conſequamini. O filiolæ meæ, obedientiam
„ cuſtodite, quia inter omnes virtutes vindicat principatum. Charitatem
„ Dei habetote in invicem: humilitatem amate: ſuperbiam abominami-
„ ni, propter quam & diabolus projectus eſt. Fidem tenete incommuta-
„ bilem: hæc eſt enim fundamentum omnium virtutum: & ſanctificatio-
„ nem animæ & corporis cuſtodite, ſine qua nemo videbit Dominum.
„ Memores eſtote, ut ſicut nunc tenetur Ordo, uſque ad conſummatio-
„ nem teneatur. Valete in pace, & retentationis * ſolvite obſtacula, ut
„ mihi jam pateant cœleſtia regna. * retentionis

XXXII. Cumque per ſingulos dies languor ingraveſceret, ſexto die venit vir Dei germanus ejus SIGIBALDUS Epiſcopus ad videndum eam. Cumque ha-

 litu

SÆCULO 8

24. Julii.

litu carere vellet, fiſa de cœleſti munere, quod longo famulatu quæſierat, dominici corporis & ſanguinis perceptione animam ſuam munivit, pſalmum quinquageſimum ipſa impoſuit, & pſallere ſuas præcepit virgines. Sic cum precantis voce ad Dominum Spiritu-ſancto monente intuens cœlos ait : JESU-„ CHRISTE unica ſpes orbis, tu hunc gregem multiplica, & perduc me ad „ regnum gloriæ tuæ. Eadem hora exitus ipſius multæ Sanctimoniales ejus lectulo circumſteterunt, cupientes ejus beatum exitum videre, & viderunt faciem ejus quaſi faciem Angeli. Scriptum quippe eſt : *Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendebunt* : extenſiſque in altum manibus, cœlum intuetur repente mortalibus oculis, fateturque & certiſſime confirmat, ante lectulum ſuum JESUM-CHRISTUM Dominum conſtitiſſe nimio ſplendore amictum. Cumque in eum intenderet quem videbat, ſancta illa anima ſic e corpore eſt egreſſa, & Angelorum conſortio conjuncta, adſcendit gaudens in cœlos : quod ſignum alia ſunt ſigna comitata. Cumque corpus ejus ex more ad lavandum fuiſſet nudatum, tanta ſubito fragrantia in eodem loco mirifici odoris adſperſa eſt, ac ſi illic florum omnium fuiſſent odoramenta congregata, & illic inhabitantes deambulanteſque ſatiaret, & oſtenderet illuc auctorem ſuavitatis veniſſe. In prædio ejus proprio, loco tutiſſimo, cognomento Inſula, in quo genitor ejus fabricaverat Eccleſiam Chriſto, & ipſe conſtituit prædia, quæ ſuſceptionibus peregrinantium deſervirent; illuc juſſit ſuum deportari corpuſculum, ubi ipſa ſanctarum ancillarum Dei multa ſepelierat membra. Subito ejus agnito obitu tota pene civitas proruit in lamentum, pater filiam, lamentabantur ſororem fratres *, dominam ſervi : Infertur corpus feretro, vox in laudem Redemtoris effunditur. Tandem egreſſæ cubiculum Dei famulæ, evehentes ſanctum corpuſculum ad locum prædeſtinatum, ſepulturæ tradendum; ante cornu altaris depoſuerunt, & cum omni gloria ſepelierunt. Tunc chori virginum ſua tundentes pectora, dantes mugitus proclamabant : O mors dira, cur tantos hodie perimis, dum a nobis auferts ſanctæ Matris noſtræ præſentiam? Longum eſt enarrare per ſingula, quanta & qualia inibi ſine intermiſſione miracula almæ Matris Segolenæ hactenus cernimus coruſcare. Cum enim jam propter humata nobilia membra locus ille ſanctificatus ſingulariter meruit illuſtrari, non diſtulit Omnipotens teſtimonium boni operis ejus merito jugiter poſt obitum adhibere.

Judic. 5. 11.

* nim. Sigibaldus Epiſcopus & Babo Dux Albienſium.

XXXIII. Cum ſemel ad ſepulcri caput vas vitreum cuſtos Eccleſiæ aptaſſet, ultra menſuram exuberans, quam vas capere poterat; dono gratiæ liquorem olei reddidit die craſtina cuſtodibus fenore duplicato. Exſtat per tempora cunctis ad gaudium, Fidelibus ad præmium, ægrotis ad remedium. Nam illius merito divinum munus oblatum, vas olei perfuſum jugiter exuberat, ubi ſepulta *a* corpore cotidianis miraculis coruſcat. Ægri veniunt, & ſanantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur; leproſi veniunt, & mundantur; muti veniunt, & loquuntur; veniunt febricitantes, & ſanantur. Quæ & in eo tugurio, in quo prius habitavit, nunc uſque, ſi petentium fides exigit, miraculis coruſcat, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria, virtus & poteſtas & æterna majeſtas cum Patre una cum Spiritu-ſancto regnante modo nunc & ſemper, & per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

VI-

a Poſtea in urbem Albigam S. Segolenæ corpus tranſlatum eſt, & in theca argentea impoſitum majori altari Eccleſiæ cathedralis, in qua poſt S. Cæciliam patronam præcipuam S. Segolena una ex quinque Sanctis Albigenſibus præcipuo cultu honoratur. Duos habet vicos ſui nominis infra Albigam, utrumque fere ad Tarnum. Sunt autem hi Sancti Albigenſes Salvus Epiſcopus; Amarandus miles, Segolena vidua & Sanctimonialis, Cariſſima virgo, & Matriana Sanctimonialis, uti ab humaniſſimo viro domino *Arquier* ejus Eccleſiæ Canonico litteris accepi.

Digitized by Google

VITA SANCTI APPIANI

SÆCULO 8

6. Nov.

MONACHI CŒLI-AUREI

APUD TICINUM IN ITALIA.

Ex mſ. cod. Barberineo eruta, a Sociis Bollandianis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Appianum *ſeu* Apianum *Ordini Benedictino, nedum Italiæ ignotum in lucem protulere Socii Bollandiani, editis ejus Actis ex mſ. codice Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, Vita ſcilicet proſaica, Sermone encomiaſtico, & Carmine hiſtorico. Nobis ſat erit hoc loco exhibere Vitam proſaicam, quod in aliis nihil habeatur ſingulare. Auctor vitæ incertus, incertaque ejus ætas, immo & ipſius Appiani, cujus geſta vellem diligentius explicata. Verum quod tulerunt tempora, hoc ferendum nobis eſt.* Vitæ auctor parum diligens.

2. *Appiani memoria quotannis die* 4. *Martii recolitur Ticini in Monaſterio quondam dicto Cœlo-aureo, nunc S. Auguſtini, quod primum Ordini S. Benedicti addictum, poſtea Canonicis regularibus ceſſit ab anno* 721. *Actis S. Appiani deperditis officium commune de eo agunt Canonici regulares tamquam de Confeſſore Pontifice: putantque corpus ejus ex Sardinia una cum S. Auguſtini corpore eo advectum: quod contra ſe habere patet ex Actis ſubjectis, in quibus Appianus Monachus Ordinis S. Benedicti fuiſſe primum Ticini in Cœlo-aureo, tum Comacli ſeu Comiacli (quæ urbs eſt Italiæ infra Ferrariam inter duos Padi fluvii alveos ſita ad mare Adriaticum, vulgo* Comachio *dicta) recluſus devixiſſe, dein ſepultus fuiſſe prope Eccleſiam S. Gervaſii, ac demum translatus in Oratorium S. Mauri, quo ex loco ejus corpus in Ticinenſe Monaſterium relatum eſt; forſan die* 4. *Martii: quo die feſtum ejus celebrant Ticini Auguſtiniani Canonici, meminitque ejus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Nam Appianum obiiſſe* 8. Id. Novembris *Acta probant. Mirum eſt, Guillelmum Abbatem Romani Monaſterii S. Pauli nullam de S. Appiano mentionem facere in Kalendario ſanctorum Monachorum, quod Romæ compoſuit anno* 1372. *De Monaſterio Cœlo-aureo dictum eſt ad annum* 722. *ubi egimus de translatione S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi in eum locum. Appianum ſub finem octavi ſæculi aut ſub initium noni vixiſſe conjectura eſt.* Appiani memoria.

1. HIC autem ſanctus APPIANUS natione Ligur fuit, & in Monaſterio ſancti Petri in Cœlo-aureo Monachus ſanctiſſime ordinatus per longum tempus viguit, & ſuper omnes qui tunc temporis erant Cœnobitas latius fulſit, & univerſis Italicis Anachoretis illius temporis excellentius enituit. Se caute & pie cuſtodiebat, & Fratribus Monaſterii indagationem diligentiſſimæ cuſtodiæ nihilominus impendebat. Omnibus debitor largus exſtitit. Monachos regularibus diſciplinis inſtruxit, & bonorum operum exemplis informavit. Clericos vero divinæ legis umbraculo fovit, & ſcripturarum miniſter fuit, & ſerenis promiſſionibus roboravit. Laicorum autem periculoſis vulneribus calidum ferramentum indeſinenter adhibuit, levioribus vero plagis molliſſima ſuperpoſuit emplaſtra. Omnibus quidem, velut opus erat, divina eloquia temperavit. Diſciplina enim vel miſericordia multum deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur: ſed circa ſacri verbi auditores ineſſe prædicatoribus debet & cum æquitate dulcis pietas, & cum lenitate exaſperans juſtitia: quoniam ſi ſolam aſperitatem auditoribus oſtenderet, & poculum doctrinæ cum nimia amaritudine ſitientibus propinaret; hi quia haberent intima præcordia amaricata, & nulla boni ſaporis dulcedine eadem ſentirent refota, in odium horrende prorumperent, & prædicationem velut viperæ venenum devitarent, & ſcandalizati diſcederent. Sed quoniam utriuſque habenæ frenum ſic ſapienter temperavit, quod curſum a via recta non retorſit; ſic terrorem ſupplicii minando oſtentavit, quod manſuetudinem Dei ſemper inſeruit: ſic eos, quos debuit, vehementer per-

Appianus Ligur, Monachus in Cœlo-aureo, omnibus prodeſt.

SÆCULO 8 6. Nov. percuſſit, quod poſt percuſſionem, quaſi nil mali ſentirent, verborum dulcedine ſanavit: ſic iſte doctrinam Dei diſtribuit, quod omnibus profuit, & univerſis congruam ſanandi medelam largitus eſt. Verbo Dei pauperes recreavit, mediocres pleniter refecit, divites & potentes ſpiritualibus epulis ſaturavit: ferrea corda domuit, mentes etiam perverſorum ad miſericordiam commutavit, devotionem humilium ad meliorem prædicando ſtatum provexit. Viduis & pupillis exſtitit piiſſimus & indeficiens conſolator. Aliorum profectum ſuum eſſe putabat, alienam jacturam velut ſuam miſericorditer deflebat: debilium neceſſitatibus libenter communicabat, & eorum laboribus gratanter ſubveniebat. Alienas infirmitates quaſi proprias in ſuo corpore dolendo portabat, exemplum ſe-
2. Cor. 11. 29. quens Apoſtoli: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror?*

Carnem ſuam domat, 2. Occulte vero ſe macerabat, & clam ſe in divinis operibus artius exercebat, ne videretur ab hominibus qualis & quantus erat: & ne humani ſibi ſubreperent favores æternam quam debebat ſuſcipere remunerationem, ipſius Cœnobii Fratribus artam vitam perſæpe etiam diſſimulabat. Aliquando carbo vivus, aliquando clariſſima lampas nitebat: carbo quidem ſibimet ipſi lucet, ſed aliis denegat lumen: accenſa vero lampas circumquaque anhelabat diffundere flammas. Hic autem in hoc carbo ſolum ſine luce ardebat, quando quaſi per furtum carnem ſuam acribus ſtimulis diverſi cruciatus imperio perdomabat: lampas vero quandoque micabat, cum ad exemplum ceterorum lucem boni ope-
Matth. 5. 16. ris largiter effundebat, ſecundum Evangelium: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Tunc vero, cum Abbati ſuo ſic Sanctus innotuit, totam ſui fiduciam in eo poſt Deum conſtituit, & toto mentis eum cœpit venerari affectu, ac immenſi amoris illum ſibi copulavit deſiderio.
res Monaſterii diſpenſat. Univerſam rei monaſticæ ſeriem ſibi commiſit, & totum divinæ domus conſilium ſibi credidit, ut ſecundum quod ſibi melius videretur, prudenter & pie ordinaret.

Comiaclum mittitur ad procurandas ſalinas. 3. Tandem accidit, ut pro quadam Cœnobii neceſſitate Abbas eum charitatis amore vocaret. Frater, inquit, cariſſime Appiane, ſcimus enim te verum Dei cultorem eſſe, & divinæ religionis providum cuſtodem, quem proſperitas non erigit, adverſitas non dejicit; aura humanæ laudis non extollit, & mordax vituperatio non corrumpit: omnia vero adverſa pro Chriſto ſuſtinere paratus, & ad omne Dei ſervitium ſemper fuiſti promtus: nunc devotus ſuſcipe onus fraternum, quod tibi imponimus: vade Comiaclum, & fuga noſtram neceſſitatem, & fatiga te in quantum vales pro adquirendo ſale, quia ſcriptum eſt: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Ad hæc ſereno vultu beatus Appianus reſpondit: Legi equidem, dulciſſime Pater, quia melior eſt obedientia quam ſacrificium: & ideo veſtrum præceptum non recuſo, ſed libens adimpleo: hoc non facio invitus, ſed ultroneus: non coactus, ſed ſpontaneus veſtræ juſſioni devotiſſime obtempero, & fraternæ neceſſitati charitatique deſervio. Accepta itaque benedictione & reſalutatis Fratribus, iter lætus arripuit, & Comiaclum feſtinus perrexit. Tunc aſtute inchoavit obedientiæ laborem, & ſuſceptæ juſſionis obnixe cœpit opus perficere, qualiter Deo placeret, & Fratribus neceſſarium auxilium exhiberet.

Cella incluſus degit, 4. In æſtate quidem Comiaclo degebat ad explendam Patris ſui obedientiam, nocte dieque divino fervebat obſequio; in hiemali vero tempore jejuniis & orationibus vacans, morabatur in una pago quæ vulgo vocatur Lacus; ſed procul ab incolis hujus villæ ſegregatus in parva una cellula ſemper clauſus erat, & ſolitariam ibi vitam ducens fixus manebat; & quamvis ibi eſſet anguſtatus corpore, jam tota mente dilatatus diſcurrebat in

cœlo:

cœlo : quem in terris deſpectum & anguſtum coercebat habitaculum, in cœleſti apice circumdabat aureum & gemmatum palatium. De cella vero illa numquam vivus exiit, ſed immobilis in vita ſua ſemper clauſus exſtitit : & donec in ejus ſancto corpore pius reſplenduit ſpiritus, divinum non ceſſavit eructare eloquium, & indefeſſæ prædicationis imbrem ſpargere mellifluum. Orationibus vero ſuis impendebat eis cœleſte ſuffragium, & tribuebat eis ſuæ protectionis adminiculum. Pes itaque Domini effectus eſt, & butyrum latum reſplenduit, quoniam largus prædicator exſtitit, & quotidianis admonitionibus fatigatus, auditorum ſuorum frequentibus obſequiis refotus manſit. Porro ille eorum non curabat obſequia, ſed magis diligebat animarum incrementa. Oculus fuit cœco & pes claudo : quia cœcos illuminando prædicavit, claudos vero ſuſtentando opitulavit. Utrumque equidem egit infirmis corporibus ſanandis, & animabus in ima delapſis vivificandis. Semper apud Deum ejus aſſiduum munus fuit veræ rectitudinis, cum ab æquitatis exordio eruperunt flores pietatis.

SÆCULO 8

6. Nov.

prædicationi vacans.

5. Ideo iſte ſanctus vir in tantum ad ſpiritualia dona profecit, quia mens ejus ab infimis rebus numquam conculcata decrevit, dum in exterioribus reperit recta quæ facere potuit. Et quamvis illius Eccleſiæ regimen non habuit, & Paſtoris nomine caruit; tamen divina diſpoſitione fretus & ſancto Spiritu inſtigatus, in opportuno tempore dominicæ familiæ tritici impertivit menſuram, & cœleſtium donorum, ſicut ſapiens diſpenſator, eſurientibus exhibuit curam. Aurea itaque gleba fuit, qui rore ſupernæ gratiæ infuſus, ex debito mortis ſe pulverem eſſe nullo modo ignoravit. Et idcirco ſic ſe mactavit in corpore, quod optatum jubar refulſit in mente. Hic namque aſtute ſerpentis ſervavit indaginem, & ſimplicis columbæ non amiſit manſuetudinem : quia caput ſuum, Chriſtum ſcilicet Dei filium diligendo cuſtodivit, & cuſtodiendo amavit; cum pro ejus dilectione veteres depoſuit exuvias, & novum hominem cum ſuis actibus induit. Iſte enim vetuſtatem pepulit culpæ, & novitatem ſupernæ adeptus eſt gratiæ. In columba vero factus eſt manſuetus & ſimplex, quia rapacitatis ſtudio numquam anxius anhelavit, & mundanæ cupiditati avidus oculos numquam inflexit. Fallacibus ſæculi actibus non ſe applicuit : ſed quotidie divini igne amoris ſuccenſus, ſollummodo cœleſtibus inhians, deſideriis & perpetuis æſtuans lucris, æterna ſolummodo cogitabat, & ſe in divinis obſequiis vigilanter exercebat. Neminem unquam offendit, nulli vero, niſi in ſolis vitiis, aliquando reſtitit. Mentem ullius neque in verbo perculit, neque in facto unquam exaſperavit : omnibus benignus, cunctis manſuetus, univerſis etiam devotiſſimus habebatur.

Virtutibus clarus,

6. Felix terra Comiaclienſis, in quam talis hoſpes deſcendit, quæ talem peregrinum ſuſcepit, quæ talem Patronum ſibi cœlitus deſtinatum adſumſit, in cujus ore non eſt inventum mendacium, nec in quantum ſe cavere potuit, in ſe permiſit regnare contagium. Quare tanto ſe in cogitatione ſubtilius conſtrinxit, quanto & ſuperno Judice diſtrictius conſiderari conſpexit. Mentem quippe ſuam ſemper diſcuſſit, invenire ſi qua deliquerit quæſivit, ut tanto fieret irreprehenſibilis Deo, quanto ſemetipſum quotidie & ſine ceſſatione reprehendit. Nec tamen hac de re gaudia ſecuritatis ſumſit : quia ab illo ſe videri conſideravit, qui in eo & illa vidit, quæ videre ipſe in ſemetipſo non valuit. Tandem eodem Sancto ſic inceſſanter agente & in Dei opere ita perſeverante, divina pietas quæ eum a tanto labore quieſcere voluit, & cœleſti bravio remunerare concupivit, non illum in hac militia fatigari diſtulit, nec in tanta hujus vitæ miſeria amplius cruciari permiſit : ſed de ergaſtulo ſui corporis ejus ſanctiſſimam animam vocavit, & inter candidatos cœleſtium cuneos collocari præcepit, & in curiam ſupernorum civium ſociari animabus felicibus juſſit. Sed iſte Confeſſor nullo ſciente intra cellulam eſt defunctus.

moritur,

7. Cum poſtea notum fuit Comiaclienſibus de ſancti viri tranſitu, Præſul

ab Epiſcopo ſepelitur,

advocato populo, ait eis: Filii & cariſſimi fratres, eamus ad Lacum, quia domnus Appianus Dei fideliſſimus miles de hoc ſæculo migravit, & ad ſedes æthereas Deo gubernante ſecurus adſcendit. Unde cito pergamus, & cum omni honore & nimia reverentia illius inæſtimabilem theſaurum in optimo reponamus ſepulcro. Tunc populus hæc audiens, in nimios lacrymarum fletus devolutus, adeo cœpit lugere ejus ſanctiſſimum obitum propter illius ſereniſſimam benignitatem & propter tantum auxilium, quod animarum & corporum ab eo ſolitus erat accipere, quod vix inter ſingultus verba poſſet exprimere; tamen lacrymoſis vocibus reſponſum concorditer dederunt Epiſcopo: Quamvis tam cito pro noſtris peccatis nos deſereret, & eum cœleſtis fraternitas adſumeret; vos autem præcedite, & quod ad ejus honorem fieri pertinet, nobis vos ſequentibus perficere feſtinate. Statim Epiſcopus cum eis ivit ad cellam, ubi ſanctum corpus exanime jacebat: cum debitis obſequiis illud lavit, & celebrato decenter Miſſæ officio ſepelierunt in arca ſaxea juxta Eccleſiam S. Gervaſii Martyris, quæ eſt ſita in confinio ejuſdem Epiſcopatus. Sed illa Eccleſia a paucis tunc frequentabatur, quia ab habitationibus hominum procul ſejuncta erat.

in Eccleſia S. Gervaſii.

Loco reverentia cœlitus conciliatur.

8. Ibi pueri & puellæ frequenter conveniebant, non cauſa reverendi cultus, ſed voluntate exercendi luſus, aut etiam pro colligendis herbis. Tunc vero contigit, quod quædam puella, quæ cum ceteris puellis, ſuis ſcilicet ſodalibus, advenerat, juxta arcam S. Appiani ſe ignoranter poneret, ut ſolutionis ſuæ neceſſitatem vel humanæ naturæ vellet explere. Et cum cœptæ rei jam operam daret, ſubito totum puerulæ corpuſculum tantus dolor invaſit, & ſic eam per omnia membra contraxit, quod de loco miſellula ſe movere non potuit. Pueri autem & puellæ qui cum ipſa venerant, exanimes & ſtupefacti velut mortui, eam deſerentes ſolam, fugiendo Comiaclum reverſi ſunt, & Comiaclienſibus intimaverunt, quæ puellulæ contigerant. Audito hoc Epiſcopus eſt valde attonitus, & Clerus ac populus nimis eſt commotus. Tunc diſcalceatis pedibus ſe præparaverunt cum crucibus & lampadibus atque thymiamatibus & cum reliquo ſacro apparatu, venientes ad mauſoleum S. Appiani ut peterent auxilium ejus pro ſalute puellæ, & pro ſui omnium incolumitate. Cumque illi ad ſepulcrum S. Appiani diu perſiſterent, & flebiles voces orando effunderent; mox infantula a paralyſis morbo ſoluta eſt, & priſtinæ reddita ſanitati. Unde fit omnibus immenſa lætitia, & multæ lacrymæ propter gaudium univerſis exuberant.

Sancto oratorium conſtruitur.

9. Illa quidem hora Epiſcopus invenit cum populo conſilium, ut in honore ſancti Confeſſoris unam ædificarent Eccleſiam. Tunc eadem cauſa univerſi gaudentes conſtruxerunt ei modicum templum: poſtea omnes pariter pergentes adduxerunt ſanctum corpus cum arca, & poſuerunt illud cum magna veneratione in eadem Eccleſia.

Corpus inde a Papienſibus furto ſublatum, navi impoſitum fit immobile,

10. Tranſacto itaque multo tempore cives Papienſes venientes Comiaclum cauſa emendi ſalis, nocturnis horis furtim & latenter intraverunt in eamdem capellam, rapientes B. Appiani corpus: quod ubi in navim gratanter miſerant, ad propria ſecure & licenter remeabant. Cumque jam vehementer inſiſtendo navigiis ad lacum perveniſſent; prædictus Confeſſor bonæ fidei & conſtantiæ recordatus, noluit terram illam, videlicet Comiaclienſem, ſuo fruſtrare patrocinio, & ſuo deſtituere gubernaculo. Tanto pondere ſacrilegam ibi fixit carinam, & onere ſacri corporis tenaciter preſſit, ut nullo modo de loco, ubi radicata erat, moveri potuiſſet. Omnes nautæ navi incumbentes cum remis & furcis atque aplauſtris & cum omnibus argumentis, toto niſu virium dromonem avellere non potuerunt: ſed navis fixa & immobilis permanebat. Hoc vero videntes remiges, nimio labore fatigati & grandi pavore percuſſi obriguerunt: ignorabant quid eis foret agendum. Illico ſe cognoverunt immane ſcelus in ablato ſancto corpore perpetraſſe, & per hoc tantum eis infortunium contigiſſe. Ad ultimum territi

riti

Digitized by Google

riti & confuſi inter ſe ſtatuerunt, ut navis viam commutarent, & iter navis per contrarium verterent: ut aliquis eorum, aut gubernator, vel nauta, non contingerent remos; ſed omnes manibus ſimul cum oculis levatis ad cœlum Deum rogabant, ut illuc duceretur navis, quo innueret voluntas Confeſſoris. Ducta eſt vero navis ad ripam, quæ ſita eſt contra S. Mauri baſilicam. Populus quidem cum omni ſupplicatione conveniens ſuſtulit corpus ejus, & collocavit in prædicta Eccleſia S. Mauri.

depoſitum in Eccleſia S. Mauri.

11. Poſt aliquod vero tempus contigit, ut una domus ſubito caſu arderet juxta murum S. Mauri. Cumque ingens focus ita creſceret, & jam per omnes feneſtras Eccleſiæ ſic intraret, ut Eccleſia in conſpectu omnium ſine dubio cremaretur; per virtutem S. Appiani omnes flammæ ſunt exſtinctæ, & Eccleſia ab incendio eſt defenſa.

Incendium reſtinctum.

12. Poſt hæc vero quædam mulier arrepta a dæmonio fuit, cujus parentes perduxerunt eam Romam, ut ibi perderet dæmonium: ſed ibi a dæmonio non eſt curata: quæ ferreis vincta catenis a parentibus Comiaclum eſt deducta; & per S. Appianum a dæmone eſt liberata: & quando accepit ſalutem, fumum cum ſanguine vomuit, & ſic multis videntibus per os dæmonem ejecit.

Dæmoniaca liberata.

13. Alia autem quædam femina venit de Francia ad Eccleſiam beatæ virginis Juſtinæ, quæ portabat in ſiniſtro brachio circulum ferreum pro pœnitentia *a* ab Epiſcopo ſibi inditum, & caro brachii in tantum jam ſupercreſcebat, quod circulus pene totus carne erat coopertus: unde erat ei intolerabilis dolor & cruciabilis pena. Procedit illa tremens ad ejuſdem Virginis ſacra limina, ut eam a tanto periculo liberaret: & cum oraſſet diutius, ſomnus eam arripuit. Tunc vidit in ſomnis beatam Juſtinam Virginem dicentem ſibi: Filia, per me non eris ſaluti reſtituta: tamen ſi vis fieri ſana, perge Comiaclum, & ſupplex obſecra S. Appianum, ab eo certiſſime invenies ſanitatem. Cumque fuiſſet a ſomno expergefacta, feſtina cucurrit, & ad Eccleſiam, ubi S. Appiani corpus jacebat, devota devenit, & obnixe ſanctum Confeſſorem exoravit, ut tanto cruciatui neceſſariam miſericorditer impenderet curam, & optatam adferret medelam. Statim ferreus confractus eſt circulus, & brachium ita ſanatum, quod numquam melius fuit: dehinc corpore & mente mulier ſalvata eſt.

Ferrei circuli feminæ pœnitentis confracti.

14. Alius vero homo venit de villa quæ vocatur Uſtulatus, dæmoniacus, qui per eumdem Confeſſorem a ſævo dæmonio liberatus eſt.

15. Acceſſit poſtea alter a dæmone poſſeſſus, qui vocabatur Petrus, a cujus male habitato corpore ſanctus vir expulit perfidum hoſpitem, & effugavit teterrimum ſpiritum.

Dæmoniaci duo curati.

16. Poſtea venit unus pauper homo Pictavienſis, qui ita erat contractus toto corpore & ſic incurvatus, quod vultum cernuum ſurſum numquam valebat reducere, neque faciem ut cœlum cerneret, poterat relevare; & utroque pede miſerrime claudicabat. Acceptis itaque in manibus duobus baculis, acceſſit confidenter ad tumulum beati Appiani, & clara voce ait: Sancte Appiane, optime Chriſti Confeſſor, qui in virtute Dei multas te rogantibus infirmitates depellis, & diverſis languoribus diverſa remedia adhibes; me ad tuum auxilium venientem clementer ſuſcipe, & nodoſa vincula contractionis meæ potenter dirumpe, ut per tuam ſanctiſſimam opem ſaluti ſim redditus, & tibi valeam promiſſum adimplere obſequium. Hoc vero finito ſermone, ſanus ſtatim eſt erectus, & per omnia membra pleniter ſanatus. Sed antea quam ſoſpitatem haberet acceptam, promiſit ſe S. Appiano omnibus diebus vitæ ſuæ deſervire. Tranſcurſo itaque non multo tempore poſt impetratam medelam, cum machinationibus & mendaciis locutus eſt Antiſtiti, ſic dicens: Domine Pater, volo veſtram benedi-

Contractus ſanatus,

a Ejuſmodi pœnitentiæ exempla paſſim obvia reperies in Actis hujus Sæculi: cujus pœnitentiæ uſus jam ab ævo Gregorii Turonici Epiſcopi vulgatus, (ut patét ex lib. de gloria Confeſſorum cap. 87. ubi de qnodam fratricida ferreis circulis alligato in anuos ſeptem) perſeveravit uſque ad ſæculum 11. teſtante Gotſelmo in hiſtoria translationis S. Auguſtini Epiſcopi Cantuarienſis.

SÆCULO 8 6. Nov. voto fracto iterum affectus, nedictionem & licentiam, ut vadam & videam parentes meos: eis autem viſis, citius revertar. Cui Epiſcopus: Tu promiſiſti Sancto qui te incolumitati reſtituit, de ejus ſervitio numquam te exiturum eſſe. Cui iſte ait: Verum eſt, domine Præſul, quod recolitis: nolo mutare votum, nec promiſſam cupio pervertere ſententiam: tantum liceat mihi meos videre parentes: poſtea perficiam quod promiſi, explebo quod vovi. Epiſcopus itaque importuno tædio ejus affectus & multis pravitatibus quaſſatus, quaſi coactus conceſſit ei eundi & redeundi licentiam. Tunc iſte ſtultus cupiens violare promiſſum, intravit in Eccleſiam, ut Miſſam audiret, & iter inciperet. Audita vero Miſſa exiit de Eccleſia: ante januam ibi correptus acrius & durius eſt a paralyſi, quam antea unquam fuiſſet: totus confractus manibus & pedibus & dorſo miſerabiliter permanſit. Populus autem, qui erat in Eccleſia, apprehendens cum magno gemitu portavit eum in iterumque curatus. Eccleſiam ante altare S. Appiani, ibique jacuit uſque ad veſperam. Celebrantibus vero Clericis veſperam, auditus eſt eis magnus illius contracti miſerrimi ſtridor, quem recuperando ſalutem emiſit. Omnes itaque ad eum feſtinantes venerunt, & repererunt illum ſanum, & extenſo ſudore nimio repletum, & utriſque manibus S. Appiani Confeſſoris arcam tenentem.

Cæca lumen recipit, 17. Præterea quædam mulier venit de Lacu, viſu privata, quæ ab eo clariſſime illuminata eſt. Plurimos ibi febreticos curavit, & innumera mirabilia fecit, & uſque in hodiernum facere non deſiſtit.

18. O Appiane veriſſime Confeſſor, Anachorita egregie, glorioſe miles, decus & ſalus patriæ, quanto nunc tripudio exſultas! quam pulcris modo veſtiris indumentis, & gemmato diademate coruſcas! olim in mundo renuiſti gaudia carnis, nunc lætus triumphas cum Angelis: quondam vitaſti terrena lucra, modo ſecurus poſſides perpetuas & cœleſtes divitias: nunc nites infra aulam Imperatoris æterni, & jubilas inter paradiſi delicias: gaudium ſortiris inter cœli cohortes, & inter æthereos milites aureus fulges. Nempe non timuiſti frigus, dum viveres in ſæculo: quia ſi timeres, modo ſine dubio mendicares: & non obſervaſti ventum, neque conſideraſti nubem: quoniam ſi ventum metueres, non ſeminares; & ſi conſideraſſes nubem, numquam meteres. Certe ſi adimpleſti juſſum, accepiſti promiſſum: centuplum accipies & vitam æternam poſſidebis. Unde, beniginiſſime Chriſti ſerve & Dei fidelis amice, devotis mentibus te obſecramus, ut tuis orationibus piis Deum nobis placabilem facias, propitium reddas, exorabilem reſtituas, ejuſque clementiſſimas aures ad noſtras neceſſitates ſupplicando inclines: ut nobis de præteritis pie indulgeat, de præſentibus miſericorditer parcat, & de futuris omnino cuſtodiat: qualiter ſub tuis patrociniis muniti, cœleſtis regni efficiamur municipes, & ſupernorum agminum mereamur eſſe conſortes. Iterum iterumque tuum poſtulamus devote ſuffragium & neceſſarium valde adminiculum: da quod petimus, impende quod rogamus: protege nos paterno affectu a maligni hoſtis repentino incurſu: proſterne ejus crudeles inſidias, ne nos invadat ſæva ejus rapacitas. Repelle itaque debitas plagas a noſtris finibus, ut populus tua ope adjutus hic protegatur ſub alarum tuarum umbraculo, & poſtea frui per te lætetur cœlicolarum collegio.

dies obitus. 19. Obiit beatus Appianus, pius Chriſti Confeſſor & ſacratiſſimus Monachus, octavo Idus Novembris, regnante vero Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

MONI-

Digitized by Google

MONITA QUÆDAM
IN SEQUENTES VERSUS
ET RELIQUA MONUMENTA HISTORICA.

1. RELIQUUM *hujuſce Partis ſeu Tomi occupabunt Poematia quædam, tum Anonymi de Pontificibus Eccleſiæ Eboracenſis in Anglia, tum Frodoardi de Pontificibus Romanis, tum Herigeri fragmentum* de S. Urſmaro: *quibus Poematiis ſelecta ſuccedent monumenta & diplomata nonnulla ad hiſtoriam noſtram illuſtrandam.*

2. *Poeta iſte anonymus qui de urbis Eboracæ primordiis, deque primis ejus Eccleſiæ Pontificibus ac Sanctis carmen edidit, diſcipulus fuit Ælberti Epiſcopi, qui Egberto ſucceſſit anno 767. obiitque poſt annos quatuordecim: cui morienti Auctor ipſe adfuit. Poematium iſtud haud inelegans e mſ. codice Manaſterii S. Theoderici prope Remos eruit noſter Chriſtophorus* Daubin, *quod integrum referre non viſum eſt neceſſarium, ſed tantum ea quæ adjecit hiſtoriæ venerabilis Bedæ, a quo cetera mutuatus eſt. Porro Auctorem iſtum ideo huc retuli, quod agat de Pontificibus & Sanctis nonnullis Ordinis noſtri, cui tum Eboracenſis Eccleſia erat addicta, ut in Actis Alcuini probandum erit Sæculo inſequenti. Iſtius Poematis inſcriptio ſic ſe habet in cod. mſ.* HISTORIA ANGLICA CARMINE HEROICO A QUODAM SAPIENTE FACTA. *Suum ipſius nomen præfixerat Auctor, ut patet ex iis quæ de Ælberto præceptore ſuo ſcribit.*

3. *Anonymum excipiet* FRODOARDI *fragmentum de Pontificibus Romanis ob rationem in Parte prima hujus Sæculi relatam ad annum 731. ubi de Gregorio ſecundo: quo in loco pollicitus ſum me daturum in calce hujus Tomi verſus Frodoardi de Pontificibus Romanis a Gregorio II. ad Leonem VII. in quo deſiit Frodoardus. Fragmentum iſtud, uti & alia quædam in Sæculo noſtro ſecundo, excerpſi ex apographo pervetuſto Bibliothecæ RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum ſuburbii noſtri Germanenſis: quo in codice habentur verſuum libri quatuordecim, (exceptis libro primo & initio ſecundi quorum folia avulſa) de ſummis Pontificibus a B. Petro ad Leonem VII. interjectis elogiis plurimorum Sanctorum, qui ſub ſingulis Pontificibus floruerunt. Frodoardum vero iſtorum verſuum conditorem non alium eſſe a Frodoardo Remenſi Canonico, qui Hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis & Chronicon Nortmannorum ſcripſit, conſtat tum ex ætate hujus Auctoris, tum ex argumentis hinc inde ſparſis per hos verſus, quæ eadem in hiſtoria ſua commemorat Frodoardus; tum denique ex ejus epitaphio, quod apographo Carmelitano ſubjectum eſt.*

4. *Ad hæc fragmenta quædam referam ex* HERIGERO *Abbate Laubienſi, qui libros duos de vita S. Urſmari Abbatis metro edidit ſub initium ſæculi* XI. *idemque res geſtas S. Landelini Laubienſis Monaſterii conditoris etiam verſibus reddidit. Utramque hanc Herigeri lucubrationem ex Bibliotheca percelebris Monaſterii S. Vitoni apud Verodunum accepi beneficio religioſi ac eruditi viri Bartholomæi Senoci Theologiæ Lectoris, amici mei, qui ſeriis licet ſtudiis occupatus, operi noſtro ſuppetias fere non ceſſat. In mſ. codice ad me tranſmiſſo legitur hæc inſcriptio:* IN CHRISTI NOMINE INCIPIT VITA S. URSMARI CONFESSORIS ATQUE PONTIFICIS, VENERABILIS HERIERI (*legendum* HERIGERI) ABBATIS INDUSTRIA METRO HEXAMETRO HONORIFICE COMPOSITA, *nimirum duobus libris, uno de virtutibus, alio de miraculis S. Urſmari Primi libri hoc exordium eſt:*

> Primo ſupremum mira vertigine cœlum
> Afflans cuncta Dei fecit ſapientia ſummi.

Poſt ſecundum librum in eodem exemplari continenter ſubjicitur eodem metri genere VITA S. LANDELINI *cum hoc initio:*

> Ingenitus Genitor per Verbum cuncticreator,
> Et Genitus regnans nutu fabricata gubernans.

Quæ Vita, tametſi Auctoris nomen non præfert, Herigeri tamen eſſe perſuaſum habeo tum ex ſimili metri ſpecie, tum ex eadem quam utrobique adfert Auctor etymologiam Criſpinienſis *Monaſterii a* criſpantibus (*ut putat*) aquis *fontis, a Sancto in eo loco eliciti. Certe Herigerum Vitam S. Urſmari metro edidiſſe, aliaque multa ſcripſiſſe conſtat ex continuatione Chronici Laubienſis, quod exſtat in tomo 6. Spicilegii. Cur vero utramque hanc Herigeri lucubrationem non retulerim integram, illud in cauſa fuit, quod præter excurſus quoſdam morales ingratos nihil habet diverſum ab Actis ſive S. Landelini, quæ in ſecundo; ſive S. Urſmari, quæ in hoc tertio Sæculo exhibuimus, exceptis quibuſdam verſibus, quos poſt Frodoardum referemus.*

5. *Denique poſtremo loco accedent monumenta quædam hiſtorica, fragmentum ſcilicet ex mſ. Hiſtoria Trevirenſi ſcripta ſæculo 12. & diplomata ſeu Placita quædam Francorum Regum primæ ſtirpis ac ſecundæ ex primariis inſtrumentis a me excerpta, ad illuſtrandam hiſtoriam tum Archiepiſcoporum Trevirenſium ex Ordine noſtro adſumtorum, tum Regum Franciæ, de quibus in hujus Tomi Præfatione dictum eſt.*

FRAGMENTUM HISTORIÆ DE PONTIFICIBUS ET SANCTIS ECCLESIÆ EBORACENSIS,

Scriptæ a Poeta anonymo, Ælberti Epiſcopi diſcipulo, circiter annum 785.

Ex mſ. cod. Monaſterii S. Theoderici prope Remos.

Auctoris invocatio. CHRISTE Deus, ſummi virtus, ſapientia Patris,
Vita, ſalus, hominum factor, renovator, amator,
Unica lingua Dei, donorum tu dator alme;
Munera da mentis, fragili da verba Poetæ,
Irrorans ſtolidum vivaci flumine pectus,
Ut mea lingua queat de te tua dicere dona.
Te ſine nulla valet dignum quid dicere lingua.
Vos quoque ſuppliciter cives conteſtor olympi,
O Sancti, populus fortis, gens diva Tonantis,
Victrices aquilas cœli qui fertis in arcem,
Æthereo Regi regalia dona ferentes,
Qui veſtri cauſa ſacratum ſponte cruorem
Fuderat in terris, ut vos ſalvaret ab umbris,
Inque Dei Patris ſecum deduceret aulam;
Mecum ferte pedes, veſtris componite carmen
Hoc precibus: patriæ quoniam mens dicere laudes,
Et veteres cunas properat proferre parumper
Euboricæ raris præclaræ verſibus urbis.
Eboraci conditio. Hanc Romana manus muris & turribus altam
Fundavit primo, comites ſocioſque laborum
Indigenas tantum gentes adhibendo Britannas.
Nam tunc Romanos fecunda Britannia Reges
Suſtinuit merito, mundi qui ſceptra regebant:
Emporium. Ut foret emporium terræ commune, mariſque,
Et fieret Ducibus ſecura potentia Regni,
Et decus Imperii, terrorque hoſtilibus armis:
Eſſet ab extremo venientibus hoſpita portu
Navibus Oceani longo ſua prora remulco,
Navita qua properans ut ſiſtat ab æquore feſſus.
fluvius & commoda. Hanc piſcoſa ſuis undis interluit Uſa,
Florigeros ripis prætendens undique campos.
Collibus & ſilvis tellus hinc inde decora,
Nobilibuſque locis habitatio pulcra ſalubris,
Fertilitate ſui multos habitura colonos.
Quo variis populis & Regnis undique lecti
* f. Certatim Sepulcri * veniunt, quærentes divite terra
Divitias, ſedem ſibimet, lucrumque, laremque.
Brittones incolæ, Hinc Romana manus turbatis undique ſceptris
Poſtquam ſeceſſit, cupiens depellere ſævos
Hoſtes, Heſperiæ Regnum ſedemque tueri;
a Pictis vexati. Urbis tunc tenuit ſceptrum gens pigra Britonum.
Quæ fere continuis Pictorum preſſa duellis,
Servitii pondus tandem vaſtata ſubivit:

Nec

Nec valuit propriis patriam defendere ſcutis,
Vel libertatem gladiis revocare paternam.
Eſt antiqua, potens, bellis & corpore præſtans,
Germaniæ populos gens inter & extera Regna,
Duritiam dicti propter cognomine Saxi.
Hanc placuit Ducibus donis conducere Regni,
Ut foret auxilio patriæ, pavor hoſtibus atque.
Ore favet vulgus clamoſo mobile ſtatim,
Et bona collaudat patrum conſulta ſuorum.
Atria gazarum rumpunt regalia, genti
Mittere dona parant ignotæ, quo magis illi
Annuat, ut placitæ feriant ſibi fœdera pacis.
Aſt indigna vident tantis exenia votis.
Legatos exire jubent, vada ſalſa carinis
Jam ſulcare citis; dulci formidine vota
Ingeminant lacrymis : quoniam ſic ipſe monebat
Libertatis amor, patriæ ſpes ac redimendæ.
Quid jam plura canam? properans exercitus ecce
Venerat undoſi vectus trans æquora ponti,
Subſidium ſociis referens, hoſtemque nefandum
Expulit, & vicit multis poſt bella triumphis,
Donec Picto ferox timido ſimul agmine fugit.
Hæc inter majora dari ſtipendia poſcit
Externus ſibimet miles : hæc cauſa duelli
In ſociam fuerat gentem convertere ferrum,
Et ſegnem populum patrio depellere Regno.
Hoc pietate Dei viſum, quod gens ſcelerata
Ob ſua de terris patrum peccata periret,
Intraretque ſuas populus felicior urbes,
Qui ſervaturus Domini præcepta fuiſſet.
Quod fuit affatim factum donante Tonante.
Jam nova dum crebris viguerunt ſceptra triumphis,
Et Reges ex ſe jam cœpit habere potentes
Gens ventura Dei; rexit tunc temporis almus
GREGORIUS Præſul, toto venerabilis orbi,
Eccleſiæ ſedem Romanæ maximus, atque
Agrorum Chriſti cultor devotus ubique,
Plurima perpetuæ diſperſit ſemina vitæ.
Vomere nec ſolum Latios confregerat agros:
Sed bonus atque pius peregrini cultor agelli,
Oceani tumidos ultra ſulcavit aratro,
Pectora divini fluctu gentilia verbi
Arida mellifluis perfundens arva fluentis :
De quibus æquorei potus hauſere Britanni.
Jam ſibi perpetuæ, Chriſto donante, ſalutis
EDUIN interea veterum de germine Regum,
Euborica genitus, dominus per cuncta futurus,
Pulſus in exſilium fugit puer invida Regna.
Oroma * gentilis qua viderat ipſe ſupernum,
Nocte ſoporata ſolus dum tempore quodam
Anxia corda gerens curis, loca congrua deinde
Et tacitus ſedit ſubluſtri lumine lunæ:
Vir ſtetit ignotus habitu, vultuque repente
Ante oculos juvenis, verbiſque adfatur amicis.

Saxones auxilio vocant.

Pictos fugant a Saxonibus ſubacti.

Gregorio curante,

Saxones ad Chriſtum adducti.

* viſum

Ce-

Cetera latius deſcripta reperies apud Bedam in hiſtoriæ lib. 2. cap. 12. & ſeqq. item alia quæ Poeta iſte commemorat tum de Regibus Nortanhumbrorum, tum etiam de Sanctis qui eorum tempore floruerunt, tum denique de Epiſcopis Eboracenſibus PAULINO, CEDDA, WILFRIDO, BOSA & JOANNE; *copioſius Beda ipſe refert, a quo Poeta noſter carminis ſui argumentum mutuatus eſt. Satis ſit reliqua iſtius poematii proſequi a Vilfrido ejus nominis ſecundo, Joannis ſucceſſore, in quo deſinit Bedæ hiſtoria.*

Joannes Epiſcopus.

Multa alia, ut referunt, hic fecit ſigna JOANNES,
Quæ modo non libuit brevitatis jure referri.
Diximus hic tantum poſuit quæ Beda magiſter
Indubitante fide, texens ab origine prima
Hiſtorico Anglorum gentes & geſta relatu.
Conſenuit poſtquam præfatus Epiſcopus ille,
Tunc alio juveni ſedem conceſſit honoris,
Atque Monaſterium devoto corde petivit,
Condignamque Deo vitam complevit ibidem.
Juraque tunc tandem terræ peregrina relinquens,
Eſt patriæ proprius cœleſti redditus heres *a*.

Wilfridus Junior Epiſcopus.

Presbyter egregius ſucceſſit jure Joanni
WILFRIDUS, heres patri digniſſimus almo.
Qui prius Euboricæ fuerat Vice-domnus & Abbas:
Poſtea ſed magno meritorum culmine fretus,
Pontificis ſummi condignus ſumſit honorem,
Ornavitque gradum meritis & moribus almis.
Plurima nam titulis ſanctæ ornamenta venuſtis
Addidit Eccleſiæ, rutilo qui vaſa decore
Apta miniſteriis argentea jure ſacratis
Fecit, & argenti laminis altare cruceſque
Texerat auratis: nolenſque abſcondere gazas,
Prudens Præſul eas divino impendit honori.
Hæc pius Euborica faciens Antiſtes in urbe,
Eccleſias alias donis ornavit opimis.
Nec minus ille pio curam de corde gerebat
Multiplicare greges, Domini præcepta ſecutus,
Doctrinæ monitis, exemplis atque coruſcis.
Hos mentis dapibus, illos ſed carnis alebat:
Hos fovet æthereis, illos carnalibus auget,
Ore manuque ſimul, donorum largus utriſque,
Rem pietatis agens duplici moderamine Rector;
Omnibus acceptus, venerandus, honeſtus, amatus.
At ſua facta bonus poſtquam compleverat ille
Paſtor in Eccleſiis, ſpecialia ſepta petivit,
Quo ſervire Deo tota jam mente vacaret:
Contemplativæ ſeſeque per omnia vitæ
Dans, mundi varias curaſque reliquit inanes.
Et quamvis ipſo reſideret corpore terris,
Attamen ex omni jam mente manebat olympo,
Pervigil exſpectans cœleſtis præmia vitæ,
Tempore quæ certo, vita præſente peracta,
Sumſerat angelicis cœlo tranſvectus in ulnis.

Hic

a Joannis res geſtas habes ſuperius ad annum 721. quo eum deceſſiſse probatum eſt. Wilfridi junioris ejus ſucceſsoris, cujus meminit Beda in hiſtoriæ lib. 5. cap. 24. acta hactenus fere ignota fuere. Nihil enim de eo commemorant Willelmus Malmesburienſis Monachus Thomaſve Stubbeſius in libro quiſque ſuo de Eboracenſibus Epiſcopis: niſi quod Thomas ait, eum ſui deceſsoris Capellanum fuiſse ante pontificatum, ac ſediſse temporibus Oſrici & Ceolredi Regum Nortanhumbrorum per annos quindecim. Hinc vero diſcimus, Wilfridum Eccleſiæ Eboracenſis Vicedominum & Abbatem fuiſse: ac proinde in ea Eccleſia præter Epiſcopum exſtitiſse Abbatem, qui Monachis eam occupantibus præerat. Wilfridi junioris memoria fit in Faſtis Anglo-Benedictinis Maji die 9.

Digitized by Google

Hic paſtoralis poſuit dum pondera curæ,
Tradidit EGGBERTO venerandæ jura cathedræ,
Quem ſibi Pontificem fecit ſuccedere ſummum.
Hic fuit Ecgbertus regali ſtirpe creatus;
Nobilium coram ſæclo radice parentum,
Sed Domino coram meritis præclarior almis.
Dives opum terræ, miſeris quas ſpargit egenis,
Ditior ut fieret cœlo, dum colligit illas.
Qui curas inopum devotus ſemper agebat,
Pauperibus tribuens devoto pectore gazas,
Quas terris perdens, ſibimet condebat olympo.
Hic erat Eccleſiæ Rector clariſſimus, atque
Egregius doctor, populo venerabilis omni.
Moribus electus, juſtis affabilis, atque
Efferus in pravos, mitis ſimul atque ſeverus.
Sacris diviſit vicibus noctesque dieſque,
Impiger aſſidue ſpatioſis noctibus orans,
Miſſarum celebrans ſollemnia ſancta diebus,
Inque Dei domibus multa ornamenta paravit.
Illas argento, gemmis veſtivit & auro,
Serica ſuſpendens peregrinis vela figuris.
Sacravitque probos altaribus ipſe miniſtros,
Ordinibus variis celebrent qui feſta Tonantis,
Davidiſque alios fecit concinnere canna *,
Qui Domino reſonent modulatis vocibus hymnos.
Cujus frater idem Tyrio nutritus in oſtro,
Sumſerat ADBERTUS gentis regalia ſceptra
Qui dilatavit proprii confinia Regni,
Sæpius hoſtiles ſubigens terrore phalanges.
Tempora tunc hujus fuerant felicia gentis,
Quam Rex & Præſul concordi jure regebant,
Hic jura Eccleſiæ, Rex ille negotia Regni.
Hic ab Apoſtolico humeris fert Pallia miſſa:
Ille levat capiti veterum diademata patrum.
Fortis hic, ille pius : hic ſtrenuus, ille benignus.
Germanæ pacis ſervantes jura viciſſim,
Ex alio frater felix adjutus uterque.
Rexit hic Eccleſiam triginta & quatuor annis,
Ille annis tenuit ter ſeptem ſceptra parentum:
Ambo felices meritis in pace ſepulti.
Temporibus primis præfati Præſulis hujus,
Presbyter eximius meritis, cognomine BEDA,
Aſtra petens, clauſit præſentis lumina vitæ *a*.
Qui mox a puero libris intentus adhæſit,
Et toto ſtudiis ſervivit pectore ſacris.
Utpote ſeptennem quem fecit cura parentum
Arta Monaſterii Girvenſis clauſtra ſubire,
Cui jam præclarus CEOLFRIDUS præfuit Abbas.
Qui peregrina petens Chriſti deductus amore,
Mortuus eſt exſul Linguanæ in finibus urbis,
Atque condigno felix tumulatus honore eſt.
Cujus corpus erat poſt tempora multa repertum
Integrum penitus, patriamque exinde reductum.

Egbertus Epiſcopus.

* an carmen

Eadberti Regis frater.

Anni regiminis utriuſque.

Bedæ mors & elogium.

Ceolfridi Abbatis obitus.

Ergo

a Hinc confirmatur epocha ſuperius præſtituta de morte Bedæ venerabilis in anno Chriſti 735. quo anno Egbertus, qui ante annos quatuor Wilfrido ſucceſſerat, Pallium a Gregorio tertio accepit. Lege Notas Waræi in epiſtolam Bedæ ad Egbertum.

Digitized by Google

Ergo Monaſterio Beda nutritus in illo,
Ornavit teneros præclaris moribus annos.
Diſcere namque ſagax juvenis, ſeu ſcribere ſemper
Fervidus inſtabat, non ſegni mente laborans:
Et ſic proficiens eſt factus jure Magiſter.
Plurima quapropter præclarus opuſcula Doctor
Edidit, explanans obſcura volumina ſanctæ
Scripturæ, necnon metrorum condidit artem;
De quoque temporibus mira ratione volumen,
Qui tenet aſtrorum curſus, loca, tempora, leges.
Scripſit & hiſtoricos claro ſermone libellos,
Plurima verſifico cecinit quoque carmina plectro.
Acta mente, fide veterum veſtigia Patrum,
Semper dum vixit, directo eſt calle ſecutus.
Hujus vita quidem qualis fuit ante Magiſtri,
Claro poſt obitum ſigno eſt patefacta ſalutis.
NOTA. Æger enim quidam Patris dum cingitur almi
Relliquiis, penitus peſte eſt ſanatus ab illa.
Baltheri auachoretæ res geſtæ. Te quoque Pierio tangentes, BALTHERE, plectro,
Et tibi, Sancte, locum noſtris in verſibus iſtum
Signantes petimus, placida tu mente teneto,
Et rege nunc noſtram pelagi per cærula cymbam
Inter monſtra maris, ſcopuloſas inter & undas,
Ut poſſit portum portans attingere tutum.
Eſt locus undoſo circumdatus undique ponto,
Rupibus horrendis prærupto & margine ſeptus,
In quo bellipotens terreno in corpore miles
Sæpius aerias vincebat Balthere turmas,
Quæ ſibi multimodis variabant bella figuris.
Qui tamen intrepidus hoſtilia caſtra reliſit,
Tela malignorum, ſemper crucis arma beatus
Belliger opponens, galeam ſcutumque fidei.
Vir pius ille quidem quodam dum tempore ſolus
Incubuit precibus, meditans cœleſtia tantum;
Horribilem ſubito ſtrepitum ſimul atque fragorem
Audivit, veluti vulgi erumpentis in hoſtes.
Tunc anima ex ſuperis cujuſdam nubibus ejus
Ante pedes cecidit, nimio tremefacta timore,
Quam mox turba minax ingenti horrore ſecuta eſt,
Cum variis miſeram pœnis torquere volentum.
At Pater ille pius placidis amplexibus illam
Arripuit gremio, ſtatimque inquirit ab illa
Quæ eſſet, cur fugeret, faceret vel quæ mala: cui tunc
Reſpondit: Levita fui, ſed mente maligna
Feminea amplexus manibus ſum pectora tantum,
NOTA. Et culpam erubui juvenis in carne fateri.
Nunc idcirco feri duris incurſibus hoſtes
Poſt triginta dies me me torquere ſequuntur.
Nec captata fui, ſed nec ſecura remanſi.
Tunc terrebat eum clamans ex hoſtibus unus:
Non hodie effugies, nec ſi tenearis in ulnis
Petri, ſed meritas patieris, peſſime, pœnas.
Sanctus at iraſcens Petri convicia propter,
Hæc ait: Ecce minor meritis ſum centies illo
Principe apoſtolico: ſed de pietate Tonantis
Confidens, dico tibi, trux & ſæve tyranne,

Non

Non hodie portabis eam ſub tartara tecum.
Tunc pius interventor humo proſternitur, atque
Cum lacrymis Domino pro culpa ſupplicat illa.
Nec prius ille preces deſiſtit fundere ſacras,
Quam propriis animam ferri vidiſſet ocellis
Altius angelicas cœli ſuper aſtra per ulnas.
Par quoque jam veteri ſignumque æquabile ſigno
Hoc de Patre pio geſſit clementia Chriſti.
Nam velut æquoreas Petrus calcaverat undas,
Sic huic evenit. Gradiens nam tempore quodam
Rupis in excelſæ prærupto margine caſu,
Contigit ut caderet: ſed fluctibus ille marinis
Suffultus, graditur ſiccis ſuper æquora plantis.
Et ceu rura ſoli premeret, ſic ambulat undis:
Jam niſi quod lenius ſuſceperat unda ruentem,
Quam ſi dura virum accepiſſent arva cadentem.
Dum ruit, unda fluit, caſus ne læderet illum.
Greſſibus arva manent, illum ne mergeret æquor.
Ambulat ergo freto ſolido, ceu tramite terræ,
Donec ad undivagam pervenerat ipſe carinam:
Quam mox adſcendit ſecuro calle pedeſter.
Non in veſte liquor, non ſoccis hæſerat humor.
Quod natura negat, hoc dat tua dextera, Chriſte.
Unda tuo niſu pelagi fit pervia Juſtis;
. . . . ſed econtra vindex fit gurges iniquis.
Suffert iſta humiles, dum devorat illa *ſuperbos. * ſ. ille
Nunc te ſed petimus devoti, Balthere ſancte,
Ut ſicut unda tuum portabat ab æquore corpus [a].
Te ſanum penitus revehens ad litora nota:
Sic precibus noſtras animas evadere fluctus
Mundanos facias, portumque intrare ſalutis.
Claruit his etiam venerabilis ECHA [b] diebus, Echa Anachoreta.
Anachoreta ſacer, eremi ſecreta ſecutus,
Terrenos fugiens jam corpore caſtus honores,
Ut cum Rege Deo cœleſtes poſſet habere.
Angelicam terris vitam devotus agendo,
Multa prophetali prædixit mente futura.
De quo plura vetat narrari muſa recurrens
Carminis ad finem, propriique ad geſta Magiſtri,
Qui poſt Ecgbertum venerandæ inſignia Sedis
Suſcepit, ſapiens ÆLBERTUS [c] nomine dictus;
Vir bonus & juſtus, largus, bonus, atque benignus: Ælbertus Epiſcopus.
Catholicæ fidei fautor, præceptor, amator,
Eccleſiæ rector, doctor, defenſor, alumnus,
Juſtitiæ cultor, legis tuba, præco ſalutis,
Spes inopum, orphaniſque pater, ſolator egentum.
Trux rigidis, blanduſque bonis, duruſque ſuperbis:
Fortis in adverſis, humilis fuit inque ſecundis.
Mente ſagax, non ore loquax: ſed ſtrenuus actu.

Cui

---

[a] Cunevulfi Lindisfarnenſis Epiſcopi anno 17. pontificatus; regni vero Eadberti Northumbrorum Regis vigeſimo, *vir Domini & Presbyter* BALTHERUS, *qui vitam anachoreticam in Tiningabam duxerat, viam ſanctorum Patrum ingreſſus eſt, migrando ad eum qui ſe reformavit ad imaginem filii ſui pridie Nonas Martias*, inquit Turgotus in libro de Eccleſia Dunelmenſi, & quidem anno 756. ex Hovedeno. Colitur in Faſtis Benedictinis die 27. Novembris. Reliquiæ Dunelmum tranſlatæ ſæculo 11. Lege Bollandum ad diem 6. Martii, ubi ſitus Monaſterii ſeu eremi S. Balthori in Scotia reponitur.

[b] De iſto Echa Anachoreta nihil alibi reperire potui.

[c] Cœna etiam dictus, cujus eſt epiſtola 99. ad Lullum Moguntiacenſem Epiſcopum inter Bonifacianas, extatque alia numero 109. ejuſdem Lulli ad ipſum.

Digitized by Google

Cui quantum crevit cumulati culmen honoris,
Tantum mens humili ſeſe pietate ſubegit.
De quo verſifico paullo plus pergere greſſu
Euboricæ mecum libeat tibi, quæſo, juventus.
Hic quia ſæpe tuos perfudit nectare ſenſus,
Mellifluo dulces eructans pectore ſuccos.
Quem mox a primis ratio pulcherrima cunis
Corripuit, rerum ſummamque vehebat in arcem,
Doctrinæ pandens illi ſecreta ſophiæ.

Is Monachus, Hic fuit ergo ſatis claris genitoribus ortus,
Ex quorum cura ſtudiis mox traditur almis,
Atque Monaſterio puerilibus inditur annis,
Senſibus ut fragilis ſacris adoleſceret ætas.
De puero nec caſſa fuit ſpes tanta parentum.
Jam puer egregius creſcebat corpore quantum,
Ingenio tantum librorum proficiebat.
Sic meritis creſcens annis & mente ſagaci,
Levita, Jam Levita ſacer condigno eſt ordine factus.
Hunc bene dum felix adoleſcens geſſit honorem,
tum Presbyter, Jura Sacerdotii juvenis ſuſcepit honeſtus:
Creſceret ut gradibus, meritis qui creverat almis.
Tunc pius & prudens doctor ſimul atque Sacerdos
Egberti familiaris. Pontificique comes Ecgbert conjunctus adhæſit,
Cui quoque ſanguineo fuerat jam jure propinquus.
A quo defenſor Clero decernitur, omni
Eboracenſis ſcholæ præceptor. Et ſimul Euborica præfertur in urbe Magiſter.
Ille ubi diverſis ſitientia corda fluentis
Doctrinæ & vario ſtudiorum rore rigabat:
His dans Grammaticæ rationis graviter artes,
Illis Rhetoricæ infundens refluamina linguæ.
Iſtos veridica curavit cote polire,
Illos Aonio docuit concinnere cantu.
Caſtalida inſtituens alios reſonare cicuta,
Et juga Parnaſſi Lyricis percurrere plantis.
Aſt alios fecit præfatus noſſe Magiſter
Harmoniam cœli, ſolis lunæque labores,
Quinque poli conas, errantia ſidera ſeptem,
Aſtrorum leges, ortus, ſimul atque receſſus.
Aerios motus pelagi terræque tremorem,
Naturas hominum, pecudum, volucrumque, ferarum
Diverſas numeri ſpecies, variaſque figuras.
Paſchalique dedit ſollemnia certa recurſu,
Maxime Scripturæ pandens myſteria ſacræ.
Nam rudis & veteris legis patefecit abyſſum.
Indolis egregiæ juvenes quoſcumque videbat,
Hos ſibi conjunxit, docuit, nutrivit, amavit.
Quapropter plures per ſacra volumina doctor
Diſcipulos habuit, diverſis artibus aptos.

Librorum avidus, Non ſemel externas peregrino tramite terras
Jam peragravit ovans, ſophiæ deductus amore:
Si quid forte novi librorum ſeu ſtudiorum,
Quod ſecum ferret, terris reperiret in illis.
Romam petit. Hic quoque Romuleam venit devotus ad urbem,
Dives amore Dei, late loca ſancta peragrans.
Inde domum rediens, a Regibus atque Tribunis
Doctor honorifice ſummus ſuſceptus ubique:

Digitized by Google

Utpote quem magnis Reges retinere volebant,
Qui ſua rura fluens divino rore rigaret.
Ad ſibi ſed properans præfinita * facta Magiſter,
Diſpenſante Deo, patriæ prodeſſe, redibat.
Nam proprias poſtquam fuerat delatus in oras,
Mox paſtoralem compulſus ſumere curam, Epiſcopus pius ac diligens,
Efficitur ſummus populo rogitante Sacerdos,
Officiumque ſuis meritis decoraverat annis,
Ordinis atque bonus Paſtorque repertus ubique eſt.
Namque tuebatur divinum cautus ovile,
Ulla ex parte lupus Chriſti ne læderet agnos.
Ille quibus ſacri præſtabat pabula verbi,
Ne ſitis atque fames ullo vexaret acerbo:
De gregeque errantes eremi per devia vaſta
Ad Domini caulas humeris revehebat amicis;
Nolenteſque ſequi placido ſermone vocantem
Inſequitur juris terroribus atque flagellis.
Nec Regi aut Ducibus juſtus parcebat iniquis,
Sed neque decrevit curarum pondera propter
Scripturas fervens induſtria priſca legendi:
Factus utrumque, ſagax Doctor, pius atque Sacerdos.
Senſibus hos augens, illos & moribus ornans.
Nec Pater adveniens in tantum culmen honoris,
Veſtibus atque cibis veterem mutaverat uſum: nihil de priori vita remittit.
Delicioſa nimis fugiens, nec vilia valde
Sectatus fuerat, medio moderamine gaudens.
Nec minus interea vario ornamenta decore
Addidit Eccleſiis; fidei fervore repletus. Eccleſias ornat & inſtaurat.
Namque ut bellipotens ſumſit baptiſmatis undam
EDUIN Rex, Præſul grandem conſtruxerat aram,
Texit & argento, gemmis ſimul undique & auro,
Atque dicavit eam ſancti ſub nomine Pauli
Doctoris mundi, nimium quem Doctor amabat.
Hoc altare farum ſupra ſuſpenderat altum,
Qui tenet ordinibus tria grandia vaſa novenis:
Et ſublime crucis vexillum erexit ad aram,
Et totum texit pretioſis valde metallis.
Omnia magna ſatis, pulcro molimine ſtructa,
Argentique meri compenſant pondera multa.
Aſt altare aliud fecit, veſtivit & illud
Argento puro, pretioſis atque lapillis:
Martyribuſque Crucique ſimul dedicaverat ipſum.
Juſſit ut obrizo non parvi ponderis auro
Ampulla major fieret, qua vina Sacerdos
Funderet in calicem ſollemnia ſacra celebrans.
Aſt nova baſilicæ miræ ſtructura diebus
Præſulis hujus erat jam cœpta, peracta, ſacrata.
Hæc nimis alta domus ſolidis ſuffulta columnis,
Suppoſitæ quæ ſtant curvatis arcubus, intus
Emicat egregiis laquearibus atque feneſtris,
Pulcraque porticibus fulget circumdata multis,
Plurima diverſis retinens ſolaria tectis,
Quæ triginta tenet variis ornatibus aras.
Hoc duo diſcipuli templum, Doctore jubente,
Ædificaverunt EANBALDUS & ALCUINUS, ambo
Concordes operi devota mente ſtudentes. NOTA.

Hoc tamen ipſe Pater ſocio cum Præſule templum
Ante die decima quam clauderet ultima vitæ,
Lumina præſentis Sophiæ ſacraverat almæ.
Eanbaldus ſucceſſor. Ælberti ſeceſſus. Ergo miniſtrator clariſſimus Ordine ſacro
Præſul perfectus meritis plenuſque dierum,
Tradidit EANBALDO dilecto lectus alumno
Pontificale decus, ſibimet ſecreta petivit
Sæpta, Deo ſoli quo jam ſervire vacaret.
Libros ſuos Auctori committit. Tradidit aſt alio caras ſuper omnia gazas
Librorum nato Patri, qui ſemper adhæſit,
Doctrinæ ſitiens haurire fluenta ſuetus:
Cujus ſi curas proprium cognoſcere nomen,
Fronte ſua ſtatim præſentia carmina prodent *a*.
His diviſit opes diverſis ſortibus: illi
Eccleſiæ regimen, theſauros, rura, talenta:
Huic ſophiæ ſpecimen, ſtudium, ſedemque, libroſque,
Undique quos clarus collegerat ante Magiſter,
Egregias condens uno ſub culmine gazas.
Illic invenies veterum veſtigia Patrum,
Quidquid habet pro ſe Latio Romanus in orbe,
Græcia vel quidquid tranſmiſit clara Latinis:
Hebraicus vel quod populus bibit imbre ſuperno,
Affrica lucifluo vel quidquid lumine ſparſit.
Quod Pater Hieronymus, quod ſenſit Hilarius, atque
Ambroſius Præſul, ſimul Auguſtinus, & ipſe
Sanctus Athanaſius, quod Oroſius edit avitus:
Quidquid Gregorius ſummus docet, & Leo Papa;
Baſilius quidquid, Fulgentius atque coruſcans;
Caſſiodorus item, Chryſoſtomus atque Joannes.
Quidquid & Althelmus docuit, quid Beda Magiſter,
Quæ Victorinus ſcripſere, Boetius; atque
Hiſtorici veteres, Pompejus, Plinius, ipſe
Acer Ariſtoteles, Rhethor quoque Tullius ingens.
Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipſe Juvencus,
Alcuinus & Clemens, Proſper, Paulinus, Arator,
Quid Fortunatus, vel quid Lactantius edunt.
Quæ Maro Virgilius, Statius, Lucanus & Auctor,
Artis Grammaticæ vel quid ſcripſere magiſtri;
Quid Probus atque Focas, Donatus, Priſcianuſve,
Servius, Euticius, Pompejus, Comminianus.
Invenies alios perplures, lector, ibidem
Egregios ſtudiis, arte & ſermone magiſtros,
Plurima qui claro ſcripſere volumina ſenſu:
Nomina ſed quorum præſenti in carmine ſcribi
Longius eſt viſum, quam plectri poſtulet uſus.
His ita diſpoſitis complens ſua tempora ſummus
Antiſtes, totus meritis maturus & annis,
Moritur anno poſt quarto, Poſt annos binos, menſes ſimul atque quot annos,
Ex quo ſæpta ſacer Præſul ſecreta petivit;
Diſcipulis coram Paſtor, Patriarcha, Magiſter,
Tranſit ad ætheream lætus feliciter aulam.
Hanc tamen hanc citius lugubris, mea fiſtula, partem
Deſere, ne pereas lacrymarum gurgite merſa.
Dum properas portum velis hucuſque ſecundis;
Quid memorare ſtudes nobis mœſtiſſima fata?

Cum

a Poetæ nomen haud apparet in mſ. cod. Monaſterii S. Theoderici.

Cum ſubito ante oculos cunctis mors invida noſtros
Lumina ſupremo clauſit veneranda ſopore
Pontificis ſummi, noſtri Patris atque Magiſtri.
O nobis o nigra dies! o clara ſed illi!
Nos ſine Patre dies orphanos ille reliquit,
Fletibus, exſilio, duroque labore gravatos.
Reddidit aſt illum patriæ Patrique ſuperno
Fletibus, exſilio, duroque labore ſolutum.
Jam cui Chriſtus amor, potus, cibus, omnia Chriſtus;
Vita, fides, ſenſus, ſpes, lux, via, gloria, virtus.
Qui decimo & quarto ſummi dormivit in anno — anno 14. pontificatus.
Ordinis accepti, octavo ſub ſole Novembris,
Dum gravis illa dies ſexta fulgebat in hora.
Ejus ad exſequias magnum concurrerat agmen,
Cum Clero Præſul, populus, juveneſque, ſeneſque,
Patris honorifice curantes condere corpus.
O Pater, o Paſtor, vitæ ſpes maxima noſtræ!
Te ſine nos ferimur turbata per æquora mundi,
Te duce deſerti variis involvimur undis,
Incerti qualem mereamur tangere portum.
Dum ſol noxque ſibi cedunt, dum quattuor annus
Dividitur vicibus, creſcunt dum germina terris;
Sidera dum lucent, trudit dum nubila ventus;
Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt.
Sic ego dum volui certo te fine, Thalia,
Claudere, res noſtris occurrit geſta diebus. — Ecſtaſis cujuſdam Monachi Eboracenſis.
Feſſa licet paucos quapropter adhuc cane verſus,
Atque mei pueri cauſam ſuccinge parumper,
Cui quoque præſentem teſtem me contigit eſſe.
Ergo fuit quidam juvenis nutritus in urbe
Euborica, ſimplex animo, ſed fervidus actu;
Quique meæ vexit puerilis tempora vitæ:
Conſilio ſolus quadam qui nocte ſuetis
Inſiſtit precibus Chriſti Genitricis in aula.
Tunc lux alma domum ſubito repleverat illam,
Et cum luce ſimul venit vir veſtibus albis,
Fulgidus adſpectu, ſtatu ſublimis honeſto,
Et blandis juvenem nimio terrore cadentem
Elevat alloquiis, librumque oſtendit apertum.
Perlegit hunc juvenis: dixit cui codice clauſo
Candidus ille: Sciens iterum majora videbis.
His dictis ſubito nitidus diſparuit hoſpes.
Hinc quoque poſt aliquos non longo tempore menſes
Percutitur juvenis currenti peſte per artus,
Ægrotuſque diu dubia ſub morte jacebat,
Anguſtis retrahens perituram naribus auram.
Inque meis recubans manibus, tunc ſpiritus ejus
Eſt raptus ſubito, corpuſque remanſit inane.
Poſt ſpatium rediens, iterum ſed membra movebat:
Et mihi narrabat, quidam quod duxerit illum
Ad loca pulcra nimis, multos ubi vidit ovantes
Ignotos notoſque ſimul: ſed maxime ſanctæ
Illius Eccleſiæ lætos agnovit alumnos.
Qui mox ſuſcipiunt placidis complexibus illum,
Et ſecum penitus ſemper retinere volebant.
Sed cito ductor eum converſo calle reduxit

Ad proprium corpus, dicens quod ſolis ad ortum
Jam melius habiturus eris: de Fratribus alter
Sed hodie moriturus erit, cujuſque paratam
Vidiſti ſedem: juvenem nec ſermo fefellit,
Nam cito convaluit dum ſol rutilabat ad ortum:
Ante diem medium fuerat ſed mortuus alter.
Ille ſtatim juvenis parvum poſt tempus, eodem
Anno percutitur populantis peſte doloris,
Atque mihi ſtatim morbo prædixit in illo:
Hac lue jam moriar, cito carnis clauſtra relinquam;
Nec ſecus evenit, quoniam vis magna doloris
Crevit, & extremam juvenem deduxit in horam
Qui tenui moriens animam traducere flatu
Dum cœpit, fuerat vigilans e Fratribus unus,
Vir probus & verax, vidit qui culmine ab alto
Deſcendiſſe virum facie ſeu veſte coruſcum,
Et poſuiſſe ſuum mox os morientis ad ora,
Blandius amplexus manibus quoque membra cubantis:
Regreſſuſque animam ſolvens de carcere carnis,
Evexit volitans ſecum ſuper aſtra polorum.
Hæc ego nauta rudis teneris congeſta carinis,
Per pelagi fluctus & per vada cœca gubernans,
Euboricæ ad portum commercia jure reduxi,
Utpote quæ proprium ſibi me nutrivit alumnum,
Imbuit & primis utcumque verenter ab annis.
Hæc idcirco tibi propriis de Patribus atque
Regibus & Sanctis ruralia carmina ſcripſi.
Hos pariter Sanctos tetigi, quos verſibus iſtis
Deprecor, ut noſtram mundi de gurgite cymbam
Ad portum vitæ meritis precibuſque gubernent.

FRODOARDI CANONICI REMENSIS
FRAGMENTUM
DE ROMANIS PONTIFICIBUS.

De GREGORIO Papa II. & de S. BONEFACIO Doctore & Martyre.

GREGORIUS poſt hæc ſumit ſacra jura ſecundus,
Vir cœlebs, doctus, ſenſu facundus & ore:
Jam pridem imperio notus, jam dogmate clarus,
Corde pio prudens, virtutis robore conſtans,
Hoſtis aberrantum, defenſor recta ſequentum;
Interiora ſtudens, ſed non externa relinquens.
Mœnia qui aggrediens urbis reparare, coquendis
Calcibus inſiſtit; trabibuſque labore petitis *,
Baſilicam Pauli renovat, reſtaurat & aram,
Et colit ornatu, relevat prohibetque ruinas
Templorum plures, lapſumque reducit honorem.
Sanctorum * turmas revocat, cœli agmina cogit.

* e Calabria

* Religioſorum congregationes

Ger-

Germanas vocat tenebris ad lumina gentes:
Quis Præſul verbique ſator BONEFACIUS almi
Dirigitur, mortiſque novo ſole effugat umbram.
Gallorum Eccleſias pietatis luce venuſtat,
Remenſem, & dignas * quas cenſet faſcibus ornat.
Martyrioque auctus, virtutis agone coruſcat.
Primitiæ gentis Germana ab origine Princeps *
Culmen apoſtolicum petit, & ſacra limina Petri.
Pontificis monitis ſummi exhortante tyrannum *,
Præſtita firmantur primæ patrimonia Sedi.
Civiles ſtrepitus urgentiaque extera bella
Cynthia terrifico præmonſtrat tincta cruore.
Scinditur Imperium *, rectus præfertur iniquo:
Belligeræque manus fuſo agmine ſanior exit
Pars victrix: pacis veneranda inſignia * ſurgunt,
Priſcorumque fides celebri decoratur honore.
Tibridis horrificis ripas ſuperantibus undis,
Frugiferas circum glebas ferus occupat imber,
Pervaditque vias, hortos, munimina, villas;
Evertitque caſas, terretque abigitque colonos,
Arbuſta ac ſegetes; rapit altæ mœnia Romæ.
Inde ſubit vallum, & muros transſcendit, & ipſas
Lymphans lympha tenet fluctu bacchante plateas.
Non illis agros licitum exercere diebus
Agricolis, infauſta terunt mœſta agmina feſta *.
Papa gravi motus querularum murmure vocum
Inſiſtit precibus, legatque ad ſidera vota.
Nec cœptis animum removet certamine victum:
Dum cogit propriis Tiberim ſe reddere metis.
Increpitat Bardos, fera pectora munere & ore
Demulcens, mites conſultibus & prece ſervans
Imbuit, ædificat: hujuſque opera apta * receptant.
Surreptorum aufert * opus, fraus fraude labaſcit.
Externos etiam benedictio lata * triumphos
Concelebrat Papæ, victores ſpongia * Francos
Dum reddens Agarenorum tutatur ab armis,
Participes ferri neque læſos vulnere tantum,
Proſtratis tali vacuis pro tegmine paucis.
Conſtantinopolim longa obſidione gravatam,
Hæc fera barbaries belloque fameque repreſſa,
Incœptis obſtante Deo confuſa reliquit.
Concilium crudele calet, dolus in nece Patris *
Cuditur: Imperii mox hoſtibus oppida cedunt.
Proditur impietas, plectuntur Numine ſummo
Participes, laqueiſque ſuis foveaque parata
Captantur, feritaſque in vertice verſa furorum eſt.
Eccleſiam ſpoliari opibus protectio Papæ *
Impedit: unde iterum Primatum fraude petitus
Eripitur, Chriſtique immunem dextra tuetur.
Nec toties fraus victa ſilet: ſumuntur in ipſum
Arma Deum, decoriſque jubetur iconia priſci
Vaſtari, quacumque * notat pictura triumphos.
Auguſto faveat Præſul, vel gratus amore,
Decidat, aut gradibus celſoque recedat honore.
Rejicit, expugnat, temnitque profana Sacerdos:
Intrepiduſque manet ferventibus undique telis.

* Treverenſem & Rotomagenſem
* Teuto Dux Bajoariorum
* Regem Langobardorum
* Per Anaſtaſium & Theodorum
* Imagines
* otia
* caſtellum a Langobardis pervaſum Romani recipiunt
* id eſt doloſorum fruſtratur fructum
* collata
* Spongia qua menſa Pontificis tegebatur, miſſa Duci Francorum pro benedictione, diſtributa exercitui, qui victor factus eſt
* Papæ
* ubicumque ſignat victorias Chriſti Martyrumque

Hæret Paſtori grex impia juſſa refutans,
Fortiter & vita pro Præſulis atque ſalute
Decertans, error damnatur : ponere Regem
Papa vetat, bonitate ratus ſcelera improba verti.
Sternuntur ſeductores, abiguntur iniqui.
Conſilium ferale, Dei moderamine caſſum
Deſtruitur, ſed fraude ferum * clementia Patris
Protegit, atque Sacerdoti ſuffragia creſcunt:
Barbaricamque * manum jungit ſibi Roma ſodalem,
Auxilioque Patris vitæ diſcrimina prodit.
Præſul at egregius potiora levamina quærens,
Prodiga pauperibus largitur dona patronis,
Incumbens precibus, votis & ſedulus inſtans.
Nec durus populo, grates dependit amori,
Hortaturque piis fidos perſiſtere cœptis.
Sic ſibi, ſic Domino ſervabat corda ſuorum.
Tum Sutrinſe doli captum per retia caſtrum
Aſſiduis Papæ monitis ſcriptiſque benignis
Redditur, atque Petri Paulique offertur honori.
Primatum diram feritatis fœdere fraudem
Luciferum * capimus flammis ſignaſſe cometam.
Conſultum crudele ſubit, Romamque Duceſque
Barbaricæ ſubici manui : tradatur iniquis
Juſtus, in inſontem ſontes graſſentur honorem.
Conſilii pars impletur, capiendaque reſtat
Roma : ſacer dum ſe ſolum pro civibus offert;
Præſidioqoe hærens ſupero, Regem petit hoſtem,
Quærentiſque neci dare ſe conſpectibus infert.
Quem Chriſto moderante piis affatibus urgens,
Emollit fera corda, vigens pietate benigna
Sternit, & exſultat veſtigia * ſacra tyrannum
Auſteræ poſito mentis petiiſſe tumore;
Promiſiſſe gregi, nil ſe latum ire ſiniſtri,
Regaleſque Petri cultus ceſſiſſe decori;
Dimiſſo ſuplicaſſe humilem diademate Regem.
Obtinet inde petens recipi Rex Præſulis hoſtem.
Accipit Exarchum Pater, infenſumque tuetur;
Eripit adverſis, fulcris ſolatur amicis;
Servat conſiliis, regit exornatque triumphis.
Cæſaris ingrati fraudes ſub funere Papæ
In patulum veniunt : qui ſtemmata * ducta figuris
Palmarum * Chriſti fuſcare, vel ignibus atris
Obruere inſiſtens, punit defendere niſos:
Pontificemque pium GERMANUM aſſenſa jugare *
Vitantem, ſacris abicit, ſociumque furoris
Aris adſciſcit. Quem ſcriptis arguit urgens
Præſul apoſtolicus, nec deterrere procacem
Abſiſtit * : ſit, ni redeat, pellendus honore.
Nec ſilet Auguſto, facinuſque remittere ſuadet.
Inclyta præterea Patris hujus tradita geſta
Templa Dei circa, cultumque operamque ſacrorum.
Ille Monaſteriis cœtus legeſque relictas
Reſtituit, ponens proprio nova caſtra * paratu,
Maternamque domum divinis ritibus aptat,
Et facit heredes cœli in patrimonia cives.
Ornatus adhibet, gemmis ſacra vaſa decorat:

* Eutycium Patricium
* Langobardorum
* quia Lucifer verſus eſt in cometam : non eſt proprium alicui ſtellæ eſſe cometam : ſed diverſæ ſtellæ ſolent in cometas converti : ſic mſ.
* ad pedes corruiſse
* Imagines
* victoriarum
* jungere
* ceſſat
* Monaſterium S. Agathæ

Pau-

Pauperibus largitur opes. Subit æthera dives:
Triſtitiam terris migrans, dat gaudia cœlis.

De Gregorio Papa tertio.

CUlminis hunc ſequitur virtutum & nominis heres:
Manſuetus, ſapiens, divina lege renidens;
Laudibus expertus, ſenſuſque nitore politus;
Hortator cultorque boni, tutorque Fidei;
Prodigus indiguis, & paupertatis amicus;
Captivorum emtor, pupillorum bonus altor;
Relligionis amore vigens, pia pectora ſolans.
Inſiſtens Patris exſequiis de funere raptus
Eximitur, lectuſque ad regmina ſumma vocatur.
Admonet increpitans Reges in ſigna * ſalutis
Crudeles, pavidum monituſque efferre verentem
Legatum cenſens, opus integrat, improba damnat
Imperia, Eccleſiæque monilia rite tuetur,
Quæ ſcriptis monitiſque jubet veneranda reponi.
Arguit hinc Proceres iterum crebroque monendo.
Nec legatorum pedicis quit mens ſacra Patris
Averti, penetrant dum ſcripta palatia, Reges
Juraque captantem * fervore monentia fontem.
Imperat Auguſtis, dat Chriſti inſignia ſignis.
Erigit Eccleſiæ ſpecimen, cultumque decoris
Augens, admittit Juſtorum pignera * toto
Orbe petita ſoli, meritos decernit honores,
Continuaſque preces grata & præconia fundi.
Aggregat implentum cœleſtia munia turmas:
Inſtaurans rutilis ditat ſacraria donis,
Ornat cultura, quamplurima lapſa reformat.
Dilatans fabricas, largo locupletat honore.
Civibus auxilium Domini ac ſuffragia Regis
Providet humani, Francorumque advocat aulam.
Mœnia reſtaurat, tutamina præparat urbi,
Bella premit ſedans animos; prece, munere mulcet,
Eccleſiæ compage ligat titubantia membra.
Sic bene diſpoſitis directo tramite rebus,
Internis atque externis moderamine comtis,
Inſtructiſque poli caſtris * ac lumine cultis,
Emeritus petit æternam poſt bella quietem.

* Imagines

* uſurpantem

* Reliquias

* Monaſteriis

De Zacharia Papa.

ZAcharias ſanctus ſanctum, mitiſque benignum,
Clementem ſequitur clemens, & parcere promtus
Iraſci tardus, ſævis pia reddere ſuetus.
Ut genitos pater amplectens vulguſque, ſacroſque,
Ponere non trepidans animam ſeſe hoſtibus offert.
Mirificat turbas, premit enſes, rapta receptat:
Victos eripiens, inimicos * pace ſerenat.
A quibus obſequium ſumens, victorque regreſſus
Lætificat plebem, Chriſtoque rependit honorem.
Motibus hinc iterum crudis diroque furore,
Barbaricis animis in triſtia bella relapſis,
Præſul item petitur, ſervandis currere gnatos *.

* Langobardos

* l. gnarus

Nec remoratur iners : legatis munere pacem
Procurat, non obtenta Chriſto urbe relicta
Pacis abit : patriæ fidens orator & altor
Præmittit ſocios, propero quos calle ſecutus
Excipitur pompis regali culmine latis.
Turgida divino chariſmate pectora ſedans,
Quæſitis gaudet, religiones luce venuſtat,
Perceptæque refert Chriſto præconia palmæ.
Delatum decus excelſi ſub honore triumphi
Attollens Dominus, verſutum ſubtrahit hoſtem *,
Admovet heredem, cumulat per longa quietem.
Tempora pace Pater florens, ſacra domata ſarcit:
Atria dilatans, opibus ſacraria replet.
Inſtaurat fabricas, venerandis templa figuris
Ornat, lapſabunda novat, priſcum auget honorem.
Aulæis dat apoſtolicas vernare columnas :
Codicibus divis armaria ſancta refercit,
Ditat ſacra, colit partis penetralia lychnis.
Veſte Petri gemmis auroque gravi induit aram,
Auratis operit velis, varioque decore.
Argento ditem appendit rutilante coronam.
Regalem ſolito Legatis viſitat urbem *,
Illuſtrans fidei * titulis, dans vincula * pacis.
Adventu quorum turbatio cedit, abacta
Fraus; ſcelus, inſidiæ, fallacia victa faceſſunt,
Redditur & Domino palmis urbs ſubdita priſco.
Diſcuſſiſque dolis directi * pacis honore
Comuntur merito, referuntque petita Patrono.
Francorum Regis regali ſtemmate temto,
Addicit genitus * ſeſe & ſua munera Petro,
Atque jugum Chriſti prona cervice capeſſit,
Ut vacet aſſiduus cœli ſub munia ſervus;
E Domino famulus, ſupplex de Rege miniſter,
Sectari ut ſummi valeat veſtigia Regis.
Hic Pater ablegandorum ſub regna profana *
Nexorum, motus mentem pietate paterna,
Impenſa recipit cunctos mercede redemtos;
Et rapiens manicis, dat libertate potiri,
Atque frui votis, ſoli ſervire Tonanti.
Barbaricos * iterum motus & temperat iras,
Emollitque animos, auroque & munere linguæ,
Urbes & redimit patriam, removetque furorem.
Immutat Regem, parit e prædone datorem,
De rapido mitem, de partu tygridis agnum;
Captantemque capit, ſuplicemque ad limina Petri
Perducit; faſtus fugienti ac regna, ſuperna
Chriſti addit juga cervici, mundique furentis
Eruit inſano junctis affectibus * æſtu,
Informatque Deo cultu ſervire quieto.
Repperit hic magnum pretio fulgente talentum *
Clauſtris * ſacrorum : teſtis caput inclytus olim,
Quo cœli poſito Georgius alta paravit
Regna, & perpetua ſplendentem luce coronam.
Aurea theſaurum ſuſtollunt vela repertum,
Et populo partæ gaudente reconditur aulæ:
Qua pius innumeras Rector * præſtare ſalutes

* Hilprandum nepotem Liudprandi Regis
* Conſtantinopolim
* Synodicis epiſtolis
* conditiones
* Legati
* Carlomannus
* pagana
* Langobardos
* uxore ac filiis
* theſaurum
* in Monaſterio
* Deus

Di-

Dignatur meritis pretioſi Martyris altis.
Allegata ſacris locupletia prædia cedunt:
Quæ Pater amplificans donis & fœdere mercis
Inſtruit, exornans fabricis, cultuque decoris;
Sanctorum ſubicit templis, & dedicat aris;
Innectit vinclis *, firmatque perennia ſcitis.
Immemor haud inopum, divas dum percolit aulas,
Dirigit accumulatque rogas *, ac perfovet ægros,
Inſtituens cenſus cœli mercede ferendos.
Juſtorum loca ſancta novat, priſcamque reformat
In ſpeciem, tegit excultis altaria cœlis.
Presbyteros Clerumque fovens, tutatur alumnos,
Tranquillaque ſuos præſtat gaudere quiete.
Auſoniæ ſollers tranſmittit lumina * Græcis,
Gregorii divo dudum quæ prompta lepore.
Dignaque dans imis, capitur monimenta ſupernis.

* excommunicationibus
*ſtipendia, erogationes

* Libros Dialogorum a ſe Græce verſos

De ſecundo STEPHANO Papa.

DUra ſubit STEPHANUS Petro ſacrata ſecundus,
Prælecto * taciti ſubita vi funeris acto.
Almos a puero ſuetus tolerare parentes
Creverat iſte, datus gradibus per ſingula Cleri
Munia. Levitico dum claret jure miniſter,
Eccleſiæ vigilans curis, ſancita tuetur.
Subventor tutorque inopum, defenſor ovilis,
Conſtans præco Dei, veteris reparator & auctor
Tutelæ indiguis latæ: quorum ſtruit ædes,
Innovat everſas, & xenia deſtinat, aptat:
Divinoque miniſterium ſibi numine partum,
Interno * externoque colens diſponit honore.
Conſiliis gentes * pravis in bella feruntur:
Germanum * quibus arcendis ad fœdera pacis
Legat, danda ſimul ſocios & munera * jungens.
Pacta velut plures ſtatuunt ſervanda per annos,
Aſtu revera properi frangenda reatus.
Quæ mox exacto Phæbes * quater orbe tyrannus *
Irrumpens, Patri atque gregi furioſa minatur.
Mittuntur mites * rabido ſpe fœderis urſo:
Pacificoſque agnos Chriſti fera bellua temnens,
Dimittit vacuos. Domino ſed vota reſignans
Dirigit Antiſtes, lacrymas ſuper æthera legans.
Cæſareus mox Miſſus adeſt, mandata furenti
Deportans Regi, reſipiſcere, rapta referre.
Admonitus blandis graſſator inania reddit,
Vafra refert, niſuque truci direpta retentat.
Dumque humana tepent, ſuffragia quærere dignum
Diva Pater ducit, ſociorumque agmina jungens
Aggregat Eccleſiam: monet exorare ſupernum
Clementemque Patrem; votis ac fletibus inſtat
Ipſe ſimul: cineres addit, veſtigia nudat:
Celſa petunt, importuna prece ſidera pulſant,
Utque preces cœlum digne impetrare penetrent,
Actibus in ſanctis comites perſiſtere mandat:
Cedere cuncta piis decernit ſabbata votis.
Deditus ipſe ſacris altaria cultibus ornat,

* eo qui ante eum fuerat electus exacto, mortuo.

* ſpiritali ac ſæculari
* Langobardi
* Paulum Diaconum ſuum
* eidem Paulo
* Lunæ
* Aiſtulfus
* Abbates

Digitized by Google

Muneribus ditat, fabricis atque ædibus auget,
Culmina reſtaurat : ſed nec ſuplicamine ceſſat.
Concilium capit interea, depromere cauſam
Francorum Regi, Chriſtoque Petroque fideli.
Accipit hanc miſerando pius PIPPINUS, opemque
Ferre parans, promtus Legatos dirigit Urbi,
Dignari tantum poſcens ſe viſere Patrem.
Paſtor amore gregis fervens, egreſſus ovile
Quærit pacem ovium per turbida luſtra ferarum.
Gratia * cœleſtis, cari ſolatia Cleri,
Cæſarei mandata apicis, Procereſque Quiritum,
Francorumque Duces Papam comitantur euntem.
Æthereus cœlo præfulgurat hoſtibus ignis
Climate Francorum, ſtragemque minatur iniquis,
Prævia prætendens ductamina luminis almo.
Callidus abſterrere lupus * conamina juſta
Nititur : invictus perſiſtit pro grege ductor.
Munera fert hoſti atque preces : obduruit ille
Corde Pharaonis, nec oves dimittere captas
Conſentit monitus, queruli nec vota patroni
Admittit. Præſul nequaquam ferrea cernens
Pectora molliri, ſævæ ſe abjungit Hyænæ,
Qua vocat egregii pietas mitiſſima Regis
Intendens iter, almifico ſtipante Senatu;
Præterienſque dolos, ductori munera Chriſto
Laudibus ingeminat : glaciales tranſmigrat Alpes.
Francigenæ properant Primates, obvia Papæ
Millia feſtinant, genitis Rex atque jugali
Accelerat junctis, terræque adſtratus adorat
Angelicum Patrem, cœleſtia jura ferentem.
Fungitur officiis pronus, pedes ipſe beatum
Ductat equo vectum, laudeſque & carmina dantem
Rectori Regum regali ſuſcipit aula.
Adſidet, obſervat, devota precamina ſumit,
Atque libens votis favet, ac parere paratum
Se perhibens, gaudet Petri ſervire clienti.
Dumque hiemis prohibente gelu repedare *. . .,
Sancte tui Martyr Dionyſi limina ſervat.
Vexatus languore gravi, pereunte medella
Auxilii artificis, trahere extima fata putatur.
Is meliora ſequens medicinæ robora certæ,
Supremum poſcit Medicum, ſacrata frequentat
Templa, requirit opem Patrum ſibi adeſſe piorum.
Deditus & precibus præmiſſi Martyris æde,
Viſitur a propriis Petro Pauloque Patronis.
Cum quibus & præſens teſtis Dionyſius adſtans,
Suadetur * Patribus languenti ferre levamen.
Ille piis parens monitis, comitantibus ægro
Accedit ſociis, pacem denuntiat, aufert
Corde metum, ſpondet reditum in ſua mœnia latum.
Præcipit incolumis ſurgat, Domino dicet altar
Nomine apoſtolico, referat præconia Chriſto.
Luce ſalutifera, divo quoque nectare fotus,
Exſilit ereptus, præceptaque munia nitens
Faxere, non ſana cenſetur hebeſcere mente:
Donec viſa refert, ſicque edita Martyris implet.

* magna cœli ſerenitas

* Aiſtulfus

* ſupple negatur

Hoc miraculum ab Anaſtaſio omiſſum commemorat Stephanus ipſe in epiſtola, tomo 2. Concil. Galliæ.

* a Partibus

In-

Inque apicem Regni patremque * & pignora ſacrans, *Pippinum & filios
Unguine munifico ditat, ſtirpemque futuram
Culmine ſublimat, regali jure decorat.
Ornat honore locum, locupletat cultibus aram.
Tum Rex cum Regni Satrapis claroque Senatu
Rebus conſultans trepidis ſuccurrere Papæ,
Unanimes Chriſti Petrique ad munia reddit.
Haud ullis valet averti ſerpentis iniqui
Fraudibus, haud fratris vafro molimine miſſi
Conſiliis : quin germano diſcrimina præfert
Eccleſiæ : fixoque ſtudens certamine niti,
Præſulis in votis legat mandata tyranno,
Fœdere ſub pacis Cephæ ſublecta rependat:
Terque eadem repetit. Neque cor mollire gelatum
Muneribus ſuaſiſque valet, nec proficit ullo
Ad pacem rigidum moderamine flectere pectus.
Unde gregans turmas Francorum agit agmina, cauſam
Ipſe acturus apoſtolicam, mediamque terebat
Recto calle viam cum Papa : procacia nitens
Pectora mitificare, petit fera corda moveri
Regis item Miſſis, cum quis mandata preceſque
Dirigit, obteſtans fundendo a ſanguine parcat.
Ille minas contra Patri Regique relegat.
Aſt hi ſpem Domino totam committere certi,
Se Chriſto tutore tegi, cui bella geruntur.
Cujus opem Princeps poſcens, promiſſa protervo
Munera fert tribuenda humili Patrique gregique,
Sicque duci ſeſe allegans fidoque patrono,
Cœptum carpit iter, mittens præcedere quoſdam,
Ac ſervare aditus, artoque adſtare meatu.
Comperiens hoſtis Regem præcurrere, paucos
Junctis hoc cuneis ſubito inſperatus adorſus
Stratum ſe ire putat : ſtragis ſed damna reportat.
Victus & a paucis, cum pluribus ipſe peremtis
It, ſolaque fugæ poſitis ſpe nititur armis,
Atque tremens urbis ſeſe vallamine claudit.
At juſti perverſorum munimine verſo
Diripiunt prædas. Poſt cædem vindicis enſis.
Rex Patre proſequitur, fultus celantibus hoſtem
Incumbit muris, pacem dum Papa precando
Fœdera pellacis * compellit inire fidelem *, * doloſi Aiſtulfi *Pippinum
Reddere jurantis quæ rapta retentat inique.
Sic ſua Rex repetens Francorum Regna, beato
Dat ſocios Patri Romana ad mœnia fidos.
Jamque revertenti populorum examina currunt
Obvia Paſtori, grates laudeſque ferentes
Eximias Chriſto. Cleri populique catervæ
Excipiunt Patrem præclara tropæa vehentem.
Ille ſtudens recreare gregem, neglecta referre
Munia, nocturnis reparat pſallentia ſacris,
Carmina digna choris auget, ſolatia præbet
Commoda, devotis certent ut degere pſalmis.
Hoſtis at adſuetas volvens ſub pectore fraudes,
Ingeminat facinus, perjuria nota frequentat.
Creſcere temnit onus *, nihili feralia pendit:
Invadenſque relicta, nefas cumulare laborat, * peccata

At-

Atque trahit Regni * ſecum ſub tartara vires. * ſui ad mortem
Arma rapit, cuneos cogit miſera agmina.
Eccleſiæ contra columen, fert prœlia Petro,
Et ſacra ſacrilego circumdat mœnia ferro.
Præſul amatori Chriſti notat improba Regi
PIPPINO, acta trucis contra pia caſtra * draconis. * Romanos
Expedit ille manus, ultriciaque exſerit arma,
Jure calens in perjuros certaminis æqui.
Cæſareiſque & Legatis & juſſibus obſtans,
Nec precibus ceditve minis, aut munere victus:
Terribilem ſeſe pravis acri impete præbens.
Inſiſtit trepidis, dum * clauſo extorquet ab hoſte * donec
Jura reformari, recipit redditque beato
Oppida rapta Petro, reprimitque tumentia colla.
Heſperiæ moderans regiones pace ſerenat,
Gaudentes ſub apoſtolicis ſe dedere frenis.
Papa Deo grates referens, turrim erigit aulæ *, * S. Petri
Argentique colens radiis inveſtit & auri.
Ære tubas * fuſo attollit, quibus agmina plebis * campanas
Admoneat laudes & vota referre Tonanti.
Proſpera Cunctipotens auget, removetur & hoſtis:
Præſulis ad nutum Reges & Regna reguntur.
Bella ſoporantur, ſurgunt ſacro ordine faſtus.
Publica res creſcit, dilatat Paſtor ovile.
Fallaces cavet inſidias, ablata receptat.
Educenſque novas Cephæ ſplendore columnas,
Fabricat Eccleſias, Petro, fratri, * genitæque: * Andreæ & Petronillæ
Quas fabricis ornat, doniſque nitentibus auget:
Atque Petronillæ, Regis monitu, oſſa venuſtat.
Actibus his clarus, palmarum & lumine mactus,
Præmia celſa petit Petro ductore beatus.

De PAULO Papa.

GErmanus Stephano ſuccedit in ordine PAULUS.
Cum quo devotus pietate & luce ſophiæ
Claruerat rutilans, individuuſque ſodalis
Hæſerat in finem: cui mox moderamina cedunt,
Diſperſa renuente manu, ceu ſole tenebris.
Hic pius ac mitis tribulatis ferre levamen
Certabat, languore graves inopumque grabata
Viſere conſuetus, tacitæ ſub tegmine noctis;
Carceribus nexos adimens, redimenſque ſubactos.
Fenoribus, pupillorum pater ac viduarum;
Catholicæ tutor Fidei: quo tramite Reges
Admonet, hortatur, petit, inſiſtitque reponi
Schemata * Sanctorum Dominique polita nitore. * Imagines
Mauſolea colens juſtorum provehit urnis;
Atque urbi reddens, cineres ſublimat in aulis.
Is proprios ſacrare lares ſub culmine Chriſti * honore Sanctorum
Pigneribus ſtuduit, comens & nomine Patrum
Silveſtri ac Stephani, multorum luce * piorum * Petro & Paulo
Inſuper illuſtrans, opulento & munere ſupplens,
Hymnidiciſque dicans laudis ſine fine choreis.
Baſilicam primis his Patribus * edidit urbis, * ubi oraverunt, jam martyrizandi, pro dejectione Simonis.
Qua * genibus ſaxo applicitis ſignata tropæa,

Mar-

Digitized by Google

Martyrii jam libandi dum vota profundunt.
Struxit & orandi catus ac ſua membra locandi
Servandique locum, variis Templi ora metallis
Ornans, atque Dei Genitricis imagine ditans.
Qua tandem emeritus tumulum poſt funera ſumit.

De tertio STEPHANO Papa.

TErtius hinc STEPHANUS, ſacris feritate remota.
Culminis invaſi, Pauli ſortitur honorem:
Strenuus & doctus, deceſſorum almus alumnus:
Qui preſſo latrone, Deique examine plexis
Furibus, & tanti ſceleris ductoribus actis,
Concordi voto parilique favore Senatus,
Primatum Cleri bellique urbiſque aurorum * — I. favore
Deligitur, digno Præſulque ſacratur amore.
Errorum nebulis quo diſcutiente, cientur
Undique Pontifices, ipſoque vocante gregatur
Concilium Romæ, Patrum ſacra jura tuentum.
Opprimitur ſcitis error, multatur & auctor.
Pœnitet inlicite junctos in ſacra miniſtros.
Perverſo cenſetur onus *, reſecatur iniquum — * adjudicatur onus pœnitentiæ
Criminis exemplum, divinaque jura dicantur.
Depulſo Roma, Ravennam proximus horror
Invadit, premiturque pio fervente rigore
Præſulis, a juſto nulla improbitate reflexi.
Uſus ab obſequiis Teucrorum *, numine ſummo — * Francorum
Ravennate lupum miſſorum exturbat ovili,
Paſtorique pii moderaminis oſtia pandit.
Hancque ſibique datam cauta bonitate regendam
Inſtruit Eccleſiam, Clerique reformat honorem,
Præſulibuſque Petri Miſſas diſponit in ara
Rite die * fieri lucis, Dominoque quotannis — * die dominico
Gloria cœlorum angelico pangatur ab hymno.
Ornat apoſtolicas argenti cultibus aulas,
Utque valet ſervans proprios tutatur alumnos,
Deceptos patria defendere mente laborat,
Sævorumque dolos ſtudiis ſedare benignis.

De ADRIANO Papa.

PRæclari generis præſtanti ſanguine cretus
Hunc ſequitur conſtans ADRIANUS pectore firmo.
Defenſor Fidei, patriæ protector & urbis:
Solator tutorque inopum, canonumque librator.
Qui prius a puero, frenans ſe corpore caſto,
Cyniphioque * terens ſacra tegmine membra domarat. — * hircino cilicio
Laude vacans Domini jejunia crebra jugabat,
Sedulus & curam pro poſſe gerebat egentum.
Actibus his radians adſcitis Præſule, Clero
Jungitur, ac pollens animis, gradibuſque levatus,
Ordineque imbutus ſacris Levita ſacratur.
Sic magis atque magis gliſcente decore coruſcans,
Luce operum, verbi populis alimenta miniſtrat.
Civibus unde pio nimium dilectus amore,
Præſule mox functo legitur ſuccedere dignus.

Nec

Nec mora depulſos urbi laribuſque reducit,
Carceribus truſos tenebris vincliſque reſolvit,
Et cunctis pariter gaudentibus ad ſacra ſurgit
Culmina, præcipuum meritis indeptus honorem.
Continuo vaſri ſuſpenſus fraude colubri,
Caute vera refert falſis moderatus & orſa.
Pacem non renuit, refugit dum crimina pacis,
[* ſuperfluitate] Nec trepido lapſu verborum mergitur undis *:
Immo fidem miſſis cenſet rebuſque probandam.
Suſtinet haud Bardus venerandi oracula Papæ.
At furit anteferens capiendo prœlia pacto,
Invaditque urbes, famulos, loca, prædia Petri.
Mox querulæ Patri voces lacrymæque feruntur,
Paſtorum crudas agitante dracone rapinas.
Legatos crudo dat ſcripta ſequentia furi,
Deſinat inſidiis, perverſe invaſa remittat.
Ille petita negat fieri, niſi Præſule viſo
Fœdera dante ſibi, nitens hunc cogere, litis.
Francigenæ eſſe caput genti, Regnoque fugaces
[* Carolomanni filios] Ungeret ut pueros *, patruus cum ſceptra teneret
Urbis Patricius, Patriſque & plebis amicus.
Iſte cavens laqueos, nullo ſeducitur aſtu.
Semina ferre odiis, captatoremque capeſſi
Mandat, ne rapiat mites quos voverat agnos.
[* Legatus] Quique * homicida reuſque probatur ſanguinis atque,
Dum ſcelus ulciſci Antiſtes medicamine leni
Attentat, Patribus populoque petente piamen
Papa inhibente perit, pœniſque levare volente
Perpetuis animam, cœloque referre novatam.
Peſtifer interea non parcit, ſanguine, præda,
Ignibus, inſidiis, Petri lacerare clientes.
Sæpe quibus ſuper admonitus hortamine blando,
Legatis etiam ſacris celebrique Senatu,
Nil tacitis dignum precibus tantoque patrono
Reddit : quin vacuos Chriſti depellit alumnos,
[* ad ſuam præſentiam] Præſentemque * ſibi Patrem jubet ire beatum.
Ille profecturum ſe fert, latro rapta rependat.
[* dimiſſa repetat] Qua libitum mandet, remorato miſſa * revellat.
Ni faciat, ſibi Pontificis non ora videnda.
Hæc Regis, hæc ſacricolæ legatio Papæ.
Nec ſemel aut tantum bis ſæpe monere tyrannum:
Quin ſatagit Patribus ſacrato ex ordine miſſis.
Ille minas contra, terrores, bella, rapinas
Fert, Petrique greges furibundo turbine quaſſat.
Inſuper & propriis fugitivo milite turmis
Adjuncto properat Patri vim ferre benigno:
Oppoſitis donec portis ac mœnibus auctis,
Robore directo reverens anathemate pulſus,
Confuſuſque domum verſa improbitate recedit.
Miſerat Antiſtes Regi mandata Sicambro,
Preſſuræ auxilium quærens hunc ferre labori.
Legatis CAROLUS ſtudioſius omnia diſcens,
Pacificis monet infeſtum prece, ſuaſibus hoſtem,
Muneribus quoque diſcuſſa feritate ferendis.
Sed neque ſic mulcere datur cor durius ære.
Unde manum validam cuneorum robore cogens,

Du-

Durus abit cenſor, dum ſpernitur ipſe rogator.
Accedit ſæptis *, iterum quoque munera præfert, * Alpibus
Paſtoreſque petit pacis bellique ſequeſtros.
At nec ſic tumidi ferventia pectora ſedat,
Firmis qui fabricis præcludens limina Regni,
Arcebat Francos aditu: clauſtriſque repulſi
In ſua præcipitem meditantur Regna regreſſum.
Una morem reditus tantum nox forte ferebat;
Cum ſubito terror ſuperi Rectoris adactus,
Judicio crudi percellit corda rebellis,
Tabificans comitum trepidatio pectora vertit.
Mox tacite ſpretis propere ſub nocte tabernis,
Fulcra fugæ rebus contemta in caſtra relictis,
Agmina cuncta ſimul nullo ſectante capeſſunt.
Cernentes Antenoridæ * ſine agone triumphum, * Franci
Quos divina fugat manus, inſectantur iniquos,
Et prædatorum capiunt læto impete prædas.
Clauditur illuſor ſæptis tutacula quærens,
Sparguntur trepidi comites diverſa petentes:
Cordibus ac tacti quidam meliora ſequuntur,
Et ſub apoſtolica poſito ditione capillo *, * depoſita ſuperbia
Dant ſe, ſervitiiſque ejus ſine fine fideles
Seſe manſuros, votis teſtantur anhelis.
At Petro duce Rex victor veſtigia preſſans,
Palantum campis Procerum Regiſque fugacis
Attonitam turmis cingit ferroque Papiam,
Terribiliſque Padum ſubit, & Ducominunam *
Obſidione quatit, plures capit eminus urbes.
Devotos recipit refugas, & limina Cephæ
Viſere maturans, Romam Paſcha expetit eſſe.
Cujus in occurſum populi Pater obvia mittit
Agmina, gratanteſque choros pueroſque canoros
Frondibus ac palmis comtos viridantis olivæ.
Præfert ſigna, cruces: quas ut pius adſpicit alto
Quo vectatur equo, pernix Rex deſilit, atque
Cum Satrapis quæſita pedes ad limina pergit:
Exceptuſque ſacro digne exſpectante Patrono,
Scandendis ſupplex gradibus fert oſcula ſinclis *, * l. ſinglis pro ſingnlis
Amplexuſque Patrem ſanctum, dextraque prehenſa
Almifica, celebrem Petri conſcendit in aulam.
Laudes dant celſas Clerus ſociique Quirites,
Qui venit, edentes, benedictus nomine Chriſti.
Sicque pii Proceres adſtrati ad pignera Petri,
Supremo læti Domino ſua vota profundunt.
Ingrediens urbem Princeps, ſuffragia quærit
Poſcere Sanctorum, venerandaque viſere templa.
Paſchaque conſpicuis magno celebratur honore
Principibus * ritu ſolito ſtationibus aptis. * a Papa & Rege
Pacta Petro Præſul renovari fœdera mandat,
Ceſſaque * jamdudum reparantur culmina juri * conceſſa
Sedis apoſtolicæ, ſcriptiſque manenda feruntur *. * inſeruntur
His fretus Rex obſeſſum vincire latronem
Deproperat, promto quatiens data mœnia bello.
Major at interius ſtrages fervente favore
Fit peſtis, quam bellantis manus inferat hoſtis.
Tandem æquus capit injuſtum, ſubduntur iniqui

Fa-

Digitized by Google

Faſcibus & ſtulti : ſapiens ſceptriſque potitus
Abducit Bardum Francorum in Regna tyrannum.
 Aſt Pater Eccleſiæ, Chriſtique nitoris amator,
Luce fruens pacis, cultu Salomonius heres,
Ornamenta domus Domini procurat honeſto.
Aurea gemmarum varians hic ſtemmate vela,
*exemtum depingit Eximit * angelico vinclis ductamine Petrum,
Terga pavimenti ſternens argentea reddit :
Aulæiſque domum, multo quoque lumine comit.
Porticibus gradibuſque colens & marmore ſecto,
Applicitiſque novans trabibus, clariſque figuris
Templa nutritoris decorans rutiloque metallo
Irrigat ipſe Petri, multo ſudore novatis
Ductibus undarum, repetitis atria lymphis.
Auro interna tegens opulentis vaſibus explet,
* Imagines Ditiaque eximiis ducuntur ſtemmata * ſignis.
* ex ære editas Erigit ære datas * præſtanti culmine portas,
Baſilicamque ſolo proprio cui condit & actu,
Pigneribus multis rutiloque nitore venuſtans,
Splendorem titulis aris adytiſque reformat,
Andreæ reparans argento illuminat aulam.
Urnamque exornat Pauli, numeroſaque pendit
Vela, & marmoreis fulgoribus atria pingit.
Auroque argentoque datis polit intima formis,
Culmina reſtituit, fabriciſque peribola cingit,
Inclytaque altari vaſorum munera cudit.
Reginæ cœli gemmis intexit & auro
* Adſumtionem Egreſſum *, ſuperi petiit quo limina regni.
Multiplicat cultus, ſtrophiorum nectit amictus.
Templa colens purgat, renovat ſpatioſaque format;
Nobilitans luſtrat, donis locupletibus ornat.
Baſilicæ Salvatoris ſegmenta coaptat,
Lapſuram revocat, fontes veſtibulaque auget.
Aurea vaſa parat, ſacræque monilia menſæ.
Tecta novans Stephani, cumulat decoramina velis.
Clementis reparat jam proxima tigna ruinæ.
Culmina cum pallis Laurentius excipit aulis.
Huicque reformantur nova templa piæque catervæ.
Levitæ effigies auro ac ſacra vaſa renident.
 Porticus Eccleſiæ porta fabricatur ab urbis.
Marci tecta pari vernant felicis & actu,
Silveſtrique domum ſimili reſtaurat honore.
Arcus argenti, calices Marco ſtruit auri.
* nomen Sancti Martyris. Amplicat Ædiſti * locupletans dotibus ædem.
Reſtruit Eccleſiam Cyriaci, aulamque Suſannæ.
Veſte Valentinus, Pancratius atque coluntur:
Huicque redintegratur opus venerabile templi.
Victoris domus æquali pietate reſurgit.
Floret apoſtolici templo via lata decoris
Reſtructo : vario ac multo velamine comta,
Reſtaurata Petri Marcellinique ſepulcra.
Argenti radiant Adriani templa nitore.
Quæque novata micant, vaſorum & munere pollent.
Tecta reducuntur Sixti ſublata ruinis.
Agapiti, Euſebii, Rufinæ, unaque Secundæ,
Euplique, & Hieruſalem vatiſque Joannis

Feli-

Feliciſque levata nitent : titulumque Pudentis
Theoderique refert; catacumbas, domata Leuci,
Eugeniæ, Sophiæ, Praxedis, Felicitatis.
Epimachus, Zenon, Abdon, Bonefacius, Hermes,
Marcelluſque, Saturninus, Jordanicaque * oſſa
Hoc rutilant cultu, ſeptemque litaminis Agnæ.
Hocque Secundinus, Pammachius atque refulget,
Cum nutrice Agnes, Nicomedis Hippolytuſque,
Quattuor atque Coronati, templumque Sabinæ,
Sergius ac ſocius revocato culmine gliſcunt.
Ducit Anaſtaſii meliorem ex ignibus aulam.
Vaſa miniſteriis, veſtes cultuſque reformans,
Martinæ argento Serumque * renidet amictu,
Reſtruitur Priſcæ titulus, pallaque refulget.
Cum reliquis Coſmæ & Damiani pluribus aræ
Cultibus ornantur, priſco redduntur honori:
Ditantur ſacris obrizi vaſibus auri.
Inſuper & muris * fert aurea dona levandis,
Mœnia reſtituens impenſis ditibus auri.
Diſponens reparat, ſtatuitque monaſtica jura.
Pauperibus fundos, oleas, vineta, caſaſque
Delegans Chriſti æternum ſervire fovendis.
Excolit iſte domum fabricis Patrumque * ſuamque,
Multiplicat renovans diverſa lavacra labore,
Virgineæque rigat rivis populi agmine formæ.
Atque miniſteriis inopum ſolamine curat,
Diverſis Monachumque choris pſallentia ponens.
Reſtaurat, ditatque greges, ducibuſque decorat.
Virgineis etiam reparat pia caſtra choreis,
Dotibus accumulans, & munia digna rependens.
Sic interna colens, externis addere curam
Ne ceſſet, monitis Auguſta * palatia viſit,
Legatiſque regit, ſacra ſigna * tenenda retexit.
Concilioque loco Patrum coeunte priorum,
Dogma pium centum ter quinquagintaque firmant.
Mœſta madens ſpumis Tiberini Roma furoris
Tutoris petit auxilium, Patriſque juvamen.
Qui precibus pugnans, ubi fervida cœrula ſedat.
Rebus compoſitis, cœlo terreſtria mutat,
Et meritis cultam ſubit excellentibus aulam.

* Jordanorum cœmiterium

* Serum, populi Aſiæ nomen, ſerico opere clari : ſic mſ.

* civitatis

* anteceſſorum ſuorum

* Imperatoris

* Imagines

De tertio LEONE Papa.

TErtius huic faſtu LEO mox ſuccedit & actu.
Scripturis pollens, animi probitate renidens;
Viribus invictis, lepido ſermone diſertus;
Mentis honore catus, pietatis munere largus.
Ægrotos refovens, ſolaminaque apta miniſtrans.
His renitens opibus, carus populoque Deoque,
Erigitur propere ſcandens ad ſumma Cathedræ.
Hic humilis quoque manſuetis, duruſque ſuperbis;
Prodigus abjectis miſerendi, juſtus iniquis.
Ampliat augmentans Cleri Eccleſiæque decorem.
Aurea dona Petro gemmas, pallaſque, coronas
Multiplicans aulæ, pariter tegumenta reformat,
Luminibus luſtrans multis, rutiliſque figuris.

Digitized by Google

Hoc Pauli irradiat, hoc plurima templa nitore,
Ponderibus fabriciſque opus exæquare Patroni *, [* prædeceſſoris]
Vel ſupérare ſtudens, numeroſa dote laborat.
Non fert invidiam rabidus celare chelydrus *. [* dæmon]
Apparat inſidias, laqueos, atque arma miniſtrans,
Inſtruit occultas fugato figmine fraudes,
Applicat obſequiis præſtructos felle draconis.
Officium præſtant, & melle venena colorant.
Inter vota precum laudiſque inſignia, diros
Expromunt gladios, ſæviſque furentibus urſis
In gregis auctorem, plebes ſparguntur ovinæ,
Inſiliuntque feræ doctoris in arietis ora.
Unguibus inſonti pollutis ſanguine fervent
Dilaniare ſacras truculento pollice malas,
Irrupta geminas exſtinguere fronte lucernas,
Faucibus eductum ſacrorum vellere plectrum.
Nec ſatis eſt ori ſemel injeciſſe mucronem.
Cruda manus loca muneribus * vacuata retentat, [* membra officiis linguæ orbata]
Plagiſque affectum variis multoque cruore
Reſperſum rapiunt, tractumque ſub antra retrudunt:
Cuſtodes adhibent laceram defendere prædam.
Verbere tentatum ſed non miſeratio ſumma
Deſeruit famulum, Petrus nec ſprevit alumnum.
Redditur huic cœlo lumenque refunditur actum,
Reflagranſque pares lux intrat mira feneſtras,
Elinguis loquitur, redeunt linguæ organa ſecto.
Inſuper accumulat Rector ſuffragia paſſo,
Admittitque viros Patrem revocare fideles.
Arcibus atque Petri cernente, loquente relato,
Excelſus benedictus agens miracula ſolus.
Acclamat populus, laudans promiſſa ferentem,
In ſe fidenti cui fit lumenque, ſaluſque,
Os & lingua Deus, tutans & numine firmans,
Confortanſque virum felicia gaudia dando
Devotis, tremebunda feris diſcrimina belvis.
Nec ſævire tamen ſcelus aut ſupplere quieſcunt:
Irrepunt domibus, prædis bacchantur & armis.
Providet at Dominus rapto ſolamina ſervo:
Spoletique Ducem cuneorum robore ſæptum
Dirigit obſequiis, mirantem munera cœli.
Quæ paſſum reſperſa ruunt inviſere cives,
Diverſique gradus, ætates, vulgus, honores
Urbibus Heſperiæ pro mira tropæa ferentes.
Hæc quoque trans Alpes in Gallica rura reſignant,
Stipantes Patrem ſupero ſplendore micantem.
Clarificant divina pio magnalia Regi *. [* Carolo]
Qui Proceres genitumque ſuos præcedere greſſus
Legans, ipſe celer ſequitur fieri obvius altæ
Virtutis ſacro clariſſima dona ferenti.
Undique laus roboat, tonat undique gloria Chriſto,
Hymniſonis mixtus grates laudeſque frequentat
Rex turmis: refluunt lacrymæ per gaudia fuſæ.
Magnificatur opus populis mirabile Chriſti,
Fertur apoſtolicum palmæ ſuper æthera culmen,
Et Petri famulus digno celebratur honore.
At furor immitis vacuos tutore per agros

Sacri-

Sacrilego luxu graſſatur, & ignibus atris:
Augmentanſque malum furtis furit inſidiarum,
Fraudibus inſequitur pulſum lacerantibus * hoſtem. * infamantibus Papam
Nec longum ſedet almus apex abſente * duello. * abſque bello
Hoſte quati cœco maculari crimine furvo
Haud patitur : bellum repetit, campumque repoſcit,
Exſertuſque urbem poſitumque retentat agonem.
Comperto Ducis adventu; grex obvius ire
Paſtori fervens properat; ſimul agmine facto
Egregii Patres, Clerus, claræque catervæ
Dividui ſexus, variæ regionis & oris,
Laudibus attollunt celebrantque acromate * Patrem, * cantu
Culmineque exceptum ſuprema ſede reponunt.
Faſcibus ille licet pollens, objecta piare
Haud renuit, dat ſe inquiri, dat & hoſtibus auſum
Dicendi. Nihil adverſus dum tramite veri
Ferre * queunt, Francis tandem cenſoribus acti * proferre
Mittuntur Regi : KAROLUS quoque cognitor urbem
Aggreditur, primoſque vocat ſacri ordinis, atque
Stemmatis Æneadum Teucrorum & lumina Regni.
Nec tamen ulla Petri cenſent * faſtigia ſedem. * judicant
Immunis hæc cunctorum ſe crimine cunctis
Expiat applicitis. Proceres præconia Chriſto
Læta ferunt, Regique poli Natale frequentant.
Laudibus eximiis ſummique decoris honore
Sumit apoſtolica auguſtam Rex Sede coronam.
Conclamatur honos Romanis Patribus auctus,
Imperiique nitent Francorum ſceptra decore,
Regis & ad regnum genitus ſacro unguine ſurgit.
Rex menſas argento offert rutilante coruſcas,
Aurea vaſa ſuper gemmis ſtellantibus addens,
Altar cum baſibus radians, & tegmine culto,
Crux claris Evangeliumque micant hyacinthis.
His Chriſtus donis, Genitrix, Procereſque coluntur.
Sacrilegi dantur lanii, cenſente Senatu
Exſortes agris, alterna piacula faſſi.
Pace fruens Præſul, fabricis ac cultibus inſtat,
Impenſiſque piis non ceſſat comere templa,
Muneribus, velis, aris, vaſiſque, lavacris.
Pauli tecta ſoli ſubito collapſa tremore
In melius revocat, cultuque reformat honeſto.
Hæc & multa ſubhinc numeroſis dotibus augens,
Jura precum cumulat, ſervandaque Gallica * tradit * Rogationes a Gallis ante Adſcenſionem celebrari ſolitas
Adſcendens iter Domini præeuntia vota.
Sic decus Eccleſiæ poſtquam fervente propagat
Aſſiduus niſu, pietatis munere; comta
Emeritus ſuperi ſplendoris ſumitur aula.

De STEPHANO quarto.

EXtulerat gradibus, cernens conſcendere celſa,
Moribus ac probitate virum *, cui cura tenere * Stephanum
Actibus & vita, verbi quæ luce ferebat:
Utilis unde ſacris aptuſque Petrique probatus,
Ferre vicem dignus divæ præponitur arci.
Servandæque ſtudens paci, firmandaque jura

Eccleſiæ curans, Francorum illuſtria promtus
Regna petit: cui celſa piis mox regia ſervit
Obſequiis culto, doniſque potentibus uſo.
Effert hinc noſtram cœli, qua Francica lumen
Vide Frodoardum lib. 2. cap. 20.
Gens ſubiit Fidei Eccleſiam, Remenſe venuſtans
Officiis templum: LODOWICO ſtemmata Regni
Cæſareoſque addens auguſtæ lucis honores,
Remigiique apicis faſtu ſublimat alumnos.
* pro meritis
Cæſare quæ poſcit meritis * gaudente capeſſit:
* Papæ
Inſuper accedunt donorum inſignia macto *.
Quin etiam ſedes & jura domeſtica confert
Imperii conſors Romani & culminis heres,
Heredem faciens in Francica prædia Petrum.
Papa Redemtoris ſectans veſtigia ſervis
* Regi Langobardorum
Crimina laxantis, ſublataque Regna * rependens,
Extorres patria revehit pietate paterna.
Et quantum datur, Eccleſiam ſplendoribus ornat,
* vela
Vaſa cruceſque colens, ſacra peripetaſmata * condens.
Nec longum terris exſul cœleſtia flagrans
Linquitur: at raptus tenebris, adjungitur aſtris.

De PASCHALI Papa.

SUſceptum propero PASCHALIS honore ſecutus
Reſplendet, ſtudiis caſtus, pius, inclytus, inſons;
Magnanimis, largus, hilaris, devotus, honeſtus,
Manſuetuſque; preces vigil ac jejunia tractans;
Suſceptor peregrinorum, ſolator egentum.
Unde datus meritis Monachorum effulſerat Abbas,
Excreſcenſque operum fulgore, ſuprema vocatur
In jura Eccleſiæ centeſimus auſpice ſummo:
Romanoque ſimul votis coeunte Senatu.
Hic poſitus præcepta Patrum vel legis habenas
Robuſtus ſollerſque tenet, celebriſque promulgat
Scita gubernator, blandus probitatis amicus,
Sacrarum reſtaurator cultorque domorum,
Conditor almorum paſſi quæ pignera nactus.
Ampliat iſte ſtipem Clero, fert munera cœlo,
Nexibus educit per Regna remota ſubactos,
Ponderibuſque auri vinclorum pondera ſolvit.
Affrica tranſvectos, redditque Hiſpania captos:
Gaudet quæque ſuos reſpectans patria natos.
Martyris hic Papæ Sixti ſollemniter ornans,
Membra Petri meritis florente recondit in aula.
Is quoque ſanctorum Proceſſi & Martiniani
* transferens Reliquias
Deponens * cineres; digno pertractat honore,
Muneribuſque colens Patroni inluminat ædem,
* Imaginibus
Argentique libras auri dat pondera ſignis *.
Vaſcula, vela parans, claves quoque fabricat auro.
Contigit ignivomi furibunda fraude draconis
Flammarum peregrina globos per culmina ferri.
His ſimul abſumtis Romana in mœnia ſpirans,
Porticibus Petri fervens irrepſerat æſtus.
* ſomnum
Preſſa obliviferum proflabant pectora proclum *,
Nuntia dum Papæ hæc ſecreta ſilentia rumpunt.
Ille fide fidens, rapido petit atra volatu,

Digitized by Google

Bella triumphantis perſtringens arma furoris.
Stat magnus velut oppoſitus mons, igne reliſo
Obſiſtens flammis, precibuſque incendia ſternit,
Exſtinguitque feros Cepha tutore vapores.
Orando pugnans, campum neque linquit agonis,
Noctis dum tenebras votis evincit & ignes.
Detrimenta dolens inopum, vaſtata reponit,
Reſtituens paſſis culpæ quæ flamma vorarat:
Aurea dona ferens, veſtes victuſque reformans.
Silvarum ſuperadjicitur data copia tectis
Ut prius edendis. Et ne de fraude patrata
Vel damno Eccleſiæ truculentus gaudeat hoſtis;
Rapta focis Petri reparatur porticus aucta,
In melius ſurgens, potiore educta nitore.
Præſul apoſtolicos aulæis inſerit actus,
Et mirabilium templi colit ora decore.
Culmina Praxedis renovans, variaque venuſtans
Luce, triumphalem fulgoribus erigit arcum.
Plurimaque excipiens carioſis pignera buſtis,
Eruta Juſtorum revocatæ * deſtinat aulæ, * renovatæ
Servorumque Dei cœtum ſimul aggregat almum,
Inſtituens Grajo pangi modulamine laudes:
Ruraque dat ſacris ſervitorum uſibus apta.
Zenonis iſte locans cineres, oracula * condit, * templa
Accumulans decus argento auroque refulgens,
Hiſtoriiſque colens gemmarum & lumine palmas *. * victorias
Luciferæ Dominatricis reſtaurat, & addit
Mœnia, muneribus veliſque & cultibus ornat.
Cæciliæ cernens incumbere caſibus ædem,
In meliora levat reſtructis culmina ſæptis.
Defeſſum precibus quem cœlica viſere virgo,
Affarique probat dignum; tamen increpat, ut quid
Liquerit incœptum quærendi membra laborem,
Quæ ſublata putat popularis credulus auræ.
Ut ſe res habeat referens, nomenque roganti
Adnotat, hortaturque piis perſiſtere cœptis,
Gaudeat invento dum munere. Nam placet, inquit,
Æterno Domino, cujus ſplendoris amore
Me paſſam conſtat, noviter quo me ipſe repertam
A te conſtructi templi munimine condas.
His dictis, celeri repetit cœleſtia ſaltu.
Papa revelato lætus tam lucis aperte
Indicio, indagans theſauri ceſſa * talenta; * conceſſa ſibi
Repperit eximiis pretioſa monilia gemmis.
Hic Nordmannorum noſtrum delegat EBONEM Frod. lib. 2. cap. 19.
Barbaricæ genti, lucis vitæque miniſtrum.
Aurea virgineum celabant tegmina pignus:
Carbaſa martyrii rutilabant ſanguine clari.
Quæ Pater almificis manibus pia munera tractans,
Colligit inducens urbi inſtrumenta ſalutis:
Atque locans thalamo * candentia membra decoro. * mauſoleo
Infertur ſimul inventus virtutis amator
Sponſus *, lucrato pacti cum fratre pudicis *. * f. pudici * Valerianus
Maximus, Urbanus, conſors quoque Lucius aræ
Depoſiti. Turmæ * capiunt pietate nitentes, * congregationes
Hymnidicoſque choros digno ſolamine fultos,

Vinetis, agris, domibus, famuliſque levatos
Cultibus argentum invehit plus mille librarum.
ornamentorum Aucta paludamentorum * dos multa decentum.
Virgineaſque novans Præſul ſplendore catervas
Reſtituit priſco, res addens uſibus aptas;
Diverſiſque aulis diverſos auget honores.
Aurea dona ferens vaſis, iconibus, aris,
Argentoque colens artus, altaria, conchas;
Marmoreum cumulat decus, ornamentaque Serum.
Hæc polo terris ſata centuplicata receptat.

De S. EUGENIO ſecundo, VALENTINO, GREGORIO IV. & SERGIO Papa.

SOrte miniſterii EUGENIUS perfungitur alter,
Corde pius, ſenſu doctus, ſermone difertus;
* almitatis Jocundus, largus, meditator ſedulus almi *,
Æquus, avaritiæ contemtor, litis & oſor.
Sub quo pace nitens atque ubertate redundans
Tripudiat mundus, regimen quantum datur ornans.
Hic Pater Eccleſiam tituli ſplendore Sabinæ
* conceſſi ſibi prius quam Papa fieret. Ceſſi * olim decorat, donis locupletibus auget.
Expulſos dudum cives pietate paterna
Excipiens reduces, cumulato munere ditat.
* Eboni Pontifici noſtro * pridem data juſſa relegat,
Barbara corda colat monitis, corroboret actis.
Hæcque inter celeri ſuper aſtra vocamine rapto,
Valentinus. Huncque VALENTINO curſu breviore ſecuto,
Gregorius IV. GREGORII quarto luſtratur nomine Roma.
Qui licet obſiſtens, cunctis tamen ordine viſus
Abripitur dignus, ſummaque in ſede locatur.
Sparſerat ille quidem paſſim virtutis odorem
Jampridem, celebris, ſollers, probitate refertus,
Senſibus ornatus, ſalſoque lepore modeſtus,
Dogmate catholicus, moderato regmine juſtus;
Ætheriæ cultor legis, ſpeculator ovilis;
Pauperibus viduiſque pater, miſerator & altor.
Terrea deſpiciens, meritis cœleſtia quærens;
Sanguine præclarus, ſancto præclarior actu.
Sollicitus, ſacra jura, preces, jejunia tractans.
Hunc quæ virtutum rapiunt ad culmina pennæ.
Has quoque ſublimi non ceſſat comere faſtu,
Dum decus amplificans templis, cultumque, nitores,
Reſtaurans decorat ſacras ornatibus ædes.
* in decentiora loca Transferr GREGORIUM claroſque in lumina * teſtes
Profert, muneribuſque aris verniſque venuſtat.
Marci baſilicam renovans multo auget honore,
Quam prius excoluit votis, nunc dotibus ornans.
Hanc pluresque alias opulento fenore ditans,
Ductibus undarum reparat fomenta parari,
Atque domum Petri priſco de more rigari.
Eccleſiam divæ virtutum luce Parentis
Effulgere videns, devoto attollit honore.
Laudibus inſtructas adhibet ſtatuitque catervas,
Præmunitque domum, donis locupletibus explens:
Diſpenenſque altar, Sanctorum buſta coartat.

Diverſas revocat fabricas, cellaſque, graduſque,
Atria, picturas, exedras, clauſtra, lavacra.
Præterea curas arcendis corde volutans
Hoſtibus, inſtaurare novis ſtat * mœnibus urbem. * inſtat
Fundatamque locans firmis educere * muris * erigere
Perſiſtit, proprioque vocat de nomine *, quondam * Gregoriana urbs
Hoſtia quæ priſcis gliſcens ſit dicta colonis.
Inſtruit inde ſibi Romæ ſociiſque futuris
Ædes hoſpitii, ditanſque ornanſque dicatas
Cœlicolis aulas, cœli ſuſtollitur aula.
Sergius hinc vacua diſcuſſa nube tumultus
Sortitur cathedram, celebri conſente Senatu,
Culminis hunc faſtu præcelſo & regmine dignum:
Ut pius a puero caſtis qui fotibus * altus, * fomentis
Artibus inſtructus, claris Patribuſque nitebat.
Præmiſſis aptus, pollens & carus alumnus,
Germine præfulgens, purus probitate fidei,
A Chriſto miſſus, populis virtute ſupremus:
Ore cor expromens alacri mentemque benignam,
Strenuus Eccleſiæ rector, defenſor, & altor
Indigni cœtus; commiſſi tutor ovilis.
Diſperſos pietate gregans, ſervanſque gregatos;
Labilium * temtor, Sophiæ robuſtus amator. * rerum labentium
Tranquillus, patiens, culpas ignoſcere largus,
Culminis infenſum vindictæ ſurripit hoſtem.
Sicque ſimul cunctis gaudentibus ardua ſcandit.
Francicus Induperator ubi faſtigia nactum
Hunc audit, genitum Romana ad mœnia mittit,
Heſperiæ quaſdam ſociis populantibus urbes.
Nimboſis ſubito vernans obducitur æther
Nubibus, ignea tela micant, juvenumque ferorum
Corda metu ſternunt, nonnullos funere preſſant.
Auguſti ſobolem præſtanti Præſul honore
Suſcipit. Interea ſtipantum dæmone quemdam
Proſpiciens raptum, tactus ſpiramine ſummo
Valvas Papa jubet templique repagula claudi,
Verſus & ad Procerem, monitis ita fertur adortus:
Sincera ſi mente venis, ſi corde benigno,
Eccleſiæ ſi pro Regnique urbiſque ſalute;
Hæc noſtro tandem penetra ſacra limina juſſu.
Sin ſecus, haud noſtra has pandet tibi ceſſio portas.
Teſtato ſe nulla dolis molimina Princeps
Volvere, mandatis reſerantur peſſula Patris:
Ingreſſique aulam laudes ac vota Tonanti
Dant Antenoridæ * Æneadæque, ſuperna canentes. * Franci & Romani
Papa tuens urbem immunem, Regemque coronans,
Diſponit ſceptra, Auguſti dat regmina proli.
Pontifices Comiteſque repugnantes ſibi, celſo
Præterit eloquio, rutili ferit impete veri,
Mitificans tumidas pietatis robore mentes.
Nec Petri proprios puero ſervire clientes * * Romanos
Cæſarei patitur juris: quin culmina ſervans,
Damnatis veniam, cenſoribus edit honorem:
Oraturque * alta Procerum cervice ſubacta, * adoratur
Pacis & inſtructor populo veneratur ab omni.
Ille Deo hæc reputans, aras & templa venuſtis

Exornat fabricis, cultis dat tegmina veris,
Muneribus ditat, Sanctorum pignera condit,
Dedicat erectam locupletans dotibus aulam.
* Adſciſcit ſtabilitque greges æterna petentes,
Reſtituitque ſcholam divina laude canoram:
Et bene diſpoſitis cathedræ ſubit æthera rebus.
Hoſtis at antiquus tabens livore quietis,
* honoris Lucis * & Eccleſiæ, crudelia convibrat arma,
Inſtimulatque Agarenorum de gente latrones,
Qui mare tranſgreſſi Auſoniæ penetralia luſtrant,
Ac Romam uſque pererrantes (dirum ſcelus!) audent
Templa patronorum Petri Paulique ſacrorum
Sacrilego niſu cœco temerare furore,
Et manibus ſpoliare feris, vacuare nitore
Donorum, exituſque ſui gaudere vigore.
Dumque improviſo properant ſua gaudia fato,
Æquora trans exſultantes in Punica ferre
Regna; triumphandi verſo ordine gurgite merſi,
Abſorptique undis, ultrice vorantur abyſſo:
Atque maris rubri priſco præcelſa triumpho,
Sedis Apoſtolicæ pollentia culmina florent.

De quarto LEONE Papa & actibus ejus; ſanctoque BENEDICTO Papa.

MUltiplicat Dominus mœſtæ ſolamina plebi,
Adſpirans animis venerandi jura LEONIS
Poſcere præponi, quarto hoc ſe nomine comi.
Qui vir apoſtolicis clarus fulgebat in actis:
Manſuetus, patiens, largus, pius, atque benignus,
Inſons, juſtitiæ cultor, plebis moderator,
Scrutator legis, vigil, oratuque ſuetus,
Serpentis ſervans oculum, mentemque columbæ;
Relligione nitens & amans, pietate renitens;
Indiguos refovens, ſeſe & lucra terrea temnens.
Sponte datus ſtudiis puerilibus ibat ab annis
Perfectum uſque virum; Monachos interque probatos
Integer elucens Monachus, probitate ſupremus,
Degit ut extremus: quibus ad ſublimia vectus
Virtutum gradibus, rutilo ſplendebat honore.
Hiſque micans meritis, Patribus raptatur ad alta.
* ante & ſororibus Præmiſſis * claraque manet virtute cohærens,
Dum ſubit eximium Eccleſia cogente tribunal.
Hinc quoque præ ſignis radians, velut alta lucerna
Enitet, illuſtrans animas ſedemque nitela.
Aulas muneribus, culmen virtutibus ornans;
Pendula reſtaurans, & conſiſtentia tutans:
Uſibus inſtituens, fabricis & honore venuſtans:
Veſpertina jubet Petro præconia pangi;
Laude palam decorans abeuntis feſta diei.
Terret humus vibrata hominum trepidantia corda.
At Pater almificis inſiſtens pectore votis,
Si qua videt removenda, movet; diſponit honores,
Sacratoſque gradus mixti abgregat agmine vulgi.
Frod. lib. 3. cap. 10. Pontifici noſtro HINCMARO bis pallia legans,
Dat primum feſtis, ad ſedula vota ſecundum:

Ulli

Digitized by Google

Ulli quod numquam teſtatur cedere Patrum:
Quæ rabidis auſus manibus divellere prædo
Barbarus, is digno ſatagit reparare nitore,
In fabricis, vaſis, velis, crucibuſque, coronis.
Interea retro cœcis horrore cavernis
Lœtifer exoritur ſerpens, gelidique veneni
Rex baſiliſcus atrox læti perniciſ inuſtor
Graſſatur latebris, mortem propiantibus afflans,
Sternere funeſto validus quoque lumine viſos.
Territus immani populus lue, nuntiat hoſtem
Haud acceſſibilem Patri. Suffragia nota
Ille petens, jugibus votis jejunia nectit.
Tandem clara dies Reginæ Adſumtio cœlis
Regiparentis adeſt: via dira per antra ferebat
Virginis ad templum: comitatus Papa canoro
Agmine procedens, horrendi obſcura cubilis
Aggreditur, cunctis paventibus, unus adortus
Accedit, ſævæque ſpecus fera limina calcat.
Inque polos mentem, palmas & lumina ducens,
Effuſis Chriſtum lacrymis precibuſque vocavit:
Et plebem prece contutans, ad ſacra profectus
Debita perſolvit; mortemque piamine * vincens,
Oratu peſtem penitus vaneſcere cogit:
Perniciem perdeus, ubi ſancta precamina fundit.
His exturbatus foveis, ferus ignea volvit
Corde venena draco, flammiſque retentat * abactis
Ereptum ſibi jamdudum Petro auſpice vicum,
Paſchaliſque reformatum quod dote cluebat,
Gregorii meritis habitatum gente * lucrata.
Vires ingeminans in mœnia pervolat ignis,
Proxima quæque vorans. Populorum examina contra
Frangere bacchantes conantur niſibus æſtus.
Flatibus at ſævis incendia celſius acta
Ædibus abſumtis audent petere atria Cephæ.
Auditu Præſul perculſus corda ſiniſtro,
Concitus occurrens, flammarum in prœlia fertur,
Obvius atque glebis certamina dividit obſtans:
Et crucis invictæ digitis ſignacula prodens,
Altius efflantis ſpiramina proterit ignis,
Cum prece, tum cruce ferales ſuperante vapores.
Signiferi nec ferre valens inſignia fervor,
In ſe colliſus, cineres conſidit in imos.
Reſtituens everſa Pater, vacua atque refercit
Culmina, muneribus cœtus reſtaurat, honores
Amplificat donis, ſancit rata, roborat acta.
Octavam ſtabilit feſti celebrarier almæ
Reginæ ſuperi Regis ſine more Parentis.
Devotum larga populum datione decorat,
Templaque proviſis pietate nitoribus ornat.
Exſuperant numerum ſacras oblata per ædes.
Antiquo muros reparans munimine firmos
Reſtruit & portis, regit, obicibuſque ſeriſque:
Turreſque educens, fabricis ſublimibus aptat.
Inſuper & portum miro munire paratu
Aggreditur, peragitque opus eximiumque decenſque,
Utile ſubjectis præſentibus atque futuris.

* oblato ſacrificio

* repetit

* Anglorum

Præſtruit hic callem, ne invadere fervidus urbem
Hinc queat hoſtis, agitque procul navalia furta.
Pignera multorum paſſim neglecta piorum
Repperiens, levat, affectu conditque benigno.
Horum plura locans templo quod rexerat olim,
Baſilicæque Coronatis priſcum addit honorem
Quattuor, amplificatque decus, cumulatque Patronos:
Multiplicat cultus aris, & ditia dona.
Huic aliiſque ferens complurima pluribus aulis,
Gens inimica fretum, prædaſque retentat * iniquas: (* repetit)
Qua tulerat lœtum, cupiens Petri arce tropæum.
Solamen rebus diræque cupidinis hauſtus
Ferre calens, Italos pervadere nititur agros.
Inſperata ſuis Deus at ſuffragia ſervis
Providet, ac gentes pelagi ſecreta colentes
Advehit, hoſtiles contra pugnare phalanges.
Quos Pater auxilii adniſu veniſſe probatos
Excipit, & ſacris refovet, benedicit, & armat:
Proſequitur lacrymis, precibus tutatur & auget.
Qui ſtrati ut decorant humili ſuplicamine Papam,
Hoſtibus intrepidi occurrunt. Potiora triumphi
Ætherei monſtrare ſtudens æterna poteſtas,
Evocat adverſis contraria flabra carinis.
Applicitas quæ litoribus propellere cumbas
Inſurgunt, tolluntque polo fureſque rateſque.
Fluctibus hinc raptæ, merſis verguntur arenis:
Abſorbtique vadis, cœlo pugnante marique,
Divinam ſenſere manum prohibere petitis
Seſe oris: lapſi gladioque fameque necantur.
Servitiis quidam Æneadum pietate jubente
Servantur, gaudentque piis ſervire ferini.
Præveniens cœcos inimici militis actus
Papa ſagax, inter decorandum cultibus aulas
Mœnibus aggreditur Petri munire ſepulcrum,
Æquivoci deceſſoris conamina Patris.
Quod nutu Domini Francique juvamine Regis
Niſu perficiens agili, ſancta agmina cogit.
Et cinere adſperſos, pedibus per mœnia nudis
Circumducit ovans cœtus plebiſque magiſtros:
Expletumque precum munit munimine caſtrum,
Illæſum perſtare petens & ab hoſte quietum,
Sive triumphorum benedici munere poſcens.
Sicque Deo grates referens, Petrique cathedram
Laudibus almiſonis ornans, doniſque venuſtans
Magnificis Patres, cunctæ dat gaudia plebi.
Præſidium ipſe novans aliud, peregrina receptat
Corſica, quos mittit populorum examina Cephæ.
Hinc rebus bene diſpoſitis, portu, urbe, ſoloque
Auſoniæ tuto, digna mercede potitur.
Orphana plebs Patris abſceſſu ſolamine captam,
Se deflens, Patribus claris cum milite junctis,
JESUM corde petit prono, ſe Præſule digno
Solari: nec abeſt Dominus haurire moratus
Servorum gemitus, dum ſpirat mentibus uno
Ore ſimul cunctos BENEDICTUM poſcere Patrem,
Ætherio qui rore ferax, puerili viſus ab ævo

Gli-

Digitized by Google

Gliſcere fecundi ſtudiorum munere fructus.
Lucis aquas portare * capax, retinere fidelis, * f. potare
Promulgare ſagax: pacis ſectator honeſtus,
Compatiens juſſis, humilis parere benignis,
Carnea proculcans, tenebrarum vicerat aſtus.
His radians meritis in ſancto clara Senatu
Jura capit, Patribus veneranda luce ſophiæ
Conjunctus, blandi refugit captacula mundi.
Indiguis dare opes doctus, jejunia, laudes,
Votaque ferventi Chriſti meditatur amore.
Ardua quis nactus ſumma ad faſtigia lectus
Poſcitur. Ille preces contra lacrymaſque ferebat,
Pondere ne tanti ſupplicans premeretur honoris.
At pia plebs accenſa Deo, perſiſtere cœpto,
Vimque inferre viro, ſumtiſque educere raptum
Certatim properans, hymnos & cantica diva
Voce ferens, hilari celſa in ſacraria tollit:
Omnis & exſultans urbs gaudia clara frequentat.
Sicque ſimul cunctis vernantibus apta feruntur
Scita libris, celebrique Patrum ſignata notatu
Legantur, Procerum * rite inſinuanda favori. * Auguſtorum
Callidus inſurgit coluber, laqueatque ferentes,
Damnatoque ligat legatos culmina * ferro. * Pontificatus
Atque dolis nexos ad regmina Francica mittens,
Faſcibus a ſummis Romanas ſuadet ad arces
Primates properare viros, ac fraude calentes.
His etiam quoſdam nectens adſciſcit ab urbe.
Jus Legatorum diris quoque gentibus almum
Electi violant, miſſis cuſtode retentis.
Inſuper & plebem vafra caligine juſſa
Mœnibus eliciunt, Petrique micantibus urbem
Introeunt telis, ſubeunt pravo agmine templum.
Cœlica ſigna * terunt, ſævis hæc ignibus urunt, * Imagines
Vaſtant ætherias populo plangente figuras.
Haud ea ſufficiunt invaſori: urbe ſubacta
Conſcendit Lateranenſem torvo impete ſedem.
Depoſitus propriis, aliena cacumina captat,
Dejicit allectum ſolito, reſidetque repulſus.
Nec contrectanda tam cruda ſorte cathedra,
Tegmine nudatus mentis, tetro angue ligatus,
Cultibus exſpoliat virtutum luce cluentem,
Plagiſque afficiens, ſubigit cuſtodibus atris,
Damnatis damnatus agens damnata miniſtris.
Urbs gemitu fletuque fremens, ululatibus omnis
Inſonat, ordo pius planctu ſacraria replet,
Alta Sacerdotes ſuſpiria corde trahentes
Infundunt lacrymis pullas ſqualoribus aras,
Adſtrati tanta redimi improbitate rogantes.
Venerat alma dies ſacrando culmine digna.
At decus indignis indigno quæritur actis.
Legati ſiquidem Procerum turgore frementes,
Concilio inſiliunt Patrum, punire minantes
Enſibus obſtantes, baculiſque elidere rectos.
Sed mens Pontificum, ceu mons, immota reſiſtit
Flamine fixa Dei, non conſentire profano,
Cedere nec pœnis, terrorem temnere mortis.

Cer-

Digitized by Google

Cernentes animos divino robore nixos,
Conſiliis hoſtes variis incœpta volutant.
Nunc blandis laqueare viros, nunc frangere duris
Enſi, nunc morte pios ſuperare minati.
Illi tradere ſe potius per ſingula quæque
Membra trucidandos, quam diro anathemate ſterni
* ſ. Fantes Dantes * : increpitant rabidos, oracula pandunt
Diva ſuper rebus, quis non obſiſtere fas ſit.
Interea reſidere tumor, minui furor actus
Cordibus inſpicitur, furioſa ſuperbia frangi:
Solvitur improbitas, ſolvuntur limine cœtus.
Tertia lux rediens templis Romana reducit
Agmina, cuncta petunt BENEDICTUM accedere Patrem:
Hunc ſolum aptari reboanti voce reſultant.
Mirantur magis infenſæ concordia partes
Pectora, clamque ſibi populi capita alma cientes
Conflictus agitant, certamina cœca retractant,
* an iſtos Invictoſque probant hiſtos * : tum lumine veri
Luſtrati cedunt, animo conamina tetra
Linquere, depoſitumque reum capta arce repelli.
Rejicitur raptor turpi per probra repulſa,
Gratificiſque choris modulans plebs læta triumphat,
* decenter Electumque decuſatim * ſplendore venuſto
Affectum repetunt, & equo ſeſſore dicato
Attollunt priſco, divum ad præſepe vehentes
Luce coronatum populi candore nitentis
Lætitiæ, precibuſque inſtant, jejunia clara
Concelebrant, manant lacrymæ per gaudia ductæ.
His hoſtes ſuperi radiati lumine ſolis
Accedunt, tremulo compuncti corda pavore,
Ore Ducis lecti veſtigia digna petentes:
Faſſi erraſſe, capique Patris bonitate rogantes.
Matris at ille ſinu recipit, puraque benignus
Oſcula mente ferens, blandis amplectitur ulnis,
Solaturque metum : gaudere coiſſe refectum
Chriſti præcipiens unitum numine templum.
Cæſarei properant Legati, Præſulibuſque
Conjuncti, Cleroque ſimul populoque gregato
Vocibus hymniſonis ſæptum gaudentis ovilis
Reſtituunt Sedi virtutis honore petitæ.
Sic redeunte die divo fulgore decora,
Oblatus Petri ſolio ſacriſque dicatus,
Juris apoſtolici ſummoque cacumine mactus,
Ætheria ut radiat lux tempeſtate ſubacta,
Dat dignis Chriſti rutilare nitoribus aulam.
Luce micans ſupera, doctrina præditus alta:
Interiora colens, at non externa refutans.
Templorum facies pretioſis munere ſignis
Illuſtrat, variis ditans fulgoribus ornat,
Veſtibus, hiſtoriis, vaſis, libriſque, coronis
Replet, lapſa novat, dudumque amiſſa reformat.
Tamque ſuis aras quam Regum dotibus auctas
Dimittens, renitere poli feſtinat honore.

Digitized by Google

De S. NICOLAO Papa, BENEDICTO Papa, & JOANNE Ravennate.

SUblato Paſtore Patres Romanaque pubes
Mœſtis incumbunt lacrymis, gemituſque reſumunt,
Atque precum fervore vacant, jejunia tractant.
Excubiis inſtant, qui ſit ſuccedere dignus,
Virtutum pietate rogant, oſtendier almum
Præponique Patrem : ſuperoque nitore vibrati *,
Unanimes cenſent NICOLAUM jure petendum,
Ut qui primæva radiaverat indole Sanctus:
Ludicra deſpiciens, animis inhoneſta repellens,
Sobria ſuſpirans, patienter ſeria volvens.
Sincerus, humilis, ſtudiorum caſtus alumnus,
Moribus effulgens, animi dulcedine pollens.
Qui rutilans ſtudiis præſagia clara ferebat,
Se gradibus quondam ſubiturum culmina celſis.
Hortatuque Patrum Cleri conſortia nactus,
Profecit cultu virtutum & honore ſophiæ.
Hinc Patribus ſuppar, prædeceſſoribus aptus
Emicat, annexuſque pio famulatur honore.
Carior atque magis renitet, quo clarior exſtat,
Conſiliiſque datus BENEDICTI præminet unus:
Aſſeclis de mille jugem quem Præſul habere
Legerat, hoc ſanctis ſocio perfunctus in actis,
Optati extremum calicis * dum percipit hauſtum.
Hujus & evectus humeris tumuloque locatus,
Dimiſſa comitem gaudet florere cathedra.
Ædibus abſtractus Cephæ pavidiſque latebris
Qui ſolio erigitur renuens, humilique reclamans
Se voce immeritum tanto vernare decore.
Impote ſed niſu. Nam mox grege, plebe, Senatu
Cinctus & abductus, ſacratur Cæſare coram,
Auguſtoque adſtante ſacros ſortitur honores.
Et ſacer alma gerens urbem candore coronat,
Lætificat Ragem, conveſcitur, abdita cordis
Lumina declarat, Regis ſibi nectit amorem.
Proſequitur dulci mentis bonitate modeſtæ
Alterutrum, Proceres ſeſe amplis cultibus ornant.
Donis afficitur Præſul, famulatibus uti
Cogitur Auguſti, Regem divalibus orſis
Imbuit, & proprias repetentes mutua ſedes
Oſcula dant pacis : diſcedunt corde jugati.
Moribus almificis degens & dogmate clarus
Papa lepore catus, votis atque actibus altus;
Indiguis largus, viduis miſeriſque benignus;
Tutator populi, cunctæ fit amabilis urbi.
Eccleſias varia ſatagit ditare nitela,
Vaſa ferens claris auri argentique talentis.
Hiſtoriis comit veſtes, gemmiſque venuſtat.
Secretoque novat formam urbem fonte rigantem,
Pontificum fundans ædes reparanſque decorat.
Grajugenum Regis legata ac dona receptat.
Scitatus veneranda urbi reſponſa ferentes
Dirigit, Æolidum corruptos munere cœco

* illuſtrati

* mortis

Di-

Digitized by Google

Diſcutit, indagat : verum rea crimina caſſat,
Judicii prave dejectum ſede reformat,
Deponitque auſos leges temerare ſacratas,
Et pia directo diſponit jura vigore.
Mitificaque Ravennatem ratione JOANNEM,
Civibus exhortans poſita manſueſcere lite,
Cedere turbidulis, ſudis inſiſtere curis.
Dum nequit oratu crudam deflectere mentem,
Concilio quoque temnentem ſe ferre * vocanti; (* offerre)
Dat ſacris ſacro exſortem cenſente Senatu.
Ille proterva ſequens, mundi faſtigia contra
Sollicitat, Legatorumque inflatus honore
Sceptrigeri Romam comitatus milite tendit.
Mitibus admiſſis, vacua ſed ſorte recedit.
Hinc Pater expetitur plebem recreare Ravennæ,
Divulſam vice chirurgi ratione medentis.
Paſtorem metuens aulam lacerator ovilis
Cæſaream repetit, ſed abhorretur grege cauto,
Cæſare devoto : faſtumque remittere juſſus,
Præceptiſque Patris ſubdi; ruit alta reliſus
Corda importunis patronos poſcere votis.
Dantur item duro actores : his perditus urbem
Aggrediens, Papam ſolito libramine SIXTUM
Sentit, & immota moderamen lance ferentem,
Legibus inſtructum, ſapienter ſcita ſerentem:
Patribus adſcitis invicta ut robora cernit,
Cervicem reprimens, ſeque in lamenta coartans;
Legatos lacrymis miſeri ſuſpiria cordis
Lugubris ad Patrem gemitu legabat anhelo.
Compatiens cenſor, Dominique imbutus amore,
Ad vitam revocantis ovem per devia lapſam
Quærit aberrantem, recipit diſcrimina flentem,
Luctibus orantem, leges ſervare fatentem,
Crimina purgantem, famulatus jura voventem.
Abſolvit laqueis *, priſcoque reformat honore. (* excommunicatione)
Dictat ſcita, probat Papæ decreta Senatus.
Turbine ſedato dat limina cultibus alma,
Muneribuſque micare piis, vernare figuris.
Invidia abjectum reſtaurat rite miniſtrum
Agni, ſollicitus ſponſæ renitere decorem
Inclytus Eccleſiæ paranymphus : quam ſine ruga
Et macula ſponſo intactam perferre flagrabat.
Inſiſtit ſtudiis commiſſæ regmina caſtis
Ducere : ſi qua putri ſqualerent labe, piare.
Regem * diſcutiens gentis quo jure Sicambræ
Punit adulterii, fautores enſe recidens
Morbiſeco, peſtique precum pietate medetur.
Legatos abolere nefas, pacemque referre
Dirigit eliſæ per Gallica rura columbæ.
Luce procul viſa, divo rutilare nitore
Certatim populi radiis luſtrarier orant.
Æthereis Romam inde petit legatio crebra,
Crebrior & ſolito, cœlique cibaria poſcit.
Suſcipiens dapibus ſatiat quos Papa cupitis,
Irrigat ac paradiſiacis ſitibunda fluentis
Pectora : Bulgaricæ fundit quoque flumina genti;

Au-

Auſtrali tribuens Boream vernare decore.
Sicque Nothum * inveniens Aquilone rigeſcere, flammis
Ardoris ſuperi miſſis accendere curat
Igniferis Patribus, comitatis luce valenti
Irradiare pios, exurere luminis hoſtes
Mirifici Patris, cui fert elemoſyna nomen,
Indiviſa comes vitæ patrata JOANNIS,
Auribus archivo ex Grajo reſonare Latinis
Præſtat, ANASTASIO juſſis parente miniſtro.
Præſulibus reſtauratis Placentia pulſo
Pervaſore nitet: Paſtore Sueſſio floret.
Plectitur Induperator atrox, Petri æmulus aulæ.
Plectitur & Papa damnatus judice mœchus *.
Patre recepta ſuo Græcorum urbs regia gaudet.
Priſcorum Pater hic reparans inſignia Patrum,
Templorum renovat fabricas, triclinia, cellas,
Buſtaque Sanctorum relevans ſplendoribus ornat.
Adſciſcens fovet almificas ſtipe duplice turmas *:
Afflictiſque patrem dulci ſe pectore præbens,
Ærumnas refovet, parat opportuna medendis.
Ductibus atque reformatis rigat atria Cephæ,
Gregorio partum reſtaurans robore caſtrum.
Prævalido fulcit, muriſque ac milite munit,
Ut Domini populum ductans in caſtra polorum,
Regmine ſollerti juſtoque libramine vexit.
Indicium ſchedæ mundi per climata latæ:
Hærebant cui mente pia cœleſtia cura;
Excubiæ aſſiduiſque preces, jejunia votis.
Arridens quem fertilitas & copia rerum
Extulit, oſtendit largum, docuitque benignum:
Hujus ut egreſſum fleviſſe elementa ferantur.
Quo tamen is gaudet, gaudent ſocia agmina cœli.

* auſtralem partem

*Lotharius

* congregationes Monachorum

De S. ADRIANO Papa, & HINCMARO Præſule noſtro, KAROLO quoque Rege.

HInc ſacra ſuccedunt ADRIANI jura ſecundi.
Qui pius ac placidus laudatur, & ordine clarus,
Pauperibus largus, locupletibus atque benignus;
Omnibus & medius, nulli niſi carus habendus.
Compatiens paſſis, patientes improba ſervans,
Paſſorumque ferens cauſa; longinqua pererrat
Scriptis Regna, monens rigidos, reparans quoque fractos,
Juſtitiæque viam juſto moderamine pandens,
Utque Patres ſuperi *, Regis faſtuſque coercet,
Ac maculis purgare nigris regale * laborat
Nunc monitu blando, nunc aſperitate cubile.
Pontificem is noſtrum ſumit Regemque ſodales,
HINCMARUM & KAROLUM; ſociosque laboris adoptat.
Sceptraque ſic pariter tutari a crimine certat.
In multis etiam divina lege regendis
Hunc noſtrum Patrem ſibi fratrem adſciſcit agonis.

* anteceſſores
* Lotharii

Frod. lib. 3. c. 20.

De

Digitized by Google

De JOANNE Papa VIII. & MARINO ejus ſucceſſore.

HOC rapto capit octavus ſegmenta JOANNES
Culminis eximii, quique effulſiſſe beatis
Moribus adſtruitur, doctrina ornatus & actis.
Judicii cuſtos, recti pietatis amator.
De Chriſti ſegete crebro zizania pellens,
Et rationales per agros pia ſemina ſpargens:
Utpote doctiloquus, prudens, ſenſuque peritus,
Sollicitum qui ſe gregibus præbebat alendis.
Quo patribus juncto ſollers ſubit alta MARINUS
Regmina, qui placitus Domino & decus orbis habetur,
Auguſtis carus, populorum dignus amator:
Doctrinis renitens, ſacris & ſemina diva
Cordibus infundens hominum per climata mundi.
Nam Grajos ſuperans, pulſis erroribus unam
Reddidit Eccleſiam, ſciſſumque coegit ovile.
Frod. lib.4. c.1. Pontificem noſtrum FOLCONEM hic faſcibus ornans,
Inſtruit ore, manu Paſtoris comere jura,
Juſtitiæque ejus congaudet promtus amori.
Inque refutandis præſtans ſuffragia pravis,
Fert ſe adjutorem, multam minitando ſuperbis.
* ſ. vellat, Hunc fratrem velut amplectens, incommoda revelet *,
Utque fidem monet exhibeat, ſcriptoque revelet.
Hujus & ad nutum Patribus mandata reſignans,
Contemtore ſuper jubet exercere vigorem:
Et parti iſtius precibus ſe dedere curans,
Francorum Regem affectum retinere paternum
Hortatur, ſolans votiſque juvamina præbens.

De tertio ADRIANO Papa, & FULCONE noſtro Præſule, KARLO quoque Auguſto; & de STEPHANO V.

idem ibid. TErtius emiſſos ADRIANUS honore ſecutus,
Præſule jam dicto FOLCONE ſtudente paratur
Remenſi Pater Eccleſiæ, tutator & altor.
Jura ſibi decoris firmans ut roboret apti,
Et contra adverſos ſolatia debita præſtet,
Noſtrumque affectu Regem genitoris adoptet:
Præſulibus patrem pandens ſe rite benignum.
Quo cito prærepto, STEPHANUS de nomine quintus
Faſcibus evehitur ſummis, qui præmemoratum
Pontificem noſtrum ſcriptis ſolando paternis,
Hunc dignum fratris, hunc nomine cenſet amici:
Se promtum firmare ab eo quæ rite petantur.
Ille tamen ſervum potius ſe deſtinat imum,
Attollitque patrem, dominique impendit honorem.
Exoranſque rogatores pro culminis ejus
Reddit luce alios, ac flagrat adire videndum:
Barbaricæ impediant acies niſi vota parati.
Ipſius ergo precum poſcit munimine Regnum
Tam crudo redimi ſævæ diſcrimine peſtis.
Se quoque conari tota virtute reniti
Ejus apoſtolico tendentibus atra nitori.
Quæ conſanguineo magnati impendier audit

WI-

WIDONI; ſibi ceu fuerint impenſa, capeſſit.
Remenſi Eccleſiæ Romana præſtita ſede
Intemerata jugi ſerventur honore, precatur:
Utpote juris apoſtolici per cuncta fideli,
Quam certare ſibi contra omnia livida norit;
Tradita pauperibus, ſacriſque addicta miniſtris,
Sed perverſa feris direpta furentibus urſis,
Adjuvet alliſis evellere faucibus atris.
Adgaudet ſummus redditque levamina Præſul,
Seque probat fratris devotum in jure manere:
Hunc etiam & natum ſub patris amore fovere,
Noxia quæ patitur ceu propria flagra dolere,
Aſſiduiſque ejus precibus pro pace rogare,
Atque petita modo vel tempore cedere digno.
Præſulibus pervaſa jubet quo reddere cogant
Raptorem; ſacris, referat niſi rapta, repellant.
Auguſto ſcribens KAROLO, præconia Chriſto
Induperatoris pro ſancto reddit amore.
Quo flagrans ſublata diu patrimonia noſtræ
Reddiderat ſanctæ ſummo ſub nomine ſedi:
Ac monet ut peragat quod adhuc hinc reſtat agendum,
Sumere perfecte queat ut mercedis honorem.
FOLCONI quoque gratificans, ſolamina confert
Affectuque monet cœptis inſiſtere votis
Erga Romanam ſummi moderaminis arcem.
Conqueſtos ſe indigna pati, ſuffragia legat:
Iſtius ad Patris mandatque juvamina ferri.
Sic peregrinantes ſub amore & nomine Petri
Suſcipiat petit, ac foveat, tueatur, honoret.
Pace laboranti totius & ordine Regni
Grates inde refert, creſcatque hortatur ut inſtans.
Urbis Lingonicæ queſtus delegat eidem,
Contra vota premi Paſtorum culmine plebem,
Nec digno impetrare Patrem molimine lectum:
Pontifici Lugdunenſi mandata dediſſe
Significans, æquo optatum ſacraret honore.
Quo renuente diuque inſtante labore vacantis
Eccleſiæ, ſe prælectum ſacraſſe petenti.
Quocirca properans, quæ deſunt impleat urbi,
Regmina præficiat Rectoris rite dicati,
Præſulibuſque aliis Papæ decreta revelet.
Ille paratus ad hæc, Patribus præcepta retexit.
Regi juſſa notat, quo ſe prohibente moratur
Rex, donec Romam mittat, certamque reſumat
Notitiam: poſt ſe nulla ratione premendum
Fert juſſis ab apoſtolicis, neque turmine mortis.
Præterea patriis poſcit ſe jure doceri
Dogmatibus, Papæ digne ut ſacra culmina ſervet:
Præſul apoſtolicus hujus quoque regmina firmans,
Roborat Eccleſiæ quæ ſunt data munera noſtræ,
Jura antiquorum Procerum conceſſa nitore.
Nemo horum quidquam minuens uſurpet inique,
Nec Præſul detur, canonum niſi lege petatur.
Hæc ſi quis violet, niſus temerare ſtatuta,
Sede Petri digne multa dictante prematur:
Edita conſervans, benedici promereatur.

ibid. Pontifici huic noſtro Synodum delegat habendam
Cum nonnullarum regionum Patribus, atque
Inter Agrippinæ trans-Rhenenſeſque Patronos
Audire æquandas juſto moderamine cauſas.
Poſtmodo ſi valeat, præſens accedat, & iſta
Cum multis aliis pariter pertractet agendis.
Hunc reliquos quoque Gallorum veſtigia Patrum
Urbe Biturgenſi ſuper admonet improba ferri
Jura querente ſibi, cui condoleant miſerantes:
Increpitans, cur non referent præſumta ſilentes,
Qui ſe pro muro infeſtis opponere debent.
Juſtitiæ zelo quocirca armentur, agonem
Aggreſſi Domini ad propriamque redire cathedram
Compellant præſumtorem, miſeratio Papæ
Quam cedit dumtaxat ei: ſi temſerit, omni
Sacrorum exſortem penitus ſe norit honore.

De STEPHANO & FORMOSO, Translatione quoque S. CALISTI ad noſtram urbem.

ibid. Formoſus STEPHANUM ſequitur: cui grammata noſter
Dirigit expoſitus ſupra quam ſæpe Sacerdos,
Congaudens ſubiiſſe vices hunc regmine Petri.
Has ſermone ſimul ſupplere decenter & actu
Qui valeat, ſolans vehat ad potiora cathedram.
Propitiumque Deum Eccleſiæ teſtatur in hujus
Culmine monſtrari, quod tam tractatur honeſte.
Huic ſe ſubjiciens, famulatus omnis honorem
Spondet, & excuſat quod eum non viſere currat;
Atque refert grates, quod in ſolaminis orſa
Miſerit, inſinuans illum ſe optare videndum,
Et ſe ipſius in occurſum quod ſignet iturum,
Proficuique offert decoris crementa daturum,
* exſequi Ejus & ad nutum Stephani ſeſe edere * juſſum.
Reſperſæ Eccleſiæ quæſitas robore poſcit
Muniri, ejuſdem vulſæ ne quando rapinis
Demantur ſacris, avidis prædonibus actæ.
Magni Pontificis Chriſti teſtiſque CALISTI
Membra ſibi ſignis collata Abbate RODULFO
* conceſſis Cum rebus ſancto applicitis *, avellere quidam
Quas nitebatur. Super his conſulta requirit,
Auxiliumque petit, pravi quo jure premantur.
Et quia comper
erat, quodam molimine ſummam
Turbari ſedem; capiti ceu condolet artus,
Subjectis quoque Præſulibus qui indebita poſcant,
Ne indigne faveat, ſuadet, ſub tramite pacis.
Ille rependit ad hæc, ſtudeant moderamina ſummi
Rectoris pariter verbis attollere & actis,
Juxta quod collata ſibi fert gratia cuique:
Ne vacui ſub ea ſervi culpentur haberi.
Quin aptos per eam fructus afferre laborent.
Illicita inhibeant, infandaque germina vellant,
Et cunctis Chriſti famulis ſuffragia præſtent.
Cujus opis cauſa cupit hujus noſcere curam,
Deplorans miſeras clades hominumque labores,
Hoſtis & antiqui captantia retia fraudis,

Quis

Digitized by Google

Quis genus humanum crudeli pellicit aſtu.
Hinc hereſes, hinc bella movens, & crimine gaudens,
Sanguine ferveſcens, odiorum litibus ardens,
Atque Orientales hereſeum ſchiſmate rumpens.
Unde Sacerdotes ſuadendo commonet, arma
Corripiant, arcamque levent diſcrimine ſævo.
Conveniant igitur medium ſibi poſcere Chriſtum,
Qui conſulta ferat, det opem, faciatque ſalutem.
Ad quos Pontificem rogitat contendere noſtrum
Accingi, properare, moras diſrumpere cunctas,
Auxiliumque malis mundo conferre ruenti.
Chriſtus ſit via, dux Chriſtus, victoria Chriſtus.
Nec ſatis eſt monuiſſe ſemel, monituſque paternos
Haud iterare piget, Matris ſuccurrere cladi,
Diſponi Synodum generali jure gerendam,
Ad quam feſtinet nullo impediente retentus
Pondere deſidiæ, uberius ſimul omnia tractent,
Quæ tractanda fient: oracula clarius edant.
Barbaricæ gentis quis Francica regna procellis
Turbantur, nimium dolet; atque ut dextera ſumma
Has reprimat, Procerum Chriſti ſuffragia poſcit.
Privatæ legis munimine jura petita
Remenſi fert Eccleſiæ retinenda docendo,
Ac prohibendo nefas, ne quis præſumat inique
Attrectare ſacris poſſeſſa aut demere ceſſa *.   * conceſſa
Nullaque Pontificum, Regum, Comitumve poteſtas,
Illicite uſurpans, proprios inflectat in uſus
Quæ ſunt Eccleſiæ: quam Præſule forte vacantem
Nullus ut invadat, violentum adſpiret in auſum:
Nec niſi condigno Præſul ſtatuatur honore,
Pontifices, Reges, Clerus, ſubjectaque plebes
Provideant, operante Deo ut bene tradita ſervent,
Amplificent, decorent, ſupera mercede propagent.
Diſpoſitum digne præmiſſo Præſule quiſquam
Non mutilare decus, non immutare ſubintret:
Uſibus at maneant ſervorum dedita Chriſti
Integra Pontifici, dignis tractanda miniſtris.
Hæc contra quiſquis præſumſerit acta venire,
His ſe multatum ſcitis anathemate norit:
Servator vitam mereatur habere perennem.
Rebus Avennaci, ſuper almi & jure Caliſti,
Tum decreta pari provexit robore fulta.
Præterea quod compererat per devia quoſdam
Pontificum ferri, populiſque exempla ruinæ
Dedere, & increpitos non digna rependere ſuaſis;
Quin & deteriora ſequi, nec dira cavere:
Non ſine ſe mœrore gravi tolerare fatetur.
Ad pacem invitans exſtinguere ſcandala quærit,
Pontificum faſtu Chriſtus quia terminitur atro.
Noſter & Antiſtes dolet, arguit, increpat, angit.
Unde monens mandat junctos hunc cogere Patres,
Atque alios accire probos, decretaque legis
Pandere divinæ, Synodum celebrare vigore
Ceſſo * juris apoſtolici munimine fultam,   * conceſſo
Noxia vellendo gregibus, profutura ferendo.
At ſi quid fuerit perverſæ litis obortum;

Digitized by Google

Præſulis eximii ſerventur cognitioni,
Dante Deo dignum valeant ut ſumere finem.
Cui ſe Concilio tentet ſubducere nemo,
Quiſquis apoſtolici conſors cupit eſſe favoris.
 Bellorum motus per Francica Regna coercens,
Primates monet Eccleſiæ certare labore,
Totius curæ madeant ne Regna cruore,
Chriſticolæ Reges belliſve armentur iniquis.
Attrectare nefas aliena, invadere ceſſent.
Bella ſoporentur, commotio ſæva prematur.
Dum Roma Folco redeat, pax ſceptra gubernet.
 Hæc eadem exhortans ad pacem ſcribit ODONI,
Ne KAROLUM contra bellum moveatur iniquum,
Nec vetitos ineat fines, invadere nitens
Externi quæ ſunt juris, cupiduſque rapinis
Abſtineat, vitans rectos tranſſcendere calles.
Quæ Domino placeant ſollerti mente retractet,
Ante oculos ſtatuens ejus ſub amore timorem.
 Pace laborantis congaudens Præſulis actis,
Admonet his cauto FOLCONEM inſiſtere niſu,
Pax odiis ne inconſulte quæſita faceſſat,
Regia neu celſi generis ſcintilla teratur.
Crimina ſceptrigeri prudenti arcenda medella,
Regmine pro Regni ne peſſima ſcandala ſurgant.
 Hortatu Karolum ſolans gratanter honorat,
Gaudens hunc patriæ provectum culmine ſedis,
Atque petens Chriſto placitum per tempora longa
Creſcere juſtitia, pietate, & luce ſophiæ.
Ac monet ut Dominum cordis præ lumine ponat,
Juſſibus ipſius totis conatibus hærens.
Diligat & ſervet quæ juſta ac recta probarit.
Admoveat juſtis aurem, divertat iniquis.
Sit virtute animi, carnis præſtantior uſu,
Corporis ac mentis hoſtes ut ſternere poſſit.
Se quoque quæ valeat ſpondens augmenta daturum.
Panem pro grato benedictum munere legat,
Quæſierat geminæ quem Rex ſub dote ſalutis.
Sollertes cum quis tractentur commoda mandat,
Immo Sacerdotem Folconem ad talia mittat,
Cujus conſiliis utillima quæque decori
Edantur, Regis cumulandi & culminis apta.
 Quorumdam querulo nimium clamore petitus,
Urbem indigna pati queritur, metuique clientes:
Sedandis quibus exhibeat ſe Folco repoſcit.
Comperto tandem is veri moderamine Præſul,
Quam ſit apoſtolicis fidus, quam juſſibus ardens,
Parere æthereis gaudet, grateſque rependit,
Spondens ſe in quibus expediat præbere benignum:
Hujus & ad votum Regum preſſiſſe duellum.
Præſulibus Regique ideo mandata dediſſe,
Tutius ipſe Petri valeat quo viſere ſedem.
 Hunc quoque fratris honore colens, ſpecialia legat
Munia carorum, tutandum poſcit honorem,
Scandala proterere, & pacis connectere vincla:
Frenare implacidos, & ad almam cogere pacem,
Idque Petri latum fidat ſibi munere donum.

LAM-

LAMBERTUM Auguſtum, Folconis carne propinquum,
Ut proprium ſe tutari ſolamine natum
Significans, noſtri gratiſſima Præſulis effert
Vota, quibus Petri veneratur honore cathedram.
Sacrilegos quoſdam ſacrati culminis atros
Carptores, ſummi capitis clariſſima membra
Attemerare auſos, anathematis enſe reciſos
Notificans, monet hunc nodos dignæ addere multæ.
Sceptrigeri quoque cognati pro culmine certet.
Sicque Pariſiaco legans mandata Patrono *, * Epiſcopo
Hos ANSCHERICO notat eſſe omnino cavendos,
Ac vitanda nigri conſortia dira furoris.
Eccleſiam ſolans Senonum Paſtore gementem
Addicto latebris, damnando * criminis auſu: *damnabili
In Domino ſperare monet; patienter acerba
Spe decoris ferre ætherei virtute Tonantis.
Fidere ſe proprio ſolandam Præſule viſo:
Se damnaſſe feros Patribuſque notaſſe terendos
Flamine divino, ne quis dein talia tentet.
Miſſurum ſe Legatos, ubi tempora digna
Se tulerint, quis ſedentur hujuſce procellæ.
Lingonici ſævo raptori Præſulis orſa
Dirigit, ut tandem geſtis reſipiſcat amaris,
Pontificem reddat, damnet quæ dira patrarit.
Sin ſecus, æternæ plectetur tormine multæ.
Sacrilegis ſuper his patrios delegat ODONI
Sceptrigero monitus, ut ſciat hos anathemate plexos:
Quos nec ſuſcipiat, nec eis affamina jungat,
Ipſorum ſeſe maculari crimine vitet.
Quin immo Eccleſiæ præſtans ſolamina tritæ,
Protegat, auxilium impendens, ubi viderit aptum.
Hæc eadem Karolo mandata tenenda relegat.
WALTARIUM Senonum, temerantem oracula legum,
Corripit increpitans; Trecaſinæ intulit urbi
Regmina non lecti cur Præſulis, atque recepti
Ex alia Eccleſia contra decreta paterna.
Quem removens, lectum * ſtatuit, moderamina tradit, * electum
Sacratoque ſacrum RICVEO impertit honorem:
Nullus ut obſiſtat ſcitis, comitatur euntem.
Huic Patri Karolus Formoſo grammata legans,
Seque ſuique apicis committit jura tuenda:
Eximias referens grates ſub honore favoris,
Se genus atque ſuum dignum, quia laude putarit,
Provectumque ejus gratum ſibi duxit habendum.
Noverit ergo ſibi Regem pro ſcire fidelem,
Devotum & famulum juſſis ſervire paratum,
Ejus præſidio licitum ſit fidere: tantum
Hoſtis apoſtolicam nequeat divertere mentem.
Auguſtum ſibi conciliet, Chriſtumque precetur
Pro ſe, proque ſibi commiſſi regmine Regni,
Cujus ut in partes accedere cenſeat, orat:
Ipſius adſpectu ſolari ac famine poſſit.
Interea panem benedictum munere mittat,
Tutelæ nullique favens adſentiat hoſti.
Quin adverſa premat ſacro molimine, jure
Creſcat ut ipſius ſumtum munimine Regnum.

Folco etiam Præſul grates a Sede vocatum
Se referens Petri, poſcit ſuffragia Regi.
Gratificans Regis quod res ſuſcepta benigne
Tractetur, patrio foveantur ſceptra nitore,
* ſit Sollicitus * pro regali quod germine Papa.
Suggerit ergo petens, faveat ne partibus hoſtis,
Roboret id magis, exaltans, & viribus augens:
Accumulet precibus, votiſque ad ſidera miſſis.
Pulſari adjiciens hoc ab hoſtibus undique fuſis.
Quos rogat arceri, pervaſoreſque repelli,
Prædones reprimi moderamine regminis almi:
Ne inter Chriſticolas bellum civile geratur,
Naufragio Eccleſiæ ne gaudeat æmulus atrox,
Illicitos ibi ſubjectis nitentibus auſus.
Quid medicamenti impendat, conſulta repoſcit.
Lamberto Induperatoti ſibi carne propinquo
Multimodam agnoſcens curam dependere Papam;
Gaudet, ac expoſcit maneat dilectio talis.
Quem licet affinem nullo ſibi jure colendum
Prodit, amicitia Patris niſi noverit auctum.
At Karolo Regi petit hunc ſub fœdere necti,
Huicque ambos Regum ſolatia pendere proli.
Damnatis queat & ſi quid medicaminis addi,
Quoque modo vel qua hos valeat curare medela;
Expromi ſibi depoſcit ſervire parato.
Præſul hic egregius Formoſus laudibus altis
Evehitur, caſtus, parcus ſibi, largus egenis:
Bulgaricæ genti fidei qui ſemina ſparſit.
Delubra deſtruxit, populum cœleſtibus armis
Inſtruxit, tolerans diſcrimina plurima, promtus.
Exemplum tribuens, ut ſint adverſa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

De BONEFACIO Papa, & ſexto STEPHANO, THEODORO quoque Papa.

HInc ſubit ad modicum vates BONIFACIUS almus.
Ter quinos hic in arce dies explevit honoris:
Culmina mox mutans, ſuperat faſtigia celſa,
Inque brevi ſpatio quæſita cacumina ſcandens,
Inter Apoſtolici Proceres adſcribitur albi.
Tum ſextus STEPHANUS ſacra regmina culmine carpit,
Durus qui noſtris, propriis at durior inſtat.
Sæva quidem legat vivis, truciora ſepultis.
Fulconemque minis, Formoſum concutit actis.
Concilium gregat infauſtum, cui præſidet atrox:
Prædeceſſorem abjiciens ponenſque Patronum.
Viſus abhinc meritis dignam incurriſſe ruinam,
Carptus & ipſe ſacraque abjectus ſede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
Et ſuffocatum crudo premit ultio lœto.
Poſt hunc luce brevi ROMANI regmina ſurgunt.
Quattuor haud plenos tractans, is culmina menſes,
Æthere ſuſcipitur, meritos ſortitus honores.
Quo rapto breviore ſubit faſtigia ſorte
Dilectus Clero THEODORUS, pacis amicus.

Biſſe-

Biſſenos * Romana dies qui jura gubernans, *an bis denos
Sobrius & caſtus, patria bonitate refertus,
Vixit pauperibus diffuſus amator & altor.
Hic populum docuit connectere vincula pacis.
Atque Sacerdotes concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat diſſectos ſedibus, ipſe
Complacitus rapitur decreta ſede locandus.

De ſanctis JOANNE, SERGIO, BENEDICTO, LEONE, atque CHRISTOPHORO.

JOANNES ſubit hinc, qui fulſit in ordine nonus,
Pellitur electus patria quo SERGIUS urbe,
Romulidumque gregum quidam traduntur abacti.
Conciliis tamen is ternis docuiſſe refertur
Dogma ſalutiferum, novitaſque aboleta malorum,
Et firmata Fides doctrinis tradita Patrum.
Tum ſacra conſurgunt BENEDICTI regmina quarti,
Pontificis magni, merito qui nomine tali
Enituit, cunctis ut dapſilis atque benignus.
Huic generis necnon pietatis ſplendor opimus
Ornat opus cunctum, meditatur juſſa Tonantis.
Prætulit hic generale bonum lucro ſpeciali.
Deſpectas viduas, inopes, vacuoſque patronis,
Aſſidua ut natos proprios bonitate fovebat:
Mercatuſque polum, indiguis ſua cuncta refudit.
Poſt quem celſa ſubit LEO jura, notamine quintus.
Emigrat ante ſuum quam luna bis impleat orbem.
CHRISTOPHORUS mox ſortitus moderamina ſedis,
Dimidio ulteriuſque parum diſpenſat in anno.

De SERGIO & ceteris ad Leonem ſeptimum.

SERGIUS inde redit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exſilio tulerat rapiente repulſam;
Quo profugus latuit ſeptem volventibus annis.
Hinc populi remeans precibus, ſacratur honore
Pridem adſignato, quo nomine tertius exit
Antiſtes: Petri eximia quo ſede recepto
Præſule gaudet ovans annis ſeptem amplius orbis.
Ipſe favens Cleri cenſura in culmine rapto
Falce ferit pervaſores. Quo rebus ademto
Humanis in ANASTASIUM ſacra concinit aula,
Tertius hoc Præſul renitet qui nomine Romæ,
Sedis apoſtolicæ blando moderamine rector,
Sentiat ut Chriſtum veniæ ſibi munere blandum.
Quando dein ſummam Petri ſubit ordine ſedem,
Menſibus hanc coluit ſex ut deniſque diebus.
Emeritus Patrum ſequitur quoque fata priorum.
Surgit abhinc decimus ſcandens ſacra jura JOANNES.
Rexerat ille Ravennatem moderamine plebem.
Inde petitus ad hanc, Romanam percolit arcem
Bis ſeptem qua prænituit paullo amplius annis.
Pontifici hic noſtro legat ſegmenta SEULFO.
Munificiſque ſacram decorans ornatibus aulam,
Pace nitet dum Patricia deceptus iniqua,

Carcere conjicitur, clauſtriſque artatur opacis.
Spiritus at ſævis retineri non valet antris:
Emicat immo æthra decreta ſedilia ſcandens.
Pro quo celſa Patri ſextus LEO regmina ſumens,
Menſibus hæc ſeptem ſervat, quiniſque diebus:
Prædeceſſorumque petit conſortia vatum.
Septimus hinc STEPHANUS binos præfulget in annos,
Aucto menſe ſuper, biſſeno ac ſole jugato.
Diſpoſita poſt quod ſpatium ſibi ſede locatur.
Nato Patriciæ hinc cedunt pia jura JOANNI:
Undecimus Petri hoc qui nomine ſede levatur.
Vi vacuus, ſplendore carens, modo ſacra miniſtrans.
* Albrico Fratre a Patricio * juris moderamine rapto,
* Imperii * Hagoni Regi Langob. Qui matrem inceſtam rerum * faſtigia mœcho *
Tradere conantem decimum ſub clauſtra JOANNEM
Quæ dederat, clauſtri vigili & cuſtode ſubegit.
ARTOLDUS noſter ſub quo ſacra pallia ſumit,
Papaque obit, nomen geminum fere nactus in annum.
Septimus exſurgit LEO, nec tamen iſta volutans,
Nec curans, apicis mundi, nec celſa requirens:
Sola Dei quæ ſunt alacri ſub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata ſubire renutans.
Raptus at erigitur, dignuſque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in ſede locatur.
Sed minime adſuetam linquit decoramine curam,
Deditus aſſiduis precibus, ſpeculamine celſus.
Afflatu lætus, ſapiens, atque ore ſerenus.
Qui me viſentem ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, animo quæſita benigno
Admiſit, favitque pie, ſtuduitque modeſte:
Famina grata ferens, epulis recreavit utriſque,
Corporis atque animæ: benedixit, & oſcula libans
Ac geminans dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimiſit honoro.
Quem pater omnipotens alacrem cultuque venuſtum
Attollat, ſervetque diu, digno excolat actu.
Et cum Præſulibus ſanctis, conſortia quorum
Promeruit, ſedis præſtet ſuper æthera ſedem:
Cum quibus æternum maneat præclarus in ævum.

OBSERVANDA IN POSTREMO CAPITE.

I. BARONIUS *& alii Sergio tertio tribuunt tres annos dumtaxat cum menſibus quatuor : Frodoardus annos ſeptem.*

II. *Anaſtaſio Baronius annos duos, menſes viginti : Frodoardus menſes ſex cum denis diebus.*

III. *Frodoardus prætermittit Landonem, quem alii Bandonem vocant.*

IV. *Joanni decimo adſcribit non integros annos quindecim.*

V. *Leoni vero nominis ſexto menſes ſeptem & quinos dies : cum recentiores ei tribuant ſolum menſes ſex, dies quindecim.*

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTUM
EX LIBRO PRIMO HERIGERI ABBATIS LAUBIENSIS
De Vita S. URSMARI Abbatis.

Ex mſ. cod. Monaſterii S. Vitoni Verodunenſis.

SEd nunc ex reliquis Chriſti taceatur alumnis, Confer cum Vita S. Urſmari ſupra tom. 1. pag. 241.
Lumina qui vitæ mundo præclara fuere,
Doctrinaque ſua replerunt undique cuncta.
Celſa tibi geminæ mittuntur, Roma, columnæ,
Petrus cum Paulo, quorum fundata triumpho
Primatus arcem quadrum prætendis in orbem.
A quibus inſignes illorum nempe ſequaces
Sumſimus auctores, illinc nobis venientes.
Clara DIONYSIO tunc Gallia Pariſienſi
Credula divini ſuſcepit ſemina verbi.
Et CLEMENS Mediomatricum miſſus ad urbem,
Edocet in ſolum vicinos credere Chriſtum.
Treveribus terni mittuntur corde fideli
Trinum perſonis Dominum, deitate ſed unum
Credere qui doceant populum lavacro renovandum:
Scilicet EUCHARIUS, MARTINUS, VALERIUSque.
Credit Agrippinus, fidei fit Tunger alumnus.
Propugnant fortes Chriſti virtute duelles
Nitentem toto laqueos prætendere mundo,
Decipiturque ſua perfoſſus guttura præda,
Occumbente fide pro ſacra martyre teſte,
Confeſſore pio mortis audente triumpho,
Nec trepidante necem ſi proveniſſet atrocem.
SILVESTER, MARTINUS, HILARIUS, AMBROSIUSque
BRICIUS atque LUPUS, SULPICIUS, ac ANIANUS.
GERMANUS Pariſiacus, GERMANUS & alter,
Iſtam per normam quoniam meruere coronam,
Fert Gothus, Auſonius, Gallus, Scytha, Noricus, Indus,
Hebræus, Græcus, Romanus, Barbarus omnis.
Talibus Eccleſiæ fautoribus undique firme
Obſtant imbriferis vento quatiente procellis,
Deſuper & petram nequeunt trepidare ruinam.
Tempore promeritæ ſedarunt cœlitus iræ
Quidam terrores, plebis mala geſta piantes.
SERVATIUS ſervando fidem ſervat pereuntem
Orando populum, Trajectum forte reſervans.
Remica REMIGIUM celebrat plebs ſacra ſacratum,
Francia baptiſmo per quem recreatur in almo.
Digna conſpicuum veneraris laude VEDASTUM,
Atrabata, tuas dignum relevare ruinas.
AUDOMARE ſalum Morinum frenare ſuetus,
Nec tibi Neptuni mandans conceſſa tridenti,
His cum Bertino quos turbat pontus adeſto.

Inſignem meritis AUTBERTUM Cameracenſis
Infula commendat, qui perluſtrare ſolebat,
Si ſua condignum ferret parrochia fructum.
MOROSUM cleptem converterat ille ferocem:
Cujus ut hic vitam memorem quantiſper & ortum,
Præclue Francorum celſaque propagine natum
Haginoenſe ſolum fert hunc & rumor adultum:
Exceptumque ſacro baptiſmo Præſule ab ipſo,
Inſtructumque piis cura mandante parentum
Litterulis & lege ſacra : proinde furente
Ætate ut libuit juvenili, fertur in antro
Præcipiti totus, cunctum cordis cogitatum
Adniſus ſub perditionis ferre barathrum,
Graſſari ſolitus ſpoliis prædaque viantum.
Laubacus grandem quo derivatur in amnem
Sambram permodicus nomen tibi, Lobia, rivus,
Figens perpetuum Moroſi moribus aptum
Infundis, vel forte ſuo de nomine dictis
Maurifaliſia, Morineias, Landeleaſque.
Fertur enim quia poſt baptiſma binomius eſſet,
Et poſt hæc Landelini cognomen haberet.
Dum ſpirante Dei tandem bonitate ſuperni,
Reſpectuque pio cordis compunctus in imo,
Feſtinat Cameracenſem devotus ad urbem:
Pontifici patrique pio commiſſa fatendo
Procidit, & genua amplectens genibuſque volutans.
Quem mox Romuleam contendere juſſit ad urbem,
Gaudens excelſa mutatum ſic fore dextra,
Indicens agapem. ſimul & jejunia crebra.
Arci Martinus Romanæ Papa beatus
Præeſſe videbatur ſancte, pariterque prodeſſe.
Huic ſua Moroſus deplorans crimina prorſus,
Ilicet a noxa meruit laxarier omni,
Accipit & veniam ſimplex confeſſio gratam.
Indeptus votum, natale reverſus ad arvum,
A dicto jam Præſule eo donatur honore,
Quem valeat quis Græcizans a ſorte vocare.
Romana poſthæc repedabat ab urbe ſecundo,
Sumit & inde gradum ſub eodem Presbyteratus:
Tunc & Laubaci repetit deſerta locelli,
Serviat ut Chriſto, fuerat quo peſſime prædo.
Lobia prædonis tunc cellula fit famulantis.
Chriſto tuncque loci conſurgunt culmina noſtri
Pulcro ſtructore, fuerant quæ fœda latrone:
Prædandique locus flendi transfertur in uſus.
Crimine prolapſum ſed reddit juſtificatum
Gratia ſumma Dei, donans peccata fatenti:
Convertuntur ibi famulantia Cuncticreanti
Agmina multorum, ditantia forte locellum.
Præfuit his igitur Pater ipſe & profuit, augens
Tum fundos, numerum tum multiplicavit eorum:
Cui ſucceſſores adjutoreſque fuere,
Quorum nominibus fortuna fuit caruiſſe.
Ipſe ſub hæc alias commigrans, Criſpinienſem
Forte ſui de fontis aqua criſpante vocatam
Condidit Eccleſiam, divina oracula honorans,

Et

Et cedens Laubaca tuis o plantula ramis.
Sic etiam Paulus fuerat jam cedere juſſus,
Poſtpoſuitque Phryges : ſpectatur quippe Joannes.
Tunc fratres gemini, DAGOBERTO Rege creati,
Francorum gentem ſimili nec ſorte duellem
Secernunt ſceptris; CHLODOVEUS Belgica ſegnis
Regni ſceptra tenens, ſed nil laudabile linquens,
Tres itidem ſegnes proprio de ſemine fratres
Liquit HLOTHARIUM, HILDRICUM, & TEODERICUM.
Alter at in ſceptris Auſtrum SIGIBERTUS agebat,
Suffretius * nomen dederat cui Mettius urbe.
Qui quia privatum doluit ſe germine prolum,
Ad ſtirpem ſobolum non unquam deficientum
Hinc illinc duodena viris Cœnobia ſanctis
Struxit, apoſtolica valeant ubi vivere norma,
Munificaque manu ditavit divite cenſu.
Tunc & PIPPINUM nobis ea tempora primum
Mittunt illuſtrem, rebus vel honore potentem:
Cui generat binas conjunx ITABERGA ſorores;
BEGGAM, Gertrudem, Grimoaldum: quem aula priorem
Regia dignata eſt, quique auctor erat Stabulenſis
Sancte REMACLE Monaſterii tecum ædificandi.
Cujus adoptando majeſtas regia prolem
Fecerat eſſe ſuam : ſed poſt hæc natus & ipſi
Qui ſuccedat ei, donatur munere Chriſti.
Quem pater ut regnet, fidei mandat Grimoaldi.
Ille ſuum potius voluit ſuccedere natum.
Accipit hoc gravius condemnans Rex Chlodoveus,
Hildricumque ſuum Regem facit Auſtraſiorum.
  Verum Gertrudis ſacrata virginitate
Floruit & ſignis : ſed Beggam ſorte jugalem
Anſigiſus habet, ARNULFI filius almi,
Regius ex atavis quem comſit germine ſanguis.
Alter PIPPINUS horum eſt de ſanguine natus,
Cui proprium dat nomen avus : ſed & omnia prorſus
Quæ ſibi ſunt, ſed & eſſe queunt, huic prædia cedunt.
Qui patris mortem dirum mutatus in hoſtem,
Atque Teoderico minitanti bella ſubacto,
Ipſe poteſtatem nanciſcens ſceptrigeralem
Nectit ſceptra ſuis etiam confinia ſceptris.
Cujus largifluis permaxima Lobia donis
Augmentata, ſtatum ſumſit per ſæcula ſummum:
URSMARUMque ſacrum meritis ſuper omnia dignum
Mandat evangelicæ ſpargentem ſemina vitæ,
Laubacumque gregem paſcendum tradit eidem.
De cujus vita meritorum laude beata
Pauca locuturis adſit pia Cunctipotentis
Gratia, Pontificem faciat quæ laude celebrem,
Plurima perſpicuum quem reddunt geſta bonorum.
  Urſmarus ſanctus meritis & honore coruſcus
Nobilitate cluens, morum probitate niteſcens,
Commendant almæ geſtis præconia vitæ
Quod natale tuo proprium, o Teoracia, pago
Sumſerit, & villa, quam fama *Fleon* vocitavit,
Cujus vicinas perlambit Samber arenas.

FRAG-

Digitized by Google

FRAGMENTUM

Ex libro mſ. de geſtis Epiſcoporum Trevirenſium.

Confer eum Vita S. Hildulfi ſupra pag. 424.

MODOALDUS Epiſcopatum ſuſcepit tempore DAGOBERTI Regis: qui videlicet Dagobertus plurima beneficia Treberenſi Eccleſiæ contulit & beato Modoaldo. Idem enim Pontifex in palatio Dagoberti, quod vocatur Horreum, eccleſiam conſtruxit in honore beatæ MARIAE, ubi & congregationem Virginum inſtituit, quarum Matres fuerunt IRMINA & MODESTA, filiæ Dagoberti: itemque aliam in palatio antiquo in ſuburbio ſito congregationem Virginum inſtituit, quibus Matrem BASILISSAM præfecit, & eccleſiam ſancti Martini in pago Megine. Item conſtruxit eccleſiam ſancti Symphoriani ad litus Moſellæ, ibique congregationem Virginum inſtituit, quarum Matrem ſororem ſuam, SEVERAM nomine, conſtituit. Hujus temporibus PAULUS Incluſus ſupradictus migravit ad Theologion, quod præfatus Rex Dagobertus in ſuo proprio conſtruxerat, ibique aliquantulum manſit: poſtea vero Virdunenſis Eccleſiæ curam ſuſcepit, ibique quievit. Sanctus quoque Modoaldus poſtquam ſororem ſuam beatam Severam cœleſti ſponſo eam vocante obeuntem in eccleſia ſancti Symphoriani tradidit ſepulturæ, paullo poſt & ipſe migravit ad Dominum, & in eadem eccleſia juxta eam ſepultus eſt.

Huic ſucceſſit NUMERIANUS, cui BASINUS: poſt quem LUTWINUS Baſini ex ſorore nepos. Hic primum Belgicæ Galliæ Dux, omnia Monaſteria hujus urbis largiſſimis honoravit donariis, & prædiis auxit: poſtea ſuper fluvium Soroam * in ſuo proprio congregationem inſtituit, ubi & ipſe monaſticæ vitæ habitum ſuſcepit. Defuncto avunculo ſuo Baſino Epiſcopo ſucceſſit Lutvvinus electus. Hic etiam Remenſibus & Laudunenſibus præfuit, in quibus duobus uno die, Deo præſtante, ſacrorum Ordinum conſecrationem celebravit. Remis obiit, & a Milone filio & Treberenſibus relatus, divino dato indicio ad Mediolacum ſepultus eſt.

* la Sare

Poſt quem MILO filius ejus ſacerdotali functus eſt officio apud Treberos & Remos, primo quidem imitator patris, deinde tyrannus effectus eſt, nihilque in eo de clericali honore vel vita niſi ſola tonſura enituit. Eo enim tempore bella graviora & inteſtina parricidialia in hac provincia orta ſunt, quando CAROLUS tyrannus laicis epiſcopatus dedit, & Epiſcopos nullam habere poteſtatem permiſit. Cum hoc Carolo Milo ſupradictus ad bellum profectus eſt, ſola jam tonſura Clericus, habitu & moribus irreligioſus: & poſt victoriam Epiſcopatibus Treberorum & Remorum ab eodem Carolo donatus eſt. Cujus infelici tempore his de eccleſiis multa ſunt ablata, & res ab Epiſcopiis diviſæ, domus Religioſorum deſtructæ, eccleſiaſtica diſciplina diſperdita: adeo ut Clerici, Sacerdotes, Monachi, Moniales ſine lege eccleſiaſtica viverent, & refugia indebita haberent. Patet hujus calamitatis indicium in pluribus Treberenſis parochiæ eccleſiis, in quibus ſingulis ſingulæ olim fuerunt congregationes, quæ tam a præfato Milone quam ab aliis tyrannis, ne dicam Epiſcopis, rebus ſpoliatæ, vix unum Presbyterum ſuſtentare poſſunt: ſicut eſt eccleſia ſancti Medardi, quæ ſita eſt prope Cellam ſancti Eucharii ſuper Soroam, quæ dicitur Travena; eccleſia ſancti Symphoriani a beato Modoaldo conſtructa; eccleſia in honorem ſanctæ Crucis juſſu beatæ Helenæ condita; eccleſia ſancti Remigii ad litus Moſellæ; eccleſia ad Palatium; eccleſia ſuper montem ſancti Beati Confeſſoris in Confluentia *; eccleſia ſancti Stephani extra Caſtrum Andernachi. Forum quoque quod erat ante portam Mediam conſtitutum, & frequentia comprovincialium ſatis celebre & famoſum, orta inter cives & negotiatores gravi ſimultate ex eo loco in Wagaſatiam tranſlatum eſt. Et de his hactenus.

* Coblentz

Zacharias Bonefacium Papa beatum, doctrina & operatione clarum, Treberenſi & Remenſi Eccleſiæ viſitatorem & ſpiritualium negotiorum proviſorem conſtituit, cum Milo tyrannus res utrarumque teneret. Interea Carolus eccleſiarum deſtructor moritur: de quo nocte quadam revelatum eſt ſancto Eucherio Aurelianenſi Epiſcopo, quia eſſet in inferno inferiori: qui accito domno Bonefacio Romanæ Sedis vicario aliiſque boni teſtimonii viris, Caroli ſepulcrum aperuit: ſublato autem lapide ſerpens miræ magnitudinis exivit de ſarcophago, corpus autem Caroli non eſt ibi inventum. In his diebus Zacharias Papa audiens fidem & doctrinam domni Bonefacii, conſtituit eum Archiepiſcopum Moguntinæ Eccleſiæ: nam antea Moguntini Epiſcopi & Colonienſes ſuffraganei erant Wormacenſium Epiſcoporum. Milo igitur tyrannus his ita peractis venationi inſerviens, ab apro percuſſus moritur in villa quæ dicitur *Iranc*, primo a Treberi miliario, ubi ſepultus eſt poſt 40. annos ſuæ tyrannicæ invaſionis.

Pippinus vero Rex ſuggeſtione Cleri & plebis Trebericæ HILDOLFUM claro Nerviorum genere ortum, in *Regenſburch* autem enutritum, Trebericæ civitati conſtituit Epiſcopum. Hic conſtruxit eccleſiam in honorem ſancti Joannis Evangeliſtæ juxta Cellam ſancti Hilarii in Campo Martio, in qua corpus beati Maximini de Cel-

Cella ſancti Eucharii tranſtulit cum aliis 300. Martyrum corporibus a Rictiovaro paſſorum: quem locum & ſua ſupellectile & fundis ditatum, & Cœnobitis repletum, centenum numerum Monachorum conſtituit. Quæ videlicet Cella in fundo ſancti Petri constructa, Epiſcoporum Treberenſium multo tempore juri ſubjacuit, donec unus eorum adulteratione damnabili cuidam Reginæ ad nuptias eamdem Cellam cum caſtello quod dicitur Sericum dedit dono: & ſic deinceps a Regibus detenta eſt. Hic denique poſt aliquot annos Epiſcopatum ſuum relinquens, in ſaltu Voſagi Cellam ſibi conſtruxit, in qua & requieſcit. Cui ſucceſſit WIEMADUS. Hic Cellam ſancti Goaris ad jus ſancti Petri transferre conatus eſt: ſed violentia Pippini conatus ejus impeditus eſt: præceptum tamen regiæ auctoritatis ab eodem Pippino ſuper Cellam ſancti Maximini & aliis rebus eccleſiæ Treberenſis obtinuit, a Carolo quoque Magno Pippini filio: quod qui ſcire voluerit invenire poterit. Eo mortuo RICHBODUS[a] ordinatur Epiſcopus, deinde WIZO, poſt quem AMULARIUS FORTUNATUS Cardinalis Romanus, qui librum Officiorum compoſuit. Hic miſſus eſt a Carolo Magno Conſtantinopolim propter pacem cum Imperatore Michaele firmandam: qui Carolus multum marmor & muſeum plurimum de Treberis ad Palatium Aquis vexit, & beato Petro ad viciſſitudinem munera dedit. Poſt Fortunatum Treberis præfuit HETTI Abbas Mediolacenſis. Hic ammonitus in viſu a ſancto Materno, in 23. anno Ludovici Imperatoris aſportavit corpus ſancti Caſtoris de loco qui dicitur Cardena, ad Confluentiam, ad Monaſterium quod ipſe conſtruxerat, & prid. Id. Decembris conſecravit in honore ſancti Caſtoris & omnium Confeſſorum, & poſt conſecrationem ſanctum corpus in eccleſia recondidit, ibique Ludovicus Imperator multa dona præſentavit. Dicunt enim quidam res eccleſiarum ſancti Eucharii & ſancti Lutvvini principibus ſuis in beneficium tradidiſſe. Poſt 30. annos ſui Sacerdotii obiit, & ſepultus eſt in Monaſterio ſancti Eucharii, ante altare ſancti Joannis Baptiſtæ, in abſide aquilonari: ad cujus dexteram in altera abſide requieſcit magni germinis nobilitate clarus vir, nomine ROTGARUS. Anno dominicæ Incar. 851. Cathedram Hetti TIETGAUDUS obtinuit. Hic ſimplex ſeductus eſt a Lothario Imperatore adultero & Gonthero Colonienſi Archiepiſcopo, & conſenſit in dejectione Tietbergæ uxoris ejuſdem Lotharii falſo accuſatæ: immo diffinivit in Synodo, quod ſcilicet ipſa fuiſſet confeſſa, ſemetipſam germani fratris inceſtuoſo pollutam fuiſſe concubitu, &c.

MONUMENTA HISTORICA

ANNO 657

AD ACTA SANCTORUM PRÆMISSA ILLUSTRANDA.

I.

PRIVILEGIUM EMMONIS EPISCOPI SENONENSIS.

Pro Monaſterio ſancti Petri apud Senonas.

ex membranis Monaſterii.

DOMINIS ſanctis & ſummi culminis apicem pontificatus cathedræ ſpecula præſidentibus in Chriſto Fratribus Senonicæ civitatis comprovincialibus, CHRODOBERTO, FARONE, BERTOALDO, AUDOENO, GAUZBERTO, ELIGIO, EMMO peccator ſuplex veſter in Domino præſumit mittere ſalutem. Licet nos antiquæ regulæ conſtituta ſalubre obſervatione cuſtodire conveniat, tamen utile proviſione tractantes, id conſtituemus, ut quod ſacris deliberationibus non derogat, intrepida obſervatione ſervetur. Et quia vir venerabilis AGHILENUS Abba una cum Fratribus ſecum conſiſtentibus de Monaſterio ſancti Petri & Pauli, quem domna TEODECHILDIS Regina quondam ſuo opere conſtrnxit, vel ipſa ibidem ſuum videtur habere ſepulchrum, ſub opidum Senonis civitate, religionis ſuggeſtionis poſtulatio noſtrarum quippe aurium intima penetravit, quæ in viſcerale pietatis affectu ita cor intrinſecus ſuæ petitionem molivit, ut petita non concedere, aut certe libentiſſime non implere, noſtræ dumtaxat animæ in religioſo fore potarent. Sancto igitur deſiderio ſuccenſis ſub Regula beati BENEDICTI & modo Luſovienſis Monaſterii devota mente & integra devotione deliberant conſiſtere, noſtræ

Confer cum Vita S. Ebbonis in hujus Sæculi tomo I. pag. 601.

[a] Macarius etiam dictus, quem Alcuinus Monachum vocat in inſcriptione epiſtolæ 34. his verbis *Pio Patri & amico cariſſimo* MACARIO *Monacho & Pontifici Flacus Albinus*: ad quem exſtat etiam epiſtola 40. & de eodem epigramma 201. Brovverus cum Mediolacenſem Abbatem fuiſſe ſcribit.

Digitized by Google

ſtræ velocitatis extremitate ſupplicæ deprecationis petitionem popoſcerent, ubi nos Fratribuſque noſtris Senonicæ Eccleſiæ nobis ſub die congregatio libentiſſimo impertiret. Licet ſancta Carthaginenſis ſynodalis domni Auguſtini epiſtola jubeat Abbates Monachoſque eorum libertatis privilegium, ut nec ullo poteſtatis vinculo ab Epiſcopis detinere, ſed locis quibus ſe propriæ Monachi deliberationis inſtitutionis: cum etiam ſub hujus Regulæ diſciplina ſanctorum Agaunenſium locum, immoque Monaſteria Lirinenſis, Luxovienſis, vel baſilica domni Marcelli, de inhabitatoribus libertatem, quam a quibuſque ibidem derelictum eatenus fuiſſe ſancitum, & nunc a ſuccedentibus cuſtoditur, conſpiratione conſenſu antedicti viri poſtulationem ſanctæ religionis ſublibentiſſime annuentis ita ab omnibus, ut quæ prædicta baſilica vel Monachos in ipſo Monaſterio ſub evangelica libertate religionem viventibus ab ipſo viro vel regio munere ſeu a quibuslibet Chriſtianis in agris, mancipiis, miniſterio, ſacris voluminibus, vel quibuſcumque ſpeciebus, qui ad ornatum divinæ cultum pertinere noſcuntur, aut cæteris rebus conlata vel deinceps conlatura ſunt, præſentis vitæ noſtræ temporis ſeu ſucceſſorum noſtrorum nullus ſibi exinde aliquid Clericorum aut Pontificum, vel regalis ſublimitas, ſuis uſibus uſurpare aut minorare præſumat. Altare vero tantum in ipſo Monaſterio, & tabula benedicetur ſi defuerit, Epiſcopus Senonicæ in Dei nomine benedicat cum ſancta criſma annis ſingulis, pro reverentia Sanctorum ſine præmium muneris cauſa concedat. Et quod in ipſo altario fuerit in Dei nomine oblatum, vel ad ipſum Monaſterium ad quemcumque Deo inſpirante tranſmiſſum, nihil ſibi exinde Pontifex audeat vindicare. Et cum Abba ille fuerit de hoc ſæculo evocatus quem unanimiter omnis congregatio illa Monachorum ex ſemetipſis optima Regula compertum eligerent, a nobis vel ſucceſſoribus noſtris abſque ullo commodo ſecundum ſanctos canones ordinetur & reliquos gradus Clericorum ſine aliqua exceptione juxta quod electio docet, conſtituemus conſecrare: nullam aliam in Monaſterio poteſtatem neque in rebus, neque, ut diximus, in perſonis, quamdiu ſub ſancta Regula ipſe Abba vel ipſi Monachi ſeu ſucceſſores eorum vixerint, ſupradictus Epiſcopus, Archidiaconus, aut
* l. ſive quælibet perſona alia habere præſumat. At quodcumque de eodem Monaſterio ſicut * de barrochiis aut cæteris muneris cauſa audeat donare vel auferre. Et niſi rogitus a congregatione ipſa vel Abbate, nulli noſtrorum audeat adire ſecreta aut feminium ſepta: ut quatenus Monachi ſolitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora & ſub antedicta Regula viventes, & ſanctorum Patrum vitam ſectantes, pro ſtatu eccleſiæ & ſalute Regis vel patriæ valeant exorare. Et ſi aliter ipſi Monachi de eorum religione tepide egerint, ſecundum Regulam ipſius domni Benedicti & ſancti Columbani ab eorum Abbate; aut ſi ipſe neglexerit, ab ipſis Abbatibus qui regulariter vivunt, corrigantur, & ipſa integritate Deo adjuvante ſervetur, & ſub eo, ut diximus, privilegium eaque libertate, qua antedicta Monaſteria Monachis, noſtris, ut dictum eſt, futuriſque temporibus ſubſiſtant. Et quia nihil de canonica auctoritate convelletur, quidquid a domeſticis fidei tranquillitatem pacis tribuetur. Quod ſi quis calliditate aut cupiditate præventus viſus fuerit ea quæ ſunt ſuperius comprehenſa temerario ſpiritu violare, annum a communione omnium Fratrum ſe noverit alienum: & nihilo minus hoc privilegium Chriſto protegente perpete maneat incorruptum. Quam etiam conſtitutionis noſtræ deſinitionem manus noſtræ ſubſcriptionibus roboratam per Fratres & conſervos noſtros Abbates perpetuis temporibus valituram, ut robuſtior maneat, vobis vel ceteris deſtinavimus inſuper confirmandam ſtipulatione ſubnexa. Actum Manſolaco curte dominica anno tertio regni domini noſtri CLOTHARII Regis.

EMMO Epiſcopus.
JOANNES *a* peccator hoc privilegium conſenſit.
UNEMUNDUS *b* hoc privilegium conſenſit.
EODALDUS *c* Epiſcopus hunc privilegium conſentiens.
BERTALDUS *d* peccator hunc privilegium conſentiens.
LEOBOLDUS *e* epiſcopus.
AMICHARIUS *f* in Chriſti nomine, acſi peccator Epiſcopus, hunc privilegium conſenſit.
In Chriſti nomine GAUTIOBERTUS *g* Epiſcopus hunc privilegium conſentiens.
HUGHIERIUS *h* peccator hunc privilegium conſentiens.
CHRODOBERTUS *i* peccator hunc privilegium conſ.
BURGUNDOFARUS *k* in Chriſti nomine, acſi indignus Epiſcopus, hunc privilegium conſ.
MAURINUS *l* peccator hunc privilegium conſ.
BERTOFRIDUS *m* Epiſcopus peccator Ambianis urbis conſ.
BICGO peccator Luxogius *n* urbis Epiſcopus.
In Chriſti nomine BERCARIUS *o* etſi peccator Epiſcopus.
In Chriſti nomine CONCESSUS *p* peccator, Epiſcopus Ebrocini conſ.
HECHERIUS *q* peccator hunc privilegium conſ.
In Chriſti nomine MOMOLENUS *r* acſi peccator Epiſcopus hunc privilegium conſ.
RIGUTALDUS peccator hunc privilegium conſ.

a Arelatenſis
b Lugdunenſis
c Viennenſis
d Trecenſis
e Lingonenſis
f Sagienſis
g Carnutenſis
h an Conſtantienſis
i Pariſienſis
k Meldenſis
l Bellovacenſis
m Ambianenſis
n id eſt Lexovienſis
o Cenomanenſis
p id eſt Ebroicenſis
q Nivernenſis
r Noviomagenſis

In

In Chriſti nomine LUPUS *ſ* Epiſcopus conſentiens hunc privilegium conſ.
GAUDEMUNDUS peccator hunc privilegium conſentiens.
DEOCHARIUS *t* peccator ſerviens conſentiens.
In Chriſti nomine GYROINDUS *u* acſi peccator conſentiens.
In Chriſti nomine DRUSIO *x* acſi peccator hunc privilegium conſ.
In Chriſti nomine ego AUDEBERTUS *y* acſi indignus Epiſcopus hunc privilegium conſentiens.
In Chriſti nomine RAGNOBERTUS *z* acſi indignus Epiſcopus conſ.

ſ Cabilonenſis *t* Antipolitanus *u* Arvernenſis *x* Sueſſionenſis *y* Cameracenſis an Silvanectenſis *z* Bajocenſis.

In hoc Privilegio quædam occurrunt notanda 1. Privilegium inſcribi *comprovincialibus Epiſcopis*. CHRODOBERTO Pariſienſi, FARONI Meldenſi, BERTOALDO Trecenſi, AUDOENO Rotomagenſi, GAUZBERTO Carnotenſi, & ELIGIO Noviomagenſi, ex quibus Audoenus & Eligius non erant comprovinciales in ſtricto ſignificatu, id eſt ſuffraganei Metropolitæ Senonenſis. 2. Eligium Privilegio non ſubſcripſiſse, ſed loco Eligii, qui paullo poſt conceſsum Privilegium obiit, ei ſubſcripſiſse Momolenum ſeu Mummolenum Eligii ſucceſsorem. 3. Bicgonem in Lexovienſium, & Conceſsum in Ebroicenſium Epiſcoporum vulgatis indicibus deſiderari. 4. Incertum eſse cujus Sedis Epiſcopi fuerint Rigvvaldus & Gaudemundus: niſi Gaudemundus idem ſit qui Gaudo Aurelianenſis, & Rigvvaldus idem qui Reginaldus Silvanectenſis. 5. Ragnobertum Bajocenſem eum eſse, cujus uti & Zanonis Martyris reliquiæ e loco, qui vocatur Mons-Eccleſiæ, translatæ ſunt in Sujacum villam per Baltfridum Bajocenſem Epiſcopum *anno Incarnationis 846. Indict.* X. ut legi in ejus rei hiſtoria a Joſepho Sacerdote, Regis Aquitanorum quondam Cancellario deſcripta. De hoc privilegio lege Clarii Monachi Chronicon in tomo 2. Spicilegii.

II.

CHARTA DONATIONIS LEOTHERIÆ

ſororis S. Ebbonis, ubi ſupra.

ANNO 695 ex Monaſterii Chartario.

DOMINAE ſemper ac venerabilis baſilicæ ſancti Petri Apoſtoli, quæ eſt conſtructa ſub opidum Senonis civitate, ubi domna TEODECHILDIS Regina requieſcit in corpore, ubi venerabilis VIRALBOLDUS Abba vel Monachi ſub ſancta Regula deſervire videntur. LEOTHERIA ſive MUMMIA timens Deum, cogitans de æterna retributione, ut mihi Dominus Deus in futurum aliquid de peccatis meis minuere dignetur; vel pro loco ſepulturio corpuſculum meum, ut in ipſo ſacro loco Monaſterio ſancti Petri ſepelire mereretur. Propterea dono ipſi Monaſterio ſuperius memorato illum manſum indominicatum & ipſam eccleſiam ad ipſum manſum pertinentem, quæ eccleſia eſt in honore ſancti Petri, & illas res tam de paterno quam de materno, vel de quolibet atracto mihi obvenit, qui conjacet ipſe manſus & illa eccleſia & illæ res in pago Laſtcenſe *, in villas nuncupantes Retiaco ſive Pauliaco, cum omnes adjacentiis ſive mancipiis meis vel omnes portiones meas ſive ingrediciis, tam in manſis quam in farinariis ſeu & ſilvis, necnon & in pratis, paſcuis, aquis aquarumve decurſibus, omnium præſidium & omne genus peculium utriuſque ſexus generis, quod dici aut nominari poteſt, ſeu & inantea augere & meliorare potuero, ad ipſum Monaſterium perennis temporibus ibidem proficiat in augmentis. Si quis vero (quod futurum eſſe non credo) ſi ego ipſa aut aliquis de hæredibus meis vel ulla quælibet obpoſita perſona, qui contra hanc epiſtolam donationis venire conaverit *, & inſuper inferat partibus ipſius Monaſterii una cum fiſco auri libras duas, argenti pondus 5. eſſe multandum: & præſens donatio iſta firma omni tempore permaneat ſub ſtipulatione ſubnexa. Actum baſilica ſancti Petri. LEOTHERIA ſive MUMMIA hanc epiſtolam donationis fieri & firmare rogavi. RAGNOALDUS Diaconus rogitus ſcripſit. Teutleoterius, Lupus, Donnus, Babo, Norbertus, Magvvinus, Teoderindus, Leutbertus. Quintodecimo KL. Jun. anno quinto *a* regni noſtri Chlodovei Regis GUNDOLANDUS Presbyter ordinante domna LEOTHERIA hanc epiſtolam ſcripſi & confirmavi.

* Lauſsois.

* ſupple quædam ex ſequenti.

III.

CHARTA DONATIONIS INGOARÆ.

ſororis item S. Ebbonis.

711 ex eodem

IN nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Dum omne donum deſurſum deſcendens lumen a Patre eſſe poteſt; quia oportet unicuique pro æternam ſalutem tractare, & de caduca hujus ſæculi facultate æternam ſibi præparare, ut cum dies extrema advenerit, non inveniat unumquemque imparatum, ſed diligenter de bonis operibus præcinctum: quia Dominus JESUS-CHRISTUS ac Redemptor omnium per ſanctum Evangelium clara voce intonat dicens: Theſaurizate vobis theſaurum in cœlis, ubi nec fures veniunt, nec furantur. Facite vobis ſacculum de mammona iniquitatis, quod non veteraſcit: & alio loco, quo das parum, & comparas regnum: tribuis parvam pecuniam, & accipis ſine fine manſura. Idcirco quia omnis homo Dei conſilio ducitur, rectum videtur, ut

a Hinc patet Chlodoveum III. regnaſse annos quinq;, tametſi nonnulli annos dumtaxat quatuor ei tribuunt.

Digitized by Google

ut ipſis in omnibus & per omnia ſuum adimpleatur preceptum. Sic ego inluſtris Deo ſacrata INGOARA, ſana mente ſalubre conſilium cogitans æternam retributionem, vel pro peccaminibus meis minuendis ſeu & pro animæ meæ remedio adtraxit mihi apoſtolica vel evangelica depotatio, ut aliquid de rebus propriis meis Monaſterio ſancto Petro, qui eſt conſtructus ſub opidum civitate Senonum, ubi venerabilis CHRODOLINUS Abba vel Monachi ibi conſiſtentes præeſſe videntur, ut ibidem illis deſervientibus loco condonare deberem. Quod & ita per hanc cartulam donationis a die præſenti dono donatumque in perpetuum eſſe decerno, hoc eſt portionem meam in villa quæ dicitur Fontanas, ſitam in pago Tornodrinſe, quidquid mihi tam de paterno quam & de materno prodiit, una cum adjacentias & appendicias ad ipſas Fontanas pertinentes; ſeu & in pago Ladiſcenſe, Pauliaco & Bagnolo, & reliqua locella quæ ad ipſam villam Fontanas aſpicere videntur, tam terris, domibus, ædificiis, libertates, opera acolanorum, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, cultis, & incultis, aquis aquarumve decurſibus, omnium præſidium & omne genus peculium utriuſque generis ſexus, quod dici aut nominari poteſt, ſeu & inantea augere vel meliorare potuero, ipſo Monaſterio perennis temporibus ibidem proficiat in augmentis. Si quis vero aut ego ipſa, aut aliqui ex heredibus meis, aut qualiter ulla obpoſita perſona adverſus præſentem donationem, quam ego pleniſſima voluntate mea fieri & firmare rogavi, quolibet ingenio venire aut infringere conatus fuerit, in primis in iram æternæ Trinitatis incurrat, & a liminibus ſanctorum vel bonorum hominum Chriſtianorum vel ipſius ſancti loci extraneus excommunicatus permaneat; & inſuper inferat partibus ipſius Monaſterii una cum fiſco auri libras duas, argenti pondo quinque eſſe multandum. Præſens quippe donatio omni tempore firma ſtabiliſque maneat perſiſtendo ſtipulatione ſubnexa. Actum Senones. INGOARA donationem hanc a me factam ſciatis. In Dei nomine EBBO peccator Epiſcopus ſubſcripſi. GAUDEGENGUS Archidiaconus ſub. FILEX Lector. LEODECHINUS BOSO indignus peccator Abba. AUSTRAPIUS Lector. LEOTARIUS peccator Abba. AGOBALDUS. ERMENALDUS. Ego ERMENBERTUS rogante Deo ſacratæ Ingoaranæ hanc donationem ſcripſi & pernotavi ſub die 12. Kal. Novemb. anno primo regni domini noſtri DAGOBERTI Regis. *

IV.

PLACITUM CHLODOVEI TERTII.

De Hildulfo villa & Baccito in Baciva ſuperiore.

AN.CHR. 691 ex autographo Dionyſiano.

CHLODOVIUS Rex Francorum vir inluſter. Cum in noſtri vel Procerum noſtrorum præſentiam venerabilis vir CHROTCHARIUS Diaconus Chunebercto interpellavit dum diceret, eo quod loco noncobante Malchachildulſo villabus, ſito Bacio ſuperiore, quem ante . . . . . ſuo quondam & quod per venditionis titulum firmaverat, vel per ſua precaria poſſidit, malo ordine contradicerit, vel poſt ſe retenerit, *cetera legi nou poſſunt*.

CHROTCHARIUS *ſubſignavit*

Datum quod fecit menſis Auguſtus dies duodecim, anno primo regni noſtri.

Cum ſigillo cereo adfixo.

V.

ALIUD EJUSDEM REGIS

De Nocido ſuper fluvium Iſeræ in pago Camiliacenſi.

692 ex autographo Dionyſiano. *a* Pariſienſi *b* Bellovacenſi.

CHLODOVIUS Rex Erancorum vir inluſter. Cum nus in Dei nomine Luſarca in palatio noſtro una cum apoſtolicis viris in Chriſto Patrebus noſtris SIGOFRIDO, *a*, CONSTANTINO *b*, GRIBONE, & URSINIANO, Epiſcopis; necnon & inluſtribus viris RAGNOALDO, NORDEBERCTHO, ERMENFRIDO, Optimates; MADELULFO, TURNOALDO, Gravionebus; necnon & BENEDICTO & CHARDOINO, Seniſcalcis; ſeu MARSONE Comite palatii noſtro, ad univerſorum cauſas audiendum vel recto judicio terminandum reſederimus; ibique veniens venerabilis vir CHAINO Abba de baſilica peculiaris patroni noſtri domni Dionyſii, ubi ipſe precioſus in corpure requieſcit, adverſus inluſtris Deo ſacratæ ANGANTRUDAE filiæ Brito . . . . . INGOBERCTHO quondam, ſuggerebat dum diceret, eo quod villa nuncupante Nocito, ſita in pago Camiliacenſe, cum omni merito vel adjacentias ſuas

ſupple jugalis.

---

* Ex præmiſſis duobus inſtrumentis conſtat. S. Ebbonem natum fuiſſe in pago Tornodorenſi, cum ſororum ejus prædia eo in pago ſita fuerint, & Epiſcopum creatum fuiſse regnante Childeberto tertio, Dagoberti hujus parente ac deceſsore: quod utrumque in Vita ejus expreſsum confirmatur his litteris.

ſuas ad ſe pertinentes vel aſpicientes, quicquid ipſe Ingoberthus vel memorata Angantrudis tam de alote parentum, quam de comparato vel de qualibet adtractum ibidem tenuerint vel poſſiderint, per ſuum ſtrumentum ipſius Abbatis in integritatem firmaſſit. Unde & ipſo ſtrumentum ſeu & precarium, per quod ipſa Angantrudis pertinentium ipſius Abbatis hoc poſſedibat, in præſentem oſtendedit religendas. Eas relictas, ſed dum memorata Angantrudis ad præſens aderat, interrogata fuit, ſe ipſa villa Nocito memorato Chainone Abbati vel ad partes baſilicæ ſui ſancti Dionyſii firmaſſit, aut .·..·.· adeſſe volibat. Sed ipſa Angantrudis in præſentia fuit profeſſa, quod memorata villa Nocito una cum omne merito vel adjacentias ſuas ad ſe aſpicientis vel pertinentis, quantumcumque ipſa vel jogalis ſuus Ingoberthus de qualibet adtractum ibidem tenuerint vel poſſiderint, memorato Chainoni Abbati vel baſilicæ ſui ſancti Dionyſii per ipſo ſtrumentum firmaſſet, & ipſo ſtrumentum vel precarium ob hoc fieri rogaſſit, & auctir contra quemlibet exinde aderat, & in antea adeſſe diſponebat. Proinde nus taliter una cum noſtris Procerebus conſtitet decreviſſe; ut dum inluſtris vir Marso Comis palatii noſtri teſtimuniavit, quod hæc cauſa taliter acta fuiſſet denuſcitur, jobemmus ut memoratus Chaino Abba vel pars baſilicæ ſui ſancti Dionyſii ipſa villa Nocito una cum omne merito vel integritate ſua, inſpecta ipſa ſtrumenta, ſicut per ipſas declaratur, abſque repetitione memorata Angantrude vel ſuis heredebus omne ~~tempure~~ habeant evendegatum: & ſe * ipſius Chainone Abbati vel ſucceſſoribus ſuis agentis baſilicæ in antea fuerit neceſſitas, memorata Angantrudis vel hæredis ſui in auctiriliorum * exinde contra quemlibet ſtudiant defenſare.

Chlodovius *ſubſignavit.*

Datum ſub die Kalendas Novembris, anno ſecundo regni noſtri, Luſarca in Dei nomine feliciter.

VI.

ALIUD EJUSDEM

ANNO 792 ex autographo.

De lite Chainonis Abbatis Dionyſiani contra Ermenoaldum Abbatem.

Chlodovius Rex Francorum vir inluſter. Venientes Agentes baſilicæ domni Dionyſii, ubi ipſe precioſus Domnus in corpure requieſcit, & venerabilis vir Chaino Abba præeſſe videtur, Noviento in palatio noſtro, ſuggeſſerunt, eo quod itemque venerabilis vir Ermenoaldo Abbati ante hus annus vuaddio pro olio milli quingentas libras & vino bono modiis cento Ansebercthо Epiſcopo ipſi Chaino Abba ei commendaſſit, & taliter ipſi Ermenoaldus ſpondediſſet, ut hoc ei daret adimplire deberet; & hoc nemine feciſſet. Unde & ante dies per eorum notitias pariter ante domno Ingofrido Pontefeci placita inter ſe habuerunt, ut Madio minſe pariter anno præterito & ipſi Ermenoaldus Abba pauderis * homenis ſuam anno quarta ante ipſo Pontefici, aut hoc conjurare debiret, quod ipſo vuaddio eodem anno memorato Chainone Abbati numquam adchramiſſit, nec hoc ei dire & adimplere ſpondediſſit: quod ſe * menime fecerit, argento libras decem ad ipſo die dare debiret: quod ſe hoc non fecerit, poſtea iſta Kalendas Madias jam præteritas ante nus debirent conjungere, & inſpectas eorum in notitias eorum in terra de hac cauſa debirent deducire rationis. Unde & per ipſas eorum notitias paricolas taliter inter ſe placitum habuerunt initum. Sed venientes ad eorum placitum ipſi Agentes jam dicto Abbati Noviento in ipſo palatio noſtro, per triduos, per plures dies ut lex habuit, placitum .·..·. cuſtudiſſent, & ipſo Ermenoaldo Abbati abjectiſſent vel ſoſadiſſent, ipſi nec veniſſit ad placitum, nec Miſſo in vice ſua derixiſſet, nec ulla ſonia nunciaſſit .·.·. Proinde nus taliter una cum noſtris Procerebus conſtetit decreviſſe, ut ſe videntur per eorum notitias paricolas taliter inter ſe pro hac cauſa placitum habuerunt initum, & inluſtris vir Warno Comis palatii noſtri teſtimuniavit, quod memorati Agentis jam dicto Chainoni Abbati placitum eorum ligebus cuſtodierunt & ſuper .·.·. Ermenoaldus Abba placitum ſum cuſtodire necgliſſit; jobemus ut quicquid lex loci veſtri de tale cauſa edocit, memoratus Ermenoaldus Abba partibus ipſius Agentibus ad partes ipſius Chainone Abbatis vel baſilicæ ſui domni Dionyſii omnemodis vobis diſtringentebus componire & facire non recuſit.

Chlodovius

Datum quod fecit menſis Madius dies quinque, anno ſecundo regni noſtri, Noviento in Dei nomine fideliter. *Cum ſigillo cereo chartæ adfixo.*

* ſi

VII.

ALIUD EJUSDEM REGIS

De Monaſterii Dionyſiani immunitate a teloneis & aliis vectigalibus.

ANNO 692 ex autographo.

CHLODOVEUS Rex Francorum vir inluſter. Dum ante hus annus proavus noſter DAGOBERCTHUS condam Rex ſolidus cento exemtis de Maſſilia civetate, ſicut ad cellario fiſci potuerant eſſe exactati, Abbas ILECA peculiaris patroni noſtri domni Dionyſii, ubi ipſi precioſus in corpure requieſcit, & venerabilis vir CHAINO Abba præeſſe videtur, per ſua præceptione conceſſiſſet, & parens noſter SIGEBERCTHUS ſeu & habuncoli noſtri CHLOTHARIUS & CHILDERICUS, etiam & genetur noſter THEUDERICUS condam Reges, per eorum præceptionis hoc ibidem denuo conceſſerunt vel confirmaverunt: & taliter in ipſas præceptionis videtur habere inſertum, ut tam in ipſa Maſſilia quam & per reliqua loca in Regna noſtra, ubicumque telleneus portaticus pontaticus, rotatecus, vel reliquas reddebutionis a judicebus publecis exigebantur, de carradeci qui hoc inferre videntur, ad Miſſus ipſius baſileci nullatenus requireretur nec exegiretur, niſi hoc in omnibus annis ſingolis haberent conceſſum. Ideoque præſenti urdinatioue vobis omnino jobemmus atque ſuper omnia demandamus, ut quomodo Miſſi ipſius baſilici domni Dionyſii vel memorato Chaenone Abbati ad vos venerint, ipſus ſoledus cento exemtis ſecundum conſuetudinem in cellario abſque ulla mora vel delatione, juxta quod urdo cadaboli fuerit, omnemodis daretur adinplire faciatis, & de ipſa carradeci qui hoc inferre videntur, nec in ipſa Maſſilia, nec per reliqua loca in Regna Deo propitio noſtra nullo telleneo, nec portatico, nec pontatico, nec rotatico, nec nullas reddebutionis, nec vos, nec junioris veſtri, nec quislibet de partibus noſtis requerire nec exactare penetus non præſumatis. Vidite ut aliud ob hoc non faciatis, ſe gratia noſtra optatis habire propitia. *Cancellarii nomen legi non potuit.*

Datum quod fecit menſis Junius dies quinque, anno ſecundo regni noſtri, Noviento feliciter.

VIII.

ALIUD EJUSDEM.

De villa Baldana in pago Belvacenſi.

ANNO 693 ex autographo.

a Pictavenſi b Sueſſionenſi c Æduenſi an Rotomagenſi d an Senonenſi e is ſubſcripſit Concilio Rotomagenſi ſub Ansberto f an Pariſienſi g Bellovacenſi h Mettenſi

CHLODOVIUS Rex Francorum vir inluſter. Cum nos in Dei nomine Valencianis in palatio noſtro una cum apoſtolicis viris in Chriſto Patribus noſtris ANSOALDO, a, GODINO, b, ANSEBERCTHO c, PROTADIO, SAVARICO, WULFECHRAMNO d, CHADUINO e, TURNOALDO f, CONSTANTINO g, ABBONE h, STERANO, GRIBONE, Epiſcopis; ſeu & inluſtribus viris GODINO, NORDOBERCTHO, SARROARDO, RAGNOALDO, GUNDUINO, BLIDEGARIO, MAGNECARIO, WALDRAMNO, ERMENTARIO, CHAGNERICO, BUCCELINO, SIGOLENO, Optematis; ANGLIBERCTHO, OGMIRECTHERIO CHILLONE, ADREBERCTO, ADALRICO, GHISLEMARO, JONATAN, MODEGHISELO, Comitebus; CHRODMUNDO, GODINO, SIGOFRIDO, GHIBOINO, ERMENTEO, MADLULFO, ARICIO, AURIANO, Grafionibus; RAGANFREDO, MORILIONE, ERMENRICO, LEUDOBERCTO, Domeſticis; WULFOLAICO, AIGLO, CHRODEBERCTHO, WALDRAMNO, Referendariis; CHUGOBERCTHO, LANDRICO Seniſcalcis, necnon & inluſtri viro AUDRAMNO Comite palatii noſtro, vel reliquis quamplurimis noſtris ſedilebus ad univerſorum cauſas audiendas vel recta judicia terminanda reſediremus, ibique veniens venerabilis vir CHROTCHARIUS Diaconus in cauſa INGRAMNO Ouranolo filio CHALDEDRAMNO quondam, ordenante inluſtri viro NORDEBERCTHO, qui cauſas ipſius Ouranolo per noſtro verbo & præcepto videtur abire repertas, adverſus hominem nomine AMALBERTUS repetibat dum diceret, eoquod locello noncupante Baldæne curte ſuper fluvium Marſo, qui fuit ipſius Chaldedramno, genitori prædicto Ingramno, malo ordine poſt ſe retenuerit. Unde & per noſtras divalis præceptionis pluris placitum & res pro hac cauſa haberent initas, etiam & ad præſens ad dies quinque ante iſtas Idus Martias per alias noſtras divalis præceptionis memmoratus Chrotcharius apud ipſo Amalberto de hac cauſa placitum habuit initum. Sed veniens ad eo placito prædictus Chrothcarius Valencianis in ipſo palatio noſtro, & dum placitum ipſius in ligebus cuſtodibat, vel ipſo Amalbercthо ſubſadibat, ſic veniens ex parte filius ipſius Amalbercthо, nomine AMALRICO, ſub ſadina ſua contradixiſſit, & dum exinde in noſtri vel ſupra ſcriptis viris præſentia in rationis adſtabat, in-

interrogatum fuit ipſius Amalrico, dum ipſi genitur ſuos per noſtra regalis præceptionis
placitum apud ipſo Chrotchario habibat initum, quo ordine ac cauſa introire volibat.
Sed ipſi Amalricus nullatenus videre potuit tradi rationem, quod in ac cauſa ſtructur adve-
niſſit, niſi inventum fuit, quod contra rationis ordinem ipſa ſub ſadina contradixiſſit,
vel in ac cauſa introiſſit, ſicut fuit judecatum, ut in exfaido & fredo ſolidos quindenos
pro hac cauſa fidem facere debirit, quod ita & in præſenti perſiſtere auſus eſt feciſſet:
poſtia memmoratus Chrotcharius per triduum aut etiam amplius placitum ſuum, ut lex
habuit, cuſtodiſſit, & ipſo Amalberctho abjectiſſit vel ſubſadiſſit, ipſi Amalberctus nec
veniſſit ad placitum, nec ipſum unde Borone ſuo inluſtri viro Ermetario quondam per
ipſas præceptionis habuit achramitum * nullatenus præſentaſſit, nec nulla ſannia nunciaſ-
ſe adfirmat. Proinde nos taliter una cum noſtris Proceribus conſtetit decreviſſe, ut dum
ſupra ſcripti viri renunciaverunt, etiam & prædictus vir Adramnus ſuum præbuit teſti-
monium, quod ac cauſa taliter acta vel judicata ſeu definita fuiſſit denuſcitur, jubimus
ut antedictus Amalberctus ipſo locello Baddane curte, quicquid ibidem ipſi Chaldedram-
nus viſus fuit tenuiſſe vel moriens dereliquiſſe, cum omni integritate ſua vel ajecientias,
ſicut ab ipſo Chaldedramno fuit poſſeſſum, cum ligis beneficium, memmorato Crotcha-
rio ad partes ſupra ſcripti Ingramno omnimodis reddire & ſatisfacere non recuſit, ita ut
præſentaliter ipſo locello prædictus Chrotcharius ad partes ipſius Ingramno omne tempo-
re habuit evendecatum atque elidictum: & quicquid de fructa aut pecunia vel reliqua
rem quod dici aut nomenare poteſt de ipſo locello, ipſi Amalbertus . . . . exinde abſtra-
xit vel minuavit, vel quod Chaldedramnus moriens dereliquid; hoc cum legis benefi-
cium ſemiliter reddere ſtudiat. Et ſit * inter ipſis ex ac re in poſtmodo ſubita cauſa- * ſi
tio, ex ipſos ſolidos decem quod antedictus Amalricus ad partes ipſius Chrotchario fidem
fecit, hoc ei omnimodis componire & ſatisfacere non recuſit. LETALDUS annuit.

Datum pridie Nonas Martias annum tertio regni noſtri Valencianis in Dei nomine
feliciter. *Cum ſigillo cereo chartæ adfixo.*

IX.

PLACITUM CHILDEBERTI TERTII

ANNO 702

De Monaſterio Lemauſo in gratiam Cœnobii S. Germani.

CHILDEBERTUS Rex Francorum vir inluſter. Cum nos in Dei nomine Carra- ex autogra-
ciaco villa GRIMOALDO Majorem domus noſtri una cum noſtris ſedilebus re- pho Praten-
ſederimus, ibique veniens venerabelis vir THEDELMARUS Abba adverſus miſſo A- ſi.
DALGUDE Deo ſacrata, nomine AIGATHEO, ſuggerebat dum diceret, eo quod
Monaſteriolo in pago Stampinſe noncobante Lemauſo una cum adjacentias ſuas in qui-
buſcumque pagis adque terreturiis, villabus, domebus, ædificiis, accolabus, manci-
piis, libertis, campis, viniis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus,
farinariis, gregis cum paſtorebus, præſidis, mobilebus & immobilebus . . . . quæſita
ad integrum quicquid poſſeſſio Gammone quondam & conjoge ſua memorata Adalgu-
de fuerit, per eorum ſtrumenta ad Monaſthyrio ſancti Vincentii vel domni Germani,
ubi ipſi precioſus domnus in corpore quieſcit, quæ eſt ſub opidum Pariſius civetate
conſtructus, ubi Thedelmarus Abba præeſſe videtur condonaverant, & ipſa ſtrumenta
in præſenti oſtendit ad relegenda, relecta ipſa ſtrumenta ſollicitum fuit ipſe . . . . a no-
bis vel a Procerebus noſtris interrogaſſe, ſe aliquid contra ipſa ſtrumenta dicere aut
obponere debebat, in præſenti dicere deberet. Set ipſi taliter adſeruit, quod ipſas do-
nationis quem venerabelis vir Thedelmarus Abba proferebat, veracis aderant, & eas
recognovit, & nihil contra hoc dicere nec proponere volebat. Qui & ipſi Aigatheus
in præſenti . . . . . . pro ſe, quia niſi pro ipſa Adalgude ſe, ... ipſi Mona-
ſthyriolo Lemauſo una cum adjacentias vel adpendiciis ſuis ſuperius intentatum dixit
eſſe . . . . . Proinde nos taliter una cum noſtris Procerebus conſtetit decreviſſe, ut dum
inluſter vir ACHISLEMARUS . . . . teſtimoniavit, ita inter ipſis fuit judicatum; ut
dum contra ipſa ſtrumenta nihil habebat quod dicere nec quod obponeret, per ſua fe-
ſtuca ſe exinde in præſenti dixit eſſe. Jobemus ut ipſo Monaſthyriolo ſuperius nome- NOTA.
nato Lemauſo cum omni integritate ſua ad ſe pertenente vel aſpiciente, quem jam
dictus Gammo quondam vel conjox ſua Adalgudis per eorum ſtrumenta ad ipſo Mo-
naſthyrio ſancti Vincenti vel domni Germani condonarunt; vel quicquid ipſi Gammo
moriens dereliquit, abſque redebitione jam dicta Adalgude aut heredes ipſius omni
tempore ad partem ipſius Monaſthyrii ſancti Vincenti vel domni Germani aut Recto-
ris ſuos habeant evindecatum adque adjudicatum, nec ſit inter ipſis ex hac re in-
poſtmodo ſubita cauſatio.

CHILDEBERTUS

Datum quod fecit menſis Febroarius dies, anno 7. regni noſtri, Carraciaco fe-
liciter.

Digitized by Google

X.

ANNO 716

DIPLOMA CHILPERICI REGIS,

Quo immunitates Monaſterio Dionyſiano conceſſas confirmat.

ex autographo Dionyſiano.

CHILPERICUS Rex Francorum vir inluſter. Oportet clementiæ principale inter ceteras petitiones illud quod pro ſalute adſcribetur, & pro divine nominis poſtoletur, plagabile auditum ſuſcipere, & procul dubio ad effectum perducere : quatenus de talibus rebus præſentis ſæculi æterna conquirantur juxta præceptum Domini dicentis : *Facite vobis amicis de mammona iniquetatis*. Ergo de mammona iniquetatis juxta ipſius dictum nos oportet mercare æterna cœleſtia : ut dum Sacerdotum congrua impertimus beneficia, retrebutorem Domino ex hoc habere meriamur in æterna tabernacula. Igitur venerabelis vir CHILLARDUS Abba de baſelica peculiaris patronis noſtri domni Dionyſii Marthyris, ubi ipſe precioſus Domnus in corpore requieſcit, clementiæ regni noſtri ſupplicavit, ut juxta quod ab anteceſſorebus Regibus parentebus noſtris a longo tempore omnis emunitas de villa præfatæ ſancti baſelicæ fuit conceſſa, unde & ipſas præceptionis ſe præ manibus habire adfirmat, & hoc uſque nunc inviolabiliter adſerit eſſe conſervatum. Unde petit, ut hoc per noſtram auctoritatem dinuo pro rei firmitatis circa ipſo ſancto loco, vel homenis qui ſe cum ſubſtantia eorum ad ipſa baſilica tradunt vel condonant, juxta quod anteriores parentis noſtri vel præcelſus avuncolus noſter THEODERICUS, ſeu & conſobrini noſtri CHLODOVIUS, CHILDEBERTHUS & DAGOBERTHUS quondam Regis, per eorum auctoretates ad ipſa baſelica hoc præſtiterunt vel confirmaverunt; hoc iteratis circa ipſo Abbatem concidere & confirmare deberemus. Ideo cognoſcat Magnetudo ſeu utilitas veſtra, quod nos pro reverentia ipſius ſancte loce, vel pro quietem ibidem Deo famolancium, prumtiſſima voluntate denuo conceſſiſſe & in omnebus conſermaſſe veſtra cognoſcat ſolertia. Quapropter per hunc præceptum quod ſpecialius decernemus, & in perpetuo volemus eſſe manſurum, jobimmus, ut neque vos, neque juniores ſeu ſucceſſores veſtri, neque quislibet de judiciaria poteſtate accinctus in curtis præfatæ ſanctæ baſelicæ domni Dionyſii, ubi & ubi, in quaſcumque pagus in Regna Deo propitio noſtra, quod a die præſente pars ipſius Monaſtirie poſſedire vel dominare veditur, vel quod a Deo timentebus hominebus per ligetema inſtromenta ibidem fuit conceſſum, aut in antia fuerit adetum adque delegatum, nec ad cauſas audiendum, nec ad fidejuſſiones tollendum, nec ad freda exigendum, nec ad manſionis faciendum, nec paratas, nec ullas redebutiones requerendum, ingredire nec exigere quoque tempore penetus non præſumatis, niſi quicquid fiſcus noſter exinde potuerit eſperare; omnia & ex omnibus pro mercidis noſtri compendium cum omnis fredus ad integrum ſibimet conceſſis, ut dictum eſt, inſpectas ipſas præceptionis anteriorum Regum, parentum quondam noſtrorum, vel juxta quod præſens noſtra continere videtur auctoretas, quicquid ipſe ſanctus locus a die præſente, ut diximus, habire videtur, quam quod in poſtmodum a Deo timentebus hominebus vel a nobis fuerit adetum vel conlatum, ſeu quicumque juſte & rationabiliter cum omne ſubſtantia ad ipſo Monaſtirio ſe tradediret, & res ſuas per ligidema inſtromenta ibidem delegaverit vel firmaverit; ſub integra emunitate a die præſente valeat reſedire quietus adque ſecurus : & , ut dictum eſt, quicquid exinde forſitan fiſcus noſter ſperare potuerat, in luminarebus vel eſtipendiis ſeu & in elimoniis pauperum ipſius Monaſtirie perenniter pro noſtris oracolis ad integrum in omnia & ex omnibus ſit conceſſum adque indultum, ut eis melius delectit pro eſtabilitate regni noſtri, vel pro quietem quibuslibet chartis leodis noſtris Domini miſericordia adtentius deprecare. Et ut hæc auctoritas noſtris & futuris temporebus circa ipſo ſancto loco perenniter firma & inviolata permaneat, vel per tempora inlæſa cuſtodiatur adque conſervetur, & ab omnibus judices melius credatur; manus noſtri ſubſcriptionebus ſubtus eam decrivemus roborare.

Cancellarii nomen legi non potuit. CHILPERICUS Rex.

Datum ſub die pridie Kalendas Martias, anno primo regni noſtri, in Dei nomine Compedio feliciter.

Cum ſigillo cereo chartæ adfixo jam pene deleto.

XI. ALIUD

Digitized by Google

XI.

ALIUD EJUSDEM REGIS.

ANNO 716

De immunitate teloneorum, &c.

CHILPERICUS Rex Francorum viris inluſtrebus omnis telenariis Maſilienſis. Dum & ante hus annis proavus noſter DAGOBERTHUS quondam Rex ſolidus cento exemtis de Maſſilia civetate, ſicut ad cellario fiſce potuerant eſſe exactati, Abbas ELECA peculiaris patroni noſtri domni Dionyſii, ubi ipſe precioſus in corpure requiiſcit, & venerabelis vir CHILLARDUS Abba præeſſe veditur, per ſua præceptione ſua manu roborata conceſſiſſit, ſeu & domnus vel genetur noſter CHILDERICUS, etiam & abuncoli noſtri CHLODOCHARIUS & THEODERICUS quondam Regis, etiam & nos poſtia per noſtra præceptione hoc ibidem dinuo viſe fuemus conceſſiſſe vel confirmaſſe; & taliter in ipſas præceptionis vel litteris habere inſertum, ut tam in ipſa Maſſilia quam & per reliqua loca in Regna Deo propitio noſtra, ubicumque telleneus portaticus, pontaticus rotaticus, vel reliquas redebutionis, quod a judicebus publicis exigetur, de carra eorum qui hoc inferre vedintur, ad Miſſus ipſius baſilicæ nullatenus requeratur nec exigitur, niſi hoc in omnebus annis ſingolis habeant conceſſum. Ideoque præſenti urdenatione vobis decernemus & omnino jobemmus, ut quomodo Miſſe ipſius baſelicæ domni Dionyſii, vel memorato Abbati hoc eſt .... cum paris ſuos ad vos venerint, ipſus ſolidus cento exemtis, ſicut ex cellario noſtro ſecundum conſuetudinem abſque ulla mora vel delatione, juxta quod Ordo tataboli * fuerit, omnimodis eis dare & adimplire faciatis: & de ipſa carra qui hoc inferre vedintur, nec in ipſa Maſſilia, nec per reliqua loca in Regna Deo propitio noſtra, nullo telloneo, nec portatico, nec pontatico, nec rotatico, nec reliquas redebutionis, nec vos, nec junioris veſtri, nec quislibet de partebus noſtris requirere nec exactare penitus non præſumatis. Videtis ut aliter ob hoc non faciatis, ſe gratia noſtra obtatis abire propitiam.

ex autographo.

* catholici in alia charta

THEODEBERCTHUS recognovit.

Datum quod fecit menſis Martius dies quinque, anno primo regni noſtri, Compendio in Dei nomine.

Cum ſigillo cereo.

XII.

PLACITUM EJUSDEM

ANNO 716

De quibuſdam rebus Monaſterii Dionyſiani.

CHILPERICUS Rex Francorum vir illuſter. Cum in noſtra vel Procerum noſtrorum præſentia Compendio in palatio noſtro homo aulicus, nomine FRIULFUS, venerabeli viro MARTINO Præpoſito de baſelica peculiaris patroni noſtri ſancte Dionyſii interpellavit dum diceret, eu quod portione ſua de parte ſocero ſuo EDRONE quondam in loco noncopante ſuperiore Bacivo ad eo ligebus provenire deberet, ei malo ordine contradicerit vel poſt ſe retinuit. Qui * ipſe Martinus dedit in reſponſis, quod eſtromentum habibat, quem filius ſupraſcripto Edrone quondam, nomine EODO, venerabili viro CHRODDARIO Monacho ſancti Dioniſii vindediſſit, & ipſam vindicionem in præſente oſtendebat relegendam. Relicta ipſa venditione ſed dum inter ſe intenderint, ſic a Procerebus noſtris fuit judicatum, ut illa medietate de ipſa portione in jam dicto loco ſuperiore Bacivo jam dictus Martinus ad partes ipſius ſancti Dioniſii abire dibiad. Proinde nos taliter una cum noſtris Proceribus conſtetit decreviſſe, ut dum inluſter vir WARNO Comis palatii noſtri teſtemoniavit, fuit judecatum, quod a cauſa ſic acta vel inquæſita fuiſſet denuſcetur; jobimmus ut memoratus Martinus ipſa medietate de jam dicta portione in ipſo ſuperiore Bacivo, quicquid ad ipſam medietatem aſpicere veditur, una cum terris, domebus, edeficiis, acolabus, campis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſebus, adjacentiis, appendicii ad ſe pertenentis, pecuniis, præſidiis, farinariis, gregis cum paſthorebus, omnia & ex omnibus rem exquiſitis illa medietate ad integrum inſpecta vel eſtante eorum eſtromenta, abſque repetitione ſupra ſcripto Friulfo vel heredis ſuos ad partes ſancti Dioniſii omni tempore habeant evendecata adque elidicata, & ſit inter ipſo Friulfo ſuiſque heridebus vel agentis domni Dionyſii omni tempore ſubita cauſatio; & dum ipſe Martinus in cauſa ipſius baſelicæ domni Dioniſii contra ipſo Friulfo tam illa fructa de illa alia medietate, quam & illa fide facta per vadio ſuo in præſente viſus fuit tranſ-

ex autographo.

* pro Cui

tranſſelſiſſe, jobimmus ut omni tempore tam ipſe Martinus vel pars domni Dioniſii abſque repetitione ipſius Friulſo vel heridis ſuos de ipſa fide facta vel ipſa fructa ductus & ſecure valeant reſedire.

ERMEGRANNUS recognovit.

Datum quod fecit menſis Marcius dies ſeptem, anno primo regni noſtri, Compendio in Dei nomine.

Cum ſigillo cereo chartæ adfixo media jam parte detrito.

XIII.

ANNO 716 ex autographo.

PRÆCEPTUM EJUSDEM REGIS.

De centum vaccis.

CHILPERICUS Rex Francorum inluſter. Se rata parentum noſtrorum conſervammus, regia conſuetudine exſercemus, & noſtra in poſtmodum eſtabelis eſſe confidemus; præcipue petitionebus Sacerdotum, quod pro eorum confirmanda beneficia pertenit, libenter obaudimus, vel effectui in Dei nomine mancipammus, hoc nobis ad mercedis noſtri augmentum pertenire confidemus. Ideoque venerabelis vir CHILLARDUS Abba de baſelica peculiaris patronis noſtri domni Dionyſii, ubi ipſe precioſus Domnus in corpure requiiſcit, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quod bonæ memoriæ proavus noſter DAGOBERCTHUS quondam Rex, per ſua auctoritate manu ſua roborata, cartas cento ſoldaris quod in inferenda de pago Cinomanneco in fiſci ditionebus ſperabatur, ad ipſa ſancta baſelica annis ſingulis conceſſiſſit. Unde & juſſionem ipſius Principis ſeu & confirmationis avo noſtro CHLODOVEO, & bonæ memoriæ genitore noſtro CHILDERICO, vel avuncolo noſtro THEODERICO, ſeu & conſobrinus noſtrus CHLODOVIO, CHILDEBERCTHO & DAGOBERCTHO quondam Regebus, eorum manebus roboratas, ſe ex hoc præ manebus habere adfirmat: & ſicut ipſe beneficius ad ipſa baſileca ab ipſis Principebus fuit conceſſus vel indultus, annis ſingolis a judiciaria poteſtate loci illius reddire vel adimplire commemoratur. Sed pro firmitatis eſtudium petiit Celſitudini noſtri, ut hoc circa ipſo Abbati vel memorata ſancta baſileca noſtra hoc plenius deberetur. Rex eas perpetualiter confirmare, ipſius petitionem pro reverentia ipſius ſanctæ locæ gradante animo . . . vel in omnibus confirmaſſe Veſtra compeſiat Magnitudo. Præcipientes enim jobimmus, ut ſi conſtat ante dictus Princeps DAGOBERCTHUS quondam Rex ipſas vaccas cento inferendabus de ſupra ſcripto pago Cinomanneco, quod annis ſingolis in fiſci ditionibus ſperabatur, per ſua auctoritate ad ipſa baſelica conceſſit, & hoc a judiciaria poteſtate annis ſingolis conſervare vel adimplire vedintur; ita & deindeps inſpectas ipſas auctoritates vel confirmationes prædictis Principebus per noſtrum præceptum plinius in Dei nomine confirmatum circa ipſo ſancto loco perenniter in omnebus videtur eſſe conſervatum adque indultum, & ibidem noſtris & futuris Deo auſiliante temporebus proficiat in augmentis: ita ut eis melius delectit pro eſtabelitate regni noſtri ad ipſo ſancto loco Domini miſericordia adtentius deprecare. Et ut hæc auctoritas firmior habiatur, & per tempora conſervetur, manus noſtri ſubſcriptionebus ſubter eam decrivemus roborare.

CHILPERICUS Rex. *Cancellarii nomen legi non potuit.*

Datum quod fecit menſis Martius dies ſexdecim, anno primo regni noſtri, Compendio in Dei nomine.

XIV.

ANNO 717 ex autographo.

DIPLOMA CAROLI MAGNI,

Quo Theodoldum Comitem abſolvit a ſuſpicione criminis leſæ majeſtatis.

CAROLUS gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum & Patricius Romanorum. Præſpicue compendiis regalibus illud adſcribitur, quod pro contemplatione ſervitii fidelibus ſuis largiente Domino conſultiſſime muneratur. Quapropter dum omnibus non habetur incognitum, qualiter ſuadente diabolo PIPPINUS filius noſter cum aliquibus Dei infidelibus ac noſtris, in vita & Regno nobis a Deo conceſſo impie conatus eſt tractare, & Domino Jeſu-Chriſto miſerante non prævaluit eorum perfidia. Fuerunt namque aliqui in noſtra præſentia convicti, & ſecundum judicium Francorum dijudicati: aliqui vero fideles per judicium Dei ſe exinde idoniaverunt: ſicut THEO-

DOL-

DOLDUS Comes fidelis noſter viſus eſt feciſſe : cui & nos omnes res proprietatis ſuæ juxta ejus deprecationem & ſervitio ac meritis compellentibus denuo & noſtro largitatis munere, quantumcumque ex hereditate parentum aut de qualibet adtractum juſte & rationabiliter antea poſſiderat, cum Dei & noſtra gratia jure firmiſſimo ad legitimam proprietatem reddi fecimus, & per auctoritatem noſtram pleniſſima deliberatione confirmavimus. Statuentes ergo jubemus, ut quidquid ex ſucceſſione parentum vel per ſtrumenta cartarum tunc tempore, ut diximus, juſte & rationabiliter cum æquitatis ordine jure ereditario viſus fuit habere vel dominare, per hoc noſtræ Serenitatis atque confirmationis præceptum cum Dei & noſtra gratia amodo & deinceps tenere & poſſidere valeat, & ſuis poſteris aut cui voluerit Domino favente ad poſſedendum derelinquat. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur, & diuturnis temporibus auxiliante Domino melius conſervetur, manu propria ſubter eam decrevimus roborare, & de anulo noſtro juſſimus ſigillari. Signum CAROLI glorioſiſſimi Regis. ERCANBALDUS relegi & ſubſcripſi. Data pridie Aprilis anno 28. & 22. regni noſtri. Actum Aquis palatio regio in Dei nomine feliciter.

XV.

CHARTA DROGONIS COMITIS,

AN. CHR. 1030. ex chartis Monaſterii.

Qua Monaſterio Gemeticenſi vendit jus Advocati.

In nomine Patris & Filii & Spritus-ſancti.

EGO DROGO nutu ſuperni Regis Comes patriæ Ambianenſis, vitam & ſanitatem Chriſtianis omnibus, cum vitæ utriuſque profectibus. Volo notum eſſe tam dominis meis quam fidelibus ſociis & hæredibus cunctiſque quos movet cauſa vel ratio hujus chartulæ, hoc quod loquitur nunc ſcriptis olim factis poſt alios me firmaſſe. Confer Præfationem Partis I. nu. 112.

Regina Francorum BATHILDIS Regi Regum ancillata multimode, ſicut multipliciter reperitur ejus in geſtis, inter cætera quæ reliquit poſteris ſuæ bonitatis exempla, quæ etiam juſte conſtituta ſunt in memoria æterna, quamdam villam quæ Geneſtevilla vulgo dicitur, & proprie in ſumptus regios expendebatur; dedit ad Gemeticenſis Abbatiæ capitale Monaſterium, quod in honore ſancti Petri Apoſtolorum Principis eſt antiquitus dedicatum; illam vero ne quiſquam exinde ſibi vindicaret ſaltem in aliquo violentia cupiditatis humanæ facto & confirmato legaliter teſtamento dedit in perpetuum poſſidendam jure hæreditario cum ſuis omnibus appendiciis, manſionibus, eccleſiis, molendinis aliiſque hujuſmodi quampluribus, quæ juſte vel injuſte mundanis uſurpantur legibus. Hoc autem ſicut tunc manſit firmatum, ſic poſtea permanſit omnimodis firmum uſque ad tempus avi mei, ſcilicet WALTERI, & ejuſdem loci Abbatis, videlicet ROTDRICI, qui quorumdam ſæcularium malitia urgente coactus poſtulavit ab illo, ut ex ea terra ſibi fieret adverſus adverſarios Advocatus & taliter legis mundanæ ſuccreſcente ſuperfluo uſu illa cœpit fatigari diverſi cenſus innumero ritu ad votum Advocatorum uſque ad tempus meum. Quapropter vir bonæ memoriæ THEODERICUS tunc temporis Abbas ſupra dicti Cœnobii factus, miſerias incolarum condolens & eam compaſſione intima ferens, ſtuduit a me obtinere meritis & precibus, ut ſuperſtitio tanta vel talis abdicaretur penitus. Inde igitur Rothomagenſis monetæ ſexaginta & duas libras mihi obtulit, nechon & ſex equos permagni pretii præſentavit, & inſuper tres Monachos permiſit deinceps futuros aſſidue in prædicto Monaſterio, qui regulariter militarent pro animarum quarumcumque vellem remedio. Ego autem hominem Dei offendere nolens, immo Deum in homine diligens ſimul ac formidans, hoc ut ſubveniret ad redemptionem animarum ſuarum avo meo & aviæ, ſub quorum manibus illa xenia increvere, ut adhuc ſuccurreret patri meo vel matri, quorum incuria tributarios cenſus conſtat non tam quieſcere quam removeri; ut inſuper mihi & conjugis meæ Evæ (vel Emmæ) nomine, cunctiſque noſtris ex carne noſtra hæredibus animarum & corporum adcreſceret ſalus, recepi oblata, conceſſi petita hujus prolocutionis conventione alterna. Quod qualiter actum ſit ut liquido pateat, terram jamdictam quæ ad ſupradictam Abbatiam quamvis inquiete, poſſeſſive tamen pendebat, quoniam manus noſtra & noſtrorum conſuetudinibus variis & exactionibus diverſis eam inquietabat, ligatam exſolvi, ſolutam dimiſi, dimiſſam reddidi, ſcilicet poſtmodum immunem a conſuetudinaria exactione, ſecuram ab exactoria conſuetudine; & ut brevius ac dilucidius dicam, omnino a noſtra tam in bono quam in malo advocatione & ex integro liberata a noſtris noſtrorumque legibus, Monachorum tantummodo Gemeticenſium inſerviret uſibus, quamdiu moveretur præſentis ſæculi volubile tempus. Ut autem hujus conventionis laudabile pactum ſtabile permaneret extunc in perpetuum, inde hoc ſcriptum fieri juſſi, & manu propria corroboravi. Quod ſi quis meorum hæredum vel aliorum, quod Deus prohibeat, quorumlibet ſucceſſorum infringere præſumpſerit vi vel quolibet ingenio ex omnibus quæ loquitur, nedum in multis, ſaltem in uno; in primis iram Dei omnipotentis incurrat, ejuſque Virginis matris

ad eum placandum auxilio careat, & a B. Petro cœleſtis aulæ clavigero retrorſum præcipitetur, atque a Sanctis omnibus vinculo maledictionis, niſi reſipuerit, conſtringatur. Anno ab Incarnatione Domini 1030. Indictione * regnante Rege Francorum ROTBERTO anno regni ſui 42. & filii ejus concorditer cum eo regnantis anno jam quarto HENRICI. Actum eſt hoc apud caſtrum Melantem nominatum ſub aſſignatione horum teſtium. S. Ego HENRICUS gratia Dei Francorum Rex hanc chartam a beatæ memoriæ patre meo ROTBERTO confirmatam regia auctoritate ſimiliter confirmo, laudo, & ſtabilio. S. ROTBERTI Northmannorum Ducis. S. WALTERI Statueli. S. SANSONIS de Tarri. S. ARNULFI Præpoſiti. S. Wilterii filii Beboni. S. Gozelini Præpoſiti. S. Widonis. S. Genſelini. S. Addonis. S. Ivo de Archuilo. S. Odonis Morel. S. Rainardi Sineſcal. S. Herzelini clerici. S. Hildegarii theſaurarii. Signum DROGONIS † Comitis qui hanc chartulam fieri juſſit. S. WALTERII † filii ejus.

ADDITIONES ET CORRECTIONES

Ad Partem Primam Sæculi tertii.

AD *quæſtionem de Azymo*, *quæ in Præfatione Partis primæ hujus Sæculi agitata eſt*, *hæc addenda num. 66. lin. 2.* In primis occurrit ſanctus Auguſtinus in ſermone octogeſimo tertio de diverſis, ubi recens baptizatis exponens menſæ dominicæ ſacramentum, ſingula quæque traducit ad mores; & de pane quidem ſic loquitur: *Commendat vobis in iſto pane quodammodo unitatem amare. Numquid enim panis ille de uno grano factus eſt? nonne multa erant tritici grana? ſed antequam ad panem venirent, ſeparata erant: per aquam conjuncta ſunt, & poſt quamdam contritionem. Niſi enim molatur triticum, & per aquam conſpergatur, ad iſtam formam minime venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jeiunii humiliationem exorciſmi ſacramento quaſi molebamini: acceſſit baptiſmum & aqua: quaſi conſperſi eſtis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſine igne. Quid ergo ſignificat ignis? hoc eſt chriſma.* Auguſtinus his aliiſque verbis accurate ſingula diſtinguit, granorum contritionem, conſperſionem & conjunctionem per aquam, coctionem: altum de fermento ſilentium ſatis innuit, illud eo tempore inuſitatum fuiſſe. Adde ſanctum Doctorem uti vocabulo *conſperſi*, quo maſſam ſine fermenti admiſtione aqua conglutinatam ſignificari patet tum ex B. Pauli epiſtola ad Corinthios prima, tum ex aliis Auctoribus. Porro iſte Auguſtini ſermo adducitur ab Algero in libro primo de Euchariſtia, capite nono-decimo. Auguſtinum ſequitur Iſidorus, &c.

In fine num. 76. poſt verbum adduxi.

His argumentis a Sirmondo objectis addo aliud ex Formula *Renuntiationis* ab Armeniis quondam exigi ſolitæ, *quum ad Fidem orthodoxorum Romanorum revertebantur*: quæ Formula his diebus edita eſt a viro eruditiſſimo Joanne Baptiſta Cotelerio in Notis ad librum quintum Conſtitutionum apoſtolicarum. In variis autem anathematiſmis, quos proferunt reſipiſcentes, hic legitur: εἴ τις οὐ βάλλει εις τὴν προσφορὰν ζύμην καὶ ἄλας, οὐδὲ ἅγιον ποτήριον (forſan οὐδε ὕδωρ εἰς ἅγιον ποτήριον) μετὰ τοῦ οἴνου, ἀνάθεμα: quem verſum ita Latine reddit vir clariſſimus. *Si quis in panem oblationis non immittit fermentum & ſal, nec aquam cum vino in ſanctum calicem, anathema ſit.* Quo ex loco id conſequi videtur, Latinos aliquando, hoc eſt eo tempore quo iſta profeſſio condita eſt, (quo vero tempore condita eſt, non apparet: niſi quod condita eſt poſt ſeptimam Synodum in ipſa memoratam, id eſt poſt medium ſæculum octavum) fermentum & ſal immiſiſſe in panem oblationis: cum Armenii *ad Fidem orthodoxorum Romanorum redeuntes*, diras pronuntiaverint contra eos qui ſecus agerent. Primo conſpectu non parum, fateor, movit me iſte locus: nec video qua ratione ſolvi poſſit, niſi reponendo, Formulam iſtam eſſe Armeniorum in concordiam redeuntium, non cum Latinis, ſed cum Græcis; deceptumqne fuiſſe Orthodoxorum vocabulo amanuenſem, qui ob id in lemma Formulæ intruſit nomen *Romanorum*, ratus non alios eſſe Orthodoxos quam Romanos: aut potius dicendum, Romanorum nomine comprehendi atque hoc loco deſignari Chriſtianos Græcæ communionis: quo ſenſu uſurpatur tum in Formula Renuntiationis Manichæorum apud eumdem Cotelerium pag. 374. tum in Theoriani Dialogo adverſus Armenios paſſim, tametſi poſt ſchiſma Græcorum. Sane Latino-Romani ab Armeniis nullatenus exigere potuerunt prædictum anathematiſmum, cum æque profeſratur adverſus eos, qui ſalem removebant a pane ſacrificii. Atqui numquam, ſaltem ante annos mille, Romana Eccleſia ſalis uſum permiſit in oblatione ſacra, ut conſtat ex Alcuini epiſtola ſuperius memorata, in qua Hiſpanos quoſdam erroris arguit, quod dicerent *ſalem eſſe in ſacrificium corporis Chriſti mittendum. Quam conſuetudinem*, inquit, *nec univerſalis obſervat Eccleſia, nec Romana cuſtodit auctoritas.* De Azymo hactenus.

In S. TETRICI, *pag. 91. in Notæ 1. lin. 1. l.* hactenus eſt Monaſterium Canonicorum regularium ſub titulo S. Hilarii & S. Laurentii, ut me monuit venerabilis vir D. Ludovicus Natalis Dami, *&c.*

In S. EBBONIS, *pag. 602. in fine num. 4. adde*: Theodechildis corpus eo in loco retectum eſt anno 1643. inventaque ejus urna cum hac ſubſcriptione: QUARTO KALEND. JULII TRANSIIT DOMNA THEODECHILDIS REGINA. Ejus reliquiæ in ſacrario repoſitæ, ut legitur in ejus rei narratione typis Gallice vulgata Rotomagi anno inſequenti. Retecta eſt etiam urna Baſoli Ducis; ſed eo loco dimiſſa, ubi inventa fuerat.

In WIDRADI, *pag. 640. num. 11. l. 1. l.* De Corbiniaco Monaſterio, S. Leonardi, *&c.*

A D-

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA

In duobus Sæculis primis.

QUod ſubinde nonnulla immutare & addere cogor in iis, quæ ad priora Sæcula pertinent; duæ ſunt res in cauſa: una, quod folia edita ex integro relegere cum non potuerim variis lectionibus occupatus; aliquando dum ea conſulendo percurro, incido in quædam errata, quæ mox notare convenit: altera, quod legendo proficiens, quædam obſervo prioribus Sæculis, opportuna, quæ in adverſaria redigo ne excidant. Utraque proinde in ſubſequentia Sæcula conjicio, ut ſi aliquando priora Sæcula recudantur, errata & additamenta iſta habeantur in promtu.

IN SÆCULO PRIMO.

IN PRÆFATIONE, *pag.* 10. *lin.* 5. *l.* Hippone in Africa. *Pag.* 11. *num.* 23. *lin.* 1. *l.* circa annum 430. *pag.* 12. *in tit.* §. *l.* ipſiuſque Regulæ, & *dele* Regulæ *in margine*. *Pag.* 13. *in fine num.* 19. *poſt* affirmat, *adde*: Illud etiam rem omnino evincit, quod S. Paterius Gregorii diſcipulus, & Tajo Cæſarauguſtanus Epiſcopus, Gregorio ſuppar, in ſua quiſque collectione locos referunt ex vulgatis quatuor libris Dialogorum. *Pag.* 41. *lin.* 16. *poſt* deſignavit, *adde*: Hunc locum Florus Subdiaconus Lugdunenſis commemorat in Collectaneo ex ſententiis Patrum, tomo nono Bibliothecæ Patrum. *Pag.* 42. *lin.* 32. *poſt* Orario, *adde*: Neque his obſtat quod Stephanus Papa & Martyr conſtituit, ut Sacerdotes & Levitæ veſtes ſacras in quotidiano uſu non haberent, teſte Notkero in Martyrologio 4. Nonas Novembris. Hoc enim ſtatutum de toto apparatu Diaconi, non de aliquo ornamento, quod eſſet indicium & ſignum Ordinis ejus, intelligendum videtur. *Pag.* 43. *num.* 3. *lin. antepenult. l.* Mettenſis Epiſcopus. *Pag.* 44. *lin.* 39. *poſt* inſulas, *adde*: De eo Cœnobio idem ſcribit Ordericus Vitalis in Hiſtoriæ lib. 11. pag. 835.

In INDICE PRÆTERMISSORUM, *ubi de S. Ægidio lin.* 2. *poſt* nancti ſumus, *adde*, quorum unus FULBERTUS Carnutenſis Epiſcopus. *Item ubi de Gregorio Turonenſi Epiſcopo, adde in fine*, cujus Vitæ auctor eſt ODO Abbas, an Cluniacenſis, ex codicibus mſſ. *Item ubi de Joanne Abbate Pinnenſi, adde id quod de eo habet Notkerus in Martyrologio* 14. *Kal. April. Adde item Silverium Papam in hoc Indice, bis verbis*: Silverius Papa, qui ſedit anno uno. Qui conſentiente Juſtiniano Imperatore a Beliſario Patricio depoſitus & Monachus factus, (nempe in Monaſterio inſulæ Palmariæ) in exſilio Confeſſor moritur. Sic Notkerus in Martyrologio 13. Kal. Julii.

In VITA S. SCHOLASTICÆ, *pag.* 28. *in titulo*, *l.* Schireburnenſis in Anglia Weſt-Saxonica.

In S. ROMANI, *pag.* 80. *in Nota* a *l.* Fontisrogi. *Et pag.* 82. *in Notæ* b *lin.* 9. *poſt* relatis, *adde*: Hæ litteræ editæ ſunt in tomo 2. Spicilegii pag. 579. & ſeqq.

In S. ALBINI, *pag.* 105. *num.* 19. *lin.* 4. *ad nomen* Germanus *appone hanc Notationem*: In Notis V. C. Stephani Baluzii ad Servatum Lupum pag. 378. exſtat charta Nefingi Epiſcopi Andecavenſis, in qua Eccleſia B. Albini a S. Germano Pariſiorum Epiſcopo, voluntate & imperio Childeberti Regis, ante portam Andecavenſis urbis fundata memoratur.

In S. GERMANI, *pag.* 228. *in fine Notæ* a, *adde*. Et tamen Germanus Biturigenſem pagum ſæpe adire ſolebat, teſtante Gregorio Turonenſi Epiſcopo in lib. de gloria Conf. capp. 80. & 92. item Andecavenſem pagum ex dictis in Vita S. Albini. *Item pag.* 230. *num.* 60. *lin.* 2. *l.* veſtigio. *Et pag.* 233. *poſt Epitaphium*, *adde*. Præter ea quæ de S. Germano commemorat Fortunatus, Charibertum Regem ob duas uxores vir ſanctus arguiſſe fertur in Apologia Henrici IV. Imperatoris tomo 1. Scriptorum Germaniæ a Frehero collectorum. Exſtat S. Germani epiſtola ad Brunechildem apud Cheſnium in tomo 1. Hiſt. Franc. pag. 855.

In S. SEQUANI, *pag.* 250. *num.* 4. *lin. ult. l.* fulgidum decus. *Item num.* 5. *lin.* 2. *l.* præponere.

In S. RADEGUNDIS, *pag.* 309. *num.* 1. *lin. antepenult. l.* ſum puſillanimis.

In S. EBRULFI, *pag.* 335. *in fine Obſervationis præviæ adde*: Eamdem Vitam metro edidit Joannes ex Scholaſtico Remenſi Monachus Uticenſis, teſte Orderico Vitali in lib. 5. pag. 586.

In S. COLUMBÆ, *pag.* 342. *in fine Obſervationis adde*: Cummeneus Albus is eſſe videtur, qui ſcripſit epiſtolam ad Segienum Abbatem Hiienſem, apud Uſſerium in Hibernicis epiſtolis undecimam. De Columba & Cœnobio Hiienſi lege Notkeri Martyrologium 5. Idus Junii. De ejuſdem Monaſterii reſtitutione per Margaritam Scottorum Reginam agit Ordericus Vitalis in Hiſtoriæ lib. 8. pag. 701. 702.

In S. GREGORII, *pag.* 379. *in fine Obſervationum adde*: Petrus Damiani in Opuſc. 19. cap. 8. meminit fontis S. Gregorii, &c. Monachum fuiſſe Gregorium patet ex iis quæ de eo in Præfatione diximus: patet etiam ex decreto quod Bonifacius Papa IV. in gratiam Monachorum edidit anno 610. denique ex Synodo Romana ſub Agathone Papa habita, in qua Andreas Oſtienſis & Joannes Portuenſis Epiſcopi beatæ memoriæ Gregorium ejuſque *ſyncellitam* Auguſtinum laudant, apud Spelmannum in tomo 1. Conc. pag. 160. *In eadem Vita S. Gregorii, pag.* 409. *lin.* 49. *dele* Euſebius.

In S. AUGUSTINI, *pag.* 485. *nu.* 1. *lin.* 5. *l.* Gotſelmus, corrupte Gotſelinus. *Et pag.* 486. *in fine nu.* 4. *adde*: Nominis error eſt apud Pitſeum, qui Gotſelmi lucubrationem hanc Nothelmo Monacho tribuit in libro de Scriptoribus Anglicanis. *Item pag.* 501. *in margine l.* Virgilium de quo Sæculo ſecundo.

In S. MAXENTII, *pag.* 560. *num.* 1. *lin.* 4. *l.* exſuperans natale. *Et pag.* 561. *nu.* 2. *l.* Agapius.

In S. MAXIMINI, *pag.* 563. *num.* 1. *lin.* 7. *l.* cap. 16.

In S. AVITI, *pag.* 594. *num.* 3. *in fin. poſt* credidit, *adde*: De hoc Avito Abbate Pertenſi celebris eſt mentio in Martyrologio Hrabani 15. Kal. Julii, ubi multa ſingularia de eo commemorat.

Digitized by Google

In S. JOANNIS, *pag.* 613. *num.* 2. *adde in fine* : Cum ergo interlocutor inducitur Lætus, qui Joannis epiſtolam ad Secundinum Patricium detulit; id oratorio modo præſtat Jonas : ſiquidem jam longe obiiſſe debuerat Lætus, qui forſan iſtud factum in litteras retulerat. *Et poſt num.* 3. *adde*: Joannis Abbatis Reomaenſis memoria celebris eſt in vetuſtis Martyrologiis 5. Kal. Febr. quo die apud Notkerum HICANES appellatur.

In S. CARILEFI, *pag.* 629. *lin.* 3. *fac Notam ad verbum* Julii, *hoc modo* : Ipſo die celebratur in vetuſtis Martyrologiis, præcipue Hrabani, qui eum ARELEFUM vocat. In libro mſ. de geſtis Pontificum Treverenſium mentio eſt alterius Karilefi, qui cum aliis in monte Cebena, poſtea S. Pauli dicto, ſolitariam vitam egiſſe dicitur. Legi teſtamentum ſeu litteras Karilefi Sacerdotis & Monachi, quibus Monaſteriolum ſuum ſubjicit Innocenti Cenomannenſi „ Epiſcopo 8. Id. Jan. anno 14. regnante Chil„ deberto Rege : item Precariam ipſius Innocentis, qua Karileſo Monaſteriolum tradit ea conditione, ut Karileſus ad lumen Eccleſiæ Ce„ nomannicæ quotannis perſolvat de cera libras „ 4. & ad opus Epiſcopi cambuttam unam & „ ſubtalares 2. & ad opus Canonicorum buti„ culas duas plenas de optimo vino, & in Cœ„ na Domini plenum modium de ovis, ejuſ„ dem anni 15. Kal. Febr. Legi etiam Childeberti Regis hac de re confirmationem : necnon & exemplum Præcariæ, quam Domnolus Epiſcopus Gallo Abbati fecit ſub eodem pacto, 12. Kal. Febr. anno 5. regnante Chilperico, una cum diplomate ejuſdem Principis in rei ſanctionem. Verum quia Nicolaus Papa I. poſt longas hac de cauſa concertationes, in epiſtola 32. ad Epiſcopos Galliæ eas litteras falſas eſſe pronuntiavit, illas referre non viſum eſt operæ pretium. Sane Karilefi teſtamento plures ſubſcribunt Epiſcopi, quorum ſedes ignoratur, & nomen Turonici Antiſtitis, quod in vacuo ſpatio deeſt, ſuſpicionem auget. Ita enim „ legitur: In Dei nomine . . . . Turonicæ ur„ bis Epiſcopus peccator deprecante miſſo Ka„ rileſo ſubſcripſi. Deinde ſubſcribunt Baudolenus, Magnolenus, Vvimundus, Odolmarus, Abbo, Rofredus, Hildemarus, & Bernehardus Epiſcopi cum Comitibus quatuor, *&c.* Deni„ que Franco junior, ejuſdem ſedis Epiſcopus, „ fertur conſecraſſe S. Karilefi Eccleſiam, quam „ bonæ memoriæ domnus Albanus ejuſdem Mo„ naſterii Abbas a fundamento renovaverat, „ & ampliorem fecerat. In ea vero corpus præ„ fati domni Karilefi de uno loco ad alterum „ transferentes, a ſupradicto Epiſcopo vel a „ ſuis Sacerdotibus ſeu ejuſdem Monaſterii Mo„ nachis decenter eſt collocatum, uti legitur in „ Actis mſſ. Pontificum Cenomannenſium.

In INDICE HISTORICO, *ubi de Monaſterio Vertavenſi, adde quæ de eo in Appendice habentur.*

IN SÆCULO SECUNDO.

IN PRÆFATIONIS *pag.* 20. *lin.* 9. *dele* Epiſcop. *Et pag.* 26. *lin.* 37. *poſt* induit ea, *adde*: Alii altarium verberatione: cujus rei exempla exſtant in libro de miraculis S. Karilefi Sæculo primo, & in hiſtoria translationis S. Germani Sæculo tertio. Conſimile factum legitur in libro de miraculis S. P. Benedicti per Adrevaldum cap. 26. ubi Chriſtianus petram ſepulcri S. Benedicti ob armillas furto ſublatas percuſſiſſe memoratur.

In INDICE SANCTORUM, *verb. Attala l.* Attala Abbas Bobienſis ſecundus. *Ad Lit. D. adde*, Deodatus Epiſcopus Veſontionenſis. Elogium, 222..223. *eumdemque repone in Indice hiſtorico. In Ind. Prætermiſſ. in* LAUTENO *poſt* fertur, *adde :* Ei in partes Genevenſium paullo ante, mortem proficiſcenti occurrit Gregorius Lingonicæ civitatis Epiſcopus. Ex quo intelligitur eum quinto ſæculo floruiſſe, ac proinde ante S. Benedictum. Mortuus eſt Kalendis Novembris. *In* MAGNOBODO *poſt* officiis, *ad*„ *de* : Cernens jam ſupradictus Præſul Licinius „ ejus induſtriam & admirabilem mentis ejus „ intentionem, Patrem eum præfecit ſacræ con„ gregationi, quæ in Cœnobio Colonotenſi Chri„ ſto famulabatur, cap. 4. Grandinus apud Bollandum in tomo 2. Februarii pag. 679. col. 2. dubitat, num Colonetenſe Monaſterium fuerit eo in loco, ubi nunc Chalonnæ præfectura vetuſque caſtellum ad Ligerim fluvium, quatuor infra Andecavos leucis, via Namnetenſi, ad menſam Epiſcopi Andecavenſis ſpectans. *Et in fine adde* : Ejuſdem Sancti res geſtas deſcripſit Marbodus Epiſcopus ſæculo 11.

In VITA S. COLUMBANI, *pag.* 3. *in Obſervat. num.* 2. *lin.* 3. *l.* Parthenii quod : *& pag.* 7. *in fine Notæ* a *adde*: Commogellus apud Notkerum 5. Idus Junii COMGELLUS dicitur, & FAUSTUS Latine appellatur.

In S. VVALARICI, *pag.* 70. *num.* 4. *lin.* 7. *poſt* habet, *adde intra parentheſim*, ſignanter apud Notkerum, ubi ipſius ſepulcrum crebris miraculis illuſtrari dicitur. *Et pag.* 72. *num.* 5. *lin.* 2. *ad nomen* Autumo, *Notationem hanc appone :* Jacobus Branchius in libro de Sanctis Arvernenſibus Gallice edito reddit vernacule hunc locum *Autoin*. Duplex vero eo nomine locus eſt apud Arvernos : unus quatuor leucis diſtans ab Iciodoro, vulgo *Autoin*, modo Prioratus diœceſis S. Flori, pertinens ad Monaſterium Celſinienſe, *de Soucillanges* : alter unica dumtaxat mutata litera dictus *Autoin*, Prioratus item nunc pendens a Patribus Carmelitis ſuburbii Claromontenſis, qui una leuca abeſt ab Iciodoro. In neutro amborum notus eſt S. Vvalaricus noſter.

In S. DEICOLI, *pag.* 95. *in Obſervat. lin.* 4. *poſt* locum habet, *adde:* In Necrologio Sancti-Gallenſi ejus memoria fit abſque ſancti voca„ bulo his verbis: 15. Kal. Febr. Deicoli fra„ tris S. Galli : tametſi in ipſius Deicoli Actis nihil de ejus conſanguinitate cum S. Gallo dicitur. Ejus Vitam, *&c.*

In S. EUSTASII, *pag.* 114. *in Nota* c *lin.* 1. *l.* Legendum 4. Kal. Aprilis, quemadmodum, *&c. Et lin.* 4. *etiam l.* 4. Kal. April. Depoſitio . . . claruit. Et tamen in veterrimo Kalendario Corbejenſi S. Euſtaſius reponitur 4. Non. April. his „ verbis: Luſſovio Monaſterio depoſitio Euſtaſii „ Abbatis. *&* 2. 17. *ad finem ubi de Nivernenſi Parthenone, quem* COLUMBANUS juxta Nivernenſe opidum *conſtruxiſſe perhibetur, appone hanc Notationem.* Exſtat ea de re monumentum in litteris Hugonis Nivernenſis Epiſcopi, tomo „ 6. Spicilegii, ubi Hugo inſtauraturus quod„ dam Oratorium in honore Nativitatis filii „ Dei Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI, & „ beatæ MARIÆ virginis matris ejus, nec„ non & beati Stephani protomartyris & bea„ ti Joannis Evangeliſtæ ac ſanctorum Innocen„ tium dedicatum, ait ſe legiſſe ſanctum Co„ lumbanum illud fundaſſe in ſuburbio Niver„ nis civitatis, & unicuique ſupradictæ venera„ tioni ſuum ſingulare ac marmoreum altare „ conſecraſſe, ſicuti adhuc, inquit, præſens „ dies indicat nobis : & inibi aggregaſſe San„ ctimonialium collegium, quæ Regulæ ſubja-

„ ce-

Digitized by Google

„ cerent, & contemplativæ vitæ deſudarent. Quem locum ad inopiam redactum ipſe Hugo inſtauravit attribuitque Canonicis, B. SILVESTRI PAPÆ ROMANI REGULAM TENENTIBUS, litteris datis anno 1063.

In S. AMATI, *pag.* 120. *in Obſervat. num.* 1. *lin.* 3. *poſt* Romarici Abbas, *adde*, in Notkeri Martyrologio ANIANUS dictus, an librariorum errore. *Et pag.* 121. *num.* 3. *lin.* 4. *poſt* duxit, *adde*: Iiſdem fere verbis utitur Notkerus. Uterque cum Notkero eum, *&c.*

In S. RICHARII, *pag.* 176. *in Obſervat. num.* 1. *lin.* 13. *l.* Argubium eo loco ſtetiſſe videtur, ubi nunc cernitur vicus vernacule dictus *Argonne*, prope Quantiam fluvium in Pontivo, a Foreſticella dependens: a quo non longe diſtat Monaſteriolum, *Monſtrelet*, ubi S. Madelgiſilus, vulgo *ſaint Mauguille* vixiſſe dicitur: cujus corpus inde Centulam translatum eſt ex lib. 3. Chronici Centulenſis cap. 29. In litteris Guidonis, *&c. Et pag.* 177. *num.* 6. *lin.* 2. *poſt* Confeſſoris, *adde*: Notkerus vero eum Epiſcopum „ vocat his verbis: In Gallia S. Richarii Epi„ ſcopi & Confeſſoris: nimirum ob prædicationem Evangelii aliaſque epiſcopales actiones quo nomine etiam alii appellati ſunt, qui numquam fuerunt Epiſcopi, ut in Præfatione Sæculi tertii probandum erit.

In S. GALLI, *pag.* 243. *in Nota* a *lin.* 1. *l.* Anno 720.

In S. GOARIS, *pag.* 278. *in Nota* a *poſt* obſervavimus, *adde*: Hunc locum expendit Brovverus in Notatione ad carmen 4. libri ſexti Venantii Fortunati, ubi obſervat, Romanum nomen olim convicii genus fuiſſe.

In S. BENEDICTI, *pag.* 358. *in epiſtola Zachariæ lin.* 6. *ad nomen* Abbas, *appone hanc adnotationem*: Optatus nempe, cujus nomen in exemplo edito apud Sirmondum tomo 2. Conciliorum Galliæ, ubi ejus Notas conſule.

In S. BAVONIS, *pag.* 379. *num.* 6. *adde in fine*: Alcuinus in epigrammate 206. meminit aræ S. Bavonis nomine erectæ.

In S. BURGUNDOFARÆ, *pag.* 420. *num.* 1. *lin.* 2. *l.* cap. 8. *Et pag.* 425. *in tit. capitis l.* 7. *& ſic corrige ſequentes capitulationes.*

In S. GERTRUDIS, *pag.* 451. *in fine Notæ* e *adde*: Hoc factum a Notkero memoratur in Martyrologio ad 16. Kal. April.

In S. GEREMARI *pag.* 455. *in fine Obſervationis præviæ*, *adde*: Ex Monaſterio Flaviacenſi propagatum eſt Cœnobium Mauriniacenſe, ſitum prope opidum Stampas. Sic enim legitur in Concordia inter Monachos Mauriniacenſes & Flaviacenſes celebrata anno 1106. Noverint „ univerſi, tam præſentes quam futuri, locum „ qui Maurigniacus appellatur, & in honore „ ſanctæ Trinitatis dedicatus eſt, a domo & „ Monachis Flaviacenſibus fuiſſe fundatum. „ Quidam etenim Miles, nomine ANSEL„ LUS, terras & fundos quibus locus ille pri„ mitus initiatus eſt, prædicto Flaviacenſi lo„ co, concedente Hugone de Puſiaco domino „ ſuo, contradidit. Crevit autem ædificantibus „ Monachis illis, donec in Abbatiam conver„ ſus eſt. Conſtituto autem Abbate domno „ Raimaldo Flaviacenſi Monacho, ſubjectionem „ & olei ſummam per ſingulos annos ſibi reti„ nuerunt, cetera Monachis ibi ſervientibus di„ miſerunt. Litem ea de re poſtea exortam VVLGRINUS filius Goardi, Philippi Regis CAMBERLANUS compoſuit anno jam dicto. Iſta eo lubentius refero, quod deſint in Chronico Mauriniacenſi, quale editum eſt in Cheſnii tomo 4.

Et pag. 457. *in Nota* b *ſic lege*: Memoratur iſtud Monaſterium in Concilii Duziacenſis parte 1. cap. 3. ubi referuntur Hincmari Epiſcopi Remenſis litteræ in hæc verba: 12. Kalend. Auguſti conveni cum ceteris Fratribus in Mo„ naſterium quod dicitur ISLA, in parochia „ Belvacenſi, ad eum Fratrem noſtrum ex mo„ re ordinandum Epiſcopum, nimirum Joan„ nem Camaracenſem. Iſtud Monaſterium paullo poſt a Nortmannis (ut creditur) everſum, dein redactum eſt in villam, &c.

In S. THEODECHILDIS, *pag.* 460. *num.* 1. *lin.* 1. *l.* Parthenium illuſtre, *aut* Parthenon illuſtris. *Et pag.* 466. *num.* 5. *lin.* 2. *l.* Parthenio. *Et ita corrige ſicubi alias occurrit in hoc Sæculo.*

In S. REMACLI, *pag.* 467. *num.* 3. *lin.* 14. *poſt conſentit*, *adde*: Immo Remaclum Sollemniaci primum Abbatem fuiſſe intelligitur ex Audoeni lib. 2. de vita S. Eligii cap. 14. ſcribentis ſecundum Abbatem Fratribus Sollemniacenſibus conſtitutum fuiſſe, eo quod prior ad Epiſcopatum captus habebatur: nempe Remaclus: niſi ſi alius, qui loci Abbas primus fuerit, etiam ad Epiſcopatum promotus eſt. Certe ſi Remacli Actis hac in parte, *&c. Item pag.* 475. *lin.* 34. *l.* hieropropem, *& in Notatione*: Id eſt ſanctum: quo ſenſu πρεσβύτιδας ἱεροπρεπεῖς appellat Paulus in cap. 2. epiſt. ad Titum verſu 3. *& corrige Indicem Onomaſticon.*

In S. VVALDEBERTI, *pag.* 483. *num.* 5. *lin.* 19. *l.* inſtitutione. *Et lin.* 22. *poſt* facti ſunt, *adde*, Epiſcopi. *Item in eiuſdem num. lin. ult. adde*: Denique in vetuſtiſſimo Kalendario Corbejenſi, uti & in Vita S. Salabergæ, quæ non longe poſt Vvaldeberti obitum ſcripta eſt, & in libro de miraculis ipſius Vvaldeberti, nuſquam Epiſcopus, ſed Abbas appellatur. *Item pag.* 484. *lin.* 2. *l.* quo die Luxovii colitur. De eo veterrimum Corbejenſe Kalendarium, quod fere nongentorum eſt annorum, ita ſcribit: 6. „ Non. Madias S. Vvaldeberti Abbatis. Lege „ librum de ejus miraculis in Appendice Sæ„ culi tertii.

In S. GERMANI ABBATIS, *pag.* 489. *in Notationis lin.* 3. *poſt* Abbatem habuit, *adde*: Monaſterii bona petente Lutfrido Comite confirmarunt Lotharius Imperator anno imperii in Italia 30. & in Francia 10. hoc eſt anno Chriſti 849. Carolus Craſſus anno 884. & Lotharius Rex eodem anno: quorum diplomata hac de re leguntur in Spicilegii tomo 7. Iſtud Monaſterium, &c.

In S. HILDEFONSI, *pag.* 550. *in num.* 10. *in fine numeri*, *adde*: Quomodo vero iſtud Hildefonſi opuſculum a Godeſcalco, ut ſuperius ex Hermanno vidimus, ex Hiſpania delatum eſt, lege teſtimonium Gomezani in Sæculo tertio pag. 432. & Præfationem ad Partem ſecundam: *& in margine ad num.* 11. *l. Roc-Amadour* in Cadurcis.

In S. JUDOCI, *pag.* 543. *num.* 3. *l.* Hæc Cella ſita erat in Britannia inſula, ut dicemus in Vita S. Vvillibrordi Sæculo tertio: alia proinde a Cella S. Judoci, Lupo Ferrarienſis Monaſterii Abbati conceſſa quondam, quæ, *&c. Et pag.* 547. *in fine Moniti*, *adde*: Ordericus Vitalis in Hiſtoriæ lib. 3. ad annum 1066. compendium refert vitæ S. Judoci, ejuſque corporis inventionem a Sigemano factam, ab Iſembardo Floriacenſi Monacho ad Herboldum Abbatem Cœnobii (ut puto) Judocenſis inſtigante Adelelmo Monacho deſcripatm commemo„ rat. Ipſo anno, inquit, nempe 977. Mona„ ſterium a fundamentis cœptum eſt, & mo„ naſticus Ordo reparari cœptus eſt, & reve„ rendus Abbas Sigebrandus conſtitutus. Dein

varia

varia S. Judoci miracula recitat, quorum aliqua Vvidone Abbate patrata; teſteſque adducit Richerium & Adelelmum Monachos, hiſque relatis ſubdit: „ Hæc omnia Floriacenſis ISEMBARDUS geſta temporibus Hugonis Magni „ ſeu Rodberti Regis ADELELMO rogitante deſcripſit: ſed poſtea B. Judocus multa petentibus magnalia, quamvis per incuriam ſcripta non ſint, agere non deſiſtit. Poſtea deſcribit Ordericus retectionem corporis S. Judoci Henrico regnante factam per quemdam Monachum, qui ſibi commiſſa ſacri depoſiti abuſus cuſtodia, illud Gomercium furto attuliſſe fertur, quod Goisfredus loci municeps in Eccleſia caſtellana, ubi quatuor erant Canonici, depoſuerit: ac demum Canonicus quidam ab incendio eripuerit, & in Eccleſia S. Martini de Parmis collocaverit: ubi miracula frequentata, Philippus Rex biennii ſebre liberatus. Porro de „ translatione ſacri corporis, inquit, & de pluribus quæ Parmis provenerunt infirmorum ſanitatibus, Merulenſis Vvillermus venerabilis „ Monachus & Sacerdos egregium dictamen „ edidit. Hactenus parœcialis Eccleſia de Parmis, ſita in pago Vilcaſino, ac ſubjecta Monaſterio Uticenſi, Prioratus quondam, S. Judocum patronum agnoſcit, ejuſque caput & alterius brachii radium adſervat.

Pag. 596. *in Nota* c *lin.* 2. *l.* natali.

In S. AIGULFI, *pag.* 637. *in fine adde*: De reliquiis S. Aigulfi legeſis Petri Cellenſis epiſtolas, nimirum lib. 1. epiſt. 18. & lib. 4. epiſt. 5. 7. & 11.

Pag. 645. *num.* 6. *lin.* 2. *l.* lib. 3. cap. 6.

Pag. 648. *num.* 11. *lin.* 1. *l* in locis quatuor, *&* *lin.* 4. *&* 5. *dele* Tertio, *&c.* *uſque ad* Quarto *excluſive*.

In S. LEODEGARII, *pag.* 663. *in fine Notæ adde*: Theodericus Rex pro injuſta interfectione S. Leodegarii Æduorum Pontificis pœnitens fundaſſe dicitur Eccleſiam in honorem S. Vedaſti in urbe Atrebatenſi, apud Ordericum in Hiſtoriæ lib. 11. pag. 837.

In S. AMANDI, *pag.* 686. *in Nota* c *lin.* 1. *l.* Vabrenſi.

Pag. 724. *num.* 37. *lin.* 5. *l.* Medehamſtede.

In S BERCHARII, *pag.* 797. *num.* 3. *in fine adde*: Editæ ſunt recens in tomo 10. Spicilegii litteræ Theodorici Regis, & aliæ litteræ Bertoendi Catalaunenſis Epiſcopi pro Monaſterio Dervenſi: in quarum unis Theodoricus ratam habet immunitatem a Childerico Rege conceſſam, prout ab ipſo poſtulabat venerabilis „ vir BERCHARIUS Abba de Monaſterio „ Puteolos, quod bonæ memoriæ CHILDERICUS quondam Rex ob amorem Dei in „ foreſta Dervo & fine Vvaciacenſe ſuper fluvium Vigoræ in honore beati Petri & Pauli „ vel ceterorum Sanctorum Domino ædificaverat. Actum Compendio palatio 10. Kal. Junii, anno decimo regni ejus, id eſt anno circa 683. In alteris vero Bertoendus exponit Coepiſcopis RIGOBERTO Metropolitano, BASINO, STEPHANO, ADALBERTO, ALONI, MADALGARIO, qualiter domnus CHLO- „ DOVIUS Rex & vir illuſtris PIPPINUS „ Major-domus ab ipſo poſtulaverint, ut privilegium concederet Monaſterio Puteolos in vaſta Dervi in honore beatorum Apoſtolorum „ Petri & Pauli & S. Joannis Baptiſtæ, & S. „ Joannis Evangeliſtæ ſeu & omnium Sanctorum, a viro religioſiſſimo ſancto (*forte* ſcilicet) Berchario Abbate, ubi & ipſe Abbas „ præeſſe videtur, ex munificentia quondam „ Childerici Regis conſtructo; ſeu & alio Monaſterio Puellarum ſuper fluvium Vigoræ, „ etiam & Drea in Dervo in fine Flaciniacenſe, quod VVAIMARUS & conjux ſua „ VVALTIDIS, & domnus Bercharius Abbas pariter conſtruxerant: in quo loco ſacrata „ Vvaltidis Mater tum erat multarum Virginum, cui poſtulationi ipſe annuens decernit, „ ut nullam dominationem nec ipſe, nec ſucceſſores ſui in illis Monaſteriis habeant, Abbatem Abbatiſſamve ſibi eligant, & Sanctimoniales quidem Abbatiſſam cum conſilio „ Monachorum Dervenſium. Porro ſi congregationes dictorum Monaſteriorum tepide egerint, SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI vel domni COLUMBANI ab „ eorum Abbate Abbatiſſave corrigantur. Actum Remis die 15. Februarii anno ſecundo „ Chlodovei Regis. Ex quibus litteris intelligitur, Dervenſe Monaſterium a primordiis Regulæ S. Benedicti paruiſſe. Abbatia Dervenſis octavo Sæculo ad ſæculares Canonicos redacta, Eccleſiæ Remenſi ab Ludovico Auguſto attributa eſt anno 5. imperii, eo pacto, ut inſtaurandæ majori baſilicæ redditus expenderentur. Poſtmodum vero rogatu HAUTONIS Abbatis iſdem Imperator per Hebonem alioſque Epiſcopos Monachis locum reſtituit, dato diplomate anno 14. imperii, infra. *Item pag.* 808. *in Notæ lin.* 3. *poſt* incidebat, *adde*: Si Bertoendi Epiſcopi litteræ ſuperius relatæ Berchario ſuperſtite datæ ſunt, Bercharius obiit poſt annum ſecundum Chlodovei Regis, qui annus in illis litteris exprimitur.

Pag. 840. *in margine l.* Adelenum & Domitianum ſeparat ad prædicationem.

In S. AICADRI, *pag.* 930. *in Notæ lin.* 4. *poſt* referunt, *ſic lege*: Proinde ejus corpus longe poſt ipſius obitum Gemeticum translatum eſt, uti & corpus S. Flavii Rotomagenſis Archiepiſcopi. Horum Sanctorum reliquias humo infoſſas fuiſſe imminente Nortmannorum tempeſtate, docet nos vetus codex Gemeticenſis his verbis: „ VVELPO Abbas poſtremus ante Danorum ſubverſionem fuit: cum quo fugientes Monachi quaſdam rerum ſuarum ſecum aſportaverunt, quaſdam vero terræ occuluerunt, & „ in capella S. Clementis abſconderunt. Ante „ altare S. Filiberti latet adhuc S. Flavius Archiepiſcopus Rotomagenſis: quem quum quidam Monachi levare vellent, ſuperveniente „ in eodem loco nebula denſiſſima & prohibente Abbate intactum dimiſerunt. Inter Eccleſias S. Petri & S. Salvatoris loco medio depoſuerunt duas capſas S. Peregrini & Conſtantini. Horum nomina a quodam Gemeticenſi „ viro, qui Romæ habitabat, & illuc fugerat „ a Gemetico, revelata ſunt. Et in veteri Chronico ejuſdem Monaſterii: Anno 499. claruit „ S. Flavius Rotomagenſis Archiepiſcopus, cujus corpus Gemetico ſepultum eſt in Eccleſia „ S. Petri, nempe iſtuc translatum ante ſæculum 9. Denique in Martyrologio mſ. 17. Kal. „ Julii in territorio Rotomagenſium, loco qui „ dicitur Gemeticum, translatio ſacratiſſimorum „ Confeſſorum, Conſtantini videlicet & Peregrini, quorum unus legitur pontificalem Belvacenſis Eccleſiæ obtinuiſſe cathedram: alter „ vero Anglorum fuiſſe Epiſcopus dicitur.

Pag. 951. *in Obſervat. in fine num.* 2. *l.* Vvirtziburgum caput eſt provinciæ, *&c.*

Pag. 957. *in Nota* b *col.* 2. *lin.* 3. *&* 4. *l.* Ænti-Monaſterium in Lemovicibus, *Eymonſtiers*.

Pag. 468. *lin.* 6. *l.* ceſſionem a me factam relegi & ſubſcripſi. In Dei nomiue ego Adeodatus, *&c.*

In Indice morali l. Morientes juvandi modus.

In Onomaſtico l. Marina. ·. 863. m.

LU-

LUDOVICI AUGUSTI DIPLOMA,

quo Monachos in Cœnobio Derverſi reſtitui præcipit.

AN.CHR. 827 ex membranis Monaſterii.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri JESU-CHRITSI, LUCDOVVICUS & LOTHARIUS divina ordinante providentia Imperatores Auguſti. Si petitionibus ſervorum Dei juſtis & rationalibus divini cultus amore favemus, ſuperni muneris donum nobis a Domino impertiri credimus. Idcirco notum eſſe volumus cunctis Fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia adiens ſerenitatem culminis noſtri vir religioſus HAUTO Abba ex Monaſterio quod vocatur Puteolus, quod eſt in Dervo conſtructum in honore beatorum Petri & Pauli, ſuggeſſit manſuetudini noſtræ, eoquod prædictum Monaſterium, ubi ille Dei cultor Abba præeſt, aptum eſſet ad Monaſterium regulare: quia non ſolum idem locus, ubi præfatum Monaſterium fundatum eſt, verum etiam & omnes adjacentias congruas haberet ſervis Dei monaſticam vitam degere volentibus. Nam & privilegia qualiter ipſum Monaſterium ad monaſticum Ordinem perficiendum fundatum eſſet; & præcepta regalia nobis oſtendit, ubi liquido apparuit, quod antiquitus regulare Monaſterium fuiſſet. Nos vero hanc rem diligentius ſcire volentes, juſſimus venerabilem virum HEBONEM Remenſem Archiepiſcopum & aliquos ex ſuffraganeis ſuis ad prædictum locum ire, & diligenter intueri, non ſolum ſi ipſe locus aptus eſſet ad monaſticum Ordinem obſervandum; verum & utrum Clerici ibi degentes monaſtice vellent vivere, an non. Illi vero noſtris juſſionibus obtemperantes, ſicut nobis prædictus Hebo Archiepiſcopus renunciavit, & aptum locum invenerunt ad normam regularem cuſtodiendam, & Clericos ibi degentes ſponte vitam monaſticam, ſicut illis profeſſi ſunt, ſuſcipere & perpetuo obſervare velle. Sed ut prædictus Ordo monaſticus in eodem loco noſtris & futuris temporibus, ad noſtram ſucceſſorumque noſtrorum perpetuam eleemoſynam, digne obſervaretur, & Monachi per tempora degentes ſecundum Regulam S. BENEDICTI vitam degerent; prædictus Hauto Abba precibus quibus valuit rogavit, ut noſtrum confirmationis præceptum idem Monaſterium habere mereretur, ſicut cetera Monaſteria Monachorum in Regno Deo propitio noſtro habere noſcuntur. Cujus petitionem juſtam & rationabilem judicantes, per hos imperiales apices noſtros præcipimus atque jubemus, ut abhinc in futurum prædictum Monaſterium ſub monaſtico Ordine perſiſtat, & Monachi ibi degentes ſub Regula S. BENEDICTI Domino ſibi adjuvante perenniter vitam ducant monaſticam. Et quando quidem divina vocatione prædictus Abba ab hoc ſæculo migraverit, quamdiu ipſi Monachi inter ſe talem eligere potuerint, qui illis ſecundum Regulam præeſſe & prodeſſe poſſit, per hanc noſtram auctoritatem licentiam habeant eligendi Abbates: qualiter Monachi per tempora ibi degentes, pro nobis, conjugibus ac liberis noſtris ſeu totius Regni noſtri ſtabilitate Domini miſericordiam indeſinenter exorare delectentur. Et ut hanc noſtræ auctoritatis præceptionem ac confirmationem per curricula annorum inviolabilem atque inconvulſam obtineat firmitatem, &c. Signum LUCDOVVICI glorioſiſſimi Regis. S. LOTHARII ſereniſſimi Auguſti. DURANDUS Diaconus ad vicem FREDUCISI recognovit. Data II. Idus Febr. anno Chriſto propitio 14. imperii domini Ludovici piiſſimi Auguſti & Lotharii 5. Indict. 3. * Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. * l. V.

INDEX

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

Litera (a) *initium paginæ uſque ad medium*; (m) *medium uſque ad finem*; (n) *Notulas marginis inferioris deſignat.*
* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſterium.
* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

ALONCUS Abbas Luxovienſis & Epiſcopus, 416 m
Abel Epiſcopus Remenſis, 68. m 69 a
Abbo Epiſcopus Mettenſis, 560. m
Acmantum villa in pago Milidunenſi, 90. m n
Acquirinus Dux Vvandalorum ſeu Saracenorum; 485. a
Ada Comitiſſa auctor Monaſterii Leſcienſis, 382. a
Ada alia Comitiſſa inſtauratrix, 381. m
Adalardus frater S. Odiliæ Abbatiſſæ, 448. m
Adalarius Monachus S. Germani, 104. a
Adalbero ſeu Adelbero I. Epiſcopus Mettenſis, 188. & ſeqq.
Adalbertus nobilis Francus, 421. a
Adalger Clericus bonæ converſationis in Germania, 76. a
Adalricus. *Vide* Etico.
Adamnanus Abbas Hiienſis in Scotia, 452. & ſeqq.
Opus ejus de locis ſanctis, 456. & ſeqq.
Adamnanus Monachus Coludienſis in Anglia, 454. m
Adartenſis pagus, id eſt Atrebatenſis, 92. m n
Adda Epiſcopus in Germania, 42. a aliis Addanus, 44 a
Addula Abbatiſſa Palatioli, 291. 292
Adebertus Epiſcopus Claromontanus, 175. a
Adelbertus Abbas Mediani Monaſterii, 436. m 440. a
Adelbertus Abbas Heidenheimenſis, 160. m
Adelbertus Comes Alamanniæ, 267. a 276. m
Adelhacham Princeps Saracenus, 473. a
Adelhelmus Epiſcopus Sagienſis ſcripſit vitam & miracula S. Opportunæ, 198. & ſeqq.
Adevertus nobilis Francus, 94. a
Admodis Comitiſſa Pictavorum ſeu Adalmodis Almodiſve, 486. a n
Adriaticum mare pro *Phœnicio*, 341. m 351. a n
Adriani Papæ I. res geſtæ, 523. & ſeqq.
Adrianus II. 541. m
Adrianus III. 542. m
Adſo ſeu Hermiricus Abbas Luxovienſis ſcribit librum de miraculis S. Vvalberti, 410. & ſeqq.
Æduenſis Epiſcopus Leodegarius, 421. a 441. m 443. a Anſeberchtus, 559. m
Ælberti Epiſcopi Eboracenſis geſta, 509. & ſeq.
Ætherius Epiſcopus Teroanenſis, 60 a
Ætherius miſſus Caroli Magni in Beneventum, 238. a n
Afframia caſtrum in Palæſtina, ubi Abraham, Iſaac & Jacob quieſcunt, 341. m 351. a
Agathæ Martyris corpus Catanæ, 337. a 348. a. Velum ejus flammis Ætnæ montis opponi ſolitum, ibid.
Agauni moritur Auſtrulfus Abbas Fontanellæ, 123. a
Agemons Thabor, 339. a n
Aghilenus Abbas Monaſterii S. Petri apud Senonas, 556. m
Aghiſlemarus vir inluſtris ſub Childeberto tertio, 562. m
Agilolfus Epiſcopus Colonienſis, 60. a
Agleboldus Monachus Dionyſianus, 318 m
Aiglus Referendarius Clodovei tertii, 560. m
Ailberta uxor Cherebaldi nobilis Franci, 305 m
Aimoini Monachi libri de miraculis S. Germani, 96. a & ſeqq.
Aiſtulfus Archiepiſcopus Maguntinus, 233. a
Alachrat Rex Nortanhumbrorum, 367. a n
Alamanniæ Comites, Victor, 142. 143. n Vvarinus, ibid. m 151. m Ruadhardus, ibid. Adelbertus, 267. a 276. m
Albacara hoſpitium in deſerto Ægypti, 473. m
Albanus Abbas Aniſolæ, 568. m
Albericus Abbas S. Germani piiſſimus, 86. a
Alberti Abbatis Gambronenſis Vita, 475. a & ſeqq.
Albevvinus ſeu Albuinus Epiſcopus ſeu Coepiſcopus Lulli, 461. m
Albinus Epiſcopus Andecavenſis, 567. m
Albiæ ſeu *Albigæ* nata S. Segolena, 487. m & ſeqq. loci patrona, 496. m Babo Dux Albigenſium, 494. a
Albricus Epiſcopus Trajecti ad Rhenum, 301 m n
Albricus pater S. Gregorii Abbatis, 291. m
Aldebertus hæreticus in Germania, 18. m 47. a 56. m 57. 63. 68. a
Aldo miniſter S. Vvillehadi, 369. m
Aleſatia pagus dictus *Eliſaza*, 153. a n
Alexandria urbs Ægypti, No dicta, 467. m 468. m deſcriptio, ibid. Michael Patriarcha, 473. a
Algiæ ſaltus in Neuſtria, 202. a
Alhredus Rex Nortanhumbrorum, 359. m
Aliphia Abbatiſſa Troclarenſis, 488. m
Almeri ſtagnum in Friſia, 77. m aliis *Elmeri*, 23. m 23. a n
Almodis Comitiſſa Pictavorum, 486. m n
Alphæa, *Piſæ*, urbs Etruriæ, 178. m
Alſgodienſium pagus in Burgundia, 416. m
Altinus Epiſcopus Eiſtetenſis, 396. m
Altmona fluvius in Norico, 393. a
Altonis Abbatis in Bajoaria Vita, 195. & ſeqq. 566. a
Alt-Saxones a Bonifacio eruditi, 36. m
Alubertus Chorepiſcopus Eccleſiæ Trajectenſis, 298. a n
Amalarius ſeu Amularius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis, 555. a
Amalbergæ virginis acta, 217. & ſeqq. 566. m
Amalbertus necat Childericum Regem, 421. m 422. a

Digitized by Google

Amalricus nobilis Francus, 421. a
Amanaburch, locus in Turingia, 13. m 16. m 40. m
Ambianenſes Epiſcopi, Bertofridus, 556. m Rambertus, 60. a Comites, Drogo, &c. 565. a
Amblardus Abbas Riomenſis apud Arvernos, 176. m
Ambroſii Autperti Abbatis Monaſterii S. Vincentii Vita, 234. & ſeqq.
Amicharius Epiſcopus Sagienſis, 556. m
Anaſtaſius Abbas primus Figiacenſis, 406. a
Anaſtaſius Bibliothecarius, 541. a
Anaſtaſius Papa III. 549. m
Andecavorum Comes Lantbertus, 318. a 324. a S. Albini Eccleſia, 567. m
Andreas Abbas Palatioli in Etruria, 177 a 178. m
Angalramnus Epiſcopus, forſan Mettenſis, 309. m
Angantrudis Deo ſacrata, 558. m
Angildruth Abbatiſſa in Germania, 244. a
Angliæ Reges, Ceolvvlſus, 158. & ſeqq. Alhredus Rex Nortanhumbrorum, 358. m 359. a Cynevvlſus, ibid. Alachrat Rex Nortanhumbrorum, 367. a Eadbertus, 507. 508.
Anſchericus Epiſcopus Pariſienſis, 547. a
Anſeberchtus Epiſcopus Rotomagenſis, an Æduenſis, 559. m 560. m
Anſgarius Epiſcopus Bremenſis ſcribit Vitam S. Vvillehadi, 364. & ſeqq.
Anſebertus & Leutadus conditores Monaſterii Marciliacenſis, 405. m 406. a
Anſegiſus Abbas Luxovienſis, 314. a
Anſelmus Comes palatii in Francia, 310. m
Anſoaldus Epiſcopus Pictavenſis, 560. m
Antipolitanus Epiſcopus Deocharius, 557. a
Appiani Monachi Ticinenſis Vita, 497. & ſeqq.
Aquæ palatium Caroli Magni, 565. a
Aquitaniæ Comites, Emminus, 95. a Georgius, ibid. *Vide* Albia.
Arbogaſtus Epiſcopus Argentinenſis, 429. a
Arculſus Epiſcopus Gallus dictator librorum de locis ſanctis, 554. m 555. a
Ardebertus Epiſcopus Senonenſis, 67. m n 68. a
Ardobanius miſſus Pippini, 64. a
Arelatenſis Epiſcopus Joannes, 556. m
Argentinenſes Epiſcopi. *Vide* Strateburgenſes.
Argubium locus in Pontivo, 568. m
Arigius Gravio Chlodovei tertii, 560. m
Arigovve pagus Alamanniæ, 156. m 157. n
Arlaunum jocundum palatium in Neuſtria, 221. a
Arnaldus Abbas S. Illidii Arvernis, 176. m
Arnulfi Epiſcopi Mettenſis regium genus ex atavis, 563. m
Arnulfus Rex quatrimodi Regni, 269. a n
Arvernenſes Epiſcopi. *Vide* Claromontenſes. Comes Bernardus, 177. a
Aſterga in Friſia orientali, 370. m n & ſeq.
Aſternacha locus in Germania, 370. a n
Aſtremonii ſeu Auſtremonii Epiſcopi Arvernenſis translationes, 174. m & ſeqq.
Atalia ſoror B. Odiliæ Abbatiſſæ, 448. m
Athicus ſeu Etico Dux Aleſatiæ, pater S. Odiliæ, 434. m 441. m 442. & ſeqq. aliis Adalricus, 566. m
Atrebanus Clericus martyrio affectus a Saxonibus, 369. m
Atrebatenſis pagus dictus *Adartenſis*, 92. m n
Attingohem juxta amnem Febta in Friſia, 291. a
Attiniacum palatium publicum, 305. m
Audebertus Epiſcopus Cameracenſis, 557. a
Audoenus Epiſcopus Rotomagenſis litem componit inter S. Filibertum & Lantbertum, 421. m ſcribit privilegio Emmonis, 555. m 556. m
Audramnus Comes palatii ſub Chlodoveo tertio, 560. m
Aunemundus ſeu Unemundus Epiſcopus Lugdunenſis, 556. m
Aureacenſes Epiſcopi. *Vide* Eiſtetenſes.
Aurelianenſis Epiſcopus an Gaudemundus, 557. a
Aurianus Gravio Chlodovei tertii, 560. m
Auſter ſeu *Oſtrachia* in Friſia, 21. a 77. m
Auſtremonii Epiſcopi Arvernenſis translatio, 163. & ſeqq. 566. m
Auſtrulfi Abbatis Fontanellæ Vita, 121. & ſeqq.
Autbertus domeſticus Bertradæ Reginæ, 315. m
Autharius Abbas Germanenſis, 86. a
Autiſiodori Epiſcopus Savaricus, 560. m
Autperti Abbatis S. Vincentii Vita, 234. & ſeqq.

B

BABO Abbas Germanenſis, 86. a
Bacivum ſuperius pagus in Gallia, 558. m
Bacdulfus Clericus palatinus, Abbas Majoris-Monaſterii, 487. a
Bajoarii a Bonifacio eruditi, 17. 42. & ſeqq. a S. Vvunebaldo, 164. Duces Hucpertus & Otilio, ibid. *V.* Odilio. Taſſilo, *V.* Taſſilo. Otto, 285. m. Comites Guelfones, 198. m n & ſeqq. Rex Ludovicus, 99. a Epiſcopatus inibi erecti, 18. a 2. 42. m 43. S. Sturmius inde ortus, 244. m
Bajocenſis Epiſcopus Ragnobertus, 557. a
Balduinus Comes Flandriæ, cognomento Ferreus, 220. m
Baliolum vicus in pago Tellau, alius in pago Vimnacenſi, 119. m n
Baltheri Anachoritæ res geſtæ, 508. & ſeqq.
Baſinus Epiſcopus Trevirenſis, 554. a
Baſoli Ducis Arvernorum tumulus, 566. m
Baſula ſeu *Baſilea opidum* Alamanniæ, 157. m
Bathildis Regina Franc. munifica in Gemeticenſes Monachos, 565. a
Bavo nobilis Francus, 421. a
Baudelona Sanctimonialis Rutenenſis, 493. a
Beala, femina pia in Germania, 137. a
Beatrix Duciſſa Lotharingiæ, 440. a
Bedæ venerabilis elogium, 507. m
Beervvaldus Abbas Glaſtonienſis, 8. n. aliis Beorvvaldus, 29. m
Beggo vir nobilis in Voſago, 433. a ab eo dicta Beggonis-cella, ibid.
Bellimontenſes in Belgio, 338. m
Bellovacenſes Epiſcopi, Deodatus, 60. a 2. Conſtantinus, 556. m Maurinus, 560. m
Benedictus Epiſcopus Nomentanus, 55. m
Benedictus magiſter piæ memoriæ, 86. a
Benedicti Papæ III. geſta, 536. m ſeqq.
Benedictus IV. 539. a
Benedictus IV. 549. a
BENEDICTI Patris reliquiæ a Carolomanno repetitæ, 176. m
Benedictus Seneſcalcus Chlodovei tertii, 558. m
Benjamin martyrio affectus a Saxonibus, 369. m
Benjamin Theſaurarius Eccleſiæ Dionyſianæ, 316. a & ſeqq.
Benignus Monachus ſanctus, diſcipulus S. Hildulfi, 440. a
Beratgith ex Anglia in Germaniam a S. Bonifacio vocata, 38. m
Bercarius Epiſcopus Cenomannenſis, 566. m
Bercharius Abbas Dervenſis, condit plura Monaſteria, 570. m
Bernegium villa reliquias S. Dionyſii continens, 312. a
Bertgaudus Monachus Fontanellenſis, 120. m
Berchthere hæreticus in Turingia, 16. a
Berchtvvaldus Epiſcopus Cantuariæ, 8. m n
Bereſinda mater S. Odiliæ, 441. m & ſeqq.

Ber-

Digitized by Google

Bernardus Abbas Iciodorenſis, 175. m & ſeqq.
Bernardus Comes Arvernenſis, 177. m
Bernardus Epiſcopus Claromontenſis, 175. m
Bernardus Monachus Francus librum ſcribit de locis ſanctis, 455. m 472. a & ſeqq.
Berta ſeu Bertrada mater Caroli M. 315. m n
Berta filia Caroli M. 318. m n
Berta filia Vviberti Comitis nubit Hugoni Principi Burgundionum, 383. m
Bertaldus ſeu Bertoaldus Epiſcopus Trecenſis, 555. m & ſeqq.
Berthodus Epiſcopus Tullenſis, 432. a
Bertrandus Comes in Francia, 314. a
Beſutia Abbatiſſa Medenſis in Italia, 380. m
Bethleem locus nativitatis Chriſti Domini in Eccleſia, 341. a 350. m
Biber amnis in Sequanam influens, 101. m n
Biggo Epiſcopus Lexovienſis, 556. m
Bilhilda uxor Childerici II. Regis Francorum, 421. a cæditur, 422. m
Binna miſſus a Bonifacio Romam, 13. m
Bituricas delatæ S. Savini reliquiæ ſæculo 9. 486. a
Bituricenſis Epiſcopus Rodulfus, 177. m
Blaitmaici Abbatis Hiienſis Vita, 398. & ſeqq.
Bleſinſis pagus in Gallia, 309. m
Blidegarius Optimas Chlodovei tertii, 560 m
Bochonia ſolitudo Germaniæ, 74. a 75. m
Bodilo necat Childericum Regem, 422. m
Bodo Epiſcopus Tullenſis, 432. a
Bonifacii Epiſcopi Maguntini Vita, 1. & ſeqq. congreſſus ejus cum S. Pirminio, 136. 137. Vvunibaldum adducit in Germaniam, 164. S. Altonis Monaſterium dedicat, 196. m. Sturmium ſecum trahit & informat, 244. & ſeqq. martyrio affectus, 251. translatio corporis, ibid. delatio ob metum Saxonum, 256. cum Gregorio laborat, 293. & ſeqq. Vvillibaldum a Gregorio III. obtinet, 344. 352. S. Solum habet diſcipulum, 393. a
Booja inſula in Gallia, ubi corpus S. Florentii, 486. a
Bordne fluvius in Friſia, 21. a n aliis *Borthne*, 77. m
Boruth Dux Karentanorum, 281. a & ſeqq.
Boſo Abbas in Burgundia ſæculo 7. 558. a
Boſo Comes pagi Partenſis, 190. a n
Boſo Rex Provinciæ, 213. m n
Bodulfus Italus, Clericus Fardulfi Abbatis Dionyſiani, 318. m
Bregovvinus Epiſcopus Cantuarienſis, 358. m & ſeqq.
Bremæ in Saxonia Epiſcopatus erectus a Carolo Magno, 364. m an Monachi ibi inſtituti, 365. m Bremenſes Epiſcopi, Vvillehadus, 364. & ſeqq. Anſgarius, ibid. Vvillericus, 372. m n
Bruſca fluvius in Voſago, 427. a
Buccelinus Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Bulgarorum converſio per Formoſum Papam, 547. m 548. a
Buraburch ſeu *Buriburg* ſedes epiſcopalis erecta, 49. m 52. m
Burchardus Comes in Germania. 272. m
Burchardus Epiſcopus Virtziburgenſis, 19. m 39. m 44. m 48. a 60. a conſecrat Vvillibaldum cum S. Bonifacio, 345. a
Burgundiæ Dux Richardus, 414. m
Burgundofarus ſeu Faro Epiſcopus Meldicenſis, 556. m

C

Cabilonenſis Epiſcopus Lupus, 557. a
Cadurcorum Epiſc. an Sigibaldus, 493. m n
Calliſti Martyris translatio Remos, 544. a
Calminius Senator, auctor Cœnobii Mauziacenſis, 174. a
Calmontinſis pagus in Gallia, 309. m
Calvariæ mons & Eccleſia, 340. a
Cameracenſes Epiſcopi, Audebertus, 557. a Treuvardus, 60. a Theodericus, 383. m n Erluinus, 387. a Gerardus, ibid.
Camiliacenſis pagus in Gallia, 558. a
Cancor Comes pagi Rhenenſis, 185. m
Cantuaria urbs Angliæ *Cent* appellata, 8. m Cantuariæ Epiſcopi, Berchtvvaldus, ibid. Cuthbertus, 358. m Bregovvinus, 359. m
Caraſtus Dux Karentanorum, 281. m
Carileſus. *Vide* Karileſus.
Carnutenſis Epiſcopus Gauziobertus, 555. m
Caronis ſancti ſepulcrum Carnuti, 103. m
Carolomannus Major-domus, 18. a 44. a Concilia cogit, 18. m Monachos fovet, 46. a pugnat contra Saxones, 47. m in Fuldenſes munificus, 74. & ſeq. 249. a Elogium ejus, 112. & ſeqq.
Carolus Calvus pugnat cum Nortmannis, 96. & ſeqq. intereſt relationi S. Germani, 107. m Richildis ejus uxor, ibid. Privilegium, 108. 109. dies natalis & unctionis, 109. mortis, 108. m vincit, 12. a 31. m it Romam, 328. 583. 541. 543.
Carolus Martellus cum Ratbodo certat, 9. m 30. a S. Firminium juvat, 131. m & S. Othmarum, 142. m Bonifacio favet, 16. a n 34. a 37. a 293. m Litteræ Papæ ad eum, 34. ejus mors, 18. a 44. m Karoli-vennæ auctor, 108. a
Carolus Magnus in Cœnobia munificus, 46. m an baptizatus a Bonifacio, 81. a quo anno natus, 88. m n *d* intereſt translationi S. Germani, 88. & ſeq. laudatur, 231. m adit Caſinum, 237. m n dat diploma Monachis S. Vincentii ad Vulturnum, 239. a & ſeq. bona Fuldenſibus, 256. m Saxones adducit ad Fidem, 256. 368. & ſeqq. Vvintarum medicum habet, 257. a Litterarum ſtudia reſtituit, 311. a Baſilicam S. Dionyſii abſolvit, 314. a Reliquias S. Dionyſii in caſtris defert, 316. m. S. Solo benefacit, 392. m *Bibliothecam* Hieroſolymis inſtruit, 473. m S. Prudentii Poetæ corpus in Galliam attuliſſe dicitur, 485. Eccleſiam juvat, 524. & ſeqq. Romæ coronatur, 529. Theodoldum Comitem abſolvit, 564.
Carolus Rex Francorum, cognomento Simplex, a Formoſo Papa protectus, 546. & ſeqq.
Catanæ corpus & velum S. Agathæ, 337. 348. a
Catulliacus vicus in agro Pariſienſi, 320. a
Cella Equilina in agro Pariſiaco, 98. m n aliis Villaris, 109. a
Cenomannicus pagus in Gallia, 564. Vaccæ inde fiſco datæ, ibid.
Ceolfridus Abbas Girvvenſis obit apud Lingonas, 507.
Ceolvvlfi Regis Northumbrorum & Monachi elogium, 158. a & ſeqq.
Cervonius Epiſc. Populonienſis ſanctus, 182. m n
Chaduinus Epiſcopus in Gallia, 560.
Chagnericus Optimas Chlodovei tertii, ibid.
Chaino Abbas Dionyſianus, 558. m
Chardoinus Seneſcalcus Chlodovei tertii, ibid.
Chelesgovve pagus in Bajoaria, 273. a
Cherebaldus dat Septem-molas Monaſterio Dionyſiano, 305. m
Chetimarus Dux Karentanorum, 281. m
Chiemingen pagus Bajoariæ, 284. m.
Childeberti I. Regis Anniverſarium, 109. m Crux ab eo conceſſa Eccleſiæ S. Vincentii, 88. m n 111.
Childeberti tertii diploma, 561. m
Childericus II. Francorum Regnum obtinet, 421. a dat prædia Monachis Fontanellenſibus, ibid. S. Audoeno ſcribit, ibid. m occiditur cum uxore Bilhide & filio Dagoberto, 421. m Gundelberto Epiſcopo Senonenſi favet, 427. a
Chil-

Digitized by Google

Chillardus Abbas Dionyſianus, 564. a
Chilperici II. Regis Francorum diplomata, 562. a & ſeqq. ejus pater Childericus, ibid. V. *Præfationem hujus Partis*.
Chlodovei tertii Regis Francorum diplomata, 559. m 560. & ſeqq.
Chramſicus pater S. Segolenæ, 488. m conditor Cœnobii Troclarenſis, 491. a
Chriſtianus pater S. Amalbergæ, 217. a
Chriſtophorus Papa, 549. m
Chrodardus Comes in Francia, 309. m & ſeqq.
Chrodegandus ſeu Chrodegangus Epiſcopus Sagienſis, 199. 201. a 203. m
Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis, 184. m & ſeq. Gorziam transfert reliquias S. Gorgonii, ibi.
Chrodmundus domeſticus Chlodovei tertii. 560. m
Chrodobertus Epiſcopus Pariſienſis. 555. m & ſeq.
Chrodobertus invaſor Eccleſiæ Sagienſis, 303. m
Chrodobertus Referendarius Chlodovei III. 560. m
Chrodolinus Abbas Monaſterii S. Petri apud Senonas, 558. a
Chrotcharius Cancellarius Chlodovei tertii, 558. m. an Chrotcharius Diaconus, ſub eodem, ibid.
Chunidrut a S. Bonifacio ex Anglia in Germaniam vocata, 38. m
Chunihilt matertera S. Lulli, ibid.
Chunradus Abbas Fuldenſis, 238. a
Chunradus Archiepiſcopus Saltzburgenſis, Legatus, 285. m.
Claromontenſes Epiſcopi, Stremonius, 173. & ſeqq. Urbicus & Præjectus, 174. a Adebertus, 175. a Bernardus, 176. a Robertus, ibid. Gyroindus, 557. a
Clemens hæreticus in Germania, 18. m 47. a 56. a 57. a 63. m 68. a.
Cocovati ſeu Cucufati Martyris corpus, 309. m
Cœna Epiſcopus in Anglia, 362. a
Colonienſis Epiſcopus Agilolfus, 60. a
Columba Abbas Hiienſis, 567. m.
Comiaccli in Italia degit S. Appianus, 498. & ſeq.
Compendium palatium regium, 563. m & ſeq.
Conceſſus Epiſcopus Ebroicenſis, 556. m.
Conciacus Comitatus in Gallia Belgica, 328. a
Concilia, Anglicanum ſub Ina Rege, 8. a n. Sueſſionenſe, 44. a n & ſeq. Germanicum & Liptinenſe, 18. m n Londonienſe, 51. a 65. m Romanum, 55. & ſeq. Lateranenſe ſub Innocentio II. 259. m Arvernenſe ſub Urbano Papa II. & Nemauſenſe, 406.
Conſtantiæ corpus S. Epiphanii, 337. m n 348. m
Conſtantienſes in Alamannia Epiſcopi, Sidonius, 143. a n 144. a n Salomon, 149. m & ſeq. 155. & ſeqq.
Conſtantinopoli corpus S. Joannis Chryſoſtomi, &c. 342. m 351. a Urbis conditio, 469. a
Conſtantinus Epiſcopus Bellovacenſis, 558. m 560. m ſepultus Gemetici, 570. m
Conſtantinus pagus in Neuſtria, 121. a illic repertæ S. Georgii reliquiæ, ibid. Epiſcopus Hunghierius, 555. m
Corboilum vetus in agro Pariſiaco, 95. m n
Coriovallenſis pagus in Neuſtria, 121. a
Corſica inſula, *Cyrnus* dicta, 178. m
Cocuvati Martyris corpus, 309. m
Cuent fluvius in Morinis, 11. a n hinc dictus portus *Cuentavvic*. ibid.
Cumbæ villa in Briegio tractu, 97. a n iſtuc delatum S. Germani corpus, ibid.
Cuneheardus ſeu Cynehardus Epiſcopus Ventanus, 358. m
Cunevvlfus ſeu Cynevvlf Rex occidentalium Saxonum, 398. a
Curtraci ſeu *Curtriaci* natus Auſtrulfus Abbas Fontanellæ, 121. a
Cuthbertus Epiſcopus Cantuarienſis, 358. m
Cypri inſulæ Epiſcopi duodecim, 338. m
Cyrnus, *Corſica inſula*, 178. m

D

DAdanus Epiſcopus in Germania, 44. a
Damiata urbs in Oriente, 473. m
Daniel Epiſcopus occidentalium Saxonum, 30. a m 30. m
Danorum irruptio in Scotiam, 401. a
David Epiſcopus Spironenſis, 60. a
Deicolus Abbas ſanctus, frater S. Galli, 569. m
Deocharius Epiſcopus Antipolitanus, 557. a
Deodatus Epiſcopus Bellovacenſis, 60. a
Deodati Epiſcopi Nivernenſis Vita, 424. & ſeqq.
Deſiderius Rex Langobardorum Corbejæ obit pie, 404. m & ſeqq.
Detdic Princeps in Saxonia, 13. m
Diapertus Comes S. Vvillibaldi, 343. m
Dietolf, Princeps in Saxonia, 13. m
Dimo ſeu Tinne pater S. Liobæ, 225. a n
Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis primus, a Regibus Francorum invocari ſolitus, 97. m n Reliquiæ ejus delatæ in caſtris, 317. a n Eccleſia ejus in Italia, ibid. Eccleſia B. Dionyſii de Strata, 319. m item Dugniaci, 321. m
Dioſpolis urbs Palæſtinæ, aliis Lidda, decem milliariis ab Hieruſalem, 341. m a
Diſibodi Confeſſoris in Germania res geſtæ, 450. & ſeqq.
Divionenſe caſtrum a Lothario Rege receptum, 416. a
Docyncyrea oppidum in Friſia, 367. m a
Domni-Petri villa prope Avennas in Gallia, 388. a n
Dorſtat urbs Friſiæ, 9. m n vicus famoſus, 295. a n
Doto Abbas Murbacenſis, 127. a & ſeqq.
Drauſio ſeu Druſio Epiſcopus Sueſſionenſis, 113. m
Drogo Comes Ambianenſis, 565. a ejus diploma pro Gemetico, ibid.
Drogo filius Carlomanni Ducis, 115. m 116. m
Drogo Epiſcopus Mettenſis & Abbas Luxovienſis, aquis præfocatus, 424. a n
Durandus Notarius Ludovici Auguſti, 208. m 571. m
Durantius Abbas S. Andreæ apud Arvernos, 177. m.

E

EAba Abbas in Anglia, 356. a
Eadbertus Rex Northumbrorum, 507. m
Eanbaldus Epiſcopus Eboracenſis, 512. a
Eanbercht hæreticus in Turingia, 17. a 37. m
Eardulfus Epiſcopus Roſenſis, 358. m
Ebba mater S. Liobæ, 255. a
Ebbo Epiſcopus Remorum, 531. m
Ebbo Epiſcopus Senonenſis, 558. a
Ebbolus Abbas Germanenſis apud Pariſios, 121. a
Eberchardus Abbas Altomonaſterienſis in Bajoaria, 19.
Eboraci urbis conditio 504. a Epiſcopi 506. a & ſeq.
Ebroicenſis Epiſcopus Conceſſus, 556. m
Eroinus Epiſcopus Pictavienſis, Abbas S. Germani, 96. m 97. a
Ebrulfi Abbatis Uticenſis Vita ſcripta a Joanne Monacho, 567. m
Echa Anachoreta pius in Anglia, 510. m
Egbertus Abbas Fuldenſis, 25. m
Egbertus Epiſcopus Eboracenſis, 507. a
Egilvvaldus ſeu Egbalt Abbas Vvaltheimenſis in Anglia, 334. m n 347. a
Eigil Abbas Fuldenſis, 237. a.
Eilboa, locus ubi conditum Monaſterium Fuldenſe, 248. a 249. a
Eiſtet ſeu Eichſtat ſedes epiſcopalis erecta, 48. a 49. 50. a, n 345. & ſeqq. aliis *Hebſtedi*, 395. m, & *Biſtad*, 353. a Eiſtetenſes Epiſcopi, Vvillibaldus, V. Vvillibaldus Gerhohus, 161. m Gebehardus, ibid. OtKarius, 264. m 265. a. n & ſeqq. Erchanbaldus, 260. 265. m 277. a alii Epiſcopi, 354. 355. Altinus, 369. m
Elberti Epiſcopi Eboracenſis geſta, 409. m 410. a n.

Eleca ſeu Ileca Abbas Dionyſianus, 560. a 563. a
Eleutherius pater S. Germani Epiſc. Pariſienſ. 85. m
Eliſaza pagus ſeu *Aleſatia*, 193. m n
Ellidius Epiſc. Romæ, 483. 484. m n alius Viennæ, ibid.
Elmere lacus in Friſia, 20. m 23. a 77. m
Elredus ſeu Alhredus Rex Northanumbrorum, 358. m
Emmingus Comes cæſus a Saxonibus, 369. m
Emminus Comes in Aquitania, 95. a
Emmonis Epiſcopi Senonenſis privilegium, 555. m
Engaldus Rex Vvandalorum ſeu Saracenorum, 485. m.
Eobanus Epiſcopus Trajectenſis, 21. a n 77. a
Eodaldus Epiſcopus Viennenſis, 556. m
Ephesi corpus S. Mariæ Magdalenæ, 348. m ibi Epiſcopus Lazarus, 474. m
Epiphanius Epiſcopus Silvæ-candidæ, 55. m
Epiphanii Epiſcopi ſacrum corpus Conſtantiæ, 337. m 349. m
Erardus Epiſcopus (ut ajunt) Ratiſponenſis, 425. m 432. m 434. m Odiliam baptizat, 444. a
Ercanbaldus Cancellarius Caroli Magni, 565. a
Erchanboldus Epiſcopus Eiſtetenſis, 260. a 265. m 276. m 277. a
Erembertus Friſingenſis Epiſcopus, 18. a n 42. m n
Eremvvulfus ſchiſmaticus apud Bajoarios, 17. a 40. m
Eresburg caſtellum in Saxonia, 370. m n
Erilius Abbas Candorenſis in Gallia, 484. a
Erlebertus pater S. Lantberti Abbatis Fontanellæ, 419. m
Erluinus Epiſcopus Cameracenſis, 387. a n
Ermanricus ſeu Ermenricus Monachus Elevvangenſis ſcribit Vitam S. Soli, 389. m
Ermenfredus Abbas Cuſantienſis in Burgundia, ſanctus, 418.
Ermenfridus Comes in Burgundia, 86. m
Ermenfridus Optimas Chlodovei tertii, 558. m
Ermengardis mater Fulradi Abbatis Dionyſiani, 303. m 309. m
Ermengardis uxor Bernardi Comitis Arvernorum, 177. a
Ermenoaldus Abbas in Gallia, 559 m
Ermenricus domeſticus Chlodovei tertii, 560. m
Ermentarius Optimas Chlodovei tertii, ibid.
Ermentheus domeſticus ejuſdem, ibid.
Ermonius nobilis Francus, 421. a
Erpesfurt an ſedes epiſcopalis, 49. m 50. a n 52. m
Etico Dux in Aleſatia, pater S. Odiliæ, 434. m aliis Athicus & Adalricus, dictus, 432. m 441. m 443. m 433. m & ſeqq.
Ettonis ſacræ reliquiæ cultæ in villa Domni-Petri, 338. a n
Eva mater S. Amalbergæ, 217. a
Eva Comitiſſa Ambianenſis, 565. m
Evantius Abbas in Aquitania, 488. a 493. m n
Everardus Dux Francorum, 194. m 195. a n
Eugenia ſoror B. Odiliæ Abbatiſſæ, 448. m
Eugenii Papæ II. geſta, 532. a
Euſebiæ Abbatiſſæ piiſſimæ Monaſterii S. Cyrici Maſſiliæ epitaphium, 487.
Euſebia mater S. Germani Epiſc. Pariſienſis, 86. a
Euſippius Monachus ſanctus Cœnobii Candorenſis, 484. a
Euſtaſius Abbas Luxovienſis, 411. a quo die mortuus, 568. m

F

Faramea *civitas* in deſerto Ægypti, 473. a
Fardulfus Abbas Dionyſianus, 308. a 317. a 319. m n
Faro ſeu Burgundofarus Epiſc. Meldicenſis, 556. m
Febta amnis in Friſia, 392. a n
Feliſa locus in confinio Saxonum, ibid.
Felici Abbati dedicata Vita S. Blaitmaici, 398. m
Filibertus Abbas Gemeticenſis litem habet cum Lantberto Abbate Fontanellæ, 421. m
Flandriæ Comes Balduinus cognomento Ferreus, 220. m
Flavii Rotomagenſis Epiſcopi reliquiæ Gemetici, 570. m
Fledena amnis in Fuldam influens, 347. m
Florentii ſacræ reliquiæ in Monaſterio S. Savini apud Pictavos, 486. a
Florentius Epiſcopus Argentinenſis, 429. a
Florini Confeſſoris Oratorium in Alamannia, 141. m
Folcardus Presbyter martyrio affectus a Saxonibus, 369. m
Folco Epiſcopus Remorum, 542. m 543. a Lamberti Imperatoris conſanguineus, 547. a
Folcricus Epiſcopus Tungrenſis, 60. a
Fons Sanctus in Etruria, 179. a
Formoſi Papæ elogium, 544. a & ſeqq.
Fortis Monachus ſanctus in Corſica, 178. m
Fragimarus homo peſſimus in Belgio, 386. a
Francorum Reges, Sigibertus, Childericus, Theodoricus, Dagobertus, Chlodoveus, Childebertus, Dagobertus, Chilpericus, Theodoricus, Carolus Martellus, Pippinus, Carolomannus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Carolus Simplex, &c. *Vide ſuis locis*. Referendarii quidam, &c. 560. m Comites palatii, Vvarno, 559. m Marſo, 559. a
Fredugiſus Cancellarius Ludovici Pii, 571. a
Frigidiani Epiſcopi ſancti Eccleſia Lucæ in Italia, 336. a 348. a n
Friſingenſis Epiſcopus Erembertus, 18. a n 42. m
Friſones pugnant cum Francis, 9. m ad Fidem adducuntur per S. Bonifacium, 12. m per Gregorium Abbatem, 367. m n per S. Vvillehadum, 298. m
Frodoardi carmen de Pontificibus Romanis, 503. a 514. & ſeqq.
Fulcoaldus nobilis Francus, 421. a
Fulbertus Abbas Luxovienſis, 425. m
Fulbertus Monachus Germanenſis bonæ memoriæ, 86. a
Fulda amnis in Bochonia, 73. m 74. a 255. a
Fuldam delatum corpus S. Bonifacii, 23. *V.* Monaſt. Fuldenſe.
Fulradi Abbatis Dionyſiani elogium, 302. & ſeq.

G

Gabienſis Epiſcopus Nicetas, 55. m
Gaddo Monachus S. Germani bonæ memoriæ, 86. a
Galanorum mons in Aſia, 348. m n
Galliæ ſtatus, 18. m 19. a 49. m *V.* Franci.
Gallus Abbas Aniſolenſis apud Cenomannos, 567. m
Gammo Notarius Caroli Calvi, 100. a
Gaubertus Abbas Iciodorenſis, 176. a
Gaudemundus Epiſcopus an Aurelianenſis, 557. a
Gauſtbertus frater Fulradi Abbatis Dionyſiani, 303. m 309. m
Gauziobertus Epiſcopus Carnutenſis, 555. m 556. a
Gauzlinus ſeu Gozlinus Abbas Germanenſis, 107. m n 110. a
Gauzuinus Abbas Germanenſis piiſſimus, 86. a
Gembertus ſocius S. Bonifacii, 391. a
Genebaudus Epiſcopus Laudunenſis, 60. a
Genevia Sanctimonialis pia in Belgio, 219. m
Georgius Comes in Aquitania, 95. a
Georgii Martyris reliquiæ in Gallia repertæ, 121. m 122. a corpus, 473. m 470. a Eccleſia & miracula, 471.
Gerardus Epiſcopus Cameracenſis, 387. a
Gerhohus Eiſtetenſis Epiſcopus, 161. a
Gerinus frater S. Leodegarii, 421. a
Germaniæ Apoſtolus Bonifacius, 3. m Errores iſtius populi, 15. 32. 37. 39. Rex Arnulfus, 269. a n
Germani Epiſcopi Pariſienſis translatio & miracula, 85. & ſeqq. parentes, ibid. m epiſtola, &c. 567. a Is condit Eccleſiam S. Albino, ibid.

Digitized by Google

Geroldus Epiſcopus Moguntiacenſis, 47. m
Gervvalus martyrio affectus a Saxonibus, 369. m
Gevvilíebi Epiſcopi Moguntiacenſis depoſitio, 47. m 63. m
Ghiboinus Domeſticus Chlodovei tertii, 560. a
Gibardus Abbas Luxovienſis, a Nortmannis cæſus, 414. m
Gimfridus Abbas Palatioli in Etruria, 180. a
Girardus Abbas Iciodorenſis, 176. a
Giſila Comitiſſa in Germania, 272. m
Giſlebertus Abbas Iciodorenſis, 175. m
Giſlebertus ſeu Gillebertus Dux in Regno Lotharii, 190. a 193. m n
Giſloaldus Abbas in Aquitania, 494. a
Giſlulfus maritus S. Segolenæ, 489. m
Godalricus Epiſcopus S. Germani Pariſiis, 87. a
Godalſacius hæreticus, 64. m
Godinus Domeſticus Chlodovei tertii, 560. a
Godinus Optimas Chlodovei tertii, ibid.
Godinus Epiſcopus Sueſſionenſis, ibid.
Godonis Abbatis Augienſis in Campania res geſtæ, 422. & ſeqq.
Goibaldus Epiſcopus Ratiſponenſis, 18. a 42. m
Gorgonii Martyris Nicomedienſis Translatio, 184. & ſeqq.
Gorthonicus pagus, an *Dertonicus*, 336. a n
Gorzia ſeu Gorgia prædium prope Mettas, 186. m *V.* Monaſt. Gorzienſe.
Gozbertus Abbas Gallenſis, 141. a
Gozbertus vir potens in Alamannia, 143. m n
Gozboldus nobilis Francus, 318. m
Gozlinus Abbas S. Germani, Cancellarius, & Epiſcopus Pariſienſis, 96. m n
Gozſoldus Comes Caroli Calvi in itinere Romano, 328. m
Grabfelt regio Germaniæ, 75. a aliis *Grapfeldt*, 248. a 249. a n.
Gratioſus Epiſcopus Velitris, 55. m
Gregorii Abbatis Trajecti ad Rhenum Vita, 289. & ſeqq.
Gregorius Epiſcopus Portuenſis, 55. m
Gregorii Epiſcopi Turonenſis Vita ſcripta ab Odone Abbate, 567. a
Gregorius Magnus auctor quatuor librorum Dialogorum, 4. m 567. a in Angliam mittit Prædicatores, 505. a Monachus, 567. m Benedictinus, 236. a
Gregorius Papa II. excipit Bonifacium, 11. a 30. m Junior dictus, 17. a 181. m n geſta ejus, 514. & ſeqq.
Gregorius Papa III. 17. m 17. m n 18. m n Junior ſecundus dictus, ibid. Bonifacium excipit & ordinat, 14. m n 33. m Epiſtolæ ejus quædam, 34. & ſeq. Vvillibaldum ad Bonifacium mittit, 346. m 352. m geſta ejus, 517. & ſeq.
Gregorii Papæ IV. geſta, 532.
Gribo Epiſcopus in Gallia ſæculo 7. 358. m
Grimaldus Ludovici Regis Archicapellanus, Abbas Gallenſis, 149. & ſeq. 155. & ſeq.
Grimo Epiſcopus Rotomagenſis, 67. m n 68. a
Gualdrada Abbatiſſa Medenſis in Italia, 380. m
Guelfonum familia in Bajoaria, 197. a n unde ſic dicta, ibid.
Gundelandus Abbas Laureſhamenſis, 185. m
Gundelberti Epiſcopi Senonenſis Vita, 424. & ſeqq.
Gundramnus Levita, æditnus Cellæ S. Soli, 389. & ſeqq. alius a Gundramno Comite, 395. m n
Gundualdus civis Lucenſis, Monachus Palatioli, 178. m
Gunduinus Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Gungaldus Abbas Monaſterii S. Savini apud Pictavos, 486. m
Gunlindis ſoror B. Odiliæ Abbatiſſæ, 448. m
Guntherius Comes in Bajoaria, 284. m
Guntradus Abbas Leſcienſis, 382. m 383. a

H

Hadda Monachus pius, 23. a
Hadrianus Papa excipit S. Vvillehadum, 369. m
Haimo ſanctus cum fratre Veremondo in Italia. 380.
Haltbertus Monachus Fontanellæ, 420. m 421. a
Hambich, portus in Anglia. *V.* Hamvvich.
Hamelea-mutha, oſtia fluvii Hamelea in Anglia. 335. m n
Hamelenburg in Germania, 256.
Hamanaburch locus in Turingia, 13. m 17. m 76. a
Hamvvich ſeu *Hambich portus* in Anglia, 162. a n 335. m
Harchardus Comes in Francia, 310. a
Hardebertus Epiſcopus Senonenſis, 67. m 68. a
Hardoinus Monachus pius Fontanellæ, 123. m
Harmotus Decanus, tum Abbas Gallenſis, demum Recluſus, 150. a n
Hatto Epiſcopus Strateburgenſis, 60. a
Hauto Abbas Dervenſis, 570. a
Haylo caſtellum in Gallia, ubi quondam corpus S. Domardi, 48. m
Hecherius Epiſcopus Nivernenſis, 556. m
Heden, Princeps in Turingia, 156. a
Hebſtedi urbs epiſcopalis in Norico, 295. m n
Heidenheim locus apud Eiſtetenſes, 165. m *V.* Monaſt. Heidenheimenſe.
Helagia Franca generoſi ſanguinis, 104. m
Heliſachar Cancellarius Ludovici Auguſti, 108. m
Helpra fluvius in Hainonia, 382. a 386. m
Henricus Abbas Altomonaſterienſis in Bajoaria, 198. a
Henricus Pater ſeu Abbas in Gallia, 111. a
Henricus Rex Francorum, 566. a
Herardus Epiſcopus Turonenſis, 199. m
Herardus Epiſcopus Ratiſponenſis, 444. a *Vide* Erardus.
Herbertus Epiſcopus Monaſterii S. Dionyſii, 313. a
Hereca Abbas in Anglia, 356. a
Hereſburg caſtrum in Saxonia, 257. a
Herigeri Abbatis Laubienſis carmen de S. Urſmaro, 503. m
Hermiricus ſeu Adſo Abbas Luxovienſis, 410. a
Heſſones ad Fidem adducti, 13. m 15. a 37. a
Hetti Epiſcopus Trevirenſis, 555. m
Hicanes dictus S. Joannes Abbas Reomaenſis, 568. a
Hieronymi Doctoris Eccleſiæ ſepulcrum, 465. a
Hieroſolymitana itineraria, S. Vvillibaldi, 336. & ſeq. Adamnani, ſeu potius Arculfi, 456. & ſeq. Bernardi Monachi, 455. m 473. a Bibliotheca eo in loco, 473. m Miraculum ignis paſchalis, 474. a Theodoſius Patriarcha, ibid.
Hildebrandus Epiſcopus Eiſtetenſis, 355. m
Hildebrandus Epiſcopus Sagienſis, 199. a 215. m
Hildegarda Ludovici Germaniæ Regis filia, 276. a
Hildegardis Regina, Caroli M. uxor, 232. a
Hildegardis Sanctimonialis Argentogilenſis, 322. m n
Hildericus Rex Francorum retruſus in Monaſterium S. Audomari, 123. a
Hildradus Comes in Francia, 310. a
Hilduinus Abbas Germanenſis, 87. a 108. n & Dionyſianus, 320. a n 323. m
Hildulfi Epiſcopi Trevirenſis Vita, 425. & ſeqq. 554. m
Hiltrudis Virginis in Monaſterio Leſcienſi Vita, 381. & ſeqq.
Hincmarus Epiſcopus Remorum, 534. 542.
Hippolyti Martyris corpus, 307. m 309. m
Hirimannus Comes venerandus in Saxonia, 378. a
Hirmino Abbas Germanenſis, 87. a
Hiſpanica lingua Italicæ adfinis, 233. m
Hludovvicus Abbas Dionyſianus, 105. a m
Horich Princeps Nortmannorum, 99. a

Hoſtraka pagus in Friſia, 367. a
Houmburch urbs in Aleſatia, 443. a 445. a
Hrabanus Abbas Fuldenſis, 332. a 394. m 396. n
Hrotbertus pater S. Lantberti Abbatis Fontanellæ, palatii Referendarius, 419. a
Hucpertus Dux Bajoariorum, 17. a 40. m
Hughierius Epiſcopus an Conſtantienſis, 356. m
Hugo Abbas Iciodorenſis, 176. a Hugo Decanus Iciodorenſis, ibid.
Hugo Princeps Burgundionum, 383. a
Hungarorum irruptiones in Galliam, 188. m n 193. a 385. m 386. a
Huno vir nobilis in Voſago, 419. m
Hunred hæreticus in Turingia, 16. a 37. m
Hunrodus nobilis Francus, 217. m 220. m

I

JAcob Epiſcopus Tullenſis, 432. m
Iciadorus vicus apud Arvernos, 173. m 174. a V. Monaſt. Iciodorenſe.
Ileca ſeu Eleca Abbas Dionyſianus, 560. a
Ingelbaldus Abbas Virziacenſis, 86. a
Ingoaræ ſororis S. Ebbonis donatio facta Monaſterio S. Petri Senonenſi, 558. a
Ingolbertus auctor cædis Childerici Regis, 421. m
Ingofredus Abbas Luxovienſis, 413. m
Ingofridus Pontifex in Gallia, 559. m
Innocentius Papa II. Sturmium Sanctorum catalogo inſcribit, 258. m 259. a
Joannes Abbas Reomaenſis Hicanes dictus, 567. a
Joannes Abbas S. Vincentii ad Vulturnum, 239. a
Joannis Baptiſtæ caput Emeſſæ, 337. m 348. m corpus Sebaſtiæ, 342. a n 351. m
Joannes Epiſcopus Arelatenſis, 556. m
Joannes Epiſcopus Eboracenſis, 506. a
Joannes Ravennas Epiſcopus, dein Papa, 540. a
Joannes Papa VIII. 542. a
Joannes IX. 549. a
Joannes X. 549. m
Joannes XI. 550. a
Joannes Epiſcopus Saltzburgenſis, 17. m 18. a 42. m
Joannes Epiſcopus Vvirtziburgenſis, 284. a
Joannes Monachus S. Germani, bonæ memoriæ, 86. a
Joannes & Benignus Monachi ſancti, diſcipuli S. Hildulfi, 440. a
Joannes Scholaſticus Monachus Uticenſis,
Jonantis-cella unita Monaſterio Figiacenſi, 406. a
Jordanis fontes in Syria, 349. a n
Joſaphat vallis in Palæſtina, 340. m
Joſeph Pippini Regis Apocriſiarius, dein Abbas Tiernenſis, 174. a
Irmina Abbatiſſa Horreenſis, 554. a
Irmino Abbas Germanenſis, 87. a 108. a
Irmintrudis ſeu Irmentrat Comitiſſa in Bajoaria, 198. a
Irtel pronomen Lulli Epiſcopi Moguntini, 356. a
Iſaman Clericus natione Hiſpanus, 317. m
Iſo Monachus ſcribit miracula S. Othmari, 139. m 147. m 148. m
Itaberga uxor Pippini Landinenſis, 553. a
Italica lingua Hiſpanicæ adfinis, 233. m
Itha Comitiſſa in Bajoaria, 198. a
Itherius ſeu Ætherius Miſſus Caroli Magni in Beneventum, 238. a n
Judoci Eremitæ vita & Translatio in Monaſterium de Parnis, 568. m
Juga-montium locus in partibus Burgundiæ, 484. a
Juſtina-cella in Francia, 370. m

K

K*Alaus villa* in Gallia, 94. m in pago Stampenſi, 102. a
Karentani. *V.* Quarantani.
Karileſi Abbatis Aniſolenſis Translatio, 309. a Teſtamentum ejus, &c. 568. a
Karoli-venna in agro Pariſiaco, 97. m n 108. a
Kobbo Miſſus Ludovici Regis Bajoariorum, 99. a 100. m

L

L*Adſenſis* ſeu *Latſcenſis pagus* in Burgundia, 557. m 558. a
Lagbeki fluvius in Friſia, 295. a aliis *Loveke*, 295. m
Laima fluvius in Voſago, 309. m
Lambertus Imperator a Formoſo Papa cultus, 547. a
Lambertus Monachus Gallenſis, S. Othmari falſus accuſator, 143. a
Landericus Epiſcopus Pariſienſis, 305. a ejus privilegium pro Monaſterio Dionyſiano, ibid.
Landrada Abbatiſſa Beliſienſis, 217. m
Landricus Monachus S. Germani, piæ memoriæ, 86. a
Lantberti Abbatis Fontanellæ, dein Epiſcopi Lugdunenſis Vita, 419. & ſeqq.
Lantbertus Comes apud Andecavos, 318. a 324. a
Lantfredus Abbas Germanenſis, 85. a 86. m Legatus Caroli Martelli, ibid. auctor Translationis S. Germani, 87. & ſeqq.
Lantfredus I. Abbas Mauziacenſis obtinet corpus S. Stremonii a Pippino, 175. & ſeqq.
Lantfredus II. Abbas Mauziacenſis, 177. a
Lantgravii Haſſiæ, 272. m n
Lanthildis Abbatiſſa Almanniſcenſis, 205. m
Laris pagus in Saxonia, 375. 376. & ſeqq.
Laudunenſis Epiſcopus Genebaudus, 60. a
Laumenſis pagus, aliis *Laomacenſis*, *Lomacenſiſve* in Gallia, 93. m n
Lautenus Abbas in Burgundia, 568. m
Lazarus Epiſcopus Epheſiorum, 474. m
Leoboldus Epiſcopus Lingonenſis, 556. m
Leonis Papæ III. geſta, 527. & ſeqq.
Leonis item quarti, 534. & ſeqq.
Leo V. 549.
Leo VI. 550.
Leo Papa IX. cogitat de ſcribenda S. Bonifacii Vita, 25. m n
Leobgitha ſeu Lioba Abbatiſſa Biſchofsheimenſis in Germania, 221.
Leodgarius Epiſcopus Æduenſis, 421. a ejus mater Sigrada, 443. a n ejus adfines, 441. m Eccleſia a Theodorico Rege ob ejus necem ædificata, 570. a
Leodicenſis Chorepiſcopus Vvithbaldus, 91. m
Leotarius Abbas in Burgundia ſæculo 7. 558. a
Leotheria ſeu Mummia ſoror S. Ebbonis Epiſc. 556. m ejus donatio facta Monaſterio S. Petri, ib.
Leri pagus Friſiæ, 369. m
Letaldus Cancellarius Chlodovei tertii, 561. a
Letoldus Comes in Burgundia, 416. a
Leudicus villa in Belgio, 91. m
Leudoberchtus Domeſticus Chlodovei III. 560. m
Leutadus & Anſebertus conditores Cœnobii Marciliacenſis, 405. m
Lexovienſis ſeu Luxogienſis Epiſc. Biggo, 556. m
Lidda ſeu *Dioſpolis urbs* Palæſtinæ, decem miliariis ab Hieruſalem, 341. m n
Lingonenſis Eccleſiæ turbæ de eligendo Epiſcopo, 543. m Epiſcopus Leoboldus, 556. m
Linzgovve pagus in Alamannia, 254. a
Lioba S. Bonifacii diſcipula, 38. m Vita ejus, 221. & ſeqq.
Liptinenſe Concilium, 44. n & ſeqq.
Liubila Abbatiſſa Movvenheimenſis, 265. a & ſeq.
Liudgerus Epiſcopus Mimigardevordenſis, ſcriptor vitæ S. Gregorii Abbatis Trajecti, 289.
Liudolfus Archiepiſcopus Trevirenſis, 124. a 128. m
Liutprandus ſeu Liodobrandus Rex Langobardorum excipit S. Bonifacium, 12. m 17. m 31. m

Lobin-

Digitized by Google

Lobingabus pagus Saxoniæ, 378. a
Lomacenſis pagus. *V.* Laumenſis.
Londonienſis Synodus, 51. a 65. m *V.* Lundenvvic.
Lorsban prædium in Germania, 186. m *V.* Monaſt. Laureshamenſe.
Lotharius Rex obſidet Divionem, 416. a
Lotharii Regni Dux Giſlebertus, 190. a 193. a n
Lotharingiæ Dux anonymus, 435. m Beatrix Ducifſa, 440. a
Loveke fluvius in Friſia. 367. m n *V.* Lagbeki.
Luca ſeu *Lucca* urbs Italiæ, 162. m 336. a 348. a ibi mortuus pater SS. Vvillibaldi & Vvunebaldi, ibid. Gundualdus & Andreas Abbas Palatioli, 178. m
Ludgerus diſcipulus S. Gregorii Abbatis, 298. n 301. a
Ludovicus Abbas Dionyſianus, 105. a
Ludovici Auguſti cognomento Pii privilegia, 108. a 570. a & ſeqq.
Ludovicus Rex Bajoariorum, 99. a
Ludovicus Rex Germaniæ, 212. a n
Ludovicus VII. Rex Francorum, 216. a
Lugdunenſes Epiſcopi, Geneſius, 419. m Lantbertus, ibid. & ſeqq Unemundus, 556. m
Luido Epiſcopus in Germania, 42. a
Luitpoldus Comes in Germania, 276. m
Lullus Epiſcopus Maguntinus, 20. a 25. a 48. a 69. m 71. a ſuccedit Bonifacio, 77. a transfert corpus S. Bonifacii, 23. a 79. a 252. m Sturmio Abbati infenſus, 253. a Elogium ejus, 354. m & ſeqq.
Lunaenvvic, Lundoniæ emporium, 9. m n 11. a 30. a *V.* Londonienſis Synodus.
Lupus Epiſcopus Cabilonenſis, 557. a
Luſarca palatium regium in agro Pariſiaco, 559. a
Lutvvinus Epiſcopus Trevirenſis, 554. a

M

MAdelgiſilus diſcipulus S. Richarii, 569. a
Madelulfus Gravio Chlodovei tertii, 556. m 560. m
Madriacenſis Comes Rumaldus, 94. m
Magdalenæ ſacrum corpus apud Epheſum, 348. m
Magedon villa in agro Pariſienſi, 194. n
Maginarius Abbas Dionyſianus, 316. m
Magnecarius Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Magnus Monachus Cœnobii S. Vincentii in Italia, vir doctus, 179. m
Mago Monachus Fuldenſis, 221. a
Mancio Abbas Mauziacenſis, 176. a
Manualdus Comes in Gallia, 94. m
Marcellianus Rex, 443. a n
Marchelmus Anglus, diſcipulus S. Gregorii Abbatis, 296. m
Marcus Abbas Fuldenſis, 253. m
Marci Evangeliſtæ corpus Venetiis, 473. a
Marcvvinus Anglus, diſcipulus S. Gregorii Abbatis, 296. m
Mare Phœnicium dictum *Adriaticum*, 342. m n 351. a n
Marini Eremitæ & Martyris Vita, 482. & ſeqq.
Marinus Papa, 542. a
Marſo Comes palatii Chlodovei tertii, 559. a
Martinus Præpoſitus Dionyſianus, 563. m
Maſſiliæ Virgines ſanctæ ab Saracenis intactæ, 487.
Mauri Italiam aggrediuntur, 183.
Maurienna in Gallia degit S. Marinus, 484. m
Maurinus Epiſcopus Bellovacenſis, 556. m
Maxentii Abbatis ſacrum corpus in Monaſterio S. Savini, 486. a
Megingaudus Comes in Germania, 272. m n
Megingozus Epiſcopus Vvirziburgi, 167. m n 296. m
Meldenſis pagus in Gallia, 411. m in eo natus S. Vvaldebertus, ibid. Meldenſes Epiſcopi, Romanus, 60. a an Pirminius, 125. a Faro ſeu Burgundofarus, 565. m 566. m

Melfa fluvius in Samnitibus, 239. m
Mellarinus fluviolus in Samnitibus, ibid.
Merlinus Abbas Luxovienſis, 413. m
Mettenſes Epiſcopi, Arnulfus, 553. m Abbo, 560. m an Pirminius, 125. a Chrodegangus, 184. a & ſeqq. Vvigericus, 188. m Adalbero primus, 188. & ſeqq. an Angalramnus, 309. m
Michael Patriarcha Alexandrinus, 473. a
Mildonis caſtellum in Gallia, 105. m
Milonis Epiſcopi Mindonenſis epiſtola ad Gorzienſes Monachos, 184. m 185. a
Milonis Epiſcopi Trevirenſis geſta, 554. a
Mindenſis ſeu Mindonenſis Epiſcopus Milo, 184. m Mindæ pars corporis S. Gorgonii, 191. n
Mirmunni, Rex Saracenorum, 341. m n 342. a
Modeſta Abbatiſſa Horreenſis, 554. a
Modoaldus Epiſcopus Trevirenſis, ibid.
Moguntiacenſis Metropolis, 67. a 73. a 554. m Moguntiacenſes Epiſcopi, Geroldus, 47. m Gevvilebus, 47. 63. Bonifacius, 1. & ſeqq. *V.* Lullus Aiſtulfus, 433. a
Moballa civitas verſus Ægyptum, 473. m
Moin fluvius Franciæ orientalis, 38. m
Momolenus ſeu Mummolenus Epiſcopus Noviomagenſis, 556. m
Monaſteriolum vicus in Pontivo, 569. a

MONASTERIA VARIA.

MOnaſterium Abreſenniſten in Aleſatia, 429. a
Monaſt. Adeſcancaſtre in Anglia, 5. m n 28. m Vvolfardus Abbas, ib. Bonifacius Monachus, ib.
Monaſt. Agaunenſe in Gallia, 187. a iſtic detentum corpus S. Gorgonii, ibid.
Monaſt. Almanniſcæ in Neuſtria, 199. m Lanthildis Abbatiſſa, 204. & ſeqq.
Monaſt. Altahenſe duplex, ſuperius & inferius, 125. m 132. m
Monaſt. S. Altonis in Bajoaria conditur, 196. m inſtauratur, 197. m Abbates quidam, ibid.
Monaſt. S Andreæ apud Arvernos, 176. m Durantius Abbas, ibid.
Monaſt. Aniſolenſe apud Cenomannos, 209. n
Monaſt. Argentogilenſe in agro Pariſienſi, ibid. Hildegardis Sanctimonialis, 322. m n
Monaſt. Aſternacenſe in Germania, 370. a n ibi S. Vvillehadus degit biennio, ibid.
Monaſt. Augienſe in Alamannia, 125. m 132. n Abbates quidam, 125. a viri illuſtres, 126. a
Monaſt. Augienſe in Campania, 422. m S. Godo Abbas, ibid. & ſeqq.
Monaſt. Autumo in Arvernis, 569. a illic S. Vvalaricus inſtituitur, ibid.
Monaſt. Balma. *Vide* Monaſt. Palma.
Monaſt. S. Benedicti in Samnio, 220. m 238. m 343. m 351. m *Vide* Monaſt. Caſinenſe.
Monaſt. Biſcofsheimenſe Virginum in Germania, 221. a & ſeqq. Lioba Abbatiſſa, ibid.
Monaſt. Blandinienſe Gandavi, 220. m Rotbertus Abbas illuc transfert corpus S. Amalbergæ, ib.
Bodonis-Monaſterium in Voſago, 432. a
Monaſt. Cœlum-aureum Ticini, 497. m S. Apianus ibi Monachus, ibid.
Monaſt. Campidona in Alamannia, 156. m 271 m dictum SS. Gordiani & Epimachi, ibid.
Monaſt. Candorenſe in Gallia, 484. & ſeqq. Erilius Abbas, ibid. Euſippius Monachus ſanctus, ibid.
Monaſt. Cantinobenſe apud Arvernos, 176. a Robertus Abbas, ibid.
Monaſt. S. Carileſi apud Cenomannos, 209. a
Monaſt. Caſinenſe viris illuſtribus inſigne, 112. Carolomannus eo ſe recipit, 115. a Optatus Abbas, 116. m 117. m Eo ſe voluit recipere S. Vvunebaldus, 168. m Rodinus Monachus, 221. a S. Vvillibaldus decem annis ibi degit, 343. a 344. a 352. a

Monaſt. Centulenſis Abbas S. Richarius, 569. m item S. Guitmarus. *Vide indicem prætermiſſorum*.
Monaſt. Chitzingenſe Virginum in Germania, 250. m
Monaſt. Colonetenſe apud Andecavos, 568. a
Monaſt. Coludienſe in Anglia, 454. m Adamnanus Monachus pius illic, ibid.
Monaſt. Conchenſe apud Cadurcos, 406.
Monaſt. Corbejenſe in Gallia, 405. a Deſiderius Rex Langobardorum eo relegatus, ibid.
Monaſt. ſanctæ Crucis, ſeu S. Germani de Pratis, 85. m *V.* Monaſt. S. Germani.
Monaſt. Cuſantienſe in Burgundiæ Comitatu, 415. S. Ermenfredus Abbas primus, ibid.
Monaſt. S. Cyrici Maſſiliæ, Virginum, 487. Euſebia & Tilliſiola Abbatiſſæ, ibid.
Monaſt. S. Deodati in Voſago, 425. m
Monaſt. Dervenſe in Campania, dictum olim Puteolos, 570. S. Bercharius ejus auctor, ibid. Privilegium, &c. ibid. Hauto monaſticæ diſciplinæ reſtitutor, 571.
Monaſt. S. Dionyſii prope Pariſios, 302. m ejus origo & Privilegia, ibid. & ſeqq. 558. & ſeqq. adverſus Nortmannos ſervatum, 98. m 327. a Abbates, Ileca, 560. a 563. a Chaino, 559. 560. Chillardus, 564. Fulradus, 302. & ſeqq. alii, 307. 316. & ſeq. Hludvvicus, 105. n Herbertus Epiſcopus, 313. a Viri pii & illuſtres, 330. a m Martinus Præpoſitus, 554. m
Monaſt. S. Diſibodi in Germania, 451. a
Monaſt. Diſſelburgenſe in Anglia, 8. m aliis Vveſſesburgenſe, 29. m Vvintra Abbas, ibid.
Monaſt. Durgaugenſe ſeu S. Galli, 140. a & ſeq.
Monaſt. Ebersheim-munſter in Aleſatia, 447. m
Monaſt. Elvvangenſe dotatum a S. Vvunebaldo, 767. m n Ermanricus iſtic Abbas, 389. m & ſeq.
Monaſt. S. Euſtachii in Palæſtina, 340. a 350. a
Monaſt. Fabarienſe in Alamannia, 126. a
Monaſt. Figiacenſe apud Cadurcos, 405. m Anaſtaſius Abbas primus, ibid. Urbani Papæ II. litteræ pro Monaſterio, 406. a
Monaſt. Fontanellenſe in Gallia, 118. & ſeqq. Vvando Abbas, ibid. Auſtrulfus, 121. & ſeq. Bertgaudus Monachus, 120. m Hardoinus bonæ recordationis, 123. m Theodericus filius Hilderici Regis iſtuc retruſus, 123. a S. Lantbertus Abbas, dein Epiſcopus Lugdunenſis, 419. & ſeqq. Godo Monachus, 422. & ſeqq.
Monaſt. Fritislarienſe in Turingia, 16. m 40. m 245. n 246. m
Monaſt. Fuldenſe conditur a S. Bonifacio, 70. a n 249. m Zachariæ Privilegium, 70. a 73. m eo corpus ejus transfertur, 23. a Abbates, Sturmius, 242. & ſeqq. alii, 253. Eigil, 233. a 242. a Hrabanus, 222. m Egbertus, 26. a Chunradus, 258. a Decimæ injuſte Fuldenſibus ablatæ, 26. m n Carolomanni munificentia in eum locum, 74. m Viri pii & illuſtres, 243. a Otpertus, 80. a Rudolfus, 221. m Mago, 222. a Eccleſiæ aditus ſolis e feminis Liobæ conceſſus, 232. m 242. m Scholæ Fuldenſes, 243. a Monaſteria Fuldæ ſubjecta, 243. m Donato facta a S. Vvillibaldo, 354. m
Monaſt. S. Galli reſtitutum a S. Othmaro, 140. & ſeq. Viri pii, & illuſtres, ibid. Abbates Gozbertus, 141. a Grimaldus, 149. m n 155. m 156. a Harmotus, 150. a n Scholaſtici, 152. 153.
Monaſt. Gambronenſe in Gallia, 475. & ſeqq. Abbas & conditor Albertus, ibid.
Monaſt. Gemeticenſe in Gallia, 565. Taſſilo Dux ibi Monachus, 404. a Filibertus Abbas litem habet cum S. Lantberto Abbate Fontanellæ, 421. m Vvelpo Abbas recondit reliquias S. Flavii, &c. 570. m Rotdricus & Theodericus Abbates, 565. m
Monaſt. Gengenbac a S. Pirminio conditum, 132. m
Monaſt. S. Germani apud Pariſios, 86. a ejus origo, ibid. varii caſus, 99. 100. Viri pii & Abbates, 86. a m item Ebroinus, 96. m 101. m Gozlinus, ib. Gauzlinus. *V.* Gauzlinus. Ebbolus, 110. m Donatio Karoli-vennæ per Ludovicum Auguſtum, 108. Diſtributio bonorum pro Monachis CL. 108. 109.
Monaſt. Girvvenſis Abbas Ceolfridus, 507. m Beda Monachus, ibid.
Monaſt. Glaſtonienſe ſeu Gleſtingaburg, 8. 29. m Beervvaldus illic Abbas, ibid.
Monaſt. Gorzienſe in Gallia, 184. & ſeq. Chrodegangus Epiſcopus conditor, ibid. S. Gorgonii reliquiæ iſtuc delatæ, ibid. Inde educti Monachi ad reſtituendum Medianum-Monaſterium, 436. a
Monaſt. Heidenheimenſe duplex conditur, 161. m Vvunebaldus Abbas primus, ib. Adelbertus, ib. Vvalpurga Sanctimonialibus præfecta, ib.
Monaſt. Hersfeldenſe in Turingia, 245. m n 248. m n amplificatum a Lullo Epiſcopo, 363. a Lullus ibi ſepultus, 361. m
Monaſt. Hiienſe in Scotia, 398. & ſeqq. 567. m Blaitmaicus ibi Abbas, ibid. Adamnanus, &c. 452. m
Monaſt. Hilariacum in Germania, 186. m aliis Nova-cella, 184. 185.
Monaſt. S. Hippolyti in Aleſatia, 306. m 309. m
Monaſt. Hoemburgenſe ſeu S. Odiliæ in Aleſatia, 441. & ſeqq.
Monaſt. Horreenſe apud Treviros, 554. a Abbatiſſæ Irmina & Modeſta, ibid.
Monaſt. Hornebacenſe, ſeu Gamundium a S. Pirminio conditum in Germania, 126. m 133. a & ſeqq. Pirminius ibi ſepultus, 124. m Doto Abbas, 126. m Campanum inde ablatum a Vvidone, 138. a
Monaſt. Iciodorenſe apud Arvernos, 173. m 175. a m illatum caput S. Stremonii, 176. a Monaſterium reſtituitur, ibid. Abbates primi, ibid.
Monaſt. S. Illidii Arvernis, 176. a Arnaldus Abbas, *ibid.*
Monaſt. S. Joannis Bapti*ſtæ in Palæſtina*, 339. m n
Monaſt. S. Judoci in Morinis, 569. m S. Judoci translatio, ibid.
Monaſt. Juncturæ ſeu S. Deodati, in Voſago, 425. m
Monaſt. Calenſe in agro Pariſienſi, 403. m Taſſilonis filia eo relegata, ibid.
Monaſt. S. Karilefi ſeu Aniſolenſe apud Cenomannos, 209. a n Adalhelmus Epiſcopus inde adſumtus, ibid. S. Karilefi teſtamentum, &c. 568. a Abbates Gallus & Albanus, ibid.
Monaſt. Carroſenſe conditur a Rothario Duce, 175. m
Monaſt. Laddunenſe ſeu S. Joannis Virginum, 403. m 404. a Taſſilonis filia eo relegata, ibid.
Monaſt. Laureshamenſe in Germania, 184. m
Monaſt. Lebrahenſe in Aleſatia, 306. m
Monaſt. Leſcienſe ſeu Letienſe in Belgio, 381. a & ſeqq. Vvibertus Comes cum Ada uxore ejus auctor, 382. a Gunradus Abbas primus, 382. m Matronæ piæ illic degunt, 381. m
Monaſt. Lindisfarnenſe, 159. m Ceolvvlfus Rex illic Monachus, ibid. vini uſum concedit, ibid.
Monaſt. Luxovienſe in Gallia, 409. m & ſeqq. Abbates ejus varii, ibid. S. Ermenfredus ibi Monachus, 418.
Monaſt. Majoris apud Turonos Abbas Baicdulus, 487.
Monaſt. Maldubienſe in Anglia, 356. a Eaba & Hereca Abbates, ib. S. Lullus illic eductus, ib.
Monaſt. Marciliacenſe apud Cadurcos, a quo conditum & reſtitutum, 405. m ibi cultus S. Namfaſius, ibid.
Monaſt. S. Mariæ Gamundium, 133. m
Monaſt. S. Mariæ prope Verſiliam fluvium in Etruria Virginum, 179. m n

Mo-

Monaſt. S. Mauricii ſeu Agaunenſe, 187. a
Monaſt. Mauri in Aleſatia, 127. a
Monaſt. Manziacenſe in Arvernis, 173. m & ſeq. S. Stremonii corpus eo delatum, ibid. Abbates, Lantfredus I. 175. a & ſeqq. Lantfredus alter, 177. Mancio, 176. a Vvillelmus, 176. m Contentio de S. Stremonii corpore, ibid.
Monaſt. Medenſe Virginum in Italia, 380. a Sancti Haimo & Veremundus auctores, ibid. Beſutia & Gualdrada Abbatiſſæ, ibid.
Monaſt. Mediolacenſe apud Treviros, 555. a Epiſcopi inde adſumti, ibid.
Medianum-Monaſterium in Voſago a S. Hildulfo conditum, 432. m n Imperiale erat, 435. ruina ejus ab ſæculari Abbate, ibid. & ſeq.
Monaſteriolum in Neuſtria, 199. a diſtinctum ab Almanniſcis, ibid. Opportuna Abbatiſſa, ibid. eo delatum corpus S. Chrodegandi, 117. a
Monaſt. Montis-aurei in Palæſtina, 474. m Abbas Valentinus, ibid.
Monaſt. Montis Thabor, 339. a n 349. a
Monaſt. Movvenheimenſe in Bajoaria, 265. a & ſeqq. Liubila Abbatiſſa, ibid.
Monaſt. Murbacenſe in Voſago, 126. m 132. m
Monaſt. S. Naboris diœceſis Mettenſis, 185. m aliis Nova-cella, 284. m Hilariacum, 187. m
Monaſt. Nanto in pago Vabrenſi, 570. m
Monaſt. Nova-cella, ſeu S. Naboris, 184. m 185. m aliis Hilariacum, 187. m
Monaſt. Nova-villa in Aleſatia, 127. a 132. m
Monaſt. Nutſcellenſe in Anglia, 6. 39. m Vvinberchtus Abbas, ibid. & 6. 8. m 10. 29. 30. Boniſacius ibi Monachus, ibid. Stephanus Abbas, 10. m
Monaſt. S. Odiliæ ſeu Hoemburgenſe in Aleſatia, 441. & ſeqq.
Monaſt. Ordorfenſe ſeu Ordorpenſe in Turingia, 16. m 37. m
Monaſt. Ottinga in Bajoaria, 284 m
Monaſt. Palatiolum in Etruria, 177. & ſeqq. Abbates, S. Vvalfridus, ibid. 179. m 180. m Andreas, 178. m
Monaſt. Palatiolum Treviris, Sanctimonialium, 291. a Addula Abbatiſſa, ibid.
Monaſt. Palma in Burgundiæ Comitatu, Virginum, 444. a n ibi educata S. Odilia, ibid.
Monaſt. S. Petri Gandavi. *Vide* Monaſt. Blandinienſe.
Monaſt. S. Petri Hornebacenſe. *Vide* Hornebacenſe.
Monaſt. S. Petri Senonenſe, 555. & ſeqq. Privilegium S. Emmonis, ibid. Theodechildis Regina conditrix, ibid. donationes Leotheriæ & Ingoaræ, 557. Abbates, Aghilenus, 555. m Viraiboldus, 557. m Chrodolinus, 558. a
Monaſt. S. Privati in Ducatu Alamannorum, 307. a 309. m
Monaſt. Puteolos. *V.* Monaſt. Dervenſe.
Monaſt. Riomenſe apud Arvernos, 176. m Amblardus Abbas, ibid.
Monaſt. S. Sabæ in Palæſtina, 341. m 350. m
Monaſt. S. Savini apud Pictavos, a Carolo M. conditum, 483. m Abbates quidam & viri illuſtres, ib. Reliquiæ, 486. a Gungaldus Abbas, ibid.
Monaſt. Schonersheimenſe in Germania 232. m S. Lioba illic degit, ibid.
Monaſt. Scutteranenſe in Germania, 126. m 132. m
Monaſt. Senonienſe in Voſago, 425. m 427. a
Monaſt. Sollemniacenſis primus Abbas S. Remaclus, 570. a
Monaſt. Soractenſe Monachis ſubjectum, 174. m
Monaſt. Stabulenſe in Belgio, 553. a ejus auctor S. Remaclus cum Pippino, ibid.
Monaſt. Stivagium in Voſago, 425. m 427. m
Monaſt. Svvarſahenſe in Germania a S. Pirminio conditum, 132. m
Monaſt. S. Symphoriani Virginum ad Moſellam, 554. a Severa Abbatiſſa, ibid.
Monaſt. Theologion a Dagoberto conditum, 554. a
Monaſt. Ticinenſe. *V.* Monaſt. Cœlum-aureum, ib.
Monaſt. Tiernenſe apud Arvernos, 174. m Joſeph Abbas, ibid.
Monaſt. Trech ſeu Trajectenſe ad Rhenum, 521. m
Monaſt. Troclarenſe in pago Albigenſi, 488. m Segolena Abbatiſſa, ibid. & ſeqq. item Aliphia, ibid. Chramſicus loci conditor, 490. m
Monaſt. Trucinenſe in Belgio, 220. a
Monaſt. Turonenſe S. Martini. *V.* Monaſt. Majus.
Monaſt. Vabrenſe in Gallia, 570. m
Monaſt. Verziacenſe in Burgundia, 175. m Abbas Ingelbaldus, ibid.
Monaſt. S. Vincentii ad Vulturnum, 179. m n Magnus Monachus doctus, ibid. S. Ambroſius Autpertus Abbas, 234. m & ſeqq. alii, 237. a 240. m Petrus Monachus, 237. a
Monaſt. Unnedica in Germania, 253. a
Monaſt. Vvaltheimenſe in Anglia, 334. a 347. a Egvvaldus Abbas, ibid. Vvillibaldus puer ibi Deo oblatus, ibid.
Monaſt. Vveſſesburgenſe. *Vide* Monaſt. Diſſelburgenſe.
Monaſt. Vvinbrunenſe in Anglia, 222. m 223. a Tetta Abbatiſſa, ibid.
Monaſt. Vvlvicenſe in Arvernis, 173. m & ſeqq. S. Stremonii corpus eo illatum, ibid.
Modeſtus Epiſcopus apud Bajoarios, 281. m
Monciacus vicus in pago Pariſienſi, 209. m n eo delatæ reliquiæ S. Opportunæ, 212. a
Mons-Biliardæ caſtrum in Comitatu Burgundiæ, 425. m
Mons-Garganus ejuſque Eccleſia, 462. m
Mons-Martis ſeu *Mons-Martyrum* apud Pariſios, 214. m n 325. m n
Mons-viridis in Etruria, 179. a
Mons-Vironis in Gallia, 187. m
Morilio Domeſticus Chlodovei tertii, 560. m
Morta fluvius in Voſago, 427. m 430. a
Movialis Confeſſor in pago Bituricenſi, 86. m
Mummia ſeu Leotheria ſoror S. Ebbonis, 557. m
Mummolenus ſeu Momolenus Epiſcopus Noviomagenſis, 556. m

N

NAboris Martyris translatio Roma in Galliam, 184. m 186. m
Namfaſii Eremitæ apud Cadurcos Vita, 405. m
Nant famoſus vicus in pago Meldenſe, 411. m 412. m 415. a n
Nazarii Martyris translatio Roma in Germaniam, 184. m 186. m
Nemauſi in Gallia Concilium habitum, 406. m
Nettra fluvius, 309. m
Nicetas Epiſcopus Gabiis, 55. m
Nicetius Epiſcopus in Gallia S. Vvalbertum Abbatem Luxovii ſepelit, 413. a
Nicolai Papæ I. res geſtæ, 539. a
Nivernenſis Epiſcopus Deodatus, 424. a & ſeqq. Hecherius, 556. m
Nivo Epiſcopus Remenſis, 421 a
Nicæa urbs Bithiniæ & Eccleſia, 343. a 351. m
No ſeu *Alexandria Ægypti*, 467. m ejus deſcriptio, ibid.
Nocidus villa in pago Camiliacenſi, 557. m
Nomantum vicus in Gallia, 188. a
Nomentanus Epiſcopus, Benedictus, 55. m
Nonantum opidum in Neuſtria. 204. m n
Nordgoe pagus in Germania, 295. m
Nordoberchtus Optimas Chlodovei tertii, 558. m 560. m
Nortfiliſe regio Bajoariorum, 164. m
Northumbrorum Reges. *V.* Angliæ Reges. S. Vvillehadus ex Northumbria, 366. m

Nortmannorum irruptiones in Galliam, 97. a & ſeqq. 103. & ſeqq. 110. 327. a 414. m Principes eorum & Duces, Horich, Ragenarius. *Vide ſuis locis*.
Novientum palatium Regum Francorum, 559. a
Novigentum Artaldi in Briegio tractu, 105. m n
Noviomagenſes ſeu Noviomenſes Epiſcopi, Reginhelmus, 220. m Eligius, 554. m 557. a Mummolenus, 556. m
Numerianus Epiſcopus Trevirenſis, 534. a

O

ODilia cœca in baptiſmate illuminata, 432. ejus Vita, 334. m & ſeqq.
Odilia alia, Monaſterii Hoemburgenſis itidem Abbatiſſa, 442. m
Odilo Dux Bajoariorum, 66. m Bonifacio favet, 17. m 42. m & S. Vvunebaldo, 164. rebellat, 283. a Diſſidet cum S. Virgilio, ibid. & 283. m Eccleſias ædificat, 284. m Vvillibaldum excipit, 344. m
Odo Abbas S. Martialis, 486. a n alius ab Odone Abbate S. Savini, ibid.
Odo Comes Francorum, poſtea Rex, 110. m
Odo Dux Francorum, tutor Karoli Regis Franciæ, 546. a 547. m
Olda fluvius in Gallia, 476. m n
Oliveti mons & Eccleſia, 340. m 351. a Repentes inter altare & parietem obtinent peccatorum veniam, ibid.
Opportunæ Abbatiſſæ Monaſterioli Vita, 198. & ſeqq.
Optatus Abbas Caſinenſis, 116. m 117. m
Oſcellus locus in inſula Sequanæ, 104. m n
Oſgeofu Regina uxor Alhredi Regis Nortanhumbrorum, 358. m
Oſtarburga pagus Saxoniæ, 375. m
Oſthar ſeu Oſtrachia Friſiæ, 21. a n
Oſtienſis Epiſcopus Theodorus, 55. m
Oſvvita Abbatiſſa in Germania, 360. m
Othlonus Monachus ſcriptor Vitæ S. Bonifacii, 2. a
Othmari Abbatis S. Galli Vita, 139. & ſeqq.
Otkarius Epiſcopus Eiſtetenſis, 264. m & ſeqq.
Otilo Dux Bajoariorum, 170. *V*. Odilo.
Otpertus Monachus Fuldenſis pius, 80. a
Otto Dux Bavariæ, 285. m
Ovva inſula in Alamannia, 131. a
Oximenſis pagus in Neuſtria, 200. m S. Opportuna in eo nata, ibid.

P

PAlatiolum villa regia in pago Pariſiaco, 88. m Papia. *V*. Ticinum.
Pariſiorum Epiſcopi, S. Dionyſius, S. Germanus. *Vide ſuis locis*. Landericus, 305. m Chrodobertus, 555 556. m Turnoaldus, 560. Sigofridus, 558. Gozlinus. *V*. Gozlinus. Anſchericus, 547. a Translatio S. Germani iſtic facta non ſemel, 65. & ſeqq. Sthephanus Pariſiorum Præfectus, 111. m apud Pariſios Eccleſia S. Opportunæ, 214. m
Paſchalis Papæ I. geſta, 530. a & ſeqq.
Patavienſis Epiſcopus Vivilo, 18. a 42. m 45. a
Paulus Epiſcopus Verodunenſis, 554. a
Paulus Papa dat corpora S. Gorgonii, &c. ejus geſta, 186. m 513. a
Peregrinus Epiſcopus Anglorum, 570. m
Permenii ſeu Pirminii Chorepiſcopi & Abbatis Vita, 124. a & ſeqq.
Peſtis in Gallia, 388. a
Petra-inciſa caſtrum in Arvernis. 175. m
Petronilla Sanctimonialis in Monaſterio Leſcienſi, 381. m
Petrus Eremita Burgundio, viſitator locorum ſanctorum, 454. m 467. a
Petrus Monachus S. Vincentii ad Vulturnum, 262 m.
Phanius mons, unde oriuntur Jor & Dan fluvii, 349. m n
Philippus Magnus Rex Francorum, 111. m
Pictavorum Epiſcopi, Ebroinus, 96. m 101. m Anſoaldus, 560. m
Pinciacenſis pagus in agro Pariſienſi, 103. m 108. a
Pippinus Major-domus, cognomento Landinenſis, 553. a m ejus familia, ibid.
Pippinus Rex Francorum Carolo patri ſuccedit, 17. a 44. a vetat translationem S. Bonifacii, 23. m miracula refert, 24. m Capitula petit a Zacharia, 64. a m dat privilegium Fuldæ, 75. m Ungitur a S. Bonifacio, 81. m intereſt translationi S. Germani, 87. m & ſeqq. dat Palatiolum, 88. m n Fontanellæ privilegium dat, 123. quo anno regnare cœpit, 151. a m n S. Othmaro favet, 141. m n 151. a S. Stremonii corpus dat Mauziaco, 175. a Joſephum habet apocriſiarium, ibid. S. Gorgonii corpus reſtitui jubet Chrodegango, 186. m n S. Altoni ſilvam dat, 196. m Vini uſum Fuldenſibus concedit, 250. a Sturmio infenſus, 253. a n dein reconciliatus, 253. m Pius, ibid. m Fuldenſibus munificus, 255. m S. Virgilio favet, 280. m Placitum ejus pro Monaſterio Dionyſiano, 304. m Baſilicam S. Dionyſii magnificentius inchoat, 315. a Eccleſiam Romanam protegit, 522. a
Pippinus Rex Langobardorum excipit S. Vvillehadum, 369. m Vitæ Caroli Magni patris ſui inſidiatur, 564.
Pirminii Chorepiſcopi & Abbatis Vita, 24. & ſeq.
Piſæ urbs Etruriæ, *Alphæa* dicta, 178. m n illic natus S. Vvalfridus, ibid.
Pleccatebem ſeu *Plexem* locus in Friſia orientali, 371. m n
Pontiniacus villa in pago Andecavenſi, 324. a
Populonius portus in Etruria, 182. m n Populonium urbs exciſa, ib. n S. Cervonius illic cultus, ib.
Porcinenſis pagus in Campania Remenſi, 327. m
Portuenſis Epiſcopus Gregorius, 55. m
Portus-Balli in Neuſtria, 121. m n
Potamum villa ſeu palatium in Alamannia, 143. m n
Præneſtinus Epiſcopus Venantius, 55. m
Preſzoldus Abbas Fuldenſis, 253. m
Prioratus quidam. Cella S. Germani, 98. m n Prioratus Dionyſiani Monaſterii, 306. m 307. a 309. a 310. Cella Juſtina in Francia, 370. m Prioratus Domni-Petri prope Avennas, 388. a n Cuſantia, 418. Augia in Campania, 422. Cella S. Goaris, 554. a Monaſterium de Parnis, 570. m Monaſteriolum in Pontivo, 569. m
Protadius Epiſcopus in Gallia, 570. a
Prudentii Poetæ corpus ſacrum in Gallia, 486. a
Prunidus villa in agro Pariſienſi, 103. m

Q

QUarantani, populi Germaniæ, 281. a, a S. Virgilio converſi, 382. m Duces eorum, ibid.
Quent ſeu *Cuent* fluvius in Morinis, 11. a n
Quentavvic, portus Oceani in Morinis, ibid.

R

RAbanus Abbas Fuldenſis, 222. a 393. m 396. m
Rado Abbas S. Germani, 87. a
Rætia Curienſis, 122. m Victor illic Comes, ibid.
Ragane Abbatiſſa in Francia, 304. m
Raganfredus Domeſticus Chlodovei tertii, 560. m
Ragenarius Dux Nortmannorum, 95. m 99. m 100. a & ſeqq.
Ragenfridus intarta ſeu rebellis, 49. m
Ragnoaldus Optimas Chlodovei tertii, 558. m 560. a

Ra-

Digitized by Google

Ragnobertus Epiſcopus Bajoacenſis, 557. a
Rambertus Epiſcopus Ambianenſis, 60. a
Ratbodus Epiſcopus Trajecti ad Rhenum, 217. a
Ratbodus Rex Freſonum cum Carolo Martello certat, 9. m, 30. a ejus mors, 12. a, n. 31. m
Ratiſpona urbs dicta Regina, 8. a 27. Reneſborch, 432. m Ratiſponenſes Epiſcopi, Goibaldus, 18 a, an Erardus. *Vide* Erardus.
Regina civitas, ſeu Ratiſpona, 18. a, n 270 a *Vide* Ratiſpona.
Reginhelmus Epiſcopus Tornacenſis & Noviomagenſis, 23. m
Reginfridus Epiſcopus Rotomagenſis, 60. a
Reginoldus Epiſcopus Eiſtetenſis, 355. a
Remaclus Abbas primus Sollemniaci, 68. a Stabulenſis Monaſterii auctor cum Pippino, 553. a
Remenſes Epiſcopi, Abel 67. m Vulſarius, 220. a, Nivo, 421. a Ebbo, 531. Hincmarus, 532. Folco 542. m, & ſeqq.
Richardus pater SS. Vuillibaldi & Vunebaldi, 347. m n
Richardus Dux Burgundiæ, 414. m n
Richarius Abbas Centulenſis dictus Epiſcopus, cur, 569. a Monaſteriolum condit prope Argubium, ibid.
Richbodus Epiſcopus Trevirenſis 555. a prius Monachus, *ibid.* n
Richildis Regina, Caroli Calvi uxor, 107. m
Richvvinus Comes in Neuſtria, 121. m
Ricveus Epiſcopus Trecenſis, 547. m.
Riculfus pater Fulradi Abbatis Dionyſiani, 303. m, 309. a
Rigvvaldus Epiſcopus an Silvanectenſis, 557. a
Riogilus fiſcus, 320. m, 323. a aliis Rioilus, 105. n.
Riquera nobilis Franca, 218. m
Robertus Abbas Cantinobenſis in Arvernis, 176. a
Robertus Epiſcopus Claromontenſis, ibid. a
Robertus Epiſcopus Silvanectenſis, 216. a, n. *Vide* Rotbertus.
Robur-Jovis, idolum apud Heſſos, 15. a aliis Arbor-Jovis, 34. m
Rocienſis familia in Gallia, 381. m
Rodinus frater S. Amalbergæ, 217. m, 220. m, Monachus Caſinenſis, ibid.
Rodulfus Abbas apud Remos, 544. m
Rodulfus Epiſcopus Bituricenſis, 177. m
Roſenſis Epiſcopus Eardulfus, 359. a
Roggerius Dux Aquitaniæ, 175. a condit Monaſterium Karroſenſe, ibid. aliis Rotharius, ibid.
Romanus Epiſcopus Meldenſis, 60. a
Romæ baſilica S. Petri maxima totius mundi 474. m Ellidius Epiſcopus & Marinus ibi degunt, 483. m Romanum Concilium, 55. & ſeqq. Romanorum vitia, 51. a, 54. m
Romanum nomen convicii genus quondam, 569. a
Romardi ſacræ reliquiæ in Monaſterio S. Savini, 486. a
Romont villa in Voſago, 428 m
Roſalinſis pagus in Gallia, 309. m
Rotbertus Abbas Blandinienſis, 220. m
Rotbertus Abbas Germanenſis, 86. m
Rotbertus pater S. Lantberti Abbatis Fontanellæ, Referendarius, 419. m
Rotbertus Rex Francorum, 566
Rotdricus Abbas Gemeticenſis, 565 m
Rotgarius Epiſcopus Trevirenſis, 555 a
Rotmaldus Eremita & Monachus S. Germani, 86. m
Rotomagum dictum *Rotomacum* 97. a & *Rotomum*, 375. m eo appulſi Nortmanni, 97. a
Rotomagenſes Epiſcopi, Reginfridus, 60. a Grimo, 67. Audoenus, 421. m 555. m Anſeberchtus, 559. m Flavius, 570. m
Ruadhardus Comes in Alamannia, 142. m, n, 151 m
Rudolfus Abbas Altomonaſterienſis in Bajoaria, 198. a
Rudolfus Monachus Fuldenſis, 225. m ei Vitam S. Soli dedicat Ermenricus, 390. m, 398. a
Rudoltus Epiſcopus in Germania, 42. m
Ruiſtri, populi Friſiæ orientalis, 370. m, n
Rumaldus Comes Madriacenſis, 94. m

S

SABÆ Abbatis ſancti corpus in Laura ſua, a 341. m, 350. m
Sagienſes Epiſcopi, Amicharius, 556. m Chrodegangus ſeu Chrodegandus, 199. a, 201. a 203. & ſeq. Chrodobertus invaſor, ib. 199. m Hildebrandus, 214. m Adelhelmus, ib. & ſeq. 209. & ſeq. Sagienſi in pago natus S. Albertus Abbas, 475. m
Salomon Epiſcopus Conſtantienſis ad Rhenum, 149. m & ſeqq.
Saloninſis pagus in Gallia, 309. m
Sallpurg locus in Turingia, 345. m, 353. m, n
Saltzburgenſes Epiſcopi, Joannes 17. m, 42. m. Virgilius, 379. & ſeqq. Chunradus, 285. m
Samo Dux Karentanorum, 281. a
Samſon Scottus hæreticus, 66. a
Samuhel Monachus Dionyſianus, 325. m, n
Saracenorum dominatio in Syria 337. 341. 292. incurſiones in Galliam, 413. 482. 484 485. Adelhacam Princeps Saracenus, 393. m Engaldus Rex, Acquirinus Dux, 485. a
Sarroaldus Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Savaricus Epiſcopus an Autiſiodorenſis, ibid.
Saxones a Carolo M. adducti ad Fidem 255. m 368. & ſeqq. in Britanniam vocati, 505.
Scaldis fluvius in Belgio, 218. m
Scarponenſis pagus in agro Mettenſi, 185. m 309. a
Sebaſtiæ corpus S. Joannis Baptiſtæ, 342. a, 355. m
Segolenæ Abbatiſs. Troclarenſis Vita, 487. & ſeq.
Selebim in Turingia, 246. m, 248
Senna fluvius Bruxellæ, 219. m
Sennis civitas, id eſt Senonum, 68. m Senonenſes Epiſcopi, Hartebertus, 67. m 68. n Gundelbertus, 424. a & ſeqq. Emmo, Vulſechramnus, 555. m, Ebbo, 558. m. Vvalterius, 547. m 560. m
Septemolæ ſeu *Septemmolæ vicus* in Francia, 304. m
Sepulcrum Chriſti D. & Eccleſia, 340. a, 457. m
Sequana fluvius dictus *Sigona*, 335. m, n
Sergii Papæ II. geſta, 533. a
Sergius III. 549. a & ſeqq.
Servatii Epiſcopi Tungrenſis reliquiæ & oratorium 118. m
Sidonius Epiſcopus Conſtantienſis relegat S. Othmarum, 143. n ob id mortuus, 144. n
Sigibaldus Epiſcopus in Aquitania, frater S. Segolenæ, 488. a & ſeqq. 493. m n
Sigibertus Rex 12. Monaſteria condit, 553. a
Sigofridus Domeſticus Chlodovei tertii, 560. m
Sigofridus Epiſcopus Pariſienſis, 558. m
Sigolenæ ſeu Segolenæ Abbatiſſæ Troclarenſis Vita, 487. m & ſeqq.
Sigolenus Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Sigona fluvius, Sequana, 335. m n
Sigranda, an Sigrada, mater S. Leodegarii, 443. a, n
Silvæ-candidæ Epiſcopus Epiphanius, 55. m
Silvanecticum caſtrum in Gallia 214. m, Silvanectenſes Epiſcopi, Robertus, 215. a an Rigvvaldus 557. m Comes Uboldus, 215. a
Simon Monachus S. Germani bonæ memoriæ 86. a
Sintlacis-ovva inſula in Alamannia, 131. a 144. m
Sintlax inluſtris Alamannus, 129. & ſeqq. Augienſis Monaſterii conditor, 131. a
Sitimulh civitas in Ægypto, 293. m
Slavorum infidelium cenſus, 72. 73.
Soli Monachi & Eremitæ Vita, 389. a
Solonis-cellæ deſcriptio, 392. m 393. a
Soroa fluvius apud Treviros, 554. a m
Spinuli Monachi obitus, 443. a
Spirenſis Epiſcopus David, 60. a
Stoin inſula Rheni in Alamannia, ubi mortuus S. Othmarus, 143. m, n

Digitized by Google

Steornigi pagus Saxoniæ, 377. a
Stephanus Abbas Nutſcellenſis, 10. m
Stephani Papæ II. privilegia pro Monaſterio S. Dionyſii, 305. & ſeqq. geſta ejus, 519. a & ſeq.
Stephani III. geſta, 523. a, & ſeqq.
Stephani IV. acta, 529. m
Stephani item V. 542. m
Stephanus Papa VI. 544. a
Stephanus VII. 550. a
Steranus Epiſcopus in Gallia ſæculo 7. 80. m
Strateburgenſes Epiſcopi, Hatto, 60. a Arbogaſtus & Florentius, 429. a
Stremonii Epiſcopi Arvernenſis translatio, 173. & ſeqq.
Sturmi Caſinum miſſus, 226. m Vita S. Sturmii Abbatis Fuldenſis, 242. & ſeqq. cur male habitus a S. Lullo, 344. 361. m, 362. a
Sturmi pagus Saxoniæ, 377. a
Sualaveldica lex, 267. a, n
Sueſſionenſe Concilium, 18. m. Druſio Epiſc. 557. a
Suitgarius ſeu Suitgerus Comes apud Bajoarios, 345. a
Superior-curtis ad Axonam fluvium, 327. a, n

T

TANCO Monachus Gallenſis, 145. m
Tardanenſis pagus Altaripa in Gallia Belgica, 327. a, n 329. a
Tarvennenſis pagus dictus Tarnenſis, 91. m, 413. m eo delatum corpus S. Vvalberti Abbatis, 415. m in eo natus S. Lantbertus Abbas Fontanellæ, 419. m Tarvennenſis Epiſcopus Ætherius, 61. a
Taſſilonis Ducis & Monachi elogium, 401. & ſeq.
Tecla S. Bonifacii diſcipula, 38. m
Telas fluvius in Neuſtria, 421. a
Tellau pagus in Neuſtria, 118. m, 421. a
Tempſeca villa in Belgio, 218. a
Teodaſius villa agri Pariſiaci, 101. m, n
Teodechildis Regina quieſcit in Monaſterio S. Petri apud Senonas 457. a 458. m a
Teroanenſis Epiſcopus Ætherius, 60. a
Tetelmus Monachus Luxovienſis ab Nortmannis cæſus, 415. m
Tetta Abbatiſſa Vvinbrunenſis, 224. m & ſeqq.
Thabor mons, *Agemons* dictus, 339. a
Thalamarta urbs in Syria, 342. m
Thanis civitas in Oriente, 473. m
Tharrata urbs Saracenorum in Syria, 337. m
Thedelmarus Abbas Germanenſis, 86. a 560. m
Theobaldus Princeps in Turingia, 15. m
Theodechildis. *Vide* Teodechildis.
Theodeberchtus Cancellarius Chilperici tertii, 563. m
Theodericus Rex Francorum S. Pirminio favet, 129. a
Theodericus filius Hilderici Regis Fontanellam retruſus, 123. a
Theodericus Abbas Gemeticenſis, 565. m
Theodericus de Aveſnis, inſtaurat Cœnobium Leſcienſe, 381. m
Theodericus Epiſcopus Cameracenſis, 383. m, n
Theodoldus Comes abſolvitur a Carolo Magno, 564. 565.
Theodoricus Comes, Caroli Magni propinquus, 310. m
Theodorus Epiſcopus Oſtienſis, 55. m
Theodorus Papa II. 548 m, 549. a
Theodoſius Patriarcha Hieroſolymitanus, 474. a
Theudoaldus Grimoaldi Majoris-domus filius necatur, 50 m n
Thomæ Apoſtoli reliquiæ, ubi, 348. m
Ticini Monachus S. Appianus, 497. a & ſeqq. Ticinenſes ejuſdem Sancti corpus furtim aſportant, 500. m
Tietgaudus Epiſcopus Trevirenſis, 555. m
Tilliſiola Abbatiſſa Maſſiliæ, 487.
Tinne ſeu Dimo, pater S. Liobæ 225. a, m
Torabertus Monachus & Presbyter Anglus, in Germania, 232. m
Torchtvvinus hæreticus in Turingia, 15. m, n
Tornacenſis Epiſcopus Reginhelmus, 220. m
Tornodorenſis pagus in Burgundia, 558
Trajectum inferius Trech appellatum, 3. a, 9. m, 21. a Item Viltaburg, 298. a. Civitas antiqua, 295. a. Epiſcopalis ſedes ibi erecta, 298. a Bonifacius an ibi Epiſcopus, 3. a an Eobanus, ibid. 21. a, n. Ratbodus, 217. a. Gregorius Rector, 289. m & ſeqq. Alubertus Chorepiſcopus, 298. m. Albricus Epiſcopus, 301. m
Translationes, S. Bonifacii, 23. 24. 79. 80. S. Germani 85. & ſeqq. S. Othmari, 143. & ſeqq. alia 148. & ſeqq. S. Stremonii, 173. & ſeqq. S. Gorgonii, 184. & ſeqq.
Trecenſes Epiſcopi, Bertoaldus, 555. 556. Ricveus, 547. m
Trevirenſes Archiepiſcopi, Liudolfus, 124. 128. m Hildulfus, 425. & ſeqq. alii, 554. 555. Monaſteria Trevirenſia, ibid.
Treuvardus Epiſcopus Cameracenſis. 60. a
Truthgeba ſeu Lioba virgo & Abbatiſſa in Germania, 221. a 225. a
Tullenſes Epiſcopi, Bodo, Berthodus, 432. a Jacob, 432. m
Tungrenſes Epiſcopi, Folcricus, 60. a S. Servatius, 119. a
Turingiam ad Fidem adducit Bonifacius, 12. a & ſeqq. 16. m, n 35. & ſeqq. Gregorio Abbate ſocio & adjutore, 292. m Principes, Theobaldus & Heden, 15. m alii, 35. m Vvillibaldus Sallpurg in Turingia ordinatus, 343. a 354. a
Turnoaldus Epiſcopus an Pariſienſis, 560. a
Turnoaldus Gravio Chlodovei tertii, 558. m

V

VAlentinus Abbas Montis-aurei in Palæſtina, 474. m
Valentinus Papa, 532. a
Vantra fluvius in Samnitibus, 239. m
Uboldus Comes pagi *Silvanectenſis*, 215. a
Vedrariæ villa pagi Pariſiaci, 93. a, n
Velitrenſis Epiſcopus Gratioſus, 55. m
Venantius Epiſcopus Prenæſtinus, ibid.
Venderia ſeu *Vinderia villa regia* in Regno Lotharii, 193. m, n
Venetiis corpus S. Marci, 473. a
Ventanæ urbis Epiſcopi, Daniel, 10. m Cyneheardus, 358. m
Verani Confeſſoris corpus, 309. m
Veremondus ſanctus cum fratre Haimone in Italia, 380. a
Vermeria palatium regium in Francia, 123. a
Verodunenſis Epiſcopus S. Paulus 554. a
Verſilia fluvius in Etruria, 179. m n
Victor Comes Rætiæ Curienſis, 141. a n
Viennenſis Epiſcopus Eodaldus, 556. m
Vimina fluvius pagi Vimnau, 120. a, n
Vinderia villa regia in Regno Lotharii, 193. m, n
Vindocinenſe caſtrum in Gallia, 126. 127. a S. Opportunæ illic reliquiæ, ibid.
Viraiboldus Abbas Monaſterii S. Petri apud Senonas, 557. a
Virgilius accuſatur, 67. a Virgilii Epiſcopi Saltzburgenſis Vita, 279. a & ſeqq.
Viridis-mons in Etruria, 179. a ibi conditum Monſterium, ibid.
Viſrona fluvius in pago Tellau, 119. m
Vitalis ſancti corpus, 309. a
Vitry caſtellum in Gallia 190. a aliis *Victoriacum*, ibid. n
Vivilo Epiſcopus Pariſienſis 18. a, 42. a 42. m,
Undua fluvius in Neuſtria, 122. a
Unemundus ſeu Aunemundus Epiſc. Lugd. 555. m

Digitized by Google

Vonciacus pagus in Campania Remenſi, 328. m, n an alius a Vongiſo, ibid.
Voſagi eremi in Gallia deſcriptio, 426. a
Urbani Papæ II. litteræ pro Monaſterio Figiacenſi, 406. m
Urſinianus Epiſcopus in Gallia ſæculo 7. 558. m
Urſmari Abbatis Laubienſis Vita metrica per Herigerum, 551. a, & ſeq.

VV

VValaco Comes in Germania, 273. m n
Vvalafridus Strabus Abbas Augienſis, 126. a Scriptor Vitæ S. Othmari, 139. a & S. Blaitmaici, & ſeqq. 398. m vir doctus, 147. m
S. Vvalaricus Abbas educatus in Autumo 568. m
S. Vvalarici opidum ad Oceanum, 210. a n
Vvalberti ſeu Vvaldeberti Abbatis Luxovienſis miracula, 409. & ſeqq. an Epiſcopus, 569. a
Vvaldradana ſoror Fulradi Abbatis Dionyſiani, 303. m, 309. m
Vvaldramnus Optimas Chlodovei tertii, 560. m
Vvaldramnus Referendarius, ibid.
Vvaldromerus ſeu Vvandremarus Abbas Germanenſis Pariſiis, 86. m
Vvaldſatis pagus Saxoniæ, 376. a
Vvalfridi Abbatis Palatioli in Italia Vita, 177. m & ſeqq.
Vvaltarius Epiſcopus Senonenſis, 547. m
Vvalterus pater Drogonis Comitis Ambianenſis, 565. m
Vvaltidis Abbatiſſa, S. Bercharii Abbatis diſcipula, 570. a
Vvalto Abbas Dionyſianus, 318. m, n, 320. a, n
Vvaltpurgis diſcipula S. Bonifacii, 38. m ejus Vita, 260. a & ſeqq.
Vvaltramnus nobilis Alamannus, 141. a & ſeqq.
Vvandalenus frater S. Ermenfredi Abbatis Cuſantienſis, 418. m
Vvandalorum irruptio in Galliam, 484. m, 485. a
Vvandonis Abbatis Fontanellæ Vita, 118. m & ſeqq.
Vvaningus nobilis Francus, 421. a
Vvaringiſi-villa in Gallia, 187. m, 188. a
Vvarinna fluvius in Neuſtria, 421. a
Vvarinus Comes in Alamannia, 142. m, n, 151. m
Vvarmanus Monachus, dein Epiſcopus Conſtantienſis, 124. a
Vvarno Comes palatii Chlodovei tertii, 559. m
Vvaſtrada mater S. Gregorii Abbatis, 391. a
Vvatunc Dux Karentanorum, 282. a
Vvege villa publica in Saxonia, 377. a
Vveomadus ſeu Vviemadus Epiſcopus Trevirenſis, 555. a
Vverda ſeu Vvyrda opidum ad Rhenum, 391. a, n
Vverinherus nobilis Francus, 132. m Gamundium Monaſterium condit, 133. & ſeqq.
Vveſtrachia pars Friſiæ, 21. a
Vvibertus Comes in aula Pippini Regis, 382. & ſeqq.
Vvichadus Abbas Germanenſis Pariſiis, 86. m.
VvidiKindus Saxo in Carolum M. rebellis 369. a baptizatus, 370. m
Vvido nobilis Francus, 137. m
Vvido conſanguineus Folconis Epiſcopi Remenſis, 543. a
Vvigbertus Abbas Fritislarienſis, 244. m, n
Vvigericus Epiſcopus Mettenſis, 188. a
Vvigmodia pagus Friſiæ, 365. a, 368. m, n, 370. m, 377. a, & ſeqq.
Vvigo Epiſcopus in Germania, 42. a
Vvilfridi junioris Epiſcopi Eboracenſis geſta, 506. 507.
Vvillehadi Epiſcopi Bremenſis Vita, 364. a & ſeqq.
Vvillelmus Abbas Germanenſis Pariſiis, 86. a
Vvillelmus Monachus Merulenſis ſcriptor, 561. a
Vvillericus Epiſcopus Bremenſis, 372. m n
Vvilleſvvinda pia Monacha Biſcoſheimenſis, 230. m
Villibaldus Epiſcopus Eiſtetenſis 19. m, 38. m, 44. m, 48, a, 161. m & ſeqq. 295. m an auctor Vitæ S. Bonifacii, 1. & 2. Vita ejus, 330. & ſeqq.
Vvillibrordus Epiſcopus Friſiorum 12. a dictus Archiepiſcopus, 298. a
Vviltaburg urbs in Friſia 298. a *Vide* Trajectum inferius.
Vvinberchtus Abbas Nutſcellenſis, 6. m 8 m, 10. m n
Vvinfridus dictus Bonifacius, 10. m, 14. m, n, *V.* Bonifacius.
Vvintarus medicus Caroli M. 257. a
Vvintra Abbas Vveſſelburgenſis, 8. m, 29. m
Vvirtziburg ſedes epiſcopalis erecta, 48. a, 49. m, 52. m 295. m Herbipolis dicta 258. Vvirtziburgenſes Epiſcopi, Burchardus. *Vide* Burchardus. Megingozus, Joannes, 267. m, 295. m 258. a
Vviſaraha fluvius in Saxonia, 47. m
Vvithbaldus Chorepiſcopus Leodicenſis, 91. m
Vvitta diſcipulus S. Bonifacii, 38. m
Vvizo Epiſcopus in Germania, 345. m
Vvizo Epiſcopus Trevirenſis, 555. a
Vulcania inſula, 343. a, m Pumex inde petitur, ibid.
Vulda locus Monaſterii in Germania, 137. m, *Vide* Monaſt. Fuldenſe.
Vulfarius Epiſcopus Remenſis, 220. m
Vulfechramnus Epiſcopus Senonenſis, 560. m
Vulfoaldus Major-domus Childerici Regis, 421. a
Vulfolaicus Referendarius Chlodovei III. 560. m
Vulbrona civitas Vvaſconiæ, 93. a
Vulturnus fluvius in Samnitibus, 239. m
Vvnebaldus Abbas, frater S. Vvillibaldi, 38. m Vita, 160. a & ſeqq.
Vvolfardus Abbas Adeſcancaſtrenſis, 5. m, 28. m
Vvolfhardus Presbyter, ſcriptor Vitæ S. Vvalpurgis, 260. a & ſeqq.

Z

ZAchariæ Papæ epiſtolæ ad S. Bonifacium 49. a & ſeqq. geſta, 517. m & ſeqq.

INDEX MORALIS

PARTIS SECUNDÆ

SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

ABbates ſolemni pompa excepti in Monaſteria, 199. m. Abbas cardinalis, 406.
Abſtinentiæ diebus cibi liciti, panis, caſeus, cervisia, piſcis 346. a Abſtinentia eximia S. Vvillehadi, 370. 371. a Papa temperata, ibid
Abſtinentia indicta ab Epiſcopo, 359. a
Adi-

Adipis uſus in Monaſteriis, 109. m
Adultera confugit ad Eccſeſiam, 318. m
Altare in privato conclavi erectum, 168. a Altare aureum, 507. m Altaria plura in una Eccleſia 457. m 461. 472. 474. Altarium verberatio, 95. m Iis altaribus oblatæ ceræ particulæ, 145. m
Angeli qui orandi, 69. a Urihel, Raguel, Tobiel an invocandi, ibid. n
Antipodum adſertor damnatus, 66. m 67. a
Archiepiſcopi Concilia provincialia confirmant, 8. m dicti Summi Pontifices 220. Summi Sacerdotes, 246. m
Arma portare interdictum ſervis Dei, 45. m
Aſello vehi ſoliti S. Othmarus 141. m Sturmius, 247. a

B

BAculus paſtoralis qualis antiquitus, 322. a
Baptiſmi tempus in Paſcha & Pentecoſte, 35. m iteratio an & quando licita, 54. 55. Forma 64. 65. an ſuppleri poſſit per manuum impoſitionem, 66. m
Benedictiones Gallorum, 71. m
Benedicti Patriarchæ Regula laudata, 45. m, 70. 71. a, 130. 135. m, 140. a, 250. 251. 571. Servata in Italiæ Monaſteriis, 250. m, 251. a Regula ſancta, ibid. a, 255. a Exemplum Regulæ Caſino defert S. Vvnebaldus, 173. a Sancti Benedicti Curſus, 480. a Regula S. Benedicti ſub modo Luxovienſis Monaſterii ſervata in Monaſterio Senonenſi, 555. 556. 570. a

C

CÆlibatus Sacerdotum, 50. a, m, n, 53. a
Calix quo Chriſtus in cœna uſus eſt, argenteus & anſatus, 459. m
Campanæ pulſatæ in extremo agone morientium, 257. a ingruente tempeſtate, 257. m
Candelæ Sanctis oblatæ, 318. a ad menſuram offerentium, 286. a
Canones religioſe ſervandi, 53. m, 61. m, 55. a
Carnis tentatio ut victa a S. Vvalfrido Abbate, 179. m
Cenſus Eccleſiæ, 72. m an exigendus ab infidelibus, 73. m
Ceræ particulæ in altaribus oblatæ, 145. a
Chorus Clericorum feminis interdictus, 375. m
Chriſti Domini ſepulcrum 455. a 457. m, Calix, 459. m Sudarium, ibid. aliud, 470. m Crux Chriſti ejuſque Eccleſia, 469. m, 470. a
Cibi vetiti, qui 71. a, n. Cibi liciti diebus abſtinentiæ, panis, caſeus, cervifia, piſcis, 274. a
Clericorum veſtis, 45. m. Clericis arma interdicta, 45. a item venatio, ibid. 51. m
Concilia a Metropolitano confirmata, 8. m. a Papa, 61. a Abbates Conciliis interſunt, ibid. Concilia quotannis celebranda, 62. a, 63. m
Confeſſio ſacramentalis, 44. m, 508. m præmiſſa ante exorcizationem dæmoniaci, 437. m Confeſſio venialium facta a S. Segolena, 493. m, n Peccatorum ſchedula ſuper altare depoſita, ibid.
Confirmationis ſacramentum, 21. 85. m collatum impoſitione chriſmatis, 134. a, 156. m
Corporalia delata ingruente tempeſtate, 438. m
Crux a Saxonibus erigi ſolita in villis loco Eccleſiæ, 333. m Crucis adoratio in triduo ante Paſcha, 469. m

D & E

DEpoſitio perpetua Sacerdotum, &c. ob carnis lapſum 44. m, 50. 51. 52. 55. 73. a ob homicidium, 47. a ob alia crimina capitalia, 53. a 63. Diaconiſſarum ordinatio, 491. m, n quando deſierit, ibid.
Diaconi ob carnis lapſus depoſiti, 44. m Evangelium hi legere non poſſunt, 50. m, n
Diſciplina, ut vocant, ſeu flagellatio ſtatis diebus facta, 288. a, n
Eccleſiæ res in Concilio reſtitutæ, 48. m. Eccleſiæ cenſus, 62. m Eccleſiæ dedicatio, ibid. cum chriſmate, 261. a Eccleſiæ perfugium, 95. m, 318. m Eccleſiæ in modum crucis, 341. a, 466. a rotundæ 457. 458. quadrangulatæ, 459. m, 461. a 463. a Eccleſiarum dedicationes 179. 180. Eccleſiæ turri ſigna imponi ſolita, 315. m Eccleſia interdicta ob hominis ſcelerati in ea ſepulturam, 386. a quomodo ſolutum interdictum, 388. a Chorus Clericorum feminis interdictus, 375. m Ægroti ad gradus altaris jacentes, ibid. Altaria plura in una Eccleſia ſæculo VII. 457. 458. a *Vide* Altare.
Eleemoſynis intentus S. Gregorius Abbas 299. a
Epiſcopales ſedes in locis ignobilibus non ſint, 52. a, n
Epiſcopus an vetitum ordinare Epiſcopum ante annos 50. ætatis, 12. m, n Profeſſio Fidei in Epiſcopi ordinatione, 33. Epiſcopi venationi & armis dediti arguuntur, 51. m *Vide* Depoſitio: ſucceſſor an alio vivo eligendus, 51. m, 53. a Epiſcopus indicit litaniam & abſtinentiam, 359. m Epiſcopi falſi, 65. Epiſcopus excommunicatus, 72. m Epiſcopi Translationes quomodo peragunt, 149. 155. & ſeqq. Feſta Sanctorum indicunt, 151. 153. a Baculus paſtoralis, qualis antiquitus, 312. a, 372. a Epiſcopi nomen tributum Presbyteris, cur, 371. a
Equi ſeu caballi edi prohibentur, 39. m
Exceptio virorum illuſtrium in Monaſteria ut fieri ſolita, 156. m n
Excomunicatio Eccleſiæ, 284. a lata in Monachas vagas & in Abbatiſſam, 360. m in Presbyterum rebellem, ibid.
Exorciſmus ad fugandos dæmones, 104. a, 211. a 286. a in dolio aquæ benedictæ & per reliquias factus, 437. Evangelium S. Joannis lectum, ibid. m

F & G

FEſta Sanctorum ab Epiſcopis indicta, 150 m, 152. m, 153. a Fiduciæ in Deum exempla, 118. m, 119. a
Flagellatio certis diebus a Monachis accepta, 288. n
Gallorum benedictiones, 71. m 78. a

H, I & K

HIeronymi Doctoris Eccleſiæ ſepulcrum, 465. a
Homicidii pœna canonica, 40. a, 107. a
Jejunia contra gentium incurſiones 62. a Jejunium remiſſum a Sturmio juſſu S. Bonifacii, 246. m Jejunium tempore pluviæ indictum feria ſecunda, quarta, & ſexta, 359. a
Ignis paſchalis qui parandus, 71. a miraculoſus, 473. m
Incantationes vetitæ, 45. m
Incendium reſtinctum aqua benedicta, 229. m
Indictionis uſus antiquus in Gallia, 409.
Indulgentia 40. dierum ab Epiſcopo conceſſa, 260. Indulgentia cœlitus conceſſa in Eccleſia montis Oliveti, 350. m
Inimicis parcit S. Gregorius Abbas, 297.
Injuriæ condonandæ ſymbolum per filum de pallio, 254. a
Interdicta Eccleſia ob hominis ſcelerati in ea ſepulturam 386. a quomodo ſolutum interdictum, 387.
Inveſtitura per baculum, 189. m, 191. per funem in collo, 192. a per inclinationem capitis, 283. m per

per pallium altaris, 284. m
Ira aliis ruborem, aliis nigredinem cauſat, 191. a
Juramentum falſum punitum 76. m Juramentum præſtitum ſuper Sanctorum reliquias in clypeo, 318. a
Kalendæ Januariæ apud Romanos, 51. m, 54. a

L

LAbori manuum vacat S. Bonifacius, 74
Laridi eſus an licitus in Quadrageſima, 70. a, n
Lectio labori præfertur a S. Lioba 225. a quæ lectionis amantiſſima, 227. m
Leproſi ut tractandi, 71. a, n
Litaniæ a Pippino Rege indictæ, 359. a

M

BEatæ Mariæ Adſumtio qui olim credita, 241. a 340. m, 350. m, n60. m Linteum a B. Maria textum, ibid. ejus ſepulcrum & Eccleſia, ibid. Locus mortis, 461. m Mariæ Virginis cultores, S. Lioba 230. a S. Gundelbertus Epiſcopus Senonenſis, 427. m S. Deodatus Epiſcopus Nivernenſis, 4?9. m Imago B. Mariæ a Judæo male habita 471. m Eccleſia ejus in Framea civitate, 473. m
Matricidii pœna, 106. a
Matrimonium inter affines vetitum, 50. m, 53. m
Mel ſilveſtre quo uſus S. Joannes Baptiſta, quid, 466. m
Miracula dimidiata, 90. m, 103. m Miracula ceſſare juſſa in Monaſteriis, cur, 433. 434. Miraculum annuum ignis paſchalis Hieroſolymis, 474. a
Miſſa quotidiana 120. m, 168. a, 370. m, 372. m Signa crucis in canone, 73 a Miſſa pro defunctis, 169. a 205. m Pacis oſculum in Miſſa, 169. a Miſſa in quadrageſima audiri ſolita, 324. m, n Miſſa pro tempeſtatibus 359. m, Miſſis tribus intereſt ſingulis Dominicis S. Albertus 480. m *V.* Veſtes.
Monachi dicti Clerici, 90. a, n, 114. m Servi Dei, 359. a Monachi Romæ fieri ſoliti, 114. m Monachorum oſores perſtringuuntur, 26. 27. 46. amatores laudantur, 46. 47. Patris nomine compellati, 90. m Vini uſus eis non expedit, 165. m Flagellatio, 288. m, n Sine cuculla non cubent, 182 a, n Monachi Epiſcopi cucullam retinent, 231. m Monita egregia ad Monachos, 195. a Monachi facti dimiſſis uxoribus 179. a Monachi Sanctorum reliquias deferunt in caſtris, 317. a Portarius ex Decano factus S. Vvillibaldus, 344. a 352. a, n
Monaſterialium Eccleſiarum aditus feminis interdictus, 133. m, 196. m Epiſcopi proprii 305, 313. Sanctimoniales prope Monaſteria virorum, 381. m Monaſteriorum felix ſtatus unde, 195. a Exemtio, 74. 254.
Morientium pie exempla, in S. Vvnebaldo, 168. 169. in S. Gregorio Abbate, qui mortuus in Oratorio, 30.
Mortuorum animæ precibus Deo commendatæ, 224.

O & P

OBtrectatores fert patienter S. Gregorius Abbas, 300. a
Oleum ſacrum propinatum ægrotis, 277. m 323. n Oleum adhibitum ad ſanationes miraculoſas, 494. m, 495. a
Ordinationum ſacrarum tempora in Eccleſia, 35. m
Pœnitentes circulis ferreis conſtricti, 234. a, n, 500. m
Pacis oſculum in Miſſa, 214. m
Pallium Archiepiſcoporum, 68. m,
Papa confirmat Concilium 61, conſulitur a Pippino, 64. 65. primum approbat libros, 236. m eo mortuo Lullus preces decernit, 359. m Papa Monachos mittere quovis poteſt inconſulto Abbate 344. Hadrianus S. Vvillehado piſcium eſum præcipit, 371. 472. Papæ exhibita reverentia ſumma a Pippino, 520. a
Paralyſim patitur S. Gregorius Abbas, 301. a
Paſchalis ignis quo ritu parandus, 71. a Hieroſolymis miraculum annuum ignis paſchalis, 474. a
Paſtores vitioſi notantur, 293. m
Patientiæ & tolerantiæ exempla, 293. a
Patrum contemtor Clemens damnatus, 57. a
Peregrinatio facta pedibus nudis, 189. m
Piſcium eſum Vvillehado præcipit Hadrianus Papa, 371. 372.
Plumbo ſigillatum teſtamenrum ſæculo octavo, 384. a
Pluviam nimiam jejuniis, orationibus & Miſſis avertit Lullus, 359. a
Podagra laborans Auſtrulfus Deum laudat, 120. a
Portarius Monaſterii Caſinenſis ex Decano fit S. Vvillibaldus, 344. a 351. m n
Prædicationi vacat S. Bonifacius, 7. & ſeqq.
Prælatorum nimius rigor nocivus, 223. m
Preces matutinæ in templo fieri ſolitæ, 254. a
Presbyteri ob carnis lapſum degradati, 44. m Epiſcopo rationem reddant, ibid. qua ætate ordinandi, 71. m an extra tempora, 72. a, qui reijciendi 72. m *V.* Depoſitio. Presbyter ſepultus cum veſtibus ſacris, 169. a
Privilegium exemtionis Monaſterii Fuldenſis, 74. 254. m
Profeſſio monaſtica facta coram Sanctorum Reliquiis, 243. m
Puer in Monaſteriis oblatus Bonifacius, 5. m
Pumex ex inſula Vulcani petitur, 343. a, n
Purgatorium, 182. S. Odilia Abbatiſſa patris animam ab inferno ſeu Purgatorio liberat, 446. a

Q & R

QUadrageſimæ tempore an aliquando licitus laridi eſus, 72. a, n Miſſa quotidie audiri ſolita, 324. m n
Reges Francorum diluculo in templo orare ſoliti, 254. a Imperatores dicti, 369. m
Rege. Monachi, Ceolvvlfus, &c. 158. & ſeqq.
Reliquiæ falſæ, 56. m Reliquiæ a Bonifacio delatæ 22. 78. m a Monachis in caſtris delatæ, 44. m Subſtratio ſub Sanctorum reliquiis, 101. a 107. m Reliquiæ ſuper altare, 101. m, 104. a, 156. m, 278. m 318. m auro & argento incluſæ, 111. a 175. a, 435. a in loculo lapideo, 156. m in ligneo, 404. m Depoſitæ in terram in adverſis, 111. m Modus recondendi Sanctorum Reliquias, 146. m n, 156. a, n Reliquiæ in proceſſione delatæ, 183. a Reliquiæ ſupra cryptam, 233. m, 234. Aureæ columbæ ſuper ſepulcra Sanctorum, 311. a, n Juramentum præſtitum ſuper Sanctorum reliquias in clypeo, 318. a Reliquiæ delatæ contra invaſores bonorum Eccleſiæ, 415. 416. 417. a in tempeſtate, 438. *V.* Translationes.
Romana ſedes Canonum ſervantiſſima, 54. a 62. m
Romanorum vitia, 51. a 54. a
Romani nomen aliquando convicii genus, 569. a

S

SAcerdos. *Vide* Presbyter.
Sanctimoniales dictæ vaſa Chriſti, 264. a, n Sanctimoniales ſtudiis dant operam, 7. a, 227. m perpetuo recluſæ, 182. m, Vagæ excommunicatæ, 360. m Earum aditus Eccleſiarum viris, etiam Epiſcopis interdictus, 223. a Monachabus mortuis operta facies in funere, 230. m
Sanctorum cultus ſuperſtitioſus prohibitus, 45. m in-

Digitized by Google

m indicia ſanitatum præſtitarum ad eorum tumulos, apenſa, 268. a
Sepulcrum ſibi paravit vivens S. Vvnebaldus, 169. a Sepultus cum veſtibus ſacris, ibid. item S. Vvalfridus Abbas in clauſtro, 181. a Sepulcris impoſitæ columbæ, 311. m n
Sepultura Monachæ cum velata facie, 230. m Sepulti antiqui verſis plantis ad Orientem, 465. m
Severini confeſſoris corpus Luculla ni, 343. m, n
Simonia Romanis objecta, 69. m
Somnus meridianus apud Sanctimoniales, 227. m
Stipendia quotidiana pauperum in Monaſteriis, 313. m
Strumæ infantibus innatæ in pœnam violati S. Deodati Epiſcopi, 429. m
Studiis dat operam Bonifacius, 6. 7. S. Autperrus, 235. 236.
Supplicationes ſacræ, 183. m Delatæ in iis reliquiæ, ibid.
Symbolum condonandæ injuriæ per filum de pallio, 254. m

T & V

Tempeſtas delatione reliquiarum S. Hildulfi ſedata 438. alia præſtita, 439.
Teſtamentum plumbo ſigillatum ſæculo octavo, 384. a
Tonſura capillorum & barbæ apud Monachos, 476. m *Lege præfationem tomi I.* §. 1
Traditio ſui per funem in collo. 192. a per capitis inclinationem, 28. m n Traditio per feſtucam, 310. m
Translationes Sanctorum nutu Concilii factæ, 149. præmiſſo jejunio 440. m factæ ab Abbate nomine Epiſcopi, 233. a ab Æedituo, 396. Reliquiæ in terra paullo altius poſitæ, ibid. Reliquiæ adſiſtentibus datæ, 156. m
Vana gloria a Sanctis rejecta, etiam poſt mortem 181. m
Venatio Clericis interdicta, 45. a 50. m
Venia peccatorum conceſſa iis, qui in Eccleſia montis Oliveti inter parietem & columnas repere poſſent, 340. m, 350. m
Veſtes ſacræ quatenus Clericis vetitæ extra uſum ſacrum, 567. a
Viaticum in morte, 138. m, 181. a 208. a 232. m 301. m adſervatum cum ſanguine in calice, 449. m Viatici neceſſitas, 479. m
Vinum Monachis non expedit 165. m Fuldenſibus primo negatum, dein conceſſum a Pippino, 250. a
Vita pia doctrinæ præferenda, 236. a
Vota Sanctis oblata, ceræ particulæ, 144. m liui globuli, 154. a traditio perſonæ per funem in collo, 192. a Votum remiſſum a Clericis diſſimulante Epiſcopo, 211. m n

INDEX ONOMASTICUS

VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM

PARTIS SECUNDÆ

SÆCULI TERTII BENEDICTINI.

A

Abra ancilla, 220. m
Abſolutus, remiſſus, 39. m 41. m,
Acredula, alauda, 214. m
Adchramiſſit, quid 559. m Achramitum 561. a, forſan arrhamitum, id eſt juramento firmatum. In conſuetudinum Sueſſionenſium articulo 3. *Si quis ſacramentum alicui facere debuerit, & ante aramitionem ſacramenti ſe in negotium ſuum iturum dixerit*, &c. tomo 11. Spicilegii.
Adſumtio, mors alicujus Sancti, 280. a
Agaulizare, applaudere, 137. m
Aice pro territorio ſeu tractu, 177. a Vox hactenus familiaris Arvernis.
Albatia hebdomada, paſchalis, 276. m
Ambon ἄμβων ſuggeſtus, 150. m, n
Aplauſtrum, inſtrumentum quoddam, 501. a
Archicuſtos ſcopi capitum quid, 328. m, n locus videtur corruptus.
Archiſterium Monaſterium, 172. m aliis Arciſterium, 168. m *Vide Indicem Partis I.*
Archontes, ἄρχοντες, Epiſcopi, 162. a

Bach ſeu Beech, flumen Teutonicis, 295. a, n
Barilion ſive parilion, quid, 164. a
Benedictio panis, caſei, ac vini, 193. a
Birotum carpentum, 417. m
Bithalaſſus, Βιθάλασσος, bimatis, quæ vox in Partis primæ pag. 278. exſtat, uſurpatur etiam a Fulberto Carnutenſi Epiſcopo in epiſtola. 27.
Blaitmaicus, pulcher natus, 398. m n
Boſtar, ſtabulum, 110. m
Braciæ, potio ex hordeo, 109. m
Bulla, litteræ pontificiæ, 258. m
Bunaria, terræ menſura, 88. n
Bexula, vaſculum ad continendas Oblatas, 271. m, 272. a

C

Cachi cryſtallini, 175. m
Caliculus, parvus calix, 227. m
Cambotta, pedum paſtorale, 174. m, 567. m
Camerarius Epiſcopi, 189. a
Caminata, cella cum camino, 168. a n
Cancri, arcus, 464. a, n
Candela, cereus, 149.
Cantrum, vas vinarium, 431. m Helgaldus in libro de vita Rotberti Francorum Regis nu. 3. *Vas vinarium ex argento factum, quod cantara dicitur*, &c.
Capella, ſacellum, 136. a Capella Regis, 254. a
Capitale Monaſterium, principale, 565. m
Cappa, cuculla, 142. a, n Cappa Sanctimonialis, 230. a
Capſa, reliquiarium e collo pendens, 368. m, n
Carrada, vehiculi onus, 109. m
Carruca, vehiculum, 313. a
Caſata, Habitaculum familiæ, 45. m
Caſtaldi ſeu Guaſtaldi, regiarum villarum procuratores, 34. m, n
Caſticiæ, quid, 89. n
Cataboli ordo, 560. a, 563. a
Caumatio, καῦμα, æſtus. 337. m
Cella, Monaſterium, 276. m, 360. m
Cenſus quidam Monaſteriorum, 89. a, n & ſeqq.
Chriſmale, an vas in quo adſervatum Viaticum,

Digitized by Google

cum, 243. m, ſic enim ſumitur apud Rodulſum Glabrum in lib. 5, cap. 1, pagina 54, apud Cheſnium.
Cicindulum, vitrea lampas, 340. m, n
Cillere fila quid 325. a
Clericatus habitus, id eſt monachalis, 114. m, 123. m Clericus Monachus, 90. a, n, 114. a, 253. a, 404. a
Clocca. *Vide* Glocca.
Collecta, oratio eccleſiaſtica, 106. a
Coloniæ, manſi ſeu villæ, 354. m
Confeſſio, crypta ſubterranea, in qua repoſitæ Sanctorum reliquiæ, 99. a, 103. m, 114. m, 176. m, 377. m
Conſtangiæ, ſumtus Gallice *conſtanges* 435. m
Corona cereorum in Eccleſia, 152. m coronula, 192. a
Craxare, exarare, 456. a ubi pro *exaranda* legendum *craxanda* ſeu *caraxanda*, 459. m, 465. m χαράσσειν, inſculpere.
Criſonium, herba paludoſa 219. m
Criticare, ſudorem emittere, 277. m
Cubicularius Eccleſiæ, æditus, 344. a, 352. m
Cuculla varie ſumta, 182. a, n 236. m
Curſus, officium divinum, 492. a Curſus Romanus, id eſt officia eccleſiaſtica ad uſum Romanum, 480. m
Cuſtrix Eccleſiæ, æditua, 273. m

D & E

Decimas Eccleſiæ Saxonicæ attribuit Carolus M. 365. a
Devotare, devovere, 175. a
Dromo, navicula curſoria, 500. m δρόμος, curſus.
Epiſcopi nomen tributum Presbyteris, 370. n
Ergodioctes, ἐργοδιώκτης, exactor operis, 41. m, n
Eſophorium cilicinum in vita S. Rictrudis Sæculo 2. ut legitur in mſ. cod. Amandino; non eleſorium, ut in editis, ἐσωφόριον, interula.
Exfaidum, vectigalis genus, 561. a

F & G

Farus parvus, parvum candelabrum 121. m Farus altus, id eſt candelabrum, habens varia vaſa, 511. m
Fiſcalini, procuratores fiſcorum, 89. a
Flaſco parvus, 144. m
Formula, imago, 470. m
Fredum, vectigalis genus, 561. a
Fures a furvo, 270. m
Gantæ, avium genus, 219. m ſic dictæ a candore vel ſonitu, 411. a
Glocca ſeu clocca, ſignum æneum, 79. m 178. a aliis glogga, 257. a, n & KlocKum, 255. a
Grabatum, feretrum ſeu loculus, 251. m, n
Gravio ſeu Graphio, Comes, 45. a, 560. a
Gurpire, dimittere, 403. a

H, I & K

Hannipa, vas pocillatorium, 273. a, n
Heligevvorſt Teutonice, ſancta ſilva, 429. a
Hieroprepes, in Sæculo 2. pag. 569. a, a voce Greca ἱεροπρεπής, ſanctus, quæ vox Latinis literis primo *ieroprepes*, tum corrupte *geroprepes* reddita eſt. Opportune ad hunc locum monuit me vir humanitatis & eruditionis eximiæ Emericus Bigotius, corrigendum eſſe erratum in Cyrilli Alexandrini commentario in Prophetas minores tomo 3. pag. 60. ubi hæc verba libri editi præferunt: προσέχων ταῖς μυθικαῖς διδασκαλίαις καὶ πραοπρέπεσιν, cujus poſtremæ vocis loco reſtituendum γραοπρέπεσιν, id eſt *anilibus*, non vero *ad ſpeciem mitibus*, uti Jacobus Pontanus vitioſam lectionem vertit.
Hebunnæ, manſi, 354. m
Hoſtis, exercitus, 39. a
Idoniare, purgare a criminis ſuſpicione, 565. a
Ingenium, inſtrumentum, Gallice *engin*, 84. a & *alibi paſſim*
Inoletus, inoletivus, tener, 333. m 335. a
Intarta, rebellis, tyrannus, 119. m, n *Partis* I.
Itiner *pro* iter, 398. a
Klockum, campana, 225. a *V.* Glocca.
Kyrie-eleizare, Kyrie eleiſon canere, 180. m

L & M

Lectus Sancti, tumulus, 291. a
Lieba, Britannis dilecta, 225. a
Linteum, camiſia, ſeu tunica linea, 492. a
Liti ſeu Leudes clientes, 310. a
Lucarius, ſilvæ cuſtos, 297. m
Luſtrum temporis, annus, 353. m, n Eodem ſenſu apud Fridegodum Poetam in Vita S. Vvilfridi tomo 1. pag. 175. a
Mandrita, Abbas, 141. m
Maniacus morbus, rabioſus, 320. a
Manſionarius Eccleſiæ, æditus, 289. a
Mareſia, paludoſa loca, 216. a
Marcha, limes provinciæ, 75. m n
Martyrizatum corpus, 295. m Martyrizare, torquere, 342. a
Mauziacus, locus inter aquas, 175. a
Memoria, ſepulcrum Sancti, 191. m cujuslibet perſonæ, 465. m ſacellum, 233. a
Menſa Monachorum, redditus ſeu prædia, 434. m, 435. a
Meridiare, meridianam horam agere, 80. m
Meritum, paludoſa loca, vulgo *marets*, 558. m
Metallum ligni, 15. m
Minare, deducere, 439. a
Miniſterialis, famulus ſeu œconomus, 189. m
Miſſa publica, id eſt ſollemnis, 154. m, n minor, id eſt privata, ibid.
Monachare, Monachum facere, 165. m, 436. m
Munburdum, defenſio, 240. a
Munerba, an cucurbitæ genus, 342. m, n
Muſa, inſtrumentum muſicum, 327. m

N & O

Nedfratres, ignes ſacrilegii, 45. a n *V.* Gloſſarium Spelmanni.
Neverofreſis, an nephreſis, 220. m
Nocturna, jus piſcandi de nocte, 108. m
Nolæ, campanulæ ad manum, 389. a
Nomenculator, Notarius, 55. 57. a
Nonnaicus habitus, Sanctimonialium, 233. m
Oblatæ, hoſtiæ ad uſum ſacrificii, 150. a, n 155. m, 272. m 273. a
Obſequiæ, officia, 402. m
Offertio, oblatio, 239. m
Offertorium, inſtrumentum ad faciendas oblationes in Miſſa, 119. m
Officinatus, officinis inſtructus, 382. m
Oloagiographa, ſacræ ſcripturæ, 390. m
Onei Alpium, cacumen an pes, 162. m, n, 339. m, n 375. m, n
Oraculum, Oratorium, 179. m 531. m
Orgia, myſteria, 162. a
Oria id eſt cubitus, 475. a
Oroma, ὅραμα, viſum, 395. a

P

Papati duodecim Romæ, 58. m
Papyrus, ellychnium lampadis, 152. m, n Gregorius Turonenſis Epiſcopus in lib. 3. de mirac. S. Martini cap. 50. *reperitque ibi duas candelas ex cera & papyro formatas*: item in lib. 1. de gloria Martyrum, cap. 104.

Pari-

Digitized by Google

Parilion ſive Barilion, 164. a, n 346. a, n
Parochiæ epiſcopales, 256. a, n
Patrocinia, reliquiæ Sanctorum, 265. m
Penſi caſei, 109. a
Perulæ mala albuginaria, 269. m. perula caligi-noſa, ibid.
Philocompos, philocompicus, φιλόκομπος, faſtus, faſtuoſus, 261. a, n
Pinta, menſuræ vinariæ genus, 378. a
Putacium, ſchedula, 71. a aliis Petacium, 122. m
Plenaria Synodus, generalis, 406. a. Antiquus collector Canonum in fine ſuæ Præfationis tomo 11. Spicilegii: *Canones plenariam Synodum dicunt eſſe, ubi cum ſuis Diœceſaneis Metropolitanus fuerit Epiſcopus.*
Poiſle. Gallice unde dictum, 256. a, n
Polyandrum, πολυάνδρον, ſepulcrum, 103. m
Popularia oratio, 271. a
Porticus, Sanctuarium Eccleſiæ, 171. a, 172. a
Poſticum, porta poſterior, 219. a
Præſumtionarius, 270. m
Proreta, Dux, 13. a
Pulpaſta, cibi genus, 109. m
Pulſantes, Novitii, 295. m, n

R

RAſe, cæſpes deſiccatus, vulgo *tourbes*, 249. m, n
Raſile an rutile, acus diſcriminatoria, 269. a, n
Regius morbus, lepra, 71. a, n
Repuvida proles quid, 114. m
Requies, umbella ſuper tumulis Sanctorum erecta, 255. m
Rheda Imperatoris, comitatus ſeu exercitus, 435. m
Regulare, id eſt Monachorum Monaſterium, 571.
Rotulus, charta in quo deſcripta mortuorum nomina, vulgo *rolle*, 73. a

S

SAcrarium, templum, 371. m
Saumarii, equi oneriferi, 430. m, 478. a, σάγμα onus.
Scabella ſeu ſcamella, fulcra, ſubalaria, 266. m, n, 319. a, 321. a, 376. m
Scarpſinans quid, 390. a
Scholaſticiſſimus, eruditiſſimus, 326. m
Scilla, vas fuſile, campana, 136. a
Scopæ, flagellatio, 287. a
Scopula, ſcopuli, 396. a
Scutica, verber ex corio, 192. m
Secretarium, locus tractandi cauſas eccleſiaſticas, 55. m, 57. m item tempus agitandi cauſas, 59. m
Seneſcalci, 560. a
Senior, dominus, 155. a, 189. m, 191. m, 193. m, 194. a
Sericum an ſeria, menſuræ ſeu vaſis genus, 277. m
Serum amictus, ſericus ſic dictus a populo Aſiæ, 527. a, 532. a
Sextarius Gallicus, 459. m
Sitarcia, mendoſe ſiſtarcia, σιταρκία, ciſta, caniſtrum, 174. a
Sogales quid, 88. m, n
Solariolum, ſolarium, pro conclavi ſuperiori, 118. a, m, n, 122. a, n, 464. m nam Latinis ſolarium horologium eſt.
Solidus, id eſt duodecim denarii, 45. a
Sophyrus, ſapiens, 163. a, n, 334. a
Studini, frutices, 450. m
Subſadire, ſeu ſoſadire, opponere; ſubſadina, oppoſitio, 559. m, 561. a
Subſummatim, ſtatim, 344. m, 345. a
Suburbana, loca civitatis ditioni ſubjecta, 452.
Superſpeculator, Epiſcopus, 18. a, n

T & V.

THoracida, imago, Gallice *un buſte*, 471. m
Tripediæ, fulcra contracti hominis, 266. m, n
Tumatus pro tumulatus, 179. m
Vaſa Chriſti, Sanctimoniales, 244. a, n
Venna, piſcatura, 97. a, n, 108. Helgandus in Vita Rotberti Regis Francorum: *Venientes ad portum Sequanæ, qui dicitur Caroli-venna, hoc eſt piſcatoria.*
Verbago ſeu ſeptemnervia, herba ſanando dentium dolori ſalubris, 181. m
Vicaria, tractus, 177.
Vovitio, votum, 329. a
Vvanti, chirothecæ, 271. m
Vviugin idiomate Gallienſium, an Vvinugin, vas vinarium, 449. m

MONITUM LECTORI
in ſequentem Diſſertationem.

CUM Auctor ſequentis Diſſertationis animadverteret, graviterque ferret in primis, Scriptores quoſdam recentiores immodice detrahere principiis & incrementis Ordinis noſtri; calamum ſibi arripiendum eſſe exiſtimavit, ut partim eadem partim alia quam ego via, conatibus adverſariorum occurreret. Ipſius Diſſertationem ea de re ſcriptam cum probaſſent quidam eruditi viri, ego quoque facile admiſi in hunc locum: tum ut variis hominum ingeniis fiat ſatis, tum ut appareat quam ſincere optem, ut Benedictinæ familiæ dignitas ab adverſariorum objectis, ſi minus per me, at ſaltem per alium quemcumque vindicetur.

DE ANTIQUA ORDINIS SANCTI BENEDICTI INTRA GALLIAS PROPAGATIONE DISSERTATIO.

Auctore Domno PHILIPPO BASTIDE, *Congregationis S. Mauri Monacho Benedictino.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

INEUNTE anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo de ſancti Columbani Monachatu diſſertationem conſcripſeram, qua eum Benedictinis annumerandum probarem, & quibuſdam auctoribus occurrerem, qui eum propriis tantum legibus vixiſſe credebant. Sed cum eodem exeunte anno quartum Annalium tomum R. P. Caroli le Cointe legiſſem, grandiori ac diffuſiori opere mihi agendum, majorique ſtudio enitendum putavi, cum ut Annalium auctoris in Ordinem Benedictinum poſteriores conatus infringerem, tum ut S. Benedicti inſtitutum antiquorum Monaſteriorum conjunctione novorumque multiplicatione Sæculo ſexto longe lateque per Gallias diffuſum oſtenderem: contra quam ſentit Annalium conditor, qui ipſius Ordinis primordia tenebris involvenda ſuſcepiſſe videtur.

Sæpius in prioribus tomis claros & illuſtres viros nulla plerumque ratione nulloque quæſito colore ex albo Benedictinorum eraſerat; utque error in principio creſcit in millia, quicquid diverſis in locis ſcripſerat in Ordinem, totum fere in hunc quartum Annalium tomum conjecit, & in novos denuo delapſus errores, errata priora novis falſiſque opinionibus cumulavit. Omnia tamen ad duo potiſſimum capita reduci poſſunt, ex quibus tamquam ex claris accuratiſque principiis ſuas omnes opiniones deducit.

Primum in eo conſiſtit, quod exiſtimet vir clariſſimus *a* nullam ex Glannafolienſi Monaſterio ſub S. Mauri regimine eductam Monachorum coloniam, nullaque conſequenter Benedictina Cœnobia in Galliis ædificata, & ut tardius eumdem Ordinem propagatum eſſe demonſtret *b*, S. Maurum ad annum uſque ſexcenteſimum quartum vitam duxiſſe contendit, viginti annorum acceſſione liberaliter illi conceſſa, divino oraculo in hoc ipſum reſciſſo, cujus illuſtratione S. Benedictus ipſum S. Maurum decurſis ſexaginta annis ab eo tempore, quo Monaſticen fuerat profeſſus, exceſſurum eſſe prædixerat. Cum enim per viginti ut minimum annos Monachum egerit antequam in Gallias fuerit emiſſus, anno ſcilicet quingenteſimo quadrageſimo tertio, per quadraginta annos in Galliis vixiſſe & ad annum quingenteſimum octogeſimum tertium tantummodo perveniſſe dicendus erit.

a tom. 4. anno 734. n. 76.

b ibid. & to. 2. an. 604. n. 2.

Secundum quo Annalium auctor nititur fundamentum, ea opinione conſtat, qua te-

net *c* varia Monachorum inſtituta aduſque ſæculum octavum in Galliis floruiſſe, eaque celeberrima quæque Cœnobia complexa eos Monachos fere omnes peperiſſe, quos in eccleſiaſticis faſtis adſcriptos legimus; adeo ut novo miraculo, ſi viro Clariſſimo creditur, S. Benedictus qui ſecundum *d* communem & incorruptum Eccleſiæ Romanæ ſenſum, *Monachorum diſciplinam in Occidente pene collapſam reſtituit ac mirifice propagavit*; vix intra ducentos fere annos a promulgata Regula in utraque Germania, Galliis omnibus, Anglia, Scotia, Hibernia unum aut alterum Cœnobium per ſuos diſcipulos ædificaverit, & in nullo collapſam Monachorum diſciplinam reſtituerit. Utrum vero erraverint ſummi Pontifices, aut ipſemet vir Clariſſimus falſa pro veris obtruſerit, Lectorum judicio remitto.

c tom. 3. an. 667. n. 20. & t. 4. an. 734. nu. 56. & 68.

d Martyrol. Rom. ad diem 21. Martii.

Nihil tamen æque mirabile in Auctorum lucubrationibus inveniri poteſt, ac novus ille modus quo ſuas propugnat opiniones: eas enim ut nullo negotio defendat *e*, omnia diplomata aliaque ſcripturarum inſtrumenta, quæ magno numero, ut ipſemet refert, a Benedictinis citantur, interpolata cenſet aut falſa, & varios auctores, ut ipſi lubet, corrigit & emendat: *alios enim perperam aut ex opinione a cultoribus S. Benedicti jam recepta* ſcripſiſſe, *alios Chartas in quas inciderunt male interpretatos eſſe, alios tandem membranas nullius fidei publicaſſe dicit*; ſoloque Jonæ vitæ S. Columbani ſcriptoris ſilentio fretus judicio cenſorio, S. Benedicti nomen ex omnibus auctoribus & chartis, quoties una cum Columbani nomine in eiſdem ſcribitur, eradendum ſancivit, imo eadem poteſtate cenſoria ne Columbanum inter Benedictinos numerare cogeretur, a Columbani nomine Benedicti nomen amovit, eraſit, penituſque delevit; facili procul dubio ratiocinandi genere, quo etiam doctis æquantur indocti vel præferuntur, cum ad eradendum multo ſint procliviores. Quis enim doctorum ſententias non facilius expungat quam confutet?

e tom. 4. an. 734. nu. 43. & 70. ibid. n. 43. Ibid. tom. 2. an. 586. n. 42. tom. 4. an. 734. n. 38. Ibid. n. 107.

A quibus opinionibus ut R. P. le Cointe aliquando deducam, Regulam S. Benedicti antequam S. Maurus in Gallias evocaretur, a quibuſdam Monachis Gallis ex aliqua iſti parte ſervatam, tum a S. Mauro mire dilatatam, & tandem a S. Columbano utpote Benedictino longius propagatam demonſtrare conabor, idque præſtabo ordine quodam retrogrado: nam quo facilius veritatem aſſequar, eamque demonſtrem, pedetentim & gradatim ſurſum verſus ad eam aſcendam, a notis ſcilicet ad minus nota progrediendo.

Ut ab immobili, ut ita dicam, principio aſſumptum opus aggrediar, primum Ludovici Pii temporibus unicam S. Benedicti Regulam per univerſa orbis Gallici Monaſteria viguiſſe probabo, tum ex ſuperiorum temporum Conciliis, hiſtoriis, Sanctorum actis, Monaſteriorum fundationibus, dotationibus, privilegiis ad uſque ſæculi ſexti medium ab omnibus Monachis Gallis obſervatam fuiſſe ſucceſſive monſtrabo, neque aliis actis id efficiam plerumque, quam iiſdem ipſis quæ in *annalibus* eccleſiaſticis Francorum expoſita reperi & emendata: tanta enim ubertate ſcripſit Annaliſta, tantaque copia, tot etiam antiquitatis retulit documenta, ut largiori manu ac liberali ea abunde præbeat, quibus aut infirmentur ejus opiniones, aut corrigantur. Utrum vero id quod polliceor efficiam, Lectori judicandum relinquo.

Interea Lectorem monitum velim, me nullo in doctiſſimum virum odio, nullo contemptu, nullo charitatis detrimento, ſed ſolo oppugnatæ veritatis tuendæ deſiderio calamum ſumpſiſſe; ejus enim virtutem colo, eruditionem, opera, antiquitatis notitiam plurimi facio, ſcioque nullo ſpeciali in Ordinem odio ea ſcripſiſſe quæ improbanda ſuſcipio & impugnanda, ſed ex aliqua quorumdam præconcepta opinione, qui ſuperiorum temporum Monachos inſtitutis, vivendi modo, Regula a recentioribus ſejungere vellent: qua de re nihil amplius dicam, ne nimium dicam.

Sub Ludovico Pio Imperatore omnes Gallici Imperii Monachi Benedictinæ Regulæ ſervandæ propoſitum renovant.

CAPUT PRIMUM.

NEMINEM hominem reperiri puto ex his omnibus qui rerum eccleſiaſticarum monumenta, qui Epiſcopatuum & Abbatiarum origines, quique Epiſcoporum & Abbatum ſeriem legere aut aliunde novere; qui non libenter ſincereque fateatur, tota Europa Monachos omnes Benedictinæ Regulæ multis ſæculis fuiſſe deditos: quo vero tempore id primo generatim atque univerſe contigerit, multi dubitant: & quia id ſcire neceſſarium, quibuſdam gradibus Lectores ad veritatem deducam. Ea propter ut a certis & a notis incipiam.

Hiſtoricis omnibus perſpicuum eſſe videtur, ætate ſaltem Ludovici Pii Imperatoris cuncta Galliæ, Germaniæ & Italiæ Cœnobia Benedictinam jam habuiſſe, aut ſaltem tunc ſuſcepiſſe Regulam. Hoc nobis perſuadent illa ſeptuaginta duo generalia Capitula in conventu Aquiſgranenſi a Benedictinis & pro Benedictinis edita, quibus jubetur, ut *Monachi omnes qui poſſunt Regulam memoriter diſcant, & ut officium juxta id quod in Regula S. Benedicti continetur celebrent*, cæteraque præſtent quæ decent ejuſdem Regulæ obſer-

anno 817. cap. 2. & 3.

obſervantes ac ſtudioſos. Quæ tanti fecere Caſſinenſes Monachi, ut apud ipſos eodem ſtudio ac ipſa ſancti Benedicti Regula obſervata fuerint, ut refert Leo Oſtienſis. *Ultimo*, inquit, *hujus* (Theodemari) *anno Ludovicus Imperator* . . . . *quarto anno Imperii ſui in Aquiſgrani Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus Monachiſque Religioſis conventum faciens*, *valde utiliſſima noſtri Ordinis obſervationi ſeptuaginta & duo generalia Capitula conſtituit* : *quæ ita fere omnia apud nos*, *ac ſi beati Benedicti Regula obſervantur*.

Chron. Caſſ. c. 16.

Eadem Religione, ut credere par eſt, ipſa Capitula a Monachis Gallis obſervata fuere; ut enim ab omnibus pari affectu ſuſciperentur, parique colerentur ſtudio, beatum Benedictum Anianæ Abbatem, alioſque Monachos ad univerſa Imperii Gallici Monaſteria Ludovicus Imperator emiſit, ut habet auctor ipſius vitæ : *Conſtituit Deo amabilis Imperator*, inquit, *Benedictum Abbatem*, *& cum eo Monachos ſtrenuæ vitæ*, *qui per omnia Monaſteria Monachorum euntes redeunteſque*, *qui uniformem traderent cunctis Monaſteriis*, *tam viris quam Sanctimonialibus feminis vivendi ſecundum Regulam ſancti Benedicti incommutabilem morem*.

tom. 2. hiſt. Francor. per Quercelanum p. 278.

Doctiſſimi viri Bollandus & Henſchenius cum iſtis tum aliis actis ex vita ſancti Benedicti Anianæ Abbatis petitis perſuaſi, Regulam ſancti Benedicti Caſſinenſis omnibus tunc temporis impoſitam fuiſſe ultro conceſſere; ſed ad hæc uſque tempora aliorum Patrum Regulas variis in locis obſervatas fuiſſe dixerunt. *Videntur*, inquiunt, *in id tempus variæ ex his Regulis* (quæ in concordia Regularum referuntur) *in diverſis Monaſteriis obſervatæ*, *quibus abolitis*, *tunc unica in toto Francico Imperio Monachis omnibus præſcripta eſt ſancti Benedicti Caſſinenſis Regula* : *ad quam amplectendam*, *ut animi omnium magis benevoli redderentur*, *ſcripſit ſanctus Benedictus Indenſis hanc concordiam*, *in cujus præfatione aſſerit ceteras cum ſancti Benedicti concordare*.

In comment. prævio vitæ S. Benedicti. §. 2. n. 15.

Quibus in verbis duplex deprehenditur error; quorum primus in eo conſiſtit, quod eruditiſſimi viri opinentur ad Ludovici Pii tempora plures Regulas a Monachis Gallis ſervatas eſſe; alter vero error eorum eſt, quod concordiam Regularum a ſancto Benedicto Indenſi eo fine ſcriptam autument ut eo libentius alieni Monachi Benedictinam Regulam amplecterentur, quo certius viderent eam cum cæteris ſanctorum Patrum Regulis concordare.

Sed ab iis quærerem, ubinam legerint Benedictinam Regulam anno octingenteſimo decimo ſeptimo nove Monaſteriis impoſitam, abrogatis in eiſdem ſanctorum Patrum Regulis. Hoc enim nullo teſte aſſerere nemo poteſt, quin egregie orbi terrarum imponat. Ardo namque vitæ ſancti Benedicti Indenſis fideliſſimus ſcriptor numquam dixit ſanctum Benedictum aliquas ſanctorum Patrum leges aut Regulas antiquaſſe, ſed ſolum Benedictinum Ordinem in antiquum perfectionis ſtatum, a quo deſciverat, reſtituiſſe narravit. *Hic eſt*, inquiunt apud Ardonem Indenſes Monachi in epiſtola ſtatim a morte ſancti Benedicti ad Anianenſes ſcripta; *Benedictus*, *per quem Dominus Chriſtus in omni regno Francorum Regulam ſancti Benedicti reſtauravit*: non, promulgavit. Certe coævus ille Poeta a reverendis Patribus citatus, qui geſta Ludovici Pii verſibus exaravit, leges Benedictinas renovatas ſolum aſſerit, non de novo promulgatas aut impoſitas; ſic enim habet:

In comment. prævio. §. 2. n. 14.

Hic decreta Patris Benedicti lege tenenda
Sancit, *& antiquæ renovat legalia normæ*,
Cujus erat Fautor devota mente fideque.

Quibus verbis, *antiquæ renovat legalia normæ*, hoc ſolum denotat, antiquam ſcilicet ſancti Benedicti Regulam novis ſtatutis, norma, conſuetudinibus ab Imperatore alterius ſancti Benedicti conſilio innovatam fultamque fuiſſe.

Quem genuinum eſſe ſenſum Poetæ & Ardonis, Auctoris vitæ Ludovici Pii, imo & Conventus Aquiſgranenſis ab ipſo ſancto Benedicto Indenſi diſcimus, qui in epiſtola Georgio Abbati cæteriſque Anianæ Monaſterii Fratribus data, ſe vitiata corruptaque Monaſteria ad primævam Regulam diſtricte ſervandam revocaſſe ſcribit, & eos hortatur, ut diligentius provideant, ne eadem Monaſteria a perfecta Regulæ obſervatione deflectant aliquando, atque deficiant. *Sicut ergo Monaſteria*, inquit, *dudum vitiata jam aliquid emendationis a nobis accepiſſe videntur*, *ita maxime nunc cavete*, *ne* (*quod abſit te poſco miſericors Deus*) *ſiniſtram viam ullo tempore tendant*. Vitiata ergo Monaſteria emendata fuere per beatum Benedictum Indenſem, qui in ipſis antiquæ normæ, Regulæ ſcilicet Benedictinæ, legalia renovavit, ipſamque ſancti Benedicti Regulam reſtauravit; quam nullatenus aut renovaſſet aut reſtauraſſet unquam, niſi ab antiquo in iiſdem floruiſſet Cœnobiis, & lapſu temporis obſoleviſſet.

Apud Bolland. ad calcem vitæ S. Benedict. 12. Febr.

Hanc eamdem veritatem ſpirant cum promulgatæ in Aquiſgranenſi Conventu Capitulares ſententiæ, tum etiam ipſa ſententiarum verba : in iis enim de abrogandis antiquorum Patrum Regulis, de immutanda Monachorum vivendi ratione, de antiquanda votorum formula nihil omnino decretum : ſed iiſdem omnino ſententiis, verbis verborumque genuino ſenſu ſolummodo excitantur Monachi ad eam quam profeſſi erant Regulam ferventiori ſtudio, diligentia promptiore, propenſiorique affectu ſervandam. Ea propter præſcribitur Abbatibus, ut *mox ut ad ſua Monaſteria remeaverint*, *Regulam per ſingula verba diſcutientes pleniter intelligant*, *& intelligentes Domino opitulante efficaciter cum* Mo-

cap. 1.

Digitized by Google

cap. 2. *Monachis*, *ſuis implere ſtudeant* : ut *Monachi omnes qui poſſunt Regulam memoriter diſcant*:
cap. 9. ut *ad Capitulum Regula legatur*; ut *Lectori nihil niſi quod Regula jubet detur*. Quibus
cap. 29. verbis ex mente Conventus qui ſolius Benedictinæ Regulæ meminit, excitantur omnes ad eamdem legendam, implendam, & memoriter diſcendam, quam procul dubio tam Abbates quam Monachi longe antea profeſſi erant. Alias quis Monachorum ſibi non perſuaſiſſet, auctoritate Conventus ſuam ipſius Regulam non Benedictinam legendam, memoriter tenendam & adimplendam eſſe? Quis etiam, niſi deſiperet, ad injungendam novam Regulam ipſius ſuppreſſa mentione iis uteretur verbis : Omnes Regulam memoriter diſcant, pleniter legant, adimplere ſtudeant, & ad Capitulum legatur? Certe qui hoc modo loqueretur ac ſe gereret, ad antiquam promiſſamque Regulam ſervandam Monachos hortari videretur, ſi non inſanus videretur.

Eadem facilitate Bollandi & Henſchenii poſtremus error auferetur. Nam, ut ex Ar-
cap. 8. n. 41. done conſtat, S. Benedictus Anianæ Abbas *ut oſtenderet contentioſis nulla frivola caſſaque a B. Benedicto edita fore*, *ſed ſuam ex aliorum fultam eſſe Regulam*, *alium collectis Regularum ſententiis compoſuit librum*, *cui nomen Concordiam Regularum dedit*. Ea ergo intentione eamdem concordiam edidit, ut S. Benedicti Regulam illuſtraret, eamque aliarum comparatione a quorumdam calumniis vindicaret : multi namque cum negligentes & tepidi, tum iidem ipſi qui inter Monachos ſanctiores & inſigniores habebantur, eamdem Regulam arguebant, quos inter numerandus fuit aliquando ipſemet Benedictus Indenſis, cum indiſcreto quodam fervore, Abbate etiam invito, inedia, vigiliis aliiſque pœnis & laboribus corpus debilitabat; tunc enim, ut ſibi conſuleret & eximeret a culpa, ipſam
cap. 2. n. 8. incuſabat Regulam. *Cum corrigeretur ab Abbate*, inquit ipſius diſcipulus, *parcius erga ſemetipſum exercere rigorem*, *aſſenſum minime præbuit*, *Regulam quoque B. Benedicti tyronibus ſeu infirmis poſitam eſſe conteſtans*, *ad B. Baſilii dicta*, *necnon ad S. Pachomii Regulam ſcandere nitens*, *quamvis exigue poſſibilia gereret*, *jugiter impoſſibilia rimabat*.

Quantum vero ſpectat ad protervos & negligentes Monachos, quis dubitat eos omnia cum ſpiritualia, tum corporalia perfectorum Monachorum exercitia irridere, eaque pro frivolis caſſiſque habere ſolitos? Quapropter ex æquo perfecti negligenteſque Monachi admonendi erant, & qui ex ipſis contentioſi reperiebantur, convincendi pariter & corrigendi. Quam in curam omnia S. Benedictus ſua ſtudia conferebat, ſive adhortatio-
16. cap. nibus, ſive libris editis diſcipulos erudiret. *Propter plurimorum*, inquit idem auctor, *indiſcretum fervorem*, *& quorumdam ineptum teporem*, *minuſque capacem ſenſum*, *optimum conſtituit terminum*, *ordinemque ſervandum cunctis tradidit*, *illos retrahens ne ſuperflua peterent*; *his imperans ut torporem excuterent*, *alios nihilominus admonens ut ſaltem juſſa implere expeterent*.

Ceterum ipſi etiam inertes ignavique Monachi, quorum intuitu ſuam Benedictus Concordiam fecit, adeo dilucide hanc de qua diſputo quæſtionem ſolvunt, ut mirer aliquos repertos auctores qui negaverint Benedictinam Regulam ab iiſdem fuiſſe pro-
In præfat. Concord. Reg. miſſam. *Quid ceteræ*, *inquiunt*, *hic conferunt Regulæ? Quid ad me quas non promiſi pertinet legere?* Quaſi dicerent, fruſtra eorum ob oculos diverſorum Patrum Regulas apponi, cum nullam earum ſolamque Benedictinam promiſerint.

His omnibus de quibus fuſius egi, auctorem vitæ S. Vinvvaloci ſtatim opponent.
Apud Boll. 3. Mart. p. 159. Ex ipſo enim anno octingenteſimo decimo octavo *cœpta eſt ſervari in eodem Monaſterio* (Landevenecenſi) *Regula S. Benedicti*. Ad hæc enim uſque tempora Scotorum converſationem imitati fuerant, ut patet tum ex eadem vita, tum ex privilegio eidem Monaſterio a Ludovico Pio Imperatore conceſſo. Ex quo ſequi videtur, ut volunt aliqui, ſerius in nonnullis ſaltem Armoricæ ſeu Britanniæ Minoris Cœnobiis Regulam S. Benedicti generali uſu receptam eſſe.

Miror ſane quomodo ex unico Monaſterio extra Imperium & quaſi extra orbem Gallicum in angulo totius univerſi poſito, & a communi Eccleſiæ univerſalis uſu diſcrepante, Ordinis S. Benedicti propagationem intra Gallias definire voluerint. Certe abunde id quo intendo me probaturum eſſe confido, quandoquidem eoſdem tantum terminos Benedictinis quos apoſtolicis legibus præſcribunt. Eadem quippe Scriptura, eademque Ludovici Pii ſanctione Benedictina Regula Landevenecenſibus præſcripta fuit, quæ
Ibid. pag. 161. & Sæc. I. Bened. præf. p. 33. Romanorum Pontificum leges imperatæ. *Cognoſcentes ab Scotis*, inquit Ludovicus Pius, *ſive de converſatione*, *ſive de tonſione capitum accepiſſe*, *dum ordo ſanctæ apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ aliter ſe habere cognoſcitur*, *placuit nobis ut ſive de vita*, *ſeu etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia*, *Domino diſpenſante*, *nobis commiſſa concordarent*. *Et ideo juſſimus ut & juxta Regulam S. Benedicti Patris viverent*, *quæ poſſibilis & laude digna eſt*; *& de tonſura capitis juxta taxatum modum*, *cum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, *quæ per orbem terrarum dilatata eſt*, *concordent unitate*. Ex hac privilegii ſanctione etiamſi conceſſerim in eodem privilegio agi de totali S. Benedicti Regula noviter accipienda, quod in dubium jure vocari poteſt, id tamen eruetur certi & indubitati, eos omnes Monachos, qui ſive de vita, ſive etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia, Domino diſpenſante, Ludovico commiſſa concordarent, juxta Regulam S. Benedicti vixiſſe; cum idem Imperator Landevenecenſes ad Benedictinam Regulam adigat, & ad tonſuram Romano modo gerendam, *ut ſive de vita*, *ſeu etiam de tonſura cum univerſali Eccleſia*,

Digitized by Google

ſia, *Domino diſpenſante*, *ipſi commiſſa concordarent*. Ergo niſi vitam ſuam ad præſcriptum Regulæ Benedictinæ inſtituiſſent Landevenecenſes Monachi, cum univerſali Eccleſia de vita minime concordaſſent. Quapropter omnes omnino Latini Monachi, qui ſub Imperio Gallico per Italiam, Germaniam & Galliam vivebant, Benedictini dicendi ſunt & aſſerendi.

Sub Carolo Magno Regulam S. Benedicti communi uſu receptam in Gallia, Concilia per id tempus habita demonſtrant.

CAPUT II.

QUÆ ſuperius de Benedictinæ Regulæ generali per Gallias obſervatione retuli atque diſputavi, totius Galliæ Germaniæque totius auctoritate firmari poſſunt. Anno namque octingenteſimo decimo tertio juſſu Caroli Magni Imperatoris variis in locis quinque coacta fuere Concilia, ad eaque celebranda Galliæ Germaniæque Pontifices, Abbates atque Magnates evocati, ut de totius Imperii ſtatu tam eccleſiaſtico, quam civili communibus votis ſententiam ferrent, ut habent Francorum Annales, Eginartus & alii.

Hi ergo omnes in unoquoque Conventu, ut credere eſt, in tres claſſes diviſi, quid unicuique Ordini congruum & conveniens optimo quo fieri potuit modo, definiere. Sed quibus ad id regulis pervenerint ex Concilii Moguntiaci præfatione videamus. *Incipientes igitur*, inquiunt, *in nomine Domini communi conſenſu & voluntate tractare pariter de ſtatu veræ Religionis & de utilitate ac profectu Chriſtianæ plebis, convenit nobis de noſtro communi collegio Clericorum ſeu Laicorum tres facere turmas, ſicut & fecimus: in prima autem turma conſederunt Epiſcopi cum quibuſdam Notariis legentes atque tractantes ſanctum Evangelium, necnon Epiſtolas, & Actus Apoſtolorum, Canones quoque, ac diverſa ſanctorum Patrum opuſcula, Paſtoralemque S. Gregorii cum cæteris ſacris dogmatibus, diligenti ſtudio perquirentes, quibus modis ſtatum Eccleſiæ Dei & Chriſtianæ plebis profectum ſana doctrina & exemplis juſtitiæ inconvulſum largiente gratia Dei perficere & conſervare potuiſſent. In alia vero turma conſederunt Abbates ac probati Monachi Regulam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter, qualiter Monachorum vitam in meliorem ſtatum atque augmentum cum Dei gratia perficere potuiſſent. In tertia denique turma ſederunt Comites ac Judices in mundanis legibus decertantes, vulgi juſtitias perquirentes, omniumque advenientium cauſas diligenter examinantes, modis quibus poterant juſtitias terminantes.*

Omnes proinde Epiſcopi Evangelium, Epiſtolas, Actus Apoſtolorum, Canones, diverſa ſanctorum Patrum opuſcula ſacraque dogmata; omnes Abbates & Monachi S. Benedicti Regulam, omnes Comites leges humanas penitus expendentes, & diſcutientes, quid in unoquoque Ordine animadverſione dignum, quid emendationi congruens, quid aptum eſſet perfectioni adipiſcendæ viderunt atque ſanxerunt. Quamobrem ſicut omnes quos ediderunt Canones Epiſcopi, ab Evangelio & ceteris libris ſupracitatis; omnes quas Comites promulgavere Sanctiones, a legibus humanis; ita cuncta quæ Abbates tulere monaſtica decreta, a Regula S. Benedicti tamquam a communi omnium Monachorum Regula deſumpſerunt, & ut ſecundum ipſius doctrinam viverent, ut bene recteque viverent, communi omnium Concilii Patrum decreto ſanxere. *Abbates autem*, inquiunt, *cenſuimus ita cum Monachis ſuis pleniter vivere, ſicut ipſi qui in præſenti Synodo aderant palam nobis omnibus promiſerunt, ideſt ſecundum doctrinam ſanctæ Regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.* cap. 11.

Patres vero Concilii Remenſis ſatis eſſe putavere, ſi Abbatibus ipſa S. Benedicti Regula legeretur. *Lecta eſt*, inquiunt, *Regula S. Benedicti, ut ad memoriam reduceretur Abbatibus minus ſcientibus, ſi qui forte adfuerint, qualiter & ſe & ſuos ſecundum eamdem Regulam cuſtodire deberent atque gubernare.* Can. 9.

Sed nullum ex his omnibus Conciliis uberius hanc quam propugno veritatem docuit, quam Cabilonenſe, licet nullum pauciora Monachis decreta condiderit. *De Abbatibus vero*, inquit, *& Monachis pauca ſcribimus, quia pene omnia regularia Monaſteria in his regionibus conſtituta ſecundum Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur, quæ B. Benedicti documenta per omnia demonſtrant qualiter eis vivendum ſit. Inquiratur ergo ubi ſecundum Ordinem ipſum vivitur, & ubi ab ipſo Ordine digreſſum eſt, ut juxta ejuſdem beati viri inſtitutionem vivere certent, qui ſe ut ita viverent cum atteſtatione profeſſi ſunt.* Can. 22.

Licet præcedentis Canonis initio dicatur, quod pene omnia regularia Monaſteria ſecundum Regulam S. Benedicti ſe vivere fatentur; nullatenus tamen ſequitur aliqua fuiſſe quæ aliam a Benedictina Regulam habuerint: nullum enim tunc temporis ad eam ſervandam obligatum non fuit. Quapropter generaliter Concilii Patres ſanxerunt, ut accuratius inquireretur, ubi ſecundum Ordinem (Benedictinum ſcilicet) vivebatur, & ubi ab eodem Ordine digreſſum eſſet, ut ab utriſque eodem tenore Regula ſervaretur; *ut juxta ejuſdem beati viri*, inquiunt, *inſtitutionem vivere certent, qui ſe ut ita viverent cum atteſtatione profeſſi ſunt*. Reperti ſunt enim nonnulli Monachi, qui ſe Benedictinam Regulam profeſſos negavere; quales S. Dionyſii Monachi, qui eo proruperunt audaciæ, ut in t. 20. Conc. de reſtituendo Ord. monaſtico in Monaſt. S. Dionyſii.

Digitized by Google

in Regulam ſe unquam juraſſe negaverint. *Quidam etiam*, inquit Ludovicus Pius, *non eamdem profeſſionem ſe feciſſe mentiti ſunt; ſed teſtibus patentibus convicti, pro ſua contumacia canonicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti.*

Hujuſce rei plura reperiri poſſent exempla, ſed Concilii Turonici textum huc referre ſufficiat; quo videas hoc eodem anno octingenteſimo decimo-tertio plurima fuiſſe Monaſteria, ubi remiſſius Monachi verſabantur, quæque eo diſſolutionis devenerant, ut etiam cap. 26. promiſſam ab ipſis Regulam neſcirent; quales plurimos ætate noſtra vidimus. *Monaſteria Monachorum*, inquit, *in quibus olim Regula beati Benedicti Patris conſervabatur, ſed nunc forte qualicumque negligentia ſubrepente remiſſius ac diſſolutius cuſtoditur, vel certe penitus abolita negligitur, bonum videtur ut ad priſtinum revertantur ſtatum.*

Hoc ultimo textu Benedictinam Regulam per univerſum Gallicum Imperium multo ante annum octingenteſimum decimum tertium diffuſam novimus; namque in diſſolutis Monaſteriis jam olim beati Benedicti Regula conſervabatur. Quo vero tempore in iiſdem Monaſteriis initium habuerit, nullus eſt qui indicare poſſit, niſi ſaltem ad eorum fundationem aut ea tempora devenerit, quibus S. Maurus venit in Gallias; cujus opinionis princeps fuit, meo quidem judicio, Carolus Magnus Imperator.

Hic enim adeo ſibi perſuaſum habuit ab eo tempore quo Gallis Benedictina Regula tradita fuit, eamdem Benedictinam Regulam per omnes Imperii ſui regiones propagatam fuiſſe atque diffuſam, ut dubitaverit, utrum ab eodem tempore aliæ Regulæ obſervari potuerint, & prorſus ignoraverit, an priuſquam eadem Regula e monte Caſſino emitteretur, aliqua alia ſpecialis vivendi norma vigeret in Galliis; quamobrem utrumque Epiſcopis & Abbatibus diſcutiendum propoſuit. *De converſatione Monachorum*, inquit, *interrogandi ſunt, & utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant. Inquirendum etiam ſi in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ S. Benedicti in has parochias deveniſſet.* Et alibi eodem modo interrogandum jubet, *qua Regula Monachi vixiſſent in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet, cum legamus S. Martinum & Monachum fuiſſe, & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multo ante S. Benedictum fuit.*

Capitular. interrogationis n. 12.

Brev. Capit.

Certum ergo habuit Carolus Magnus, nullam in Galliis fuiſſe Regulam a Benedictina diverſam ab eo tempore quo Gallis innotuit; alias fruſtra quæreret, *utrum Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant*: fruſtra *utrum Monachi fuiſſent, priuſquam traditio Regulæ S. Benedicti in has provincias deveniſſet*: inaniter & fruſtra inquirendum juberet, *qua Regula vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti in ea tradita fuiſſet*, ſi aliqua alia Benedictina antiquiore aut etiam poſteriore Monachos vixiſſe noviſſet. Nullam ergo aliam a Benedictina in Galliis obſervatam agnovit, nullam præceptam eſſe didicit, nullamque ex aliorum relatione credidit eſſe ſervatam.

Nec ullatenus mihi timendum exiſtimo, ne dicant doctiſſimi viri, quorum opinionem impugno Carolum Imperatorem perpetuis bellorum motibus occupatum atque detentum, a legendis antiquis hiſtoriis vel invitum abſtinuiſſe; cum probe noverint cum tanta cupiditate ad acquitendas & addiſcendas ſcientias incubuiſſe, ut ab Alcuino *in artes introductus liberales refrigerari paululum noverit, ſed exſaturari ob fervorem ſatis nimium nequiverit.* Et licet ab evolvendis hiſtoriis aliarumque ſcientiarum libris prorſus abſtinuiſſet, attamen hanc ipſius opinionem doctiſſimorum virorum fuiſſe contenderem. Quis enim neſcit, ea quæ nomine ſummorum Pontificum, Regum, Imperatorum, Principum ſcripta feruntur, & ſacris ſeu politicis Conventibus examinanda traduntur, perraro ab ipſis eſſe compoſita, numquam vero propoſita in publicum, priuſquam ab omnium peritiſſimis viſa fuerint & emendata? Quod cum nullus inficiari poſſit, nullus etiam, ut ſpero, ægre feret, ſi tanti Principis tantorumque virorum qui ſub ejus Imperio floruerunt, auctoritate freti, Regulam S. Benedicti a S. Mauro per Gallias diffuſam crediderimus nullis aliis poſtea intra Imperium Gallicum admiſſis, ne ipſa quidem Columbani Regula, ſi eam a Benedictina ſejungas aut ſepares.

In vita Alcuini ejus operibus præfixa.

Etſi enim vere dici poſſit; eoſdem doctiſſimos viros, Carolum ſcilicet Magnum, & qui ipſi erant a ſtudiis, omnes generaliter Regulas a Benedictina diverſas a Gallis Monachis receptas negaſſe, id maxime de Columbani Regula eſt aſſerendum: hanc enim peculiariter novit S. Adhelardus Abbas Corbejenſis Monaſterii a B. Columbani diſcipulis erecti, qui inter Caroli Magni conſanguineos & familiares numerabatur. Hanc ignorare non potuit Alcuinus, quem Carolus loco Patris amplectebatur. Nullos tandem eorum latere potuit, qui didicerant quanta ſanctitate, quantiſque miraculis S. Columbanus Galliam illuſtraverit, quanta animi libertate effrænem Regis Theodorici libidinem damnaverit, quanto lumine ipſius Regis filiorumque ejus interitum cum ob impuram ac immoderatam ipſius intemperantiam, tum ob violata Luxovienſia clauſtra præviderit: Quæ omnia fuſe Fredegarius deſcripſit in ſuo Chronico tunc temporis omnibus noto.

Imo nullo hiſtoriæ quæſito lumine S. Columbani Regulam noverant omnes, cum ad annum uſque centeſimum quadrageſimum ſupra milleſimum eam Monachi Luxovienſes, Resbacenſes, Meldenſes, Sithivenſes, Gemmeticenſes, aliique permulti omni quo potuere modo ſervaverint, ut in hiſtoria Orderici Vitalis refertur, *Ab ipſo ſiquidem Columbano*, inquit, Euſtaſius, Agilus, Faro, Audomarus, Philibertus aliique permulti, *modum*

L. 8. hiſtor.

dum divinæ ſervitutis & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis ordinibus qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium, aliaſque obſervationes ſumpſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum diem reverenter obſervare appetunt.

Quis vero putet Carolum Magnum ignoraſſe, qua lege vixerint maxima Galliarum Monaſteria? Novit ergo S. Columbani Regulam, eamque obſervatam vidit ab iiſdem ipſis Abbatibus a quibus quærendum jubebat, *qua Regula vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula S. Benedicti traderetur;* & *utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant.* Senſit ergo nulla Monaſteria, nullos Monachos ſola Columbani Regula aliquando vixiſſe, ſed omnes ex æquo, etiam ipſos qui S. Columbani inſtituta ſervabant, ab initio in S. Benedicti verba juraſſe cognovit.

Orderici Vitalis teſtimonium de Columbani obſervata Regula non huc refero, quaſi velim omnia credi quæ idem auctor de S. Columbani in Gallias appulſu retulit; ſed cum oculatus teſtis fuerit earum S. Columbani obſervationum, quas ſuo ipſius tempore Gemmeticenſes aliique Monachi reverenter obſervare appetebant, eum tamquam certiſſimum teſtem & ſpectatorem earumdem obſervationum exhibeo, atque inde deduco illatione quaſi neceſſaria, Luxovienſes, Resbacenſes, Gemmeticenſes, Corbejenſes alioſque Monachos ad annum octingenteſimum, modum divinæ ſervitutis, formam orationum pro cunctis ordinibus, aliaſque obſervationes a S. Columbano præſcriptas & acceptas continuo ſervaſſe, cum duodecimo ſæculo eaſdem nondum intermiſiſſent, ut ex Orderico conſtat.

Sub Pipino & ab anno ſexcenteſimo ad Pipini ætatem, S. Benedicti leges longe lateque promulgatas ex variis Conciliis ſanctoque Bonifacio oſtenditur.

CAPUT III.

ETSI aliqui reperiantur qui a Caroli Magni de Regulæ Benedictinæ propagatione ſententia diſcedant, nullos tamen reperiri arbitror qui modo denegent, eamdem Regulam toto ſæculo octavo a Monachis Gallis ſervatam eſſe, cum idem Imperator idipſum de prioribus ſæculis afferat, & ſaltem nec ipſe, nec qui ipſi a conſiliis & ſtudiis erant ignorare potuerint, quæ dimidio ante ipſos ſæculo contigere.

Quamobrem dicendum exiſtimo, Canonem tertium Sueſſionenſis Concilii, quo jubetur ut *Ordo Monachorum vel Ancillarum Dei ſecundum Regulam ſanctam ſtabilis permaneat*, de Benedictina Regula intelligi debere, eamque conſequenter ſolam tunc temporis obſervatam, totumque Monachorum Ordinem fuiſſe complexam. Alia mitto Concilia quæ jubent ut *Monachi & Ancillæ Dei monaſteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare & vivere ſtudeant*, & quorum auctoritate *Abbates & Monachi receperunt Regulam S. Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ.* ad an. 744. Conc. Germ. I. 742. Conc. Leptinenſe c. I. 743.

Quæ cum ita ſint, minime mirandum, quod in formula ab ordine Romano antiquitus in Abbatis benedictione præſcripta, ſolius Benedictinæ Regulæ fiat mentio; & quod in eodem ab Abbate benedicendo inquirendum præcipiatur, *ſancti Benedicti Regulam ſi velit ipſe obſervare, ſibique ſubjectos ut idipſum faciant diligenter inſtruere*; eique a benedicente dicendum: *Accipe Regulam a ſanctis Patribus nobis traditam ad regendum cuſtodiendumque gregem tibi a Deo creditum .... Accipe monaſticæ Profeſſionis Regulam, ad quam propriam & ſubditorum debes corrigere vitam.* Sola namque in totius Romanæ Eccleſiæ Monaſteriis Benedictina ſervabatur Regula.

Hanc eamdem Regulam S. Bonifacius Germanorum Apoſtolus, qui circa annum ſeptingenteſimum in Germaniam venerat, per diverſas provincias propagavit, noviſque, Scoticis ſcilicet, conſuetudinibus ornavit, feliciori procul dubio modo quam Columbanus, qui quidem novis ſtatutis Regulam fulciit, ſed non niſi moderata prius ſumma Scotorum in victu temperantia, quam ad communem Regulæ modum revocavit. Et Bonifacius ad eamdem priſcorum Solitariorum Monachorumque frugalitatem Germanos Monachos adduxit, ut ipſe refert: *Eſt locus ſilvaticus*, inquit, *in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo Monaſterium conſtruentes conſtituimus Monachos ſub Regula S. Patris Benedicti viventes, viros ſtrictæ, abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicera & ſervis proprio manuum ſuarum labore contentos.* Cum vero ipſemet dicat, Monachos in Monaſterio Fuldenſi conſtitutos ſub Regula S. Benedicti degiſſe; alia quoque cum ab ipſo, tum ab aliis fundata Monaſteria Benedictina fuiſſe quis ambiget? Maxime cum in duobus Conciliis proxime citatis, quibus interfuit, & Zachariæ ſummi Pontificis nomine præfuit, ſola hæc eadem Benedictina Regula fuerit commendata. Ep. ad Zachar. Papam t. 17. Conc. p. 411.

Eaſdem radices egerat Benedictina Religio ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum, ut teſtantur acta Concilii Auguſtodunenſis, quæ ſic habent: *De Abbatibus vero vel Monachis ita obſervare convenit, ut quicquid canonicus Ordo, vel Regula ſancti Benedicti edocet, & implere & cuſtodire ante omnia debeant: ſi enim hæc omnia fuerint legitime* ad an. 663. n. 18.

Digitized by Google

apud Abbates vel Monaſteria conſervata, & numerus Monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.

Hanc Synodum admittit R. P. Cointius; ſed ne opinioni ſuæ de multis Regulis anno ſexcenteſimo ſexageſimo tertio per omnes Galliarum provincias ſervatis contraria videatur, eam obſervatione quadam in eumdem Canonem facta conatur eludere. *Ex hoc titulo, liquet*, inquit, *id Leodegario placuiſſe, ut in Cœnobiis diœceſeos Auguſtodunenſis nulla Regula præter Benedictinam vigeret.* Melius, ſi addidiſſet hoc etiam placuiſſe aliis ejuſdem Concilii Patribus; non enim a ſpeciali Synodo ſeu a ſolo S. Leodegario prodiere Canones, de Monachis editi, ut conſtat ex indice collectionis antiquorum Canonum, qui in Bibliotheca Thuanea ſervatur, ubi habetur, plures Epiſcopos hos eoſdem Canones dictaſſe, ut refert Petrus de Lande in ſupplemento Conciliorum. Hoc ipſum etiam indicat S. Leodegarii ſubſcriptio, quæ ſequentibus verbis componitur: conſenſus domni Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis. *Ego Leodegarius acſi peccator Epiſcopus cum conſenſu Fratrum meorum polliciti ſumus, & perpetualiter placuit obſervandum.* Nulli namque ſancti Leodegarii Fratres præter Epiſcopos notari poſſunt, qui polliciti fuerint, quibuſque placuerit Canones perpetualiter obſervandos. Neque ipſe Leodegarius conſenſum dediſſe dicendus eſſet, ſi ipſius ſola auctoritate Canones conditi fuiſſent & promulgati.

In addit. ad Conc. Auguſtodun.

Monaſteria vero tam Æduenſis Diœceſis quam aliarum quæ a Patribus prædicti Concilii pendebant, ſolam Benedictinam Regulam tunc habuiſſe ex ipſo Canone decimo-quinto notum eſt atque manifeſtum. Non enim aliæ prohibentur Regulæ, non nova inferuntur dogmata, nec novo profeſſionis vinculo Monachi vinciuntur & alligantur; agitur tantum de Regula S. Benedicti apud Abbates & Monaſteria conſervanda, implenda atque cuſtodienda: *ut quicquid Canonicus ordo*, inquiunt Patres, *vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & cuſtodire Abbates & Monachi in omnibus debeant; ſi enim hæc omnia fuerint legitime apud Abbates & Monaſteria conſervata, & numerus Monachorum Dei propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.* Quæ cum nulla poſita conditione, nulla ſuppoſitione, Benedictina mandata implenda, cuſtodienda & conſervanda mandentur, omnes omnino Monachos prædictarum Diœceſeon, imo & Gallicanarum omnium (ſi enim omnes Burgundi Monachi Benedictini ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium, ubinam alii reperiri eodem tempore potuerunt?) eadem Regula adſtrictos antea vixiſſe nobis eſt concedendum.

Accedit eodem, quod Monachorum nullus ad Benedictinam Regulam implendam & cuſtodiendam adigi potuiſſet, ſi eam numquam antea fuiſſet amplexus. Certe quilibet ipſorum dicere potuiſſet quod tali caſu dici poſſe S. Bernardus ultro fatetur: *ſolum quippe id a me exigi poſſe arbitror, quod promiſi.* Singulares namque Pontifices, Reges aut Abbates quacumque polleant auctoritate, pro libitu ſuo promiſſas Regulas immutare non poſſunt, aut ad arctiorem vitam Monachos etiam pleno jure ſibi ſubditos adigere. *Hoc tantum*, inquit Concilium Toletanum quartum anno ſexcenteſimo trigeſimo tertio celebratum, *ſibi in Monaſteriis vindicent Sacerdotes quod præcipiunt Canones, ideſt, Monachos ad profeſſionem ſanctam promovere, Abbates aliaque officia conſtituere, atque extra Regulam facta corrigere.*

De præcep. & diſp. c. 6.

Can. 51. tom. 14. Conc.

Plura poſſunt equidem Conciliorum legitime congregatorum Patres, ſed neſcio utrum aliquod exemplum proferri poſſit, quo generales Synodi Monachos ad perfectius vivendi genus, aut etiam ad alienam Regulam amplectendam invitos compulerint; cum alias tepidos Monachos ad propriam Regulam ſerio ſervandam & ab Epiſcopis & a propriis Abbatibus cogi poſſe nullus dubitet.

Scimus quanta animi propenſione, quanta ſolertia, quanta auctoritate Ludovicus Pius Imperator torpentes tepenteſque S. Dionyſii Monachos ad ſervandam Benedictinam Regulam excitaverit; ſed ad id peragendum duarum provinciarum, Remenſis ſcilicet & Senonenſis, cogenda fuit Synodus, cujus Patres in hanc unam rem incubuere, ut chirographis, teſtibus, aliiſque certis argumentis evincerent eoſdem Monachos Benedictinam Regulam profeſſos eſſe. *Teſtibus patentibus*, inquit Ludovicus Pius, *convicti pro ſua contumacia canonicæ pœnitentiæ ſunt addicti, .·.·. ſoloque ſe proſternentes confeſſi ſunt eamdem profeſſionem in eodem loco regulariter ſe promiſiſſe; ſuique miſereri, & a Domino veniam pro tanto admiſſo humiliter flagitavere. Qua confeſſione facta cucullis ſui propoſiti coram cœtu Epiſcoporum .·.·. ſe induerunt atque regularem profeſſionem juraverunt.* Quaſi vero hac aſſertione teſtium iterata profeſſione, pœnitentia publica Benedictinæ Regulæ ſatis non eſſet conſultum ſcriptis publicis eam iterum Ludovicus Pius aſſerendam voluit. *Ibidem tres chartulas conſcripſerunt*, inquit idem Imperator, *ut una earum ad caput glorioſiſſimorum Chriſti Martyrum fieret, altera regiæ dominationis noſtræ cuſtodia ſervari demandaretur, tertiam vero ipſius Monaſterii Abbas haberet, in quibus a Patre Benedicto Spiritu ſancto docente deſcriptam Regulam ſe ſervare velle profeſſi, & unuſquiſque eorum nomen proprium cum gradu & Monachi appellatione in eiſdem chartis ſubterfirmavit.*

Videant ergo quanta cautione, contentione, providentia, auctoritate cum Monachis S. Dionyſii agendum fuerit, ut promiſſam Regulam ſervarent; & cum ad mu-

tanda

Digitized by Google

tanda regularia vota multo plura requirantur, quam ad inducendos Monachos ad priſtina vota integre perſolvenda, fateantur neceſſe eſt S. Leodegarium ceteroſque Concilii Patres alios Conones condere aliterque loqui debuiſſe, ſi ſuarum Diœceſeon Monachos ad novam Religionem amplectendam adigere voluiſſent: nullum enim unquam daturus eſt exemplum Annalium auctor, quo ad injungendam novam Regulam, priore rejecta, alicujus Concilii Patres ea tantum verba uſurpaverint, quibus Monachos ad implendam, conſervandam & cuſtodiendam Regulam adhortantur, nullo de alia abjicienda edito Canone.

Jam inde ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto ad annum ſeptingenteſimum quamplurima Cœnobia ſub Regula SS. Benedicti & Columbani militaſſe docent acta S. Salabergæ aliaque monumenta.

CAPUT IV.

A Superiori diſcuſſione Canonis decimi quinti Auguſtodunenſis Concilii controverſiæ quæ mihi cum R. Patre Cointio intercedit, dirimendæ initium ſumpſi, nihil magis ad rem qua de agitur me facturum ſperans, quam ſi ab ipſo Concilio tamquam a principio omnium firmiſſimo momenta rationeſque deſumerem, quibus Benedictinam Regulam ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium Monachis omnibus, Burgundis maxime, præſcriptam probarem. Quam veritatem antequam ulterius probem, noviſque rationibus & auctoritatibus fulciam, quid inter nos potiſſimum in quæſtione verſetur mihi exponendum incumbit.

Vir doctiſſimus ut Ordinis Benedictini progreſſus exiguis certiſque finibus concluderet, Regulam S. Columbani a Benedictina ita diſtinguendam voluit, ut toto ſæculo ſeptimo ab eadem fuerit ſejuncta: adeo ut ambæ in uno eodemque Monaſterio ad uſque annum ſeptingenteſimum ſervatæ non fuerint; qua poſitione Benedictinos ab iis omnibus Monaſteriis excluſit, in quibus Luxovienſia inſtituta floruere. *Regulam S. Benedicti*, inquit, *per Francorum Regnum ante annum Chriſti ſexcenteſimum octuageſimum, quo ſuperiorem noſtrorum Annalium tomum clauſimus, certo propagatam non inficiamur, Monaſteria non pauca commemoravimus, ubi jam ab iſtis temporibus recepta eſt: ſed negamus cum ea Regulam S. Columbani tunc coaluiſſe.* Et alibi: *Ætate Bercharii ſeu ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundam, prælaudatæ S. Benedicti & S. Columbani diſtinguebantur Regulæ, nec in uno eodemque cuſtodiebantur Monaſterio. Quapropter ſolam S. Columbani ut Monachis Luxovienſibus, ſic Altivillarenſibus olim præſcriptam arbitramur; quodque hoc loco de Altovillari dicimus, id quoque de aliis Monaſteriis dictum volumus.* Unde nec etiam mirum quod ipſemet neget S. Columbanum Benedicti leges unquam ſervaſſe. (tom. 4. ad an. 734. n. 69.; ad an. 669. n. 8.)

Ego vero e contrario dico, omnia quæ ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto a Columbani diſcipulis condita fuere Monaſteria, Benedictina inſtituta una cum Columbani legibus ſervanda ſuſcepiſſe: idem etiam poſtea dicturus de omnibus omnino Monaſteriis, quæ ſeu ab ipſo Columbano, ſeu ab ipſius ſectatoribus principium accepere; cum ipſa S. Columbani Regula ab ipſo ſui initio eodem modo ſe habuerit ad leges Benedictinas, quo poſtea Cluniacenſium aut Ciſtercienſium conſtitutiones ad eamdem ſe habuere, ut inferius patebit.

Interea lectorem moneo, me non hic agere de rejiciendis Baſilii, Macarii, ſanctorumque Patrum Regulis, quas etiam tunc viguiſſe Annalium auctor affirmat; quia ex his quæ proxime circa Regulam Columbani dicturus ſum, facile erit dignoſcere quid dicendum ſit de ceteris. Quid tamen intelligendum ſit per Regulam ſanctorum Patrum inferius aperiam, inſuper addam quoad ſanctos Baſilium & Macarium, me nullibi legiſſe in auctore coætaneo aut ſuppare aut etiam antiquo aliquod Galliarum Monaſterium ſæculo ſeptimo eorum ſpecialia inſtituta ſervaſſe: quod ſi aliquis contrarium ſentiat, ſuam ſententiam probet, eamque rationibus & auctoribus antiquis firmet, aut meam opinionem ſequatur neceſſe eſt. Ad propoſitum redeamus.

Auctor vitæ S. Salabergæ Laudunenſis Abbatiſſæ primam quam demonſtrandam ſuſcipio veritatem promovet, ut RR. Patres Hugo Menardus, & Domnus Joannes Mabillon jam alias annotarunt. *Hujus Sancti*, ſcilicet Walberti, *tempore*, inquit, *per Galliarum provincias agmina Monachorum ac ſacrarum puellarum examina non ſolum per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verum etiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt: cum ante illius tempus Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis.* (Vita S. Salab. n. 7. Sæc. 2. Bened.) Cujus auctoritatis lumine duo nobis manifeſta fiunt; primum ætate Vvalberti, ab anno ſcilicet vigeſimo quinto ſupra ſexcenteſimum, quo primo Luxovienſi Monaſterio præfuit, ad annum ſexcenteſimum octuageſimum, quo ad ſuperos fuit evocatus, paſſim per totam Galliam Monaſteria ædificata fuiſſe, quæ Regulam S. Benedicti cum S. Columbani conjunctam ſervarunt; ſecundo ex iiſdem verbis colligimus, pauca ante prædictum tempus in Galliis Cœnobia extitiſſe.

Poſtremam obſervationem veram eſſe ultro conceſſurus eſt, ni fallor, ſed a priori ſummopere abhorret Annalium auctor. *In hujus auctoris* (Jonæ ſcilicet vitæ S. Colum-

Vita S. Salab. num. 7. Sæculo 2. bani ſcriptoris) *lucubrationibus ſæpe commendatur Regula S. Columbani, Regula vero S. Benedicti nequidem nominatur. Ergo illis temporibus, ut dictum ſupra, Regula S. Columbani diſtinguebatur a Regula S. Benedicti, nec ambæ ſimul apud Luxovium aut alio quopiam Monaſterio obſervabantur; atque inde acta S. Salabergæ præcitata ſic interpretare, ut agmina Monachorum per Gallias ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaſſe credas, quoniam ut Glannafolienſe Monaſterium aliaque Regulam S. Benedicti, ſic Luxovienſe aliaque Regulam S. Columbani ſequebantur.*

Cointianæ obſervationi reponi poſſet, in Camelarienſi puellarum aſceterio ætate Walberti Regulam ſanctorum Benedicti, Columbani & Cæſarii uno eodemque tempore viguiſſe, ut videre eſt in Annalibus Francorum. (ad an. 665. num. 7.) Hoc etiam contigiſſe in Juſſano Monaſterio Jonæ notiſſimo, quod ultro fatetur Cointius, & proinde non recte colligi ex eo quod Jonas nullibi Benedictinam Regulam nominet, Columbani inſtitutum a Benedictino ita diverſum extitiſſe, ut utrumque in eodem Monaſterio iiſdem temporibus non fuerit obſervatum: de quibus iterum infra. Sed hic non quæritur quid Jonas commendaverit, cujuſque Regulæ non meminerit, ſed quid dixerit auctor vitæ S. Salabergæ; nec a prioris ſilentio inquirendum qualiter explicandus ſit poſterior, ſed quænam fuerit mens prioris a poſteriori eſt inquirendum, cum Anonymus iſte Actorum S. Salabergæ ſcriptor Jonæ lucubrationes legerit, Monaſteria de quibus loquebatur viderit, eorumque vivendi genus probe noverit: quapropter hæc artificioſa interpretatio penitus rejicienda, qua dividuntur quæ conjuncta fuere; imo ex ipſa etiam Annalium auctoris mente conſtare non poteſt: hoc enim ex textu ſupra citato ſequeretur, multa cum Monachorum, tum Monialium Cœnobia ſecundum Regulam S. Benedicti per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verum etiam per eremi vaſtitatem de novo ædificata fuiſſe. At dato quod Luxovienſes Monachi a Benedictinis diverſi fuiſſent, vix unum aut alterum daretur hujuſcemodi Monaſterium virorum, Monialium nullum, ſi Annalibus Francorum eccleſiaſticis fides habeatur. (ad an. 667. num. 20.) *Tunc*, inquit, *plurima Monaſteria Regulam S. Columbani, perpauca Regulam S. Benedicti ſequebantur;* & adeo pauca, ut vix unum aut alterum Benedictinis adjudicet, quæ etiam nonniſi dubitanter ad Benedictinos referenda eſſe ſibi perſuaſit. (ad an. 640. num. 48.) *Quæri poteſt*, inquit, *utrum regnante Clodoveo ſecundo Regula Benedictina in inſula Barbara fuerit obſervata.* Quam quæſtionem ſic ſolvit: *Cum ab adventu S. Mauri in Galliam ad principatum uſque Clodovei ſecundi effluxerint anni nonaginta quinque, nihil vetat quominus cenſeamus Regulam Benedictinam in Monaſterio Barbarenſi ſub Abbate Licinio viguiſſe*; quaſi timeret vir ſincerus, ne dubium aliquod Monaſterium Benedictinis adſcriberet.

Non aliter ſe gerit cum de Monaſterio Caſtrenſi loquitur: refert enim ejus initia aliena manu & ad marginem in codice deſcripta fuiſſe. (ad an. 647. num. 14.) *In codice*, inquit, *unde Chronicon illud deſcriptum eſt, hæc alia manu de Roberto primo Abbate Caſtrenſi ſcripta ſunt in margine: Anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo Robertus, Anſelinus & Daniel, tres viri pii & nobiles, relicto cingulo militiæ ſæcularis in pago Albigenſi juxta fluvium Agunti ſub Regula S. Benedicti Deo militantes caſtrametati ſunt.*

Dixi ſuperius, unum aut alterum eo tempore ab Annalium auctore admitti Benedictinum Monaſterium; nam ex ipſo *longe antequam Regula Benedictina conderetur, in inſula Barbara claruerunt Monachi.* Unicum ergo reſtat Monaſterium quod ex margine Caſtrenſis chronici nobis concedatur: quapropter ne ſecum ipſe pugnare videatur, aut ne fruſtra laboret in deſignandis Benedictinis Monaſteriis quæ magno numero conſtructa fuere, fateatur neceſſe eſt Regulam ſanctorum Benedicti & Columbani ſimul propagatam, & ab iiſdem Monachis obſervatam fuiſſe.

Videat interim quantum ipſi debeant cum antiqui, tum recentes auctores, præter quorum opinionem nulli ex Glannafolienſi, nulli ab exterarum nationum Benedictinis Monaſteriis per centum quinquaginta annos Monachi prodiere, qui Benedictinum Ordinem propagarent, quam bene etiam de toto Ordine mereatur, cujus Regulam per idem tempus intra unius aut alterius Monaſterii limites concluſit, contra chartarum fidem, antiquorum hiſtoricorum narrationem, traditionemque Cœnobiorum, aliaque inſtrumenta publica. Ceterum ut rem de qua agitur paucis conficiam, hic ſpecialiter probandum aſſumo, illa omnia Monachorum examina (de quibus auctor Anonymus ſupra citatus) ex Luxovienſi Monaſterio tamquam ex generali Galliarum alveo prodiiſſe; hujuſceque rei teſtem idoneum & oculatum produco. (In vita S. Elig. lib. 1. cap. 21. to. 5. Spicil.) *Ipſe quoque* (S. Eligius) inquit Audoenus, *properabat ad Cœnobia, maxime Luſſedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque diſtrictius; neque enim tam crebra erant adhuc in Galliis Monaſteria, & ſicubi eſſent, non ſub regulari quidem diſciplina, ſed erant prorſus in malitia fermenti veteris ſæcularia: præter Luſſedium ergo, quod ſolum, ut dictum eſt, diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat, Solemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus Religionis extitit caput, ex quo multi demum ſumpſerunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus Cœnobia.*

Quibus in verbis eadem ipſa deprehenduntur quæ ſupra ex Anonymo notanda curavimus, nempe antequam Luſſedium conderetur pauca fuiſſe in Galliis Monaſteria, tum ſub Walberto mirum in modum multiplicata: ſed ulterius ex iiſdem verbis perſpicuum

Digitized by Google

ſpicuum ſit & evidens, Luxovienſe Monaſterium iis omnibus originem dediſſe, cum *præter Luſſedium quod erat cunctis eminentius, & quod ſolum diſtrictionem Regulæ ſolerter tenebat, Sollemniacenſe Monaſterium in partibus occiduis hujus Religionis extiterit caput, ex quo multi ſumpſerunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque, propitia Divinitate, innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexus Cœnobia*. Illa ergo innumera alma utriuſque ſexus Cœnobia, quæ per omnem Galliam fuerant ædificata, quæque non alia erant quam ipſa eadem Monachorum & ſacrarum puellarum examina, quæ Walberti tempore paſſim ubique pullulaverant, ex Luxovienſi Monaſterio in Francia, in occiduis vero partibus ex Solemniacenſi initium & exemplum accepiſſe ex Sancto Audoeno novimus. Propterea cum ex anonymo vitæ Sanctæ Salabergæ Scriptore eadem examina ex Regula ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani pullulaverint, dicendum eamdem Regulam ſanctorum Benedicti & Columbani in Monaſteriis Luxovienſi & Solemniacenſi ab eorum conditu impoſitam fuiſſe, aut ſaltem ætate Walberti in eiſdem floruiſſe.

Iis omnibus poſſet etiam addi ex Audoeno nulla fuiſſe apud Gallos Monaſteria ætate Walberti præter Luſſedium & Solemniacenſe, ex quibus prodire potuerint tot tantique Monaſteriorum fundatores; cum alia Monaſteria, ut ſupra vidimus, Luxovienſi antiquiora non eſſent *ſub regulari diſciplina, ſed in malitia fermenti veteris ſecularia*.

Sanctus Nivardus Remorum Epiſcopus de hac eadem Monaſteriorum propagatione Walberti tempore facta, deque Regula eiſdem impoſita loquitur initio privilegii ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum Altivillarenſibus dati: *In nomine Patris*, inquit, *& Filii & Spiritus Sancti, Amen. Ego Nivo ſive Nivardus etiamſi peccator Epiſcopus, dum omnes Epiſcopi Fratres mei, etiam & de viris Chriſtianis, & de bonis hominibus Monaſteria ſecundum Regulam ſanctorum Patrum ædificare non ceſſarent*, &c. a ſequentibus verbis citandis abſtineo, quibus ipſemet privilegii ſcriptor, Regulam ſanctorum Patrum, ipſam eſſe ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam exponit. Nullus enim inficiari poteſt Regulam ipſam, quam Anonymus ſanctorum Patrum Benedicti & Columbani Regulam dixit, eamdem S. Nivardum ſimpliciter ſanctorum Patrum Regulam nominaſſe: & conſequenter cum ipſe Nivardus eamdem ſanctorum Patrum Regulam Altivillarenſibus Monachis obſervandam dederit, nullus vocare poteſt in dubium, S. Bercharium primum Altivillarenſem Abbatem, ſanctique Walberti diſcipulum, ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam ſervaſſe, aliiſque ſervandam tradidiſſe.

tom. 3. an. ad an. 662. num. 7.

Dicent, ut quidem autumo, Jonam in Vita S. Columbani Benedictinæ Regulæ non meminiſſe. Cui difficultati fecero ſatis, ni fallor, ſi repoſuero nec etiam S. Audoenum de Regula Columbani locutum eſſe, licet Luſſedium miris laudibus extulerit, deque Solemniacenſi & S. Aureæ Pariſienſi Monaſteriis pluribus egerit. Narrat equidem Luxovienſe Monaſterium ſolum *diſtrictionem Regulæ ſolerter tenuiſſe*, & *in occiduis partibus in Solemniacenſi tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidiſſe, ut ejuſdem Monachorum vita ſingularis videretur præ ceteris Galliæ Monaſteriis*; ſanctumque Eligium Virginum ædificaſſe Monaſterium, ubi *diſtrictam Regulæ diſciplinam conſtituens*, *uſque ad trecentarum puellarum numerum ex diverſis Gentibus tam ex Ancillis ſuis, quam ex illuſtribus Galliæ Matronis congregavit*. Sed iis omnibus in locis de Columbani Regula tacet, & de illa tantum loquitur, quam negligenter & tepide pleraque Monaſteria Luſſedio antiquiora, cetera vero, Luſſedium in primis, quam diligentiſſime ſervabant, quæque proinde tam depravatis corruptiſque Monaſteriis quam ceteris communis erat.

Vita S. Eligii cap. 21. num. 16.

Ibid. num. 17.

Hinc tamen nullatenus eſt inferendum S. Audoenum Jonæ eſſe contrarium, aut Jonam Audoeno: etenim ille qui nulla neceſſitate ad deſignandam Regulam qua vivebant Monachi, tenebatur, uſitato loquendi modo ab auctore Regulæ, quæ tunc unica vigebat, nominando abſtinuit; tacito namque S. Benedicti nomine toties ipſius Regulæ auctorem proprio vocabulo deſcripſit, quoties eam ſacræ Regulæ aut Regulæ ſimpliciter expreſſione notavit, Columbani inſtitutis nullatenus excluſis; eo prorſus modo quo ſi aliquis Ciſtercienſe aut Cluniacenſe Monaſteria ſub ſancta Regula, ſub Regula ſacra, ſub Regula ſimpliciter dicta, fundata diceret, Regulam S. Benedicti ſpecialibus Cluniacenſium aut Ciſtercienſium Regulis nullatenus excluſis dicendus eſſet intellexiſſe. Sic Audoenus principalem Regulam nominando, ſpeciales uniuſcujuſque Monaſterii Regulas ſive Columbani, ſive alterius cujuſpiam comprehendit, nullam excluſit.

Jonas vero nonniſi coactus ac quadam neceſſitate compulſus Columbani Regulæ meminit, ſiquidem eam erroris notaverat Agreſtius Euſtaſii diſcipulus, eamque a Matiſconenſis Concilii Patribus prohibendam obtulerat, quæ licet nec notata nec prohibita fuiſſet, nullo tamen Canone, nulla lege, nulla Concilii ſententia fuerat probata; & proinde timendum erat Columbani diſcipulis, ne ipſius Regula ipſa non approbatione & abſolutione reprobata videretur, ſicut reipſa contigit: nam ſtatim ab ipſo Concilio

SS. Ama-

Digitized by Google

SS. Amatus & Romaricus ipſius Regulæ jugum excuſſere. *Proh dolor!* inquit Jonas; *execrabili ſuaſu ac lethifera ambitione monita ſana Agreſtius inſaniens maculavit, qui* (Amatus & Romaricus) *abjectis inſtitutis priſtinis* (Regula S. Columbani) *rudibus conati ſunt imbuere plebem doctrinis*. Eam ob cauſam Jonas ut damnatæ Regulæ ſuſpicionem levaret, nimium ſæpe ipſius Regulæ nomen ingeminavit. *Abellenus vero*, inquit, *vel cæteri Galliarum Epiſcopi*, poſt peractum ſcilicet Concilium, *ad roborranda Columbani inſtituta adſpirant; jam amore Columbani & ejus Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, greges Chriſti congregant, inter quos inluſter tunc vir Eligius Monaſterium nobile Solemniacum nomine conſtruxit. In Bituricenſi vero urbe puellarum Monaſterium ex B. Columbani Regula Bertoara nobilis genere & religione fœmina conſtruxit. Itemque in ſuburbano Bituricenſis urbis vir venerabilis Theodulphus cognomento Bobolenus Monaſteria ex Regula Columbani omni religione pollentia conſtruxit; itemque aliud Virginum juxta Nivernenſe oppidum ſub eadem Regula conſtruxit*. Quæ toties Jonas voluit repetere, ne, ut ſupra notatum eſt, Columbani Regula Agreſtii perſuaſione aliqua erroris nota a Concilii Patribus inuſta videretur, aliter procul dubio locuturus, ſi ab Agreſtio Columbani Regula impetita non eſſet. Quidquid ſit, quemadmodum Jonæ de Benedictina Regula ſilentium non obſtat quominus Juſſanum Monaſterium quod Flavia S. Donati mater ex amore Columbani conſtruxit, ut Jonæ placet, leges Benedictinas cum Columbani inſtitutis a primo ſuo conditu ſumpſerit; ita nihil prohibet quin etiam hoc ipſum in ceteris contigiſſe credamus.

In vita S. Euſtaſii n. 13.

Ibid. n. 17.

In vita S. Columbani n. 22. Sæc. 2. Ben.

Præterea uno verbo reſponderi poſſet, quod ſi a ſilentio auctorum argumentari liceret, & ſi aliquis jure poſſet aſſerere ea non extitiſſe quæ a certo quodam hiſtoriæ ſcriptore prætermiſſa fuiſſent, nihil fere certi in actis Sanctorum haberemus.

Cœnobia Solemniacenſe & Altivillarenſe SS. Benedicti & Columbani legibus paruiſſe.

CAPUT V.

Superiori capite illatione quaſi generali omnia Monachorum examina, quæ Vualberti tempore pullulavere, inſtituta ſanctorum Benedicti & Columbani ſectata fuiſſe probavimus; hoc vero capitulo a ſpecialium Cœnobiorum fundationibus eruemus argumenta, quibus nimis callida Annalium auctoris interpretatio, qua Anonymi claram apertamque ſententiam voluit involvere, falſa dilucide videatur. Quod ut conſequar; fundationum ſcriptores iiſdem verbis uſos eſſe ad deſignandam ſingulorum Monaſteriorum Regulam, quibus auctor vitæ S. Salabergæ ad indicandam communem, ipſorum verborum comparatione convincam, ut videant eos omnes auctores de eadem ſingulari Regula aut inſtituto locutos eſſe.

Ceſſum eſſe volo, inquit S. Eligius Monachos alloquens in dotatione Solemniacenſis aſceterii . . . . *ea tamen conditione interpoſita, ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini, & Regulam beatiſſimorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis*. Eadem fere narrat Flodoardus de Monaſterio Altivillarenſi: *Conſtruxit* (S. Nivardus) inquit, *Monaſterium quod dicitur Altumvillare petente Berchario Abbate, qui ab eo petierat locellum ſibi dari, ubi cum Fratribus ſuis Monachis ſub Regula Patrum S. Benedicti & S. Columbani vivere poſſet*. S. Berteſridus Ambianenſis Antiſtes, ceterique Galliarum Epiſcopi in privilegio Corbejenſi Monaſterio dato ſancivere, *ut ipſi Monachi* Corbejenſes *ſub Regula Patrum S. Benedicti & S. Columbani converſari & vivere debeant*.

Sæc. 2. Bened. p. 1091 & tom. 3. ann. ad ann. 734. n. 109.
Lib. 2. hiſt. Rem cap. 7 & t. 3. ann. ad an. 662. n. 7.
t. 3. ann. ad an. 662. n. 20.

Plura referri poſſent ad propoſitum, ſed iſta ſufficiant, ut videas Anonymum, de quo ſæpe ſuperius, quaſi exſcripſiſſe prædicta privilegia, aliaque plurima quæ ex Annalium auctore a Benedictinis citantur, cum in vita S. Salabergæ narravit, *agmina Monachorum, ac ſacrarum puellarum examina non ſolum per agros, villas, vicoſque atque caſtella, verum etiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœpiſſe*. Quorum verborum ſenſus & explicatio a privilegiorum verbis, quæ in alienum ſenſum inflecti non poſſunt, deſumi debet.

Scio adverſarium noſtrum Benedicti nomen ex prædictis privilegiis abraſiſſe: ſed fruſtra, quamdiu illud ipſum nomen ex actis S. Salabergæ non ſuſtulerit. Verum etiam fruſtra illud ipſum ex iiſdem actis auferet, eo enim ſtylo, eoque atramento eadem acta, libri, diplomata ſcripta fuere, quo characteres ſemper appareant, & a nullo deleri poſſint; ſemper enim in dotatione Solemniacenſis Monaſterii nomen S. Benedicti legetur, etiamſi nimia confidentia ex originali textu illud rejecerit in marginem quibuſdam additis verbis, quibus ſignificet Benedictinos aliter legere: *Benedictini ſic legunt*, inquit; *conſequimini, & Regulam beatorum Patrum Benedicti & Columbani firmiter teneatis*. Ita ſane ſic legunt Benedictini cum antiquis ejuſdem Monaſterii Abbatibus, cumque Patribus Concilii Sueſſionenſis ad annum octingenteſimum ſexageſimum ſextum celebrati, nempe cum Carolo Calvo, Hincmaro Remenſi, Remigio Lugdunenſi, Vulfado Bituricenſi, Frotario Burdigalenſi, aliiſque ex omnibus Galliæ partibus Epiſcopis, quibus *innotuit*, inquiunt Patres, *regiæ dignitati noſtræque Synodo reſiden-*

Digitized by Google

ſidenti, qualiter vir venerabilis atque clariſſimus Eligius . . . . . Cœnobium ipſum ædificare ſategit, Monachoſque ibidem conſtituit . . . . eo videlicet tenore, quatenus . . . . & Normam S. Benedicti inviolabilem tenerent. t.22. Conc. ad ann.866. Nec ullus aliter niſi in novis Francorum Annalibus legit, neque alius quiſpiam aliter legere potuit, ſi Cointium exceperis, qui nullo exemplari, nulla viſa originali charta, nullo duce, nullo auctore aliter ſolus legendum Solemniacenſe diploma exhibuit. Quam autem ob cauſam id egerit, ipſemet dicat: *Cum autem*, inquit, *adeo nobis perſuaſum ſit in Monaſteriis quæ S. Columbani diſciplinis addicta erant*, Regulam S. Benedicti *ſeptimo ſæculo non ſuſceptam fuiſſe, varia diplomata, quibus auctores Benedictini ſuam quoque tueri conantur opinionem, cenſemus interpolata: nec aliter loquuti ſumus cum de illis agendum nobis fuit: indubitanter enim abraſimus nomen S. Benedicti, quoties illud cum nomine S. Columbani conjunctum reperimus, ubi quæſtio vertebatur de Regula cui ſubjiciebatur Monaſterium a S. Columbano, vel ab ejus diſcipulis, aut ab eorum ſucceſſoribus inſtitutum. Nec ſecus ſentiendum putamus de charta S. Eligii pro Solemniaco, & de charta ſancti Amandi pro Bariſiaco.* ad ann.734 n. 107.

Itane, reverende Pater, ſunt imminuenda diplomata, quia tibi perſuaſum eſt aliter ſcribenda fuiſſe? itane interpolata dicenda ſunt, quia tuis perſuaſionibus contraria? itane tandem tam levi conjectura tot Sancti de albo Benedictino auferendi, variique auctores & Monachi erroris & falſitatis arguendi, quaſi per Galliam, Germaniam & Italiam eadem mente eodemque crimine chartas omnes, quæ de Monaſteriis agunt S. Columbani, interpolatione adulteraverint? Sed vide ne gladio, quo aliorum nomina cupis expungere, jugulum præbeas, tuoque ut ajunt gladio te conficias. Quid enim reſponſi daturus es, ſi quis eadem acta & Monaſteriorum fundationes, quarum adhibes auctoritatem, ut novus extremorum Merovingicæ familiæ Regum encomiaſtes appareas, a te aut abraſas magna ex parte, aut ſaltem interpolatas ſuſpicetur aut fingat? Cum enim Benedicti nomen ex actis pluribus ſuſtuleris, quod id tuo propoſito opinionique ſtabiliendæ plurimum conduceret; quis non facile credat id te tanto magis licenter libereque facturum, quanto majoris momenti tua tibi videtur opinio de his Regibus, quibus laudandis totus addictus es? Ut ut ſit, hoc certiſſimum credo futurum, te tibi tuis abraſionibus fidem & Annalibus auctoritatem derogaſſe, Benedicti vero ne nomen quidem læſiſſe, quod punctionibus a te inflictis firmius hærebit impoſterum. Ad rem veniamus.

Sed, inquiunt, *idem Bernardus Abbas Solemniacenſis a Rege & Synodo novum tunc privilegium poſtulavit, quantum Normannorum crudelitate graſſante priora fuerant concremata. Lis igitur non ipſius Bernardi judicio qui chartam fundationis præ manibus non habuit, ſed judicio dirimenda vetuſtiorum auctorum; ceteros autem antecellit qui potiſſimum conſulendus Jonas in vita S. Euſtaſii, quam allegavimus ſupra.*

Exiſtimare videtur Francorum Annaliſta, Hincmarum, Remigium, & Æneam Epiſcopos omnium Galliarum doctiſſimos adeo hiſtoriæ inſcios extitiſſe, ut ignoraverint quanam Regula S. Columbanus diſcipulos imbuerit, & adeo ſocordes, ut nulla veritatis inquiſitione facta Bernardo integram fidem habuiſſe dicantur. At quis credat Hincmarum qui Monaſticem fuerat profeſſus, ſæpiuſque Altivillarenſe Cœnobium a deceſſore ſuo fundatum inviſerat, earum legum notitiam non habuiſſe, quæ Altivillarenſibus ceteriſque Columbani diſcipulis fuerant impoſitæ? Abſit ergo ut tanta Concilii Patribus irrogata injuria, eos ex ſola Bernardi relatione fundationem Solemniacenſis Monaſterii didiciſſe credamus. Etſi namque in Normannorum Aquitanica graſſatione perierit originale diploma, exemplaria ſuperfuere quibus fides haberi, quæque Synodo exhiberi potuerunt, cum ad noſtra tempora integra reſtent. Præterquam quod ſuperiorum temporum extabant adhuc hiſtoriæ in his ſaltem provinciis, in quas ſeptemtrionales populi non irruperant, ex quibus modus vivendi Columbani diſcipulis præſcriptus addiſci faciilime potuit.

Non deſunt tamen auctores Normannorum irruptionibus antiquiores quos proferamus; Anonymus ſcilicet in vita S. Salabergæ, Audoenus in vita S. Eligii, ipſemet Eligius, Nivardus & alii, qui uno conſenſu aut in Sanctorum actis, aut in Monaſteriorum fundationibus eadem Monaſteria Regulæ ſanctorum Benedicti & Columbani ſæpius addicunt; quibus auctoribus nullatenus Jonas eſt præferendus aut opponendus, cum nullibi deneget id quod auctores ſupra citati affirmant: quin imo, ſi quid Jonas omiſit, id ex aliis ſupplendum; neque in ejus ſilentio principia quærenda, quibus aperta veritas impugnetur, actaque ſincera deleantur. Legit Almannus Altivillarenſis Monachus opera Jonæ; & antequam Normanni Remenſem Campaniam diriperent legit privilegia ſuo Monaſterio a Remenſibus Epiſcopis data, ſcriptumque reliquit ſanctum Nivardum locellum Berchario dediſſe, *ubi cum Fratribus ſuis ſecundum Regulam Patrum Benedicti & Columbani vivere deberent.* tom.3 ann. ad an. 662. n. 7.

Hoc ipſum iiſdemque terminis Flodoardus litteris mandavit, ut ſupra vidimus, Ibid. n. 5. Ipſius autem auctoritas circa hanc qua de agimus quæſtionem quanti ſit facienda videant; Remenſe namque & Altivillarenſe tabularia vidit, eoque amore eaque veneratione S. Columbanum, & S. Attalum ejus diſcipulum coluit, ut eorum acta a Jona ſoluta oratione compoſita, ſtricta reddiderit, quod tanta fidelitate, ſinceritate tanta perfecit,

fecit, ut nulla interpolatione immutaverit Jonæ ſententiam. Qui vero fieri poteſt ut vir tantus, qui toties Jonæ opera revolvit ut ea verſibus exararet, in iis numquam viderit, quod primo intuitu deprehendit Annalium auctor? Quis etiam ſibi perſuadeat tam eruditum vitæ S. Columbani ſcriptorem non ſolum ignoraſſe, quibus legibus Columbanus ipſiuſque diſcipuli paruerint; verum etiam adeo aberraſſe, ut licet propriis tantummodo vixerint inſtitutis, eos Benedictinæ Regulæ addictos affirmaverit? quod tam a vero videtur alienum, ut confutatione non indigeat.

Iiſdem inſtitutis addictum Monaſterium Corbejenſe.

CAPUT VI.

LICET ſuperioribus capitulis cum ex auctore vitæ S. Salabergæ, tum ex ſanctis Deſiderio, Audoeno, Nivardo & Flodoardo cumulate probaverim, omnia Monaſteria qua ætate Walberti Luxovienſis Abbatis originem habuere, inter Benedictina fuiſſe numeranda, nullaque proinde quæſtio movenda remaneat de Regula quam omnes Monachi ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto ad annum ſexcenteſimum octuageſimum ſervavere: attamen ad majorem propugnatæ veritatis elucidationem de Corbejenſis Monaſterii fundatione iterum agam.

Tertio Annalium tomo ad annum ſexcenteſimum ſexageſimum ſecundum Francorum Annaliſta privilegium Bertefridi Ambianenſis Epiſcopi pro Corbejenſi Monaſterio datum immiſcuit, quo ſancitur, *ut Corbejenſes Monachi ſub Regula S. Benedicti vel S. Columbani converſari & vivere debeant*. Sed cum hac auctoritate omnes ipſius rationes, omnia momenta quibus ſuam ſuſtentat opinionem penitus ruant, tria valida manu tela in illud immiſit atque vibravit, quo facilius illud deleret & penitus exſcinderet. *Tria potiſſimum tela*, inquit, *vibrari poſſunt adverſus hoc privilegium .... primo Corbejenſes Monachi dicuntur vivere ſub Regula S. Benedicti vel S. Columbani, idque caret omni veriſimilitudine; quoniam Teudefridus qui primus Abbas Corbejenſis extitit, Luxevio ubi ſola S. Columbani Regula ſervabatur, Corbejam miſſus eſt a Vualberto ſeu Gualberto tertio Abbate Luxovienſi, ut illorum temporum ſcriptor in vita S. Bathildis teſtatur.* (n. 21. & 22.)

Primum hocce telum R. P. D. Joannes Mabillon ſecundo Benedictino Sæculo viribus ex Pariſienſi Concilio ſumptis adeo valide in auctorem retorſit, ut nondum ex inflicto vulnere eductum appareat: etſi namque R. Pater Cointius quarto Annalium tomo (ad an. 734.) Domnum Joannem Mabillon multis impugnaverit, nec unicum quidem verbum protulit, quo ſuam de Corbejenſi Monaſterio ſententiam firmaret; prudenter proculdubio, quippe qui ſatius duxit veritatem cognitam ſilere, quam ipſam ulterius oppugnare. Quid enim opponeret Concilii Patribus ex omnibus Galliarum provinciis coactis, qui Benedictinam Regulam ab initio fundati Corbejenſis Monaſterii in eo receptam dixere. *Sicut comperimus*, inquiunt, *ipſe locus a venerabili Bathilde Regina, Clotario filio ſuo impetrante, a ſanctis viris fundatus eſt, & ſacræ Religionis normam, quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit, in tantum ut eos qui ſe fundaverunt, non tantum æquaverit religione, ſed etiam pene ſuperaverit.* (Sirmond. t. 3. Conc. Gall.)

Ne lectorem novis inductionibus onerem, unicum hic ſubjiciam argumentum. Regula quam ſervabant Monachi Corbejenſes anno ſalutis octingenteſimo quadrageſimo ſexto, eadem erat quæ initio fundati Monaſterii ipſis fuerat impoſita ex Patribus Concilii, ſecundum quos *ſacræ Religionis normam quam primo tempore ſuſcepit, inviolatam deinceps retinuit*: atqui Corbejenſes Monachi Regulam Benedictinam ſervabant anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto, ut ex eodem Concilio patet. Ergo ex Patribus Concilii Pariſienſis anno octingenteſimo quadrageſimo ſexto celebrati Corbejenſes Monachi ab initio fundati ipſorum Monaſterii Benedictinam Regulam ſervavere. Columbani quoque Regulam ad annum octingenteſimum quadrageſimum ſextum in ipſo Corbejenſi Cœnobio ſervatam ex Orderico Vitali didicimus, qui lib. 8. Normannorum hiſtoriæ narrat ſanctorum Euſtaſii, Agili, Faronis, &c. ſequaces ad annum centeſimum ſupra milleſimum eas obſervationes, quas ab iiſdem Columbani diſcipulis acceperant, ſumma obſervantia coluiſſe.

Secundum tertiumque telum ex eo conficiuntur, quod non omnes qui initio dicti privilegii nominantur, in eodem reperiantur inſcripti; & quod e contrario aliqui ſubſcripſerint qui initio nominati non fuere. Sed cum nihilominus fateatur datum eodem anno privilegium, & aliunde vibrata hæc duo tela aſſertionem meam minime lædant, ab eis rejiciendis ulterius abſtineo, alibi forte de iis acturus. Patietur tamen lector libentiſſime, ni fallor, ut de ſubſcriptionibus, quibus examinandis multum occupantur auctores, aliquid dicam.

Namque mihi certiſſimum videtur, non omnes qui ſubſcripti reperiuntur diverſis in chartis, ſimul eodemque tempore ſua nomina dediſſe. Cujuſce rei exemplum videre eſt in Corbejenſi privilegio. Hi enim omnes quorum nomina initio privilegii poſita non fuere, ſubſcripſiſſe videntur poſt editum privilegium, cum videlicet dedicata fuit Corbejenſis Eccleſia; quod ex Chronico ejuſdem Monaſterii anno ſexcenteſimo ſexageſi-

geſimo tertio, poſt datum ſcilicet privilegium de quo agimus, contigit. Immo videtur Bertefridum Epiſcopum aliosque initio nominatos Epiſcopos voluiſſe, ut omnes abſentes Epiſcopi etiam ſucceſſive, ſi fieri poſſet, datum privilegium ſuis ſubſcriptionibus ſtabilirent atque firmarent: *quam definitionem*, inquiunt, *conſtitutionis noſtræ, ut noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roboravimus, & Coepiſcopos Domnos & Fratres noſtros rogamus, ut ipſum in omnibus confirmare debeant*. Hoc ipſum imitati fuere Pariſienſis Concilii Patres, de quibus ſupra in Corbejenſium privilegiorum confirmatione. *Obſecramus etiam*, inquiunt, *Fratres & Coepiſcopos noſtros per adventum Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *& noſtræ Congregationis in ipſum; ſed & religioſos Abbates qui ad hanc ſanctam & beatam Synodum non occurrerunt, in quorum manus hujus privilegii a nobis editi & corroborati pagina pervenerit, ut ſua auctoritate & ſubſcriptione hoc confirmare non differant*. Maneat ergo ſupplendas quidem ſubſcriptiones, quæ negligentia quadam videntur omiſſæ, ſed nullas omnino abradendas, neque delendas, cum poſteriorum temporum Epiſcopi & Abbates intemerato privilegio ejque confirmato ſubſcribere potuerint, quod pluribus aliis contingere potuit. Hac de cauſa in antiquiſſimis chartarum monumentis (quod etiamnum obſervare poſſumus) inter ſubſcriptiones teſtium chartarum confectioni adſtantium & inſcriptionem anni quo data ſunt diplomata, ſpatium aliquod ſcriptura vacuum de induſtria relictum apparet, in quo videlicet ſubſequentes Epiſcopi nullo falſitatis periculo ſubſignare poſſent, non ut ſuam præſentiam teſtarentur, ſed ut datum confectumque privilegium iterum ſua auctoritate firmarent atque corroborarent; quod ab omnibus Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis ubicumque terrarum variiſque temporibus præſtari poteſt.

Regulam S. Benedicti ob ſui præſtantiam Regulæ ſanctæ nomine cenſeri.

CAPUT VII.

EX integro iterum probandum ſuſcipio, Benedictina fuiſſe Monaſterii Corbejenſis primordia, etiamſi expuncta maneant quæ delenda R. Pater voluit. Abraſum enim aliqua ſui parte privilegium, & ex alia interpolatum, ut videre eſt in Francorum Annalibus, iterum S. Benedictum appellat ac nominat, & Corbejam a ſui ipſius initio Benedictinam Regulam ſuſcepiſſe notiſſimum facit: in eo namque iterum legitur, Bertefridum ipſum condidiſſe privilegium, *ut quieti ſub Regula ſancta ipſi Monachi vivere debeant*. Quæ verba a nullo deleri poſſe puto, cum Clotharius Rex in ipſius Monaſterii fundatione Annalibus inſerta Corbejenſe Monaſterium ædificatum dicat, *ut Monachi ſub ſancta Regula ibidem debeant converſari*. Ea ergo Regula quæ ſancta Regula vocatur, Corbejenſibus Monachis primitus eſt impoſita, eaque ſub Theodefrido Abbate ſervata. *Monaſterium*, inquit Clotharius Rex, *ubi præeſt venerabilis vir Theodefridus Abbas, pro æterni numinis intuitu ædificari præcepimus, ut Monachi ſub ſancta Regula ibidem debeant converſari*. [tom. 3. ad ann. 657. n. 13.]

Hoc poſito ad plenam veritatis quam aſſero probationem ſufficiet, ſi probavero Columbani Regulam ſanctæ Regulæ nomine apud ſcriptores, qui S. Walberti ætate florebant, deſignatam non eſſe, ſolamque Benedictinam eam denominationem ab auctoribus meruiſſe. Quod probatu non eſt difficile, cum ſupra oſtenderim ex Audoeno hoc ſolum fuiſſe diſcriminis inter Monaſteria Columbano antiquiora, & ea quæ cum ab ipſo, tum ab ejus diſcipulis ædificata fuere, quod hæc *diſtrictionem ſanctæ Regulæ ſolerter tenerent*; cetera vero negligentius eam ſervarent.

Sed ut ad hominem loquar, pluribus probat antiquorum Ordinum Conditor novus, Fontanellenſe, & S. Baſoli Cœnobia ſub alia quam S. Columbani Regula condita fuiſſe. Quæ vero fuerit ea quam S. Vandregiſilus fuit amplexus, Anonymus ipſius vitæ auctor explicat his verbis: *Quærebat locum*, inquit, *ubi ei Dominus demonſtraret, qualiter ſub ſancta Regula degeret vitam*, & Flodoardus in Annalibus Francorum; *immunitatem quoque ipſis Monachis ſub Perrone Abbate* (in Monaſterio S. Baſoli) *ſervientibus inſtituit* Nivardus Remenſis *Epiſcopus, ut nullus eccleſiaſticorum judicum indebite in aliquo eos inquietare præſumeret, ſed eis quieto ordine ſub ſancta Regula vivere, & Deo ſervire liceret*. [Sæc. 2. Bened. ad ann. 667. n. 13. p. 526. ad ann. 662. n. 9.]

Dicent his omnibus in locis Regulam ſanctam generice ſumi pro quacumque Regula ab Eccleſia aut tolerata, aut approbata, quæ ſane ſancta dici potuit. Fateor equidem nullam eſſe Regulam ex his quæ ſummorum Pontificum approbationem quocumque modo meruere, quæ ſancta non poſſit dici aut debeat. Sed locis citatis aliquam ſpecialem ſignificari Regulam nullus negabit. Quis enim Aigradi verba in vita S. Anſberti Annalibus immixta, de alia quam de ſingulari, ſpecifica & proprie dicta Regula interpretari poteſt? *Pervenit Anſbertus ad Fontanellam Cœnobium ſitum in territorio Rotomagenſi, ſuper magnum fluvium Sequanæ, ubi Sacerdos Domini magnus Vvandregiſilus Monaſterium conſtruxerat, atque cum magna Monachorum coborte ſub ſanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam*. Et hæc S. Audoeni in vita S. Eligii: *Tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidi*, &c. [tom. 3. ann. ad ann. 660. n. 16.]

Quædam ergo fuit Regula, quæ abſolute ſancta Regula vulgo dicebatur, quæque diffe-

Digitized by Google

ferebat a Columbani Regula; ipſaque ſaltem ſuperior erat atque generalior; nulla vero hoc honoris titulo atque charactere decorari poteſt præter Benedictinam, quæ ſub hac
Cap. 65. Reg. denominatione prodiit in lucem, eam namque S. Benedictus ſanctam nominat. *Qui præpoſitus*, inquit, *ſi repertus fuerit vitioſus aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur uſque quater*. Nec immerito eam ſanctam nuncupat, cum eam eſſe divinitus dictatam aſſerat Concilium ad Theodonis-villam. *Per*
ad ann. 844. *loca etiam monaſtica*, inquit, *ejuſdem Ordinis proviſorem neceſſe erit diſponere, cum veſtra auctoritas eos qui vices Chriſti ſecundum Regulam divinitus dictatam in Monaſteriis agunt, ſtuduerit ordinare*.

Non ergo mirum videri debet, ſi ipſa etiam Concilia Benedictinam Regulam, abſolute ſanctam Regulam dixerint & appellaverint. *Decernimus*, inquiunt Patres Conc.
anno 813. Mogunt. *ſicuti ſancta Regula dicit, ut Monaſterium ubi fieri poſſit, per decanos ordinetur, quia illi præpoſiti ſæpe in elationem incidunt*: quæ ultima verba ex mox citato Benedictinæ Regulæ capite fuere deſumpta. Sed ne aliunde explicationes mutuemur, ipſum Con-
Cap. 11. cilium iterum audiamus. *Abbates cenſuimus*, inquiunt, *ita pleniter vivere, ſicut palam*
Cap. 3. *nobis omnibus promiſerunt, ideſt, ſecundum doctrinam ſanctæ Regulæ Benedicti*.

Eodem ſenſu locuti antea fuerant Patres Concilii Sueſſionenſis anno 744. celebrati, cum juſſere, *ut Ordo Monachorum vel ancillarum Dei ſecundum Regulam ſanctam ſtabilis permaneat*. Quid vero intelligendum ſit per Regulam ſanctam, Concilia Liptinenſe & Ger-
anno 743. 744. manicum explicant, cum volunt, *ut Monachi & ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulam S. Benedicti Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare & vivere ſtudeant*. Quapropter cum Theodonis-villæ Concilium, Benedictinam, abſolute Regulam a S. Spiritu dictatam, Moguntiacum vero & Sueſſionenſe, eamdem prætermiſſo Benedicti nomine, nullaque adhibita explicatione, aut limitatione ſanctam Regulam nominent, dicendum eamdem Benedicti Regulam, cum apud antiquiores auctores, tum apud omnes communi, ut alias dixi, loquendi conſuetudine ſanctæ Regulæ nomine notam vocatamque fuiſſe, quod nonniſi quotidiano & diuturno loquendi uſu fieri potuit. Propterea nullo erroris periculo Aigradum ſupra citatum, eodem ſenſu quo Concilia fuiſſe elocutum affirmare poſſumus, tum vel maxime, cum dixit S. Vandregiſilum cum magna Monachorum cohorte ſub ſanctæ Regulæ jugo vixiſſe.

Eamdem loquendi formulam adhibuit auctor Vitæ S. Richmiri, cum ſcripſit, eum-
tom. 4. ann. ad ann. 685. n. 13. dem Sanctum *Monachos ſub ſancta Regula* congregaſſe, & ab Epiſcopo petiiſſe *locum, in quo cellulam ſub ſancta Regula ædificare poſſet*: quem etiam invitum Gilbertus Epiſcopus Cenomanenſis præfecit Monaſterio ſancti Albini, *in quo Sanctimoniales ſub Regula pii Patris Benedicti viventes poſuerat*. Eadem eſt ergo & eodem auctore Regula ſancta quæ S. Benedicti Regula.

Eodem quoque ſenſu ſcripſere Flodoardus, Audoenus, Nivardus, ut vidimus ſupra, & Clotharius Rex cum alibi, tum in fundatione Monaſterii inſulæ Germanicæ, ubi teſtatur quod in ea Monachi ſub ſancta Regula vivebant, quibus annumerari poteſt &
In ejus Vita Sæc. 2. Bened. ipſe Jonas, qui de beato Bertulfo loquens: *Ad venerabilem virum*, inquit, *Euſtaſium perrexit, quo diu ſubjectus ſanctæ Regulæ, religionique, gratus omnibus manſit*. Cum enim iſti omnes auctores eodem modo de regula ſancta quo ſuperiores Synodi fuerint locuti, & continuata ſerie Sanctorum Acta poſteris mandaverint, neceſſe eſt ut pariter de eadem S. Benedicti Regula explicentur, & eamdem ſubintellexiſſe cenſeantur.

His auctoribus extranei ſcriptores mihi conjungendi videntur, qui eodem ſenſu quo Galli ſcripſere. Sanctus enim Eleutherius in privilegio dato ſancti Adelmi Monaſterio
Apud Malmesb. lib. 1. de geſtis Ang. c. 2. ad ann. 675. *Prædictorum Abbatum precibus annuens*, inquit, *ipſe locum tam ſibi, quam ſucceſſoribus ſuis normam ſanctæ Regulæ ſolerti devotione ſequentibus ultro concedo*. At ſanctum Adelmum Benedictinum fuiſſe quis dubitat?

Lib. 6. hiſt. Longob. c. 40. Paulus diaconus loquens de ſancto Petronace: *Multorum*, inquit, *ibi* (in Monaſterio Caſſinenſi) *Monachorum nobilium & mediocrium ad ſe concurrentium Pater effectus ſub ſanctæ Regulæ jugo, & beati Benedicti inſtitutione reparatis habitaculis agere cœpit*. B. Abbas
Apud Angelum de Nuce in notis ad Chron. Caſſ. n. 387. Monaſterii apud Fundanam urbem in epiſtola ad Simplicium Caſſinenſem Abbatem, non multo poſt mortem ſancti Benedicti ſcripta: *Quam Regulam*, inquit, *cupientes obſervare inviolabiliter, decrevimus ad ſanctitatem veſtram deſtinare religioſos ex eadem Congregatione viros Hugonem & Paulum Fratres noſtros juxta prædictam ſanctam Regulam & obſervantiam penitus inſtruendos in Caſſinenſi ſancta Congregatione*. Ex quibus inferendum relinquo, Benedictinam Regulam a ſua ipſius promulgatione ſanctæ Regulæ denominationem accepiſſe, eamque ad Flodoardi tempora nulli communicatam ſervaſſe. Licet enim plures Regulæ ſanctæ dici potuerint, & reipſa ſanctæ denominatæ fuerint, nulli tamen id honoris conceſſum eſt unquam, ut abſolute ſancta Regula denominaretur, ut dictum eſt pluries.

Eam-

Eamdem crebro antiquitus ſanctorum Patrum Regulam vocatam eſſe.

CAPUT VIII.

QUÆ ſupra diximus non quidem certiora, ſed tamen evidentiora fient ex conſideratione ſequentis formulæ, quæ in Corbejenſi privilegio continetur. *Ut monachi ibi degentes*, inquit Bertefridus Epiſcopus Ambianenſis, *ſub Regula ſanctorum* tom. 3. ad ann. 662. n. *Patrum quiete converſari poſſint, hoc privilegium plena voluntate una cum conſenſu Fratrum* 20. *meorum conceſſiſſe, vel indulſiſſe viſus ſum*. Ex quibus verbis Regulam ſanctorum Patrum Corbejenſibus Monachis præſcriptam diſcimus, quænam vero ſit, & cui auctori tribuenda SS. Patrum Regula videamus.

Regula S. Benedicti triplici ratione SS. Patrum Regula dici poteſt, primo quia *S. Benedictus Regulam, quæ ſpiritualibus hominibus eſſet accommodata, e Sanctorum vitis, Spiritu ſancto docente & oſtendente, condiderat*, ut refert ſancta Hildegardis in Vita S. Diſibodi, Hoc ipſum clarius dixit S. Benedictus Anianæ Abbas. *Cœpi*, inquit, *Sanctorum* In Præfat. *Vitas Regulaſque legere Patrum, quas dum ſagaci intentione percurrerem, & eadem pene* Concordiæ *quæ a ſancto Benedicto, prolata ſunt verba in quibuſdam locis, in quibuſdam vero ſenſum co-* Reg. *gnoſcerem, occurrit animo ea quæ a tepidis, ſegnibuſque Monachis dici aſſolent: Quid cetera huic conferunt Regulæ? quid ad me quas non promiſi pertinet legere? Et hæc quidem dicunt ignorantes beatum Benedictum ſuam a ceteris aſſumpſiſſe Regulam, & veluti e manipulis unum ſtrenue contraxiſſe manipulum*.

2. Quia Benedictina Regula multum a ſanctis Patribus eſt commendata, & Monachis ad recte vivendum tradita, *Accipe*, inquit Ordo Romanus, *Regulam a ſanctis Patribus no-* Bibliot. PP. *bis traditam .... accipe monaſticæ converſationis Regulam*. tom.

3. Sanctorum Patrum Regula dicitur ex adjuncta ſibi ſancti Columbani, aut ſancti Cæſarii, aut utriuſque Regula. *Ut Monachi*, inquit Bertefridus, *ibidem degentes ſub Regula SS. Patrum quieti converſari poſſent*; & S. Nivardus, *Dum omnes Epiſcopi Fratres mei .... Monaſteria ſecundum Regulam ſanctorum Patrum ædificare non ceſſarent*. Sed clarius id explicat auctor Vitæ S. Præjecti. *Monaſterium*, inquit...... *fabricare adorſus eſt* tom. 4. ann. (S. Geneſius) *ex Regula dumtaxat virorum ſanctorum, id eſt ſancti Benedicti, & S. Cæſa-* ad ann. 665. *ri atque Columbani*. n. 7.

Regulam Columbani a Benedictina ſejunctam numquam SS. Patrum Regulam fuiſſe nominatam contendit Annalium ſcriptor: hinc enim eſt, quod eamdem Columbani Regulam a S. Vvandregiſilo ſervatam non eſſe dixerit; quia ex Aigrado ſanctus Lambertus *qui regiminis ſuſceperat curam, ad conſueta ſancti Patris Anſberti in tractando grege Domini ſecundum normam ſanctorum Patrum ſtrenue cuncta atque irreprehenſibiliter ge-* tom. 4. ad *rebat*; id eſt, quia in Fontanella Cœnobio SS. Patrum Regula ſervabatur, quam a S. ann. 734. Columbani Regula diſtinguendam eſſe concedit, & pluribus probat. At Benedicti Re- n. 49. gula ipſiſſimam eſſe ſanctorum Patrum Regulam quæ ab anno ſexcenteſimo vigeſimo quinto ſervata fuit, eadem quæ hoc ipſo capite retuli, Sanctorum teſtimonia, Ordiniſque Romani mandata teſtantur; nec ſolum in Galliis hoc nomine vocabatur, ſed cum in Italia, tum in Anglia, ut ex Beda in S. Vvilfridi Epitaphio convincimus, fertur enim eumdem Sanctum SS. Patrum Regulam, id eſt, Benedictinam Regulam Beda lib. 5. plurimos docuiſſe. cap. 20.

Inque locis iſtis Monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cavit quæ Regula Patrum
Sedulus inſtituit.

Per SS. Patrum Regulam, hic Benedictinam intelligi certum eſt ex Guillelmo Malmeſburienſi. S. Vvilfridus, inquit, jam ſenex in publico concilio adverſariis ſuis ingratitudinem exprobrans, tria a ſe peracta exprimit, ſe primum fuiſſe qui verum Paſcha in Northumbria Scotis ejectis docuerit, qui cantus eccleſiaſticos antiphonatim inſtituerit, qui ſanctiſſimi Benedicti Regulam a Monachis obſervari juſſerit. Ea propter quoties SS. Patrum Regulæ mentionem fieri cernimus ex eo tempore quo in Galliis Benedicti Regula recepta fuit, toties dicendum de S. Benedicti regulari inſtituto ſermonem haberi, niſi aliud certo aliunde conſtet: eam enim ita nominari ſolitam ex Sueſſionenſi privilegio iterum diſcimus, in quo expreſſis verbis quænam ſit SS. Patrum Regula notatur & explicatur.

Sancto igitur amore ſuccenſi (Ebroinus ſcilicet major domus, Leutrudis ejus uxor, & Bovo eorum filius, inquit S. Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus, *intra Cœnobii ſepta baſilicas conſtruxerunt, ubi puellæ virgines ac Deo ſacratæ Æteria Abbatiſſa relicta ſæculi pompa ſub Regula beatiſſimorum Patrum ad Laudes Chriſti diu noctuque canendas*. Ut vero nullam errandi occaſionem præbeat, ſuam de SS. Patrum Regula mentem ſequentibus verbis aperit, *quod nos tractantes .... benevola deliberatione hoc privilegium in Dei nomine ad prædictum Monaſterium tribuendum indulſimus, quo ..... ut intra Monaſterium virgines & caſtæ debeant Deo militare ſecundum Regulam Sancti Benedicti ..... & ad modum Luxovienſis Monaſterii quod B. Columbanus tenuit*. Neque ibi confugiendum ad ſolitas

Digitized by Google

abraſiones, oculatum enim teſtem viſi privilegii producimus, ſcilicet R. P. Claudium Dormey Canonicum Regularem in Annalibus aliquando citatum, qui illud in ſua Sueſſionenſi hiſtoria ex inſpecta originali charta deſcripſit, omiſſis tantum quibuſdam verbis, quæ præ vetuſtate legi non potuere: neque fingenda aliqua regularis mutatio apud eaſdem Moniales, quæ ab ipſis baſilicarum initiis privilegium accepere. Fuit enim editum anno quarto Clotarii Regis, ſexto Cal. Jul. quo anno ejuſdem Cœnobii primordia figenda ſunt.

Quibus ita conſtitutis, abraſum Benedicti nomen ubique reſtituendum, & iterum exſcribendum, cum SS. Patrum Regula, de qua in Privilegiis Altivillarenſi & Corbejenſi, ſolam ſanctorum Benedicti & Columbani Regulam importare videatur. Nihil etiam ſupereſt difficultatis in aſſerenda deſignandaque Regula, quam in Fontanellenſi Cœnobio S. Vandregiſilus inſtituit: cum enim una eademque ſit Benedictina, ſancta ſanctorumque Patrum Regula, quiſnam Aigradum vitæ S. Anſberti auctorem de eadem locutum eſſe vocaturus eſt in dubium? cum dicat quod *Vandregiſilus Monaſterium conſtruxerat, atque cum magna Monachorum coborte ſub ſanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam*; cum iterum narret, *quod is ſanctus* ſcilicet Lambertus, *qui regiminis ſuſceperat curam, ad conſulta S. Patris Anſberti in tractando grege Domini normam SS. Patrum ſtrenue cuncta atque irreprehenſibiliter gerebat*; & cum tandem aſſerat S. Anſbertum voluiſſe, *ut ſicut ſub ejus regimine, ita inantea ipſi & poſteri eorum ſecundum Regulam S. Patris Benedicti fideliter Chriſto deſervirent*.

Sæc. 2. Bened. in vita S. Ansb. n. 8. Ib. n. 14. Ib. n. 27.

His tribus in locis unam eademque ſervatam Regulam Aigradus affirmat, quam primo ſub S. Vandregiſilo ſanctam Regulam, ſub ſancto Lamberto normam SS. Patrum, tertio expreſſius ſub Ansberto, cujus geſta Aigradus deſcribit, ſancti Benedicti Regulam nominat, diverſimode locutus non ad Regularum multiplicitatem inducendam, ſed ad variandam orationem: niſi velint S. Ansbertum adeo mutabili variaque ſanctitate præditum fuiſſe, ut primo ſub ſancta Regula in S. Vandregiſili Monaſterio profeſſionem emiſerit, S. Lambertum Vandregiſili ſucceſſorem ad inducendam SS. Patrum Regulam compulerit, ipſe vero relictis prioribus Regulis Benedictinam acceperit, ſanctorumque Vvandregiſili & Lamberti diſcipulis ſervandam tradiderit: quod adeo ab ipſa etiam veriſimilitudine abhorret, ut ab hac opinione confutanda prorſus abſtineam. Abſit enim a ſanctiſſimo viro ſanctorumque Magiſtro, ut diverſas ſibi vivendi leges nulla neceſſitate cogente aſſumpſerit, hacque Regularum mutatione ſanctiſſimum Monaſterium, novis ſemper inſtitutis, novaque vivendi ratione immutaverit.

Decreveram hic alia R. Patris errata in eradendis ſanctorum Vandregiſili, Audomari, Bavonis, Amandi, Remacli, &c. nominibus ex Benedictinorum albo commiſſa notare, ſed ea R. P. Joanni Mabillon, cujus intereſt, examinanda relinquo, præter quam quod omnes prorſus his de rebus errores ſola veritatis luce ereptos exiſtimo.

S. Euſtaſium prima Luxovienſis Monaſterii Inſtituta numquam immutaſſe, ſed a converſionis initio ad mortem uſque ſub SS. Benedicti & Columbani Regula militaſſe.

CAPUT IX.

Si mihi cum ſolo R. Patre Cointio res eſſet, neque timerem ne tandem ad confictam regularis obſervantiæ mutationem ſub Euſtaſio Abbate factam confugeret, omnem pene controverſiam quæ inter nos verſatur, uno aut altero verbo dirimerem. Cum enim ex ipſo eamdem Regulam Columbanus ipſiuſque diſcipuli tenuerint, Benedictinamque S. Vandregiſilus Romanique proinde Cœnobii Monachi profeſſi fuerint, neque diverſam habuerint Theodorici, ſanctique Baſoli Aſcetæ, qui S. Regulam ſub Nivardo Remenſium Epiſcopo profitebantur; nonne certo concludemus cum Luxovienſe, tum Romanum ceteraque ejuſdem inſtituti Cœnobia Benedictinæ Regulæ addicta fuiſſe, eamdemque in Galliis floruiſſe, multo antequam Luxovienſe & Fontanellenſe Aſceteria conderentur? Sed ut aliis faciam ſatis, & omnes effugiorum exitus præcludam, ulterius ad veritatem ſtabiliendam progredior.

Vir doctus, cujus nomen reticeo, antiquorum auctorum pondere, rationumque luce, quibus meam ſententiam illuſtro, antea adeo convictus fuit & perſuaſus, ut non modo ultro conceſſerit, ſed probaverit etiam omnia Columbani Monaſteria ſub ipſius diſcipulis Benedictina fuiſſe: ſed cum aliunde crederet ipſum Columbanum, non aliena, ſed propria vixiſſe Regula, viam quamdam conciliandæ utriuſque opinionis adinvenit. Cum enim in actis S. Euſtaſii apud Jonam legiſſet, Agreſtium Luxovienſem Monachum ſanctum Euſtaſium vehementius inſectatum fuiſſe, & in Columbani Regulam acerbius invectum, quoſdam Epiſcopos in ſuam traduxiſſe ſententiam, adeo ut eorum precibus acrique contentione juſſu regio coactum fuerit Matiſconenſe Concilium, ut accuſationis quam factitarat Agreſtius argumenta diligentius expenderentur. Cumque nullum videret Concilii Canonem, ſententiam nullam, nullum decretum quo Columbani Regula, aut approbaretur, aut Agreſtii calumnia coerceretur, facile ſibi perſuaſit vir eruditus, Euſtaſium peracto Concilio, ut ſcandalum de tonſura inuſitata aliiſque accuſationis capitibus ple-

pleniſſime ſopiret atque ſedaret, Benedictinam Regulam cum Columbani inſtitutis quantocius conjunxiſſe. Hincque contigiſſe credidit, ut ſtatim a Concilio per Galliam univerſam Monachorum examina ex Regula SS. Patrum Benedicti & Columbani pullularint, quod præclarum commentum ex prolixiori diſcuſſione paucis confuto.

Tria fuere accuſationis capita, quibus Agreſtius Euſtaſium, & Columbani Regulam invaſit, & oppugnavit. Primum ex cocleæ crebra crucis ſignatione & multiplici benedictione, tam introeundo, quam egrediendo petenda, deſumptum fuit, quam accuſationem non ſolum rejecere, ſed & riſere Concilii Patres. *Cumque nihil dignum*, inquit Jonas, *ſynodalibus aſſertionibus objici cernerent, alia, inquiunt, ſi habet opponat.*

Jonas in vita S. Euſtaſii num. 10. Sæc. 2. Bened.

Secundo, Agreſtius prorupit dicens ſe ſcire Columbanum a ceterorum more deſciſcere, & ipſum Miſſarum ſolemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare, & multa alia ſuperflua. At objectam collectarum multiplicationem virtuti, non crimini dari debere clare probavit Euſtaſius. *Multiplicationem orationum*, inquit, *in ſacris officiis credo omnibus proficere Eccleſiis; cum enim plus Dominus quæritur, plus invenitur . . . . . nihil enim tam utile tamque ſalubre quam creatorem multiplicatione precum & aſſiduitate orationum pulſare*: quæ Euſtaſii ſententia ab Eccleſiæ univerſitate quæ multoties collectas multiplicandas decernit, probata fuit atque recepta.

Ib. n. 11.

Tertio & ultimo, tonſuram inuſitatam Agreſtius objecit. *Addidit*, inquit Jonas, *garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere exprimi, & ab omnium more deſciſci*. Quam accuſationem non auctoritate, non ratione, ſed miraculo diſſolvit Euſtaſius, diemque Agreſtio dixit intra annum coram omnium judice Deo. *Horum*, inquit, *in præſentia ſacerdotum te ego ejus diſcipulus & ſucceſſor, cujus tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad divinum judicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſas dicturum invito, ut juſti judicii examine vindictam ſentias, cujus famulum tuis detractionibus maculare procuras*: & inferius. *Cumque idem Agreſtius ſæpius ſibi pœnitentiæ locum datum non cognoviſſet, ut Euſtaſii ſententia ad judicium invitantis prævaleret, ante triginta dierum circulum, quam vertentis anni meta verteretur, a ſervo ſuo quem redemerat, ſecuri percuſſus interiit.*

Ib. n. 11. n. 16.

Quæ cum ita ſint, nullam mutandæ Regulæ neceſſitatem Euſtaſio impoſitam fuiſſe, nullumque creatum ſcandalum de tonſura video, neque videri poſſe exiſtimo: cum tonſuram exprobrantem Agreſtium Deus illata morte coercuerit, & ejuſdem Agreſtii fautorem Warnacharium eadem pœna ſub Concilii initium plexerit. *Vvarnacharius namque*, inquit Jonas, *ſtatuto die quo adverſus Euſtaſium altercatio oriretur, ipſe morte præventus interiit*: quod Euſtaſii precibus contigiſſe idem Jonas affirmat: *ſed prævaluit*, inquit, *B. Euſtaſii deprecatio, ut qui auctor injuſtæ intentionis, & adſentator fieri vellet, correptus a Domino per eum omnium vires pangeret*. Duplici ergo miraculo firmata Regula mutanda non fuit, aut aliqua ſui parte plectenda, ut ita dicam, ſed potius confirmanda & in æternum ſervanda.

2. Si aliquo modo dimidiata Scotorum corona offenſi aut alienati fuiſſent Concilii Patres, non illico ad abjiciendam Columbani Regulam & ad alteram aſſumendam Euſtaſius ferri debuit; ſed ut commotos Patrum animos placidius ſedaret, ſola ipſi integra corona fuit deferenda, quod nullo Regulæ præjudicio, nulla diminutione, nulla alienæ Regulæ adjunctione poterat exequi: nihil enim de tonſuræ gerendæ modo S. Columbanus, nihil S. Benedictus aliquando ſtatuit aut definivit.

3. Eamdem Regulam, idem animarum regimen, eumdem vivendi modum quem a Columbano Euſtaſius didicerat, ad vitæ finem illibatum ſervavit: juſſerat enim Columbanus, *ut cohortem Fratrum diſciplinæ habenis Euſtaſius erudiret, multorumque collegia Chriſti plebem adunaret, ſuiſque inſtitutis educaret, quod adeo præclare præſtitit, ut nullus ſe beatum Columbanum perdidiſſe gemeret, qui ejus doctrinis imbutus fuiſſet, præſertim cum cernerent in diſcipulo magiſtri inſtituta manere; &* ſub vitæ finem viatico ſumpto, inquit Jonas, *animam reddidit & paternum regimen viventibus & religionis exemplum dimiſit.*

Jonas in vita S. Col. n. 61. ſæc. 2. Bened. ad an. 615.

Quapropter aut rejicienda penitus Jonæ auctoritas, aut fatendum, Euſtaſium nullum unquam diverſum vivendi genus ab eo quod à B. Columbano acceperat in Luxovienſe Monaſterium invexiſſe, quippe qui magiſtri inſtituta ad vitæ finem intemerata ſervavit, quique *ſumpto viatico parentum* a Columbano ſibi creditum regimen *viventibus dimiſit*: quale vero fuerit illud ipſum regimen a Columbano commiſſum Euſtaſio & ab eo dimiſſum viventibus, ex ſupradictis facile eſt dignoſcere: nullo enim modo diverſum eſſe potuit ab eo quod S. Eligius ſuo teſtamento in Solemniacenſe Monaſterium induxit, quodque cetera Monaſteria Walberti tempore condita recepere: non enim alio vivendi genere uſus eſt Euſtaſius, alio S. Walbertus, a quo Columbani regimen longius eſt propagatum; ſed uterque idem omnino inſtitutum eaſdemque vitæ monaſticæ leges tenuit, videlicet Regulam S. Benedicti & Columbani.

Digitized by Google

Monaſteria a S. Columbano, & ab ipſius diſcipulis ante annum ſexcenteſimum vigeſimum quintum exædificata, a ſuo ipſorum exordio Benedictinæ Regulæ addicta.

CAPUT X.

IISDEM nihilque immutatis legibus Cœnobia ſua Columbanum, Euſtaſium, Walbertum rexiſſe, eorumdem Monaſteriorum ſcriptæ fundationes evincunt: de quibuſdam quæ ſub Walberti regimine contigere ſuperius egimus, de aliis vero in hoc capitulo agemus breviter: licet enim pauca, ut ſupra vidimus, ante Walbertum extiterint Monachorum domicilia, pauciſſima vero ſuperſint diplomata & editi libri quæ eorumdem fundationes ſigillatim exponant, attamen reperiuntur nonnulla, quibus noſtram confirmemus opinionem. Etenim Clotarius Rex in eo diplomate quod in confirmationem prædictorum Beſuenſi Monaſterio ab Amalgario Duce collatorum edidit ex Valdaleni primi Beſuenſium Abbatis narratione primos fontis Beſuæ Monachos ſub Regula S. Benedicti & Columbani adunatos fuiſſe teſtatur. *Venerabilis vir Vualdalenus Abbas*, inquit, *ad præſentiam noſtram veniens gloriæ regni ſuggeſſit, quod genitor ſuus Amalgarius & genitrix ſua Aquilina quondam pro Dei amore Monaſterium nuncupatum fontem Beſuam in pago attuariorum ſuo opere in honore SS. Petri & Pauli ædificaſſent, & Monachos ibidem ſub Regula S. Columbani ſeu beati Benedicti adunaſſent.*

tom. 3. annal. ad ann. 663. nu. 1. Spicil. tom. 2.

Neque mihi metuendum, ne qui Walbertum ab Euſtaſio aut Columbano inſtitutis ſejungunt, vitiatam aut adjunctione S. Benedicti nominis interpolatam hujuſcemodi confirmationem opponant, cum ſimiles formulas admittant in variis Monaſteriorum chartis, ex iiſque ſuam opinionem tueantur, ut Walberti Cœnobia Benedictinis adjungant: præterquam quod integritas & ſinceritas auctoris Beſuenſis Chronici nullatenus patiantur, ut eum aut fuiſſe deceptum, aut poſteros decipere voluiſſe credamus: ſiquidem omnia deſcripta diplomata, in Beſuenſi tabulario vidit. Et ſi Benedicti nomen addidiſſet eo animo ut crederent poſteri, Beſuenſe Cœnobium a primo ſui conditu qui anno ſexcenteſimo contigit, contra rei veritatem Benedictinis legibus addictum fuiſſe, certe non dixiſſet initio Chronici, Amalgarium ſub B. Columbani Regula Monachos adunaſſe, ſed ibidem S. Benedicti nomen cum B. Columbani conjunxiſſet nomine, quo facilius ipſius opinio aliorum animos pervaderet. Sed e contrario vir minime fucatus, ſimpliciter dixit primos Beſuenſes Monachos ſub S. Columbani Regula vixiſſe, eo modo quo Ciſtercienſes ſub S. Bernardi inſtitutis degere dicuntur. Et in deſcribendo diplomate Benedicti nomen non duxit omittendum, ne contra hiſtoriæ leges ageret, quæ fidem deſiderant integram: nullibi tamen ſibi oppoſitus videri debet, quandoquidem Columbani Regula a Benedicti ſejuncta a nullo unquam obſervata fuit.

Neque ab alio quopiam in idem Chronicon Benedicti nomen invectum fuit, cum illud Lucas Dacherius ex autographo, ut ipſi videtur, in Bibliotheca regia ſervato deſcripſerit, & alius codex quem Francorum Annaliſta præ manibus habuit nihil a regio diverſum contineat, præter terminationem loci ubi data eſt charta.

In regio namque codice habetur actum Nemauſo, in alio vero, actum Nemauſa: quæ diverſitatis nota aperte convincit, ex alio quam e regio deſcriptum eſſe Annaliſtæ codicem, qui cum in ceteris cum Dacheriano conveniat, dicendum reſtat, hos tres codices ceteroſque omnes Benedicti nomen habuiſſe; niſi probaverint, aut exhibuerint alios qui nomine careant.

Hæc eadem veritas elici poteſt ex iis Regulis quæ in Juſſano Monaſterio viguere, triplicem enim Juſſanis Monialibus Walberti tempore impoſitam agnoſcunt, tunc videlicet, cum Donati Regulam recepere. Neque quæſtionem mihi moveant de nomine Regulæ, quam Donati fuiſſe ultro concedo. Quid enim refert quo nomine vocetur, dummodo inter nos conſtet hujuſcemodi Regulam, ex Regulis SS. Benedicti, Columbani, atque Cæſarii in modum centonis componi, majoremque Benedictini inſtituti partem complecti quod nullus negabit unquam, cum ipſa ex aliorum Regulis a S. Donato collecta fuerit, & auctor vitæ S. Præjecti hanc eamdem Regulam virorum ſanctorum Benedicti, Cæſarii & Columbani nominet. *Monaſterium ſanctarum virginum*, inquit, *ſuburbano præfatæ civitatis, cui Camelaria nomen inditum eſt, omni niſu atque conamine fabricare aggreſſus eſt, ex Regula dumtaxat virorum ſanctorum, id eſt, S. Benedicti, S. Cæſarii atque Columbani.*

tom. 3. annal. ad an. 665. nu. 7.

Utrum vero triplex illa Regula ab initio Juſſani Monaſterii Monialibus fuerit impoſita, nobis eſt inquirendum, & quantum ad me attinet, hoc exploratum eſſe ex Donati præfatione conjicio. *Sæpius mihi injungitis*, inquit Juſſanas Moniales alloquens, *ut explorata S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Regula quæ ſpecialius Chriſti virginibus dedicata eſt, una cum beatiſſimorum Benedicti quoque & Columbani Abbatum, ut puta quibuſdam, ut ita dixerim, collectis in unum floſculis ad inſtar Enchiridii excerpere vobis vel coacervare deberem, & quæ ſpecialius fœmineo ſexui cuſtodienda competerent promulgarem, dicentes quod Regulæ prædictorum Patrum vobis minime convenirent, cum eaſdem*

Digitized by Google

dem viris potius, & nequaquam fœminis edidiſſent. Et licet S. Cæſarius proprie Chriſti ut eſtis virginibus Regulam dedicaſſet, vobis tamen ob immutationem loci in nonnullis conditionibus minime conveniret. Ad hæc ergo implenda diu multumque reniſus ſum voluntati veſtræ, non ut pervicaciter durus, ſed mea conſcius impoſſibilitate retentus, dum multorum in hac re minus poſſibilitatem rei atque opportunitatem loci intelligentium judicium pertimeſco, ne me temere reprehendant, cur de tantorum Patrum inſtitutis audeam quidquam excipere vel mutare .... Germano tamen affectu .... quod bonis veſtris deſideriis placuit, cunctoque ſancto veſtro Collegio inter ſepta iſtius Monaſterii adunata ſuggeſtio flagitavit; ea quæ vobis expediunt, & loci opportunitas vel corporis poſſibilitas præſtaret, & a norma recti dogmatis non diſcordant, elegi pauca ex plurimis. Quibus verbis conqueruntur Juſſanæ Moniales, quod ſanctorum Cæſarii, Benedicti & Columbani Regulæ prout erant integræ, cum pro ratione locorum, tum pro ratione ſexus, pro quo fuerant editæ, ſibi minime convenirent: quapropter poſtulant a Donato, ut ex tribus illis Regulis quid ipſis conſentaneum, & conveniens eſſet excipiat, & in unum quaſi corpus ad inſtar Enchiridii redigat: de mutanda vero, aut nova aſſumenda Regula ne unum quidem verbum loquuntur. Deterretur equidem S. Pontifex ab injuncto ſibi opere exequendo, non quod exiſtimet eas a ſuſceptis vitæ monaſticæ inſtitutis aberrare voluiſſe, cum earum pia hac in re fuiſſe deſideria dicat: ſed quia ſolummodo timuit ne ipſi vitio verteretur, quod ſanctorum Benedicti, Columbani & Cæſarii Regulas auſus eſſet imminuere, quacumque cauſa id ageret.

Re quidem vera, Regulæ S. Benedicti tanta apud omnes fuit auctoritas, ut licet quædam in ea reperiantur quæ minus fœminis conveniant, unus tantum repertus fuerit S. Donatus, qui eam reſecaret, ſolæque fuerint inventæ Juſſanæ Moniales, quæ id voluerint expetere. Licet forte Monialium ceteræ non plura ex prædicta Regula redegerint in praxim, quam illa quadraginta tria integra Benedictinæ Regulæ capita, quæ a S. Donato excepta fuere; quæ non ideo dico, ut Juſſanas Moniales, aut S. Donatum temeritatis arguam, cum parum referat utrum integram, aut truncatam Regulam aliquis legat, dummodo ea omnia, quæ obſervanda promiſit diligentius exequatur: ſed ut veram certamque rationem oſtendam, propter quam tamdiu S. Donatus earum deſideriis obſtiterit.

Ut ut ſit, ex verbis ſupra relatis nullum illaturum arbitror, Biſuntinas Monachas unam aut duas tantum ab initio converſionis Regulas ſervaſſe: alias non video qua ratione S. Donatus earum deſideria pia dixiſſet, ſuamque ad immutanda earum vota dediſſet operam.

Hic etiam inquiri poſſet, utrum S. Columbanus ſpecialem Monialibus Regulam ſcripſerit: ſed hanc quæſtionem negative contra opinionem Cointii ſolvi poſſe non dubito, cum ſupra viderimus Juſſanas Moniales dixiſſe, *Regulas prædictorum Patrum Benedicti & Columbani eis minime convenire, cum eaſdem viris potius & nequaquam fœminis edidiſſent*.

Quæ cum ita ſint, numquam, ut ſpero, dicturus eſt Francorum Annaliſta, S. Columbani, aut S. Cæſarii Moniales a Benedictinis diverſas aliquando fuiſſe, niſi aliunde id certo didicerit, aut probaverit. Neque ſibi ſatis eſſe putabit in poſterum ad denegandam Benedicti Regulam, ſi more ſolito dixerit aliquas ſub S. Columbani, aut Cæſarii legibus militaſſe, cum certum ſit Juſſanum Monaſterium ſub Regula Columbani conſtructum, ut Jonas graviſſimus auctor innuit, triplicem accepiſſe Regulam, quarum potior & præcipua fuit Benedictina, quæ ad noſtra uſque tempora in omnibus tam Columbani, quam Cæſarii Monaſteriis ſola, obliteratis ceteris permanet.

Veniamus modo ad objectam tamdiu Columbani Regulam, quam multum a Benedictina RR. Patres Bollandus, Henſchenius, Cointius, aliique diſcrepare putarunt, genuſque vivendi a Benedictino diverſum, novumque Monachorum Ordinem induxiſſe voluerunt.

De triplici Regulæ conſideratione ejuſque vocabuli ſignificatione ex S. Benedicti Regula deſumpta.

CAPUT XI.

EX his omnibus qui Columbanum Benedictinum dixere, neminem eſſe exiſtimo qui negaverit unquam ſanctum virum Regulam edidiſſe, ſeu quod in idem recidit, ſtatuta condidiſſe quæ in Benedictina Regula reperiri non poſſunt: at æque eorum neminem reperiri arbitror qui non dixerit, eadem ipſa ſtatuta eamdemque Columbani Regulam nihil Benedictinæ Regulæ oppoſitum, nihil contrarium prorſus habere, ſed eſſe quaſi appendicem ipſius, & additamentum: quam opinionem pro rei veritate habendam eſſe confido, quod ut exequar

Suppono ex S. Benedicto triplicem diſtinguendam eſſe Regulam, quarum prima a Doctorum eccleſiaſticorum ſcriptis aut Sanctorum exemplis non diſtinguitur, ſed ex ipſis componitur & conſtat. *Ceterum*, inquit S. Benedictus ultimo Regulæ capite, *ad*

perfectionem qui tendit, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſervatio perducit hominem ad celſitudinem perfectionis : quæ enim pagina, aut quis ſermo divinæ auctoritatis veteris aut novi Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, ut recto curſu perveniamus ad Creatorem noſtrum; necnon & collationes Patrum, & inſtituta, & vita eorum, ſed & Regula S. Patris noſtri Baſilii, quid aliud ſunt, niſi bene viventium & obedientium Monachorum exempla & inſtrumenta virtutum?

Scio hic Regulam normamque vivendi large ſumi : attamen primus Regularum collector S. Benedictus Anianæ Abbas, Sanctorum ſcripta adeo pro Regulis habuit & habenda putavit, ut ex his tamquam ex veris proprieque dictis Regulis capita quædam ſuæ Regularum concordiæ inſeruerit, videlicet ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Beda, Caſſiodoro, & ex actis S. Burgundofaræ, quæ in eadem Regularum concordia videre licet.

Regula ſumitur ſecundo modo pro vera vivendi norma viris ſeu virginibus impoſita, ad cujus præſcriptum vitam dirigant, & ad quam ſervandam emiſſo voto ſe ſacramento aſtringant & obligent, qualis eſt Regula S. Benedicti, Baſilii, Franciſci.

Tertio tandem Regula ex conſtitutionibus conſtat, inſtitutis, declarationibus & hujuſcemodi ceteris obſervationibus, quibus elucidatur & determinatur principalis Regula, aut certe nihil continet aliud, quam ſpecialem cujuſlibet Monaſterii obſervantiam, aut conſuetudinem, quæ a Regula principali, aut ejus auctore non præſcribitur, ſed ab uniuſcujuſque Monaſterii Abbate ſeu Decanis ſtatuitur atque ſancitur, qualis eſt illa Regula a Præpoſitis conſtituta, de qua S. Benedictus cap. 62. Regulæ ſuæ. *Qui Sacerdos*, inquit, *Regulam a Decanis vel Præpoſitis conſtitutam ſibi ſervandam ſciat, quod ſi aliter præſumpſerit, non ut Sacerdos, ſed ut rebellis judicetur*. Et cap. 23. *Si quis Frater in aliquo contrarius ſanctæ Regulæ vel præceptis ſeniorum contemptor repertus fuerit*, &c. Iis enim præceptis, inſtitutis, conſuetudinibus, monitis quæ a ſenioribus, Decanis, Præpoſitis & Abbatibus feruntur atque traduntur, quæque in principali Regula præſcripta non fuere, B. Benedictus Regulæ nomen impoſuit.

Idem præſtitit S. Hugo Cluniacenſis Abbas, qui ſpeciales conſuetudines & conſtitutiones Regulas vocavit. *Has profecto*, inquit Hildebertus Cenomanenſis Epiſcopus in vitæ S. Hugonis, *ſub Regulis hujuſcemodi vivere inſtituit, ut earum nulla vel rei neceſſitate familiaris vel quolibet negotio conſpectibus virorum afferretur*, &c. Duplicem ergo in unoquoque Monaſterio S. Benedictus Regulam agnoſcit, primam a ſeipſo omnibus præfixam, ſecundam a Decanis vel Præpoſitis conſtitutam. Primam cuilibet Novitiorum per ordinem vult eſſe legendam, ut ſciat ad quid ingreditur, cuique dicendum jubet : *Ecce lex ſub qua militare vis, ſi potes obſervare, ingredere; ſi non potes, liber diſcede*. Ad ſummum ne ſingularum partes fuſius explicem, prima, præcipua ac principalis Regula ea eſt, quam ſolemni voto ſervandam profitemur. Secunda vero illa omnia complectitur atque definit, quæ a prima Regula indeterminata, Abbatum, Decanorum, vel Præpoſitorum arbitrio relicta fuere. Scit enim, ut opinor, is ipſe cujus opinionem confuto, Regulam S. Benedicti non pro uno tantum ſpeciali Monaſterio, ſed pro multis editam, imo omnibus omnino per orbem univerſum ad vitam monaſticam inſtituendam ab eodem ſanctiſſimo Patre expoſitam fuiſſe : quamobrem ea prudentia ac diſcretione decreta Regulæ temperavit, qua indifferenter ac promiſcue a quibuſvis cujuſcumque nationis hominibus in praxim redigi poſſent : unde multa Abbatum voluntati permittenda, & ab ipſis determinanda, ac definienda fuere. Quæ autem & quanta fuerint quæ hoc modo S. Benedictus indeterminata reliquit, longum eſſet recenſere & tædii plenum; tria tantum quæ magis ad propoſitum proponam.

In Bibliot. Clun. col. 420.

Veſtium numerum, colorem, pannique quo veſtes conficiuntur, qualitatem præſcribenda non cenſuit. *Veſtimenta*, inquit, *ſecundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aeris temperiem dentur, quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. De quorum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi*. Enimvero adeo exacte ac dilucide officium divinum deſcripſit, ut nihil in tota Regula fuſius expoſuerit, nihil magis ſedulo voluerit obſervari : attamen quia diverſæ nationes, diœceſes, Monaſteria diverſa a ſe invicem officia divina legebant, quibus plurimum erant addicti, nihil abſolute determinandum, ſed in fine 18. cap. hæc verba ſubjungenda voluit : *Hoc præcipue commonentes. ut ſi cui forte hæc diſtributio pſalmorum diſplicuerit, ordinet, ſi melius aliter judicaverit; dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Pſalterium ex integro numero centum quinquaginta pſalmorum pſallatur*, quaſi veritus eſſet vir piiſſimus, ne Abbates, aut Monachi vano ſeu ficto officii mutandi timore a ſuſcipienda Regula abhorrerent.

Cap. 55. Reg.

Hac etiam de cauſa, ut arbitror, nihil de Monachorum tonſura ſtatuit, licet eam deferendam ſupponat; ſciebat enim quanam animi tenacitate quidam Monachi uſurpatum tonſuræ modum, ſeu pro genio gentis, ſeu pro conſuetudine majorum ſervandum curarent, quapropter ſingulari prudentia cavit, ne ſuſcipiendæ Regulæ obicem iis gentibus apponeret.

Multis etiam Regulæ capitibus de pœnis delinquentibus imponendis, ſeu de correptione

ne culparum egit; voluit tamen ipſum culparum modum a ſpeciali cujuſque Monaſterii Abbate definiri. *Secundum modum culpæ*, inquit, *excommunicationis vel diſciplinæ debet extendi menſura, qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio.* Ac ſi diceret Abbatis eſſe culpas qualificare, & modum eis imponere, ideſt ejus judicio eas leves aut graves, graviores aut graviſſimas habendas eſſe; quinimo licet levibus æque ac ceteris erratis certiſſimas pœnas conſtituerit, pœnarum tamen æque ac culparum modum ut plurimum Abbatibus determinandum reliquit. Quapropter ſæpiſſime indeterminate jubet, *ut adhibeatur correptio diſciplinæ regularis*; & ut delinquentes *diſciplinæ regulari ſubjaceant*, ut videre eſt in capitib. 32. 33. 54. 65. & 70. Quænam vero ſit illa diſciplina regulariter delinquentibus conſtituta, nullatenus explicat: unde contingit iſtam regularem diſciplinam, ſeu diſciplinæ regularis correctionem variam eſſe, pro ratione nationum, & provinciarum diverſarumque congregationum, ſeu pro voluntate Abbatum, a quorum nutu ex S. Benedicto pendet: idemque dicendum de veſtium colore, numero pſalmorum, deque officio divino dicendo: quæ cum per ſe pateant, probatione non indigent, licet alicujus Regulæ ſpecialis auctoritate egeant, qua determinentur atque definiantur.

Dixi ſuperius Regulam ſecundo modo acceptam eam eſſe ad cujus obſervationem ex voto tenemur, quod non ea mente a me dictum fuit, quaſi voluerim Regulam tertio modo acceptam obligare neminem: ſed quia ad illam primario, ſecundario vero & conſequentia quadam ad iſtam obſervandam ſacramento aſtringimur, quam ob cauſam hujuſcemodi Regulæ tranſgreſſores S. Benedictus ut rebelles judicandos eſſe decernit. Eodem etiam ſacramento multoties ad utramque Regulam tenentur Monachi & Abbates, ut videre eſt in duplici Abbatum Cluniacenſium electione, Majoli ſcilicet & Odilonis; quarum in prima hæc habentur: *Quapropter ego Haymardus S. Petri Cluniacenſis Abbas indignus, cum omnibus Patribus meis, filiis, & conſerviis ... Majolum religioſum eligimus & Abbatem eſſe decernimus, ne inſolentia noſtræ infirmitatis Ordo detereſcat; & ſicut Cluniacenſe Monaſterium Domino auctore a Guillelmo fundatum, nomine principis Apoſtolorum ſacratum, privilegiis Romanæ ſedis inſignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis quoque Abbatibus domno Bernone & Odone ordinatum conſtat: ita cum omnibus Abbatiis, locis & cellis, ubi ubi eorum vel noſtro tempore acquiſitis, prædicto Fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem ſervandam ſecundum B. Benedictum, & inſtituta Patrum noſtrorum, quam ad res diſponendas ſub omni integritate, propitia Divinitate, vinculis obedientiæ aſtringimus.* tom.6. Spicil. p. 420.

In ſecunda vero electione eadem ad verbum habentur, ex qua tamen hæc iterum deſcribere neceſſarium duxi. *Ita Cluniacenſe Monaſterium cum omnibus Abbatiis ... prædicto Patri ... Odiloni ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem ſervandum ſecundum S. Benedictum, & inſtituta Patrum noſtrorum, quam ad res diſponendas vinculis obedientiæ adſtringimus.* Ex quibus conſtare certum eſt, Abbates Cluniacenſes cum ad Regulam B. Benedicti, tum ad inſtituta majorum, Bernonis ſcilicet & Odonis, ideſt ad primariam & ſecundariam ſervandam Regulam obedientiæ vinculis aſtrictos fuiſſe. Ibid.p.425.

Sancti Columbani Regula Benedictinæ ſupplementum.

CAPUT XII.

COLUMBANI Regulam alterius cujuſdam Regulæ appendicem eſſe aſſerendum non dubito, & ex ipſo Columbano probandum aſſumo: duplicis namque Regulæ in Pœnitentiali meminit, nempe ſui ipſius cum ait: *Si quis contradicit, mandatum aut Regulam frangit, duos dies, unum paxmatium.* Alterius vero quam principalem nominat his verbis definit: *Qui traſgreditur Regulam juſſionis vel diſciplinæ generalis, maneat expulſus ſine cibo, & in craſtino recipiatur.* Quænam eſt enim illa Regula juſſionis vel diſciplinæ generalis, præter eam principalem ac primariam Regulam de qua ſecundo loco egimus, quam ab alia diſtinguendam eſſe, cum ex ipſis terminis, tum ex ipſa inflicta pœna pro utriuſque tranſgreſſione dignoſcitur: aliam ergo habuit Regulam quam obſervaret, præter eam quam ipſe condiderat. num. 21.

Præterea alia quædam Regula principalis, primaria aut potius magiſtra, ut eam vocat S. Benedictus, S. Columbano ad ſui ipſius Monaſterii conſtitutionem & directionem plene neceſſaria fuit: cum propria ipſius Regula nihil quod vere proprieque dictam Regulam ſapiat, continere videatur, ſi ea quæ ad divinum officium celebrandum, & ad definiendas pœnitentias pertinent, ab eadem ſecluſeris: ſeu quod in idem recidit, nihil continet quod Regulæ nomen mereatur, & ad Regulam intrinſece & eſſentialiter conſtituendam ſufficiat, præter Curſum divini officii & pœnitentialem librum, ideſt præter ea quæ S. Benedictus indeterminata & indefinita reliquit.

Nihil enim habet de ſuſcipiendis ad profeſſionem Monachis, nec de votis edendis, quibus monaſtica vita & diſciplina conſtituitur; nihil de exercitiis Monachorum, quibus omnes Regulæ a ſe invicem differunt; nihil de pueris in Monaſterium admittendis; de Præpoſitis vero, Decanis, Cellerariis, ceteriſque officialibus eligendis ac nominandis

Digitized by Google

nandis ne unum quidem verbum; de labore manuum, de obſervatione ſilentii, de lectione divina, quibuſnam horis, quantoque temporis ſpatio obſervari debeant, nihil omnino; de alimentorum & veſtimentorum ratione, de ſuſceptione hoſpitum, de coquinæ adminiſtratione fere nihil; de electione Abbatis, deque ipſius Abbatis eligendi dotibus ubique tacet. Uno verbo ſi a Columbani Regula caput ſeptimum de Curſu pſalmorum & Pœnitentialem auferas, nihil prorſus remanebit quod propriam Monachorum Regulam redoleat. Cetera namque Regulæ capita hortatorio modo compoſita ſunt, non decretorio, multoque magis ad primam Regulam ſeu primo modo ſumptam pertinent, quam ad ſecundam, & tertiam; quod ex conſideratione & inſpectione ſeptimi capitis non modo conjici, ſed & certo ſciri poteſt.

Agitur eo capite de cibo & potu, nullumque extat in tota Columbani Regula quod tantam vim legis habere videatur, ſi prima ipſius capitis verba conſideres; ab his enim incipit: *Cibus ſit vilis ac veſpertinus Monachorum, ſatietatem fugiens aut potus ebrietatem, ut & ſuſtineat, & non noceat, olera, legumina, farina aquis mixta, cum parvo panis paximatio, ne venter oneretur, aut mens ſuffocetur.* Quis hæc legendo non ſibi in mentem reducat Scotos Monachos & Landevenecenſes, *quibus potus conſtabat ex aqua plurima, & aliquibus malorum agreſtium ſuccis, qui nullum uvæ liquorem, nec mellis, nec lactis, nec cerviſiæ ſumebant?* Quis etiam non firmiter credat, olera ſolum & legumina & farinam aquis mixtam, non lacte, utpote prohibito, id eſt inſulſiſſimam pultem in cibum Monachis a S. Columbano fuiſſe conceſſa?

Ex vita S. Vvinvaloci in præf. Sæc. I. Bened. pag. 33.

At nemo neſcit S. Columbanum ejuſque diſcipulos piſcibus veſci ſolitos, retia ad piſcandum habuiſſe, ut in ipſius Columbani vita n. 18. & 19. Jonas teſtatur: quis eos vinum ſiceramque adhibuiſſe neſcit, ex ipſius vitæ n. 26. & 25. Quapropter Columbanus nec Scotorum tenuiſſe Regulam, nec ad omnia quæ in propria continebantur Regula ſe obligaſſe dicendus eſt. Etenim Scotica nimis rigida eſt, ut vult auctor vitæ S. Vvinvaloci; Columbani vero Regula pro maxima parte hortatoria eſt & ſuaſoria, non præſcriptiva aut legiſlativa.

Initio finem capitis jungamus, & ex ipſius concluſione aſſertionem noſtram iterum firmemus. *Ergo*, inquit S. Columbanus, *quotidie jejunandum eſt, ſicut quotidie orandum eſt, quotidie eſt laborandum, quotidie eſt legendum.* Et his inferamus ex Columbani mente & Regulæ præſcripto diebus dominicis & aliis præcipuis Eccleſiæ ſolemnitatibus jejunandum eſſe & laborandum, quod a Columbani mente abhorrere certum videtur. Non ergo his omnibus capitibus Columbanus condit Regulam proprie dictam, ſed ad obedientiam, ſilentium, ſobrietatem, paupertatem, humilitatem & caſtitatem hortatur; nihil de his virtutibus quoad ipſum uſum & exercitium determinate jubendo aut ſtatuendo; quamobrem in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ſola capita quæ de Curſu pſalmorum & de pœnitentiis agunt, notis illuſtrata videmus.

Eadem principalis aſſertio auctoritate Emmonis Senonenſis Epiſcopi aliorumque probatur & aſſeritur, ex quo perſpicuum fiat & apertum, Benedictinam Regulam nulla cum alia conjunctam, ſed tantummodo modificatam in Luxovienſi Monaſterio obſervatam fuiſſe, & conſequenter Columbani Regulam non eſſe proprie dictam, & principalem Regulam, ſed Benedictinæ additamentum & appendicem. *Sancto igitur amore ſuccenſi*, inquit Emmo, *Monachi ſancti Petri Vivi Senonenſis, ſub Regula ſancti Benedicti & modo Luxovienſis Monaſterii devota mente & integra devotione deſiderant conſiſtere.* Eodem ſenſu loquitur Drauſcio Sueſſionenſis Epiſcopus in privilegio Sueſſionenſibus Monialibus dato, de quo ſupra. *Hoc privilegium*, inquit, *tribuendum indulſimus, quo .·. ut infra Monaſterium virgines & caſtæ debeant Domino militare ſecundum Regulam Sancti Benedicti, & ad modum Luxovienſis Monaſterii, quod beatus Columbanus tenuit, Regulam ad perfectionem animarum valeant in omnibus cuſtodire* .·.·.·.·.·. Eadem habet Bladegiſilus Pariſienſis Archidiaconus in fundatione Foſſatenſis Monaſterii. *Quatinus*, inquit, *ipſi ſervi Dei omneſque ſucceſſores eorum, ut prædiximus, ibidem ſub Regula Sancti Benedicti ad modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant famulari* .·.·.·.·. Eadem etiam mente ſuum teſtamentum S. Eligius ſcripſit ad annum 632. *Ceſſum eſſe volo*, inquit, *ac de meo jure in veſtro dominio transfundo hoc eſt ſupradictum agrum Solemniacenſe: ea tamen conditione interpoſita, ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini.*

tom. 2. Spicil.

Hac quadruplici auctoritate, quaſi quadruplici funiculo ligata, &, ut ita dicam, concluſa Annalium auctoris opinione manifeſtum eſt, Benedictinam Regulam a fundato Luxovienſi Monaſterio in eodem obſervatam fuiſſe, neque eodem loco Columbani Regulam apud Luxovienſes Monachos fuiſſe, quo Benedictinam, nec ex æquo utramque eis impoſitam, ſolamque Benedicti Regulam Columbani inſtitutis modificatam, ab iiſdem ad obſervandum aſſumptam; eamdemque Solemniacenſi, Foſſatenſi, Sueſſionenſi, & Senonenſi Monaſteriis ſimili modo præſcriptam & imperatam. Hoc præ ſe ferunt chartarum, privilegiorum & teſtamentorum formulæ: *Ut vos & ſucceſſores veſtri tramitem religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequamini* .·. *ſub Regula S. Benedicti & in modum Luxovienſis Monaſterii deliberant conſiſtere* .·. *ſub Regula S. Benedicti ad mo-*

Digitized by Google

modum & ſimilitudinem Luxovienſis Monaſterii Domino Chriſto valeant famulari . . *ad modum Luxovienſis Monaſterii*, *quod B. Columbanus tenuit*, *Regulam ad perfectionem animarum valeant in omnibus cuſtodire*. . Qui modus is ipſe eſt quem Columbanus invexit, ut ex Sueſſionenſi privilegio patet.

His vero omnibus formulis id unum ſignificatur, Monaſteria, videlicet Solemniacenſe, Foſſatenſe, Senonenſe & Sueſſionenſe, Regulam S. Benedicti ad modum Luxovienſis Monaſterii, ſeu juxta modum eidem a B. Columbano impoſitum, ſervandam ſuſcepiſſe.

Satisfit duabus adverſariorum objectionibus.

CAPUT XIII.

QUæritur primo cur & quomodo Columbani ſtatuta Regulæ nomen induerint. Reſpondeo primo, ex ipſa B. Benedicti Regula hoc ipſis nomen deberi, ut ſupra notatum eſt, cum S. Benedictus Decanorum & Præpoſitorum præceptis Regulæ nomen indiderit, eaque Regulæ appellatione, ut ita dicam, veſtierit. Secundo, minime mirum videri debet Columbani ſtatuta Regulæ nomine vocata & appellata, cum diverſitas conſtitutionum, & regularium obſervantiarum, diverſorum Cœnobiorum ſub eadem Regula conſiſtentium, etiam diverſitatem Ordinum induxerit, ut inductione patet; alius eſt enim Cluniacenſis Ordo a Ciſtercienſi, & uterque ab Ordine Tyronenſi aut Majoris Monaſterii differt, non diverſarum Regularum principalium oppoſitione, ſed conſtitutionum & ſtatutorum circa eandem Regulam editorum diverſitate: unde nec etiam mirum videri debet, ſi forte aliqua Monaſteria ſub Regula Columbani fundata & inſtituta fuere, nulla B. Benedicti mentione facta, (quod utrum contigerit aliquando neſcio) cum idipſum in his omnibus Ordinibus contigerit: cujus rei unum aut alterum exemplum apponam. *Habuimus*, (inquit Willelmus de Varenna in fundatione Prioratus de Leuves in Anglia) *in propoſito & voluntate per conſilium domni Laufranci Archiepiſcopi, ego & uxor mea, quod faceremus aliquam domum Religionis; tunc viſum fuit nobis quod de nullo alio Ordine tam libenter quam de Cluniaco eam facere vellemus, & ideo miſimus & requiſivimus a domno Hugone*, &c. . . . Et in fundatione Pullæ Ordinis Tyronenſis apud eumdem Renerium: *Sciant univerſi, quod ego Adam de Rupe, divina confidens remuneratione, pro ſancta Eccleſiæ exaltatione Monaſterium in terra mea de Pulla dedi & conceſſi, & hac præſenti charta confirmavi Deo & S. Mariæ & S. Budoco & Monachis de Ordine Tyronenſi ibidem Deo ſervientibus unam carrucam*: quaſi ſupponerent pii illi fundatores diverſos & proprie dictos Ordines fuiſſe in Monaſteriis Cluniacenſi & Tyronenſi, eadem pene quæ ſuperius S. Eligius, Drauſcio, Emmo de Luxovienſi Monaſterio dixere. In Andrenſi Chronico de Majori Monaſterio dictum legimus. *Interea Comes* (inquit auctor Chronici) *ſicut jampridem in animo conceperat, cum Ingelramno domino Lelirienſi & quibuſdam Flandriæ proceribus ad S. Jacobum iter arripuit: ad Carroſenſe Cœnobium tunc temporis religioſum, & ad uſus & conſuetudines Majoris Monaſterii reformatum caſu fortuito divertit.*

Apud Renerium in appendice pag. 59.

pag. 206.

Spicil. tom. 9. pag. 341.

Scimus omnes, Richardum Virdunenſem Benedictinum Monachum ejuſdemque Ordinis reformatorem fuiſſe: attamen ita de eo Chronici Lobienſis continuator loquitur, ac ſi ipſe novam condidiſſet Regulam: *Tantæ ſiquidem*, inquit, *fuiſſe auctoritatis dignoſcitur, ut totius pene Lotharingiæ Monaſteria ejus inſtituta pro lege ſervaverint, & ſervanda poſteris per ſuccedentia tempora tradiderint.*

Spicil tom. 6. pag. 592.

Quid ergo mirum ſi in chartis quorumdam Monaſteriorum habeatur ea fundata fuiſſe ſub Regula S. Columbani, tacito ſuppreſſoque S. Benedicti nomine, quod, ut dixi, me vidiſſe non memini, cum videamus certoque ſciamus fundata fuiſſe Monaſteria ſub diverſis variorum Cœnobiorum Ordinibus, innominata Benedictina Regula, licet eadem Monaſteria ex ejuſdem Regulæ præſcripto regerentur.

Vera tamen ratio, ob quam ſpecialia cujuslibet Monaſterii inſtituta Regulæ nomine veſtita fuere, ab ipſorum ſtatutorum natura petenda fuit: cum enim monaſticæ Regulæ officium præſtent, vimque legis habeant ad continendos & dirigendos Monachos, qui non ſolum ad Regulam principalem; ſed ad ſpecialia ſtatuta ſervanda tenentur, nullus mirari debet, quod eadem inſtituta Regulæ nomen acceperint, & hactenus ſervent.

Opponunt ſecundo adverſarii, Sanctum Columbanum in Galliam veniſſe antequam Benedictinæ leges Hybernis Monachis eſſent impoſitæ, & conſequenter inferunt eumdem Sanctum Benedictinæ Regulæ non fuiſſe deditum, priuſquam Gallias adiret. Neque conſtare dicunt; an ſancti Benedicti inſtituta poſtea receperit, cum novam ipſe condiderit Regulam.

Reſpondeo primo, ſatis non eſſe ſi dixerint; aut etiam probaverint doctiſſimi viri, Monachos Hybernos generaliter Benedictinos non fuiſſe, antequam S. Columbanus patriam effugeret, niſi etiam manifeſtum faciant, nullos tunc temporis Hybernos ſub S. Benedicti legibus militaſſe, quod facient numquam.

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundo, idipſum S. Columbanum præſtare potuiſſe quod de ſancto Diſibodo ſancta Hildegardis narrat, qui cum in Germaniam eodem peregrinandi, & fidei promovendæ ſtudio perveniſſet, Regulam S. Benedicti amplexus, Monaſterium Benedictinis adſcribendum condidit, ut videre eſt apud S. Hildegardem in ejus vita ab eadem S. Hildegarde compoſita.

Reſpondeo tertio, ſanctum Columbanum aut Benedictinum fuiſſe in Hybernia, aut ſtatim atque in Galliam appulit, Benedictinam Regulam ſervandam accepiſſe: aut enim Scotica, aut ſui ipſius, aut ſaltem Benedictina Regula vixit in Gallia; ex his enim quæ ſupra fuſius diſputavimus, & quæ etiam dicturi ſumus capite ſequenti, ſaltem hoc concedendum exiſtimo, S. Columbanum Benedictinam vivendi formam ſecutum fuiſſe, modo conſtet eum nec Scotica, nec ſui ipſius inſtituta ſervaſſe.

At ex ipſius vita manifeſtum evadit, eum nec Scoticam Regulam habuiſſe, nec Scotorum Monachorum vivendi modum tenuiſſe, cum Scoti Monachi, quique eos imitabantur, uſum vini, ſiceræ, mellis, & lactis prorſus ignorarent, *& potus eis conſtaret ex aqua plurima, & malorum agreſtium ſuccis*, ut ex Landevenecenſibus, & Fuldenſibus Monachis & S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo patet; & ex Columbani Regula, paximatius panis, & farina aquis mixta eiſdem præberetur in cibum. At Columbanus ejuſque diſcipuli cum Hyberni, tum Galli vinum ſiceramque in potum, piſces ceteraque id generis in cibum habuere, ut ſupra diximus: quam ob cauſam dicendum reor; nec Columbanum, nec ejus diſcipulos unquam Scotice in Galliis vixiſſe, neque ſeptimum Columbani Regulæ caput ſervaſſe.

Cap. 7.

Præterea neque Columbani Regula eis potuit imponi, cum ipſemet Columbanus per quadraginta annos, aut amplius in Burgundia moratus fuerit, antequam propriam ſcriberet Regulam. Nam primo Anagratenſe Monaſterium condidit, Monachoſque tanto numero collegit, ut Luxovienſe Monaſterium ad eos excipiendos fuerit ædificandum. Quo iterum tanta hominum multitudo ad converſionem confluxit, ut, ſicut Jonas habet, *beatus Columbanus cernens undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, & unius Cœnobii ſepta tantam converſantium cohortem abſque difficultate non tenere, quamvis mente una & corde uno, tamen converſationi tantæ multitudinis incongruum, alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat, cui Fontanas locum indidit. His ergo in locis* Anagratenſi, Luxovio, & Fontanenſi, *Monachorum plebibus conſtituit... Regulam quam tenerent Spiritu ſancto repletus condidit.*

Tria ergo maxima Monaſteria Columbanus conſtruxit, & numeroſas Monachorum plebes adunavit, antequam Regulam conderet. Ex quo conjici datur eandem Regulam ſcripſiſſe, uno aut altero, aut ſaltem paucis annis, antequam ejiceretur ex Gallia: vix enim intra quadraginta quinque annos tanta Monaſteria ſucceſſive conſtrui, atque Monachis repleri potuere, cum per duos ac viginti annos ipſemet Columbanus in colligendis Monachis ad Anagratenſem eremum ſecum inhabitandam laboraverit, ut volunt noviſſimi Francorum Annales. *In priori ſolitudine,* inquiunt, *vixit Columbanus annis duobus ac viginti*, donec anno Chriſti quingentesimo nonageſimo Luxovium perrexit. Neque enim fas eſt credere breviori tempore Columbanum, reliqua duo, Luxovienſe ſcilicet & Fontanenſe Monaſteria condidiſſe, eaque Monachis tanto numero expleviſſe, ut laudem perennem ab ipſo inſtitutam, ſtrenue pieque peregerint.

Quamobrem cum S. Columbanus per illos viginti quinque aut circiter annos Monachis præfuit, ut nec Scotica, nec ſui ipſius Regula eos fuerit moderatus, quis dubitet eum ab initio ſibi ſuiſque diſcipulis Benedictinam accepiſſe Regulam, & conſtructis demum Monaſteriis ſpecialia eis inſtituta ſub Regulæ nomine tradidiſſe?

His elucidatis ad enumerationem ſtatutorum quæ Benedictinæ Regulæ Columbanus addidit, veniamus. Ipſa eadem eſſe arbitror quæ citato capite de Curſu pſalmorum & pœnitentiali libro, quem Regulam ſtatutorum vocant, contineri diximus; quæque ad Officium divinum celebrandum, & ad errata punienda ſpectant.

Utrumque probatur primo auctoritate S. Eligii, qui in ſuo teſtamento ſpecialiter jubet, ut divinum Officium modo à Columbano præſcripto obſervetur, atque celebretur. *Obteſtor*, inquit, *ut Regulam ſupra dictorum Patrum quam in ſæpe memorato Monaſterio Luxovienſi tenent, omni cuſtodia teneatis, & ad placandam iram furoris Domini aſſidue impendatis*: quæ adusque tempus Orderici Vitalis in omnibus S. Columbani Monaſteriis obſervata fuere, ut ipſe refert. *Ab ipſo ſiquidem Columbano*, inquit, *& formam orationum pro cunctis ordinibus, qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium aliaſque obſervationes ſumpſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum diem.*

Lib. 8. hiſt.

Verum eſt equidem Ordericum credidiſſe S. Columbanum ſua ſola lege ſuaque Regula, non Benedictina vixiſſe, ejuſque ſolummodo diſcipulos Euſtaſium, Agilum, Faronem, Audomarum & Philibertum *ſancti normam ſuſcepiſſe Benedicti*. Sed cum hæc ipſius opinio ex errore contigerit, eo quod, ut ipſe refert, Columbanum ſancti Benedicti æqualem fuiſſe, & S. Maurum Columbano mortuo in Galliam acceſſiſſe crediderit; quis dubitet Ordericum, Columbanum æque ac ceteros ejus diſcipulos S. Benedicti leges ſuſcepiſſe ultro fuiſſe dicturum, ſi S. Columbanum in Gallias ſub extremis S. Mauri diebus, aut

certe

Digitized by Google

certe poſt ejus obitum adveniſſe noviſſet? qui cum S. Benedicti Regulam in Columbani, & ipſius diſcipulorum Monaſteriis obſervatam videret, ſtatim intulit Euſtaſium & alios eandem a S. Mauro Regulam ſuſcepiſſe, hoc ipſum de ſancto Columbano illaturus, ſi hoc ſibi per tempus licuiſſe putaſſet, præſertim cum eadem omnia quæ ex S. Columbani Regula in obſervatione veniunt, in Columbani Monaſteriis una cum S. Benedicti Regula ſervata viderit.

Per alias autem obſervationes, Ordericum eas intellexiſſe exiſtimo quæ in Pœnitentiali leguntur, ex quo fere ſolo ſanctus Donatus tamquam ex proprie dicta Regula duodecim capita ſuæ Regulæ attexuit, iis omnibus quæ in ſuperiori Regula continentur omiſſis, excepto ſecundo capitulo, ex quo quadrageſimum nonum ipſius Donati Regulæ caput confectum eſt, additis quibuſdam ex Pœnitentiali, & ex Regula S. Benedicti verbis, ut vim legis, & veræ Regulæ robur obtineret. Cetera vero omnia tam Columbanus, quam ipſius diſcipuli ab ipſa S. Benedicti Regula quam profeſſi fuerant, mutuati fuere.

S. Benedicti legibus a S. Mauro aliiſque promulgatis, pleraque alia Galliæ Monaſteria auſcultaſſe, antequam Columbanus Anagratenſem eremum incoleret.

CAPUT XIV.

Omnibus Columbani Monaſteriis ab anno quingenteſimo ſexageſimo octavo, quo Anagratenſis Monaſterii initia ſecundo Annalium tomo locata fuere, Benedictinorum Ordini aſſertis atque vendicatis, nulla, ut ſpero, per eadem tempora ab eodem Ordine Monaſteria ſejungent adverſarii noſtri, cum iiſdem ut plurimum argumentis omnia quæ tunc extabant Monaſteria ejuſdem Ordinis fuiſſe, & eamdem ſanctam ſanctorumque Patrum Regulam coluiſſe cumulate probaverim, quod probationis genus ad anteriora tempora extendi debet. Non enim ſanctorum Patrum Regulam, aut Regulam ſanctam Columbanus in Cœnobia Gallica primus invexit, ſed eamdem jam a multo tempore inductam reperit, ut ſupra notavimus ex Audoeno, qui omnes Monachos Columbano anteriores eidem Regulæ deditos ſcribit. Quamobrem cum S. Odilone nobis interim dicendum, & generaliter aſſerendum, quod *poſt tranſitum piiſſimi Patris Benedicti, per B. Maurum omnis pene Gallia ejus inſtitutionis & Religionis ſuſcepit exordium.* Nullos enim ab eo tempore Monachos novimus, qui Benedictina doctrina non fuerint inſtituti; nec alios fuiſſe concedemus, niſi certis argumentis nobis alios fuiſſe manifeſtum fecerint, aliaſque Regulas fuiſſe probaverint, quæ a Gallis Monachis fuerint obſervatæ. (In vita S. Majoli in Biblioth. Cluniac. c. 281.)

Cur vero omnem pene Galliam, non omnem prorſus Galliam S. Benedicti inſtitutionis exordia ſuſcepiſſe dixerit, nemini mirum videri debet; hac enim exceptione ac limitatione pauca quædam Monaſteria Gallica, quæ intra limites provinciarum Ariana hæreſi infectarum extabant, aut certis quibuſdam ritibus ab Eccleſia Romana diſſidebant, a Benedictinæ Regulæ prompta ſuſceptione excluſa voluit, ut optime notat Menardus noſter. (In Martyrologium Bened. pag. 833.)

Cum vero cetera Cœnobia, tum quæ a ſancti Mauri in Gallias adventu erecta fuere; tum etiam quæ ab antiquis temporibus fuerant ædificata, Benedictina videamus, quis priora ſemper Benedictina; poſteriora vero ab eodem ſancti Mauri in Franciam acceſſu Benedictinis inſtitutis addicta negare poteſt? cum id doceat ſancti Odonis auctoritas, id contigiſſe ſupponat Audoenus, & omnia quæ ad celerem cujuſcumque Regulæ ſuſceptionem conducere poſſunt, Benedictinæ Regulæ conveniant? Videlicet ejuſdem Regulæ excellentia & neceſſitas; auctoris ipſius Regulæ ſanctitas, miracula, celebre nomen, diſcipulorum eximiæ virtutes; Principum favor, eorumque in eamdem Regulam, & ejus alumnos ſingulare ſtudium, de quibus ſi ſingillatim loqui neceſſe eſſet, quis dicendi finis? Quapropter in his probandis nullatenus immorabor; ſancti enim Benedicti ſanctique Mauri ipſius diſcipuli merita nemini ignota videntur, Regulæ vero excellentiam iis laudibus efferunt Concilia, ſummi Pontifices, Reges, atque Doctores, quibus nulla hactenus decorata fuit. Cujus ſpeciale æternumque præconium commendatioque ejuſdem Regulæ verſioni Gallicæ præfixa videri poteſt.

Sciunt etiam qui vitam S. Mauri per Fauſtum compoſitam legere, quanto ſtudio quantaque benevolentia S. Maurum ſanctique Benedicti Regulam Theodebertus & Clotarius Galliarum Reges complexi fuerint. *Deprecare illos*, S. Maurum & ſocios ejus, inquit Theodebertus Rex Florum alloquens, *ut pro nobis ac liberis noſtris populoque totius regni a Deo nobis collati, ipſius aſſidue implorare dignentur miſericordiam: parati‑ſſimos enim nos atque promptiſſimos in omni ſuo invenient obſequio, ſi formam hujus religionis ita ab eis obſervari comperimus, ſicut jam fama vulgante ab eorum Magiſtro ardue ſatis eam traditam audivimus, nec noſtra juxta voluntatem, & conſilium tuum regia loco illi deerit largitas.* Et inferius: *Tunc B. Maurum petiit, ut Fratres eum in ſuam* (Fauſtus in actis ſancti Mauri n. 4. Sæc. 1. Bened. num. 31.)

recipere dignarentur ſocietatem, & nomen ejus inter ſua ſcribere nomina, & filium Theodebaldum ſancto viro, ac Fratribus commendabat attentius, præcipiens ipſi, ut ſemper devotus erga locum illum eſſet, ac in omnibus ſanctæ illi congregationi adjutor ac defenſor exiſteret.

num. 69. Clotarius vero *audita fama beati Mauri, frequenter eum ad ſe evocans, ejus ſapientiſſimis utebatur conſiliis*. Quæ cum ita ſe habeant, non modo mirum non erit ſi dixerimus, ſub illis Principibus mire propagatam Benedictinam Regulam, ſed mirum valde in aliquos tantopere denegare. Quis enim non ſibi facile perſuadeat, S. Maurum Regum familiaritate, amicitia & veneratione, qua eum proſequebantur, feliciter uſum, in Ordinem propagandum totum incubuiſſe; neque Theodebertum, neque Clotarium qui inter ejus alumnos numerari volebant, ejuſque conſilia ſæpius exquirebant & ſequebantur, omiſſa primaria Eccleſiæ Romanæ Monachorum Regula, ipſoque S. Mauro relicto, alios Monachos aliaſque Græcas aut Syriacas Regulas ad informanda nova Monaſteria, cum a ſe, tum ab aliis ædificata, exquirendas voluiſſe? quis enim hæc capiat? Præterea quos progreſſus non fecere minoribus auxiliis Ordines quidam poſteriores, cum antiquiores, tum recentiores? quorum exempla recenſebit aliquando R. P. le Cointe in Annalium poſterioribus tomis, a quibus enumerandis abſtineo, ne odioſa comparatione gloriam ipſis debitam auferre videar.

Sanctus Junianus primus inter eos numeratur, qui uno aut altero anno a S. Mauri in Gallias adventu Benedictina mandata exequuti fuere. Clotario namque reſpondit, (ut refert Vulfinus Boetius Epiſcopus Pictavienſis, qui acta S. Juniani Ludovici Pii temporibus deſcripſit) *ſe ſub monaſtico Ordine vitam degere, & Monachis prælatum, & beatiſſimi Benedicti inſtituta ſervare, regularem ejus vitam in omnibus obſervare*. Quem adeo imitati fuere qui poſtea Monaſteria condiderunt, aut antea condita rexerunt, ut ad annum quingenteſimum ſexcenteſimum octavum, ſeu ſub adventum S. Columbani pauca illa Monaſteria, quæ in Galliis erant, eamdem Regulam profiterentur, ut ex Audoeno jam multoties ſupra notavimus.

Vita S. Jun. num. 10. Sæculo primo Bened.

Annalium auctor quo facilius ullam Benedictinorum propagationem ante annum ſexcenteſimum quartum contigiſſe deneget, Vulfinum Boetium ultro laceſſit, & probro, ut ita dicam, inſimulat, quod Junianum inter B. Benedicti diſcipulos memoraverit: *Boetius Vulfinus*, inquit, *B. Junianum, cujus vitam ſcribebat, facile finxit Monachum Benedictinum, qui opus ſuum Godeleno tranſmiſſurus erat Abbati Monaſterii Novaliacenſis, in quo Sancti Benedicti Regula tunc vigebat*. Cum primo hujus opinionis commentum in Annalibus adverti, diutius attonitus hæſi, miratus qui fieri potuerit, ut vir eruditus & pius tam levibus argumentis, nullo auctore, antiquum auctorem epiſcopali dignitate fulgentem, gratuiti mendacii auſus fuerit arguere. *Facile finxit*, inquit, *Monachum Benedictinum*, id eſt, nimia facilitate mentitus, Junianum Monachum Benedictinum exhibuit. Sed quæ ad ſuam opinionem probandam excogitavit argumenta videamus.

Primo Annal. tom. ad ann. 559. num. 12.

Ibid. *Tunc*, inquit, *& Radegundis erexit Monaſterium puellarum, in quo Regulam ſancti Cæſarii voluit obſervari, nulla S. Benedicti mentione facta; quam ſane non omiſiſſet, ſi Junianus, qui ſpiritualis ejus Pater agnoſcitur, familiæ Benedictinæ ſe addixiſſet*. Quantos, ut ad hominem loquar, videmus Monialium directores Patreſque ſpirituales, qui eas ad alienæ, & ab ea quam profitentur diverſæ Regulæ praxim adigunt? Quis, exempli cauſa, Patrum Oratorii, aut Societatis Jesu Moniales unquam adduxit, ut eorumdem Patrum Regulas aſſumerent eaſque ſervarent? Eminentiſſimus Cardinalis Berullus Carmelitanas Moniales in Gallias evocavit, fovit, totaque vita continuo rexit: R. Pater Joſeph Pariſinus, Capucinus, Calvariam Benedictinarum Congregationem erexit, legibus munivit atque direxit, & ut a Francorum Annaliſta aliquid deſumam, S. Donatus Biſuntinus Epiſcopus, qui ſolam (ex eodem R. Patre) Columbani Regulam obſervandam voverat, aliam Regulam Monialibus condidit, in qua vix aliquod Columbani Regulæ veſtigium apparet. Quæ dicta volo, ut manifeſtum evadat, Benedictinos in ſuo Martyrologio Junianum ponere, & retinere potuiſſe, licet Radegundem iiſdem tabulis non inſcriberent, nullaque neceſſitate eam inter Benedictinas numeraſſe. Meminerit eam S. Cæſarii Regulam a Juſſano Monaſterio Benedictinam nullatenus excluſiſſe, nec excludendam pariter ab Aſceterio Pictavienſi, niſi ipſe id contigiſſe novis firmiſque rationibus probaverit.

Ibid. Aliud inane quod jecit fundamentum opinionis ſuæ his verbis idem auctor poſuit: *Anachoreſim profitebatur, cum Radegundis Pictavium pervenit, & ab illis tunc conſulebatur qui Monaſticen ediſcere cupiebant. Egreſſus eſt e cellula ut conſtrueret Cœnobium, ac multis præeſſet diſcipulis; non autem ut proficiſceretur Glannafolium, unde normam Benedictinam in agrum Pictavienſem afferret*. Fateor me nihil hic habere quod reſpondeam: nam ſi hujuſcemodi aſſertionibus mendaces aſſeruntur Epiſcopi, & adulatores probantur, nullus impoſterum auctor quantumlibet clarus adulationis mendaciique vitio non laborabit: utrumque enim in quemlibet auctorem impingere erit facillimum, quod ipſemet Annalium auctor ſuo ipſius experimento mox deprehendet.

Qua namque ratione conqueri poterit, ſi dixero eum ut Criticis quibuſdam placeret, qui-

quibus ut plurimum ſcribit, S. Leobardum Sancti Columbani diſcipulum finxiſſe, & ex Benedictinorum albo eraſiſſe, cum aliquid commercii, aut familiaritatis inter Leobardum & Columbanum, aut ipſius diſcipulos interceſſiſſe probare non poſſit. *Sane Leobardus*, inquit, *ut hæc temporum ratio docet, in monaſticis diſciplinis uſus eſt Magiſtro, non quidem Sancto Benedicto, qui pridem in Italia deceſſerat, ſed Columbano, qui cum ſociis in loco cui nomen Anagrates, in Voſago monte a multis annis degebat, & Cellam circa hunc annum quingenteſimum octuageſimum ſextum condidit.* Probet ergo Leobardum in Sancti Columbani familiaritatem veniſſe, aut ſaltem eum inviſiſſe, antequam concludat eum fuiſſe Columbani diſcipulum. Quod difficillime aut nullo modo exequetur, ſi vera ſit R. Patris D. Joannis Mabillon opinio, qua Sanctum Columbanum anno tantum quingenteſimo nonageſimo in Gallias adveniſſe tenet, multiſque probat: hoc enim poſito non ſolum S. Leobardus Sanctum Columbanum non adiit ut Monaſticem ediſceret, ſed nec adire potuit, cum anno quingenteſimo octuageſimo ſexto nondum Columbanus Anagratenſem eremum incoleret, ſed in Monaſterio Benchor ſub obedientiæ jugo vitam ageret monaſticam, Leobardus vero Cellam eodem anno ædificaret. Eodem modo eodemque jure affirmare poſſum Annaliſtam iterum finxiſſe Sanctum Rodingum in Bellilocenſe, ſanctumque Wandelinum in Theologienſe Monaſterium Agaunenſium invexiſſe Regulam. Cum enim nullo modo probet ſanctum Wandelinum Theologienſem, & Rodingum Bellilocenſem Abbates, Agaunenſes Monachos adiiſſe, ut Agaunenſium normam in Theologienſem, aut Bellilocenſem agrum afferrent, gratis eoſdem SS. Patres Wandelinum, & Rodingum Agaunenſium Regulam ſervaſſe finxit, quod ex ejus principiis clare, ut mihi videtur, deduco.

tom. 1. ann. ad ann. 586. n. 42.

Videamus tamen quibus rationibus ſuam opinionem de Sanctis Wandelino & Rodingo fulciat. Retulerat Menardus noſter ex antiquo vitæ S. Rodingi codice, eum in Bellilocenſi Monaſterio Regulam Sancti Benedicti, quam in Cœnobio Theologienſi didicerat, ſervari voluiſſe, quam aſſertionem ſeu potius relationem ſic refutat: *At cum Regula*, inquit, *quam Rodingus in Cœnobio Bellilocenſi cuſtodiendam præcepit, nec alia cenſenda ſit ab ea, quam prius Monaſterio Theologienſi didicerat; ut Monachis Theologienſibus, ſic & Bellilocenſibus normam Agaunenſium præſcriptam exiſtimamus. Huic opinioni non parum favet primarium templum, ut apud Agaunum, ſic etiam apud Tabulejum, & apud Bellum-locum Deo in honorem Sancti Mauritii ſociorumque Martyrum dedicatum.* Et alibi: *Nullum in antiquis hiſtoriis occurrit argumentum, quo nixus Ordini Benedictino Abbates Tabulejenſes adſcribas; immo cum B. Vandelinus Tabulejenſe Monaſterium in honorem Sancti Mauritii conſtruxerit, Agaunenſium Monachorum normam ſecutus videtur.*

3. Annalium tom. ad ann. 642. n. 45.

tom. 2. ann. ad ann. 631. n. 13.

Quam varia, quam nova ratiocinandi, refellendi & ſtatuendi genera novus Annalium conditor invenit, ut novas quas etiam adinvenit opiniones poſteritati conſignet! Antiqui auctores, graves, ætate, antiquitate & dignitate reverendi; veteres etiam, annoſi & antiquiſſimis characteribus notati codices, nihil omnino Benedictinis Monachis proſunt ad firmandam a Patribus ſuis acceptam traditionem de Regula in unoquoque Monaſterio ab initio ſervata; & ſatis erit adverſario noſtro ad contrariam inducendam opinionem, ſi a ſimili templorum denominatione, quaſi demonſtratione quadam, diverſorum Monaſteriorum Monachos ejuſdem inſtituti fuiſſe probaverit. *Cum B. Vandelinus Tabulejenſe Monaſterium in honorem S. Mauritii conſtruxerit, Agaunenſium Monachorum normam ſecutus videtur.* Qua via ſi ulterius proceſſerit, nihil ipſi erit probatu difficile: nullius enim veritatis fundamentum non prorſus evellet, ſi præconceptis opinionibus obeſſe videatur. Sed forte plus ipſi, quam putat, ejus ratiocinandi methodus oberit.

Eadem facilitate, iiſdem argumentis quibus ſupra R. Patrem uſum vidimus, omnia Monaſteria quæ ab anno quingenteſimo quinquageſimo ſunt ædificata, quorum primaria templa S. Petro dicata fuere, Benedictinis annumeranda probabo cum Glannafolienſis Cœnobii primarium templum S. Petri nomen referat. *Major Eccleſia*, inquit Fauſtus in vita S. Mauri, *in quam Fratres tam ad diurnum, quam ad nocturnum conveniebant Officium, conſecrata eſt in honorem S. Petri Apoſtolorum principis.* Qua ratione Monaſteria Luxovienſe, Cabilonenſe, Corbejenſe, Gemmeticenſe, pleraque alia Benedictinis annumerabuntur. Sed in his argumentandi næniis diutius immorari non licet.

Sæc. 1. Bened. vita num. 42.

Quærerem tamen, undenam conjiciat S. Junianum Glannafolium numquam adiiſſe? niſi ex eo quod Wlfinus Boetius, qui ſolus Juniani acta poſteritati mandavit, de hac profectione non eſt loquutus. Quaſi vero ſingulas Juniani actiones Boetius ſcripſerit. Eadem ratione concludere poteſt, nullam Regulam profeſſum eſſe Junianum, nullumque Monaſticem docuiſſe, cum nullum locum adiiſſe referatur, unde qualemcumque Regulam in agrum Pictavienſem inferret.

Ceterum, ut dixi, Wulfinus Boetius non ſingulas Juniani actiones, ſed acta tantummodo miraculoſa deſcribenda ſuſcepit, ut videre eſt in ipſius vitæ prologo. *Quia*, inquit, *tua me ſanctitas, Abba Godolene, cogit ut tibi inſignia miraculorum geſta tanti viri qua poſſim oratione ſcriptitando explicem.* Quod & aliis ſcriptoribus contigit, qui maximam partem eorum quæ Sancti fecere ſilentio prætermittunt, ut miracula narrent,

1. Sæcul. Benedict. p. 307.

Quod

Quod plerique illius ætatis auctores imitati fuere, ex quorum ſilentio nulla proinde veritas erui poteſt; multoque minus ex eodem ſilentio in iis quæ conceptis verbis referunt, falſitatis poſſunt argui. Secundo, reſponderi poteſt, Benedicti Regulam Junianum didiciſſe ed ipſo tempore, quo Monaſticem fuit profeſſus, tunc videlicet cum ex eodem auctore primo adolevit. *Cum ex pueritia in adoleſcentiam tranſiiſſet*, inquit, *comam ex cultu Religionis depoſuit*. Si ergo quæratur ubi Benedictinam Regulam didicit, reſpondendum eodem loci id contigiſſe, ubi ipſam Junianus comam capitis depoſuiſſe refertur.

Neque ſibi quiſquam jure perſuadere poteſt, omnes omnino Monachos Gallos a ſolo Mauro Regulam ſumpſiſſe, licet eoſdem ut plurimum ſanctus ille Benedicti diſcipulus docuerit. Reperiuntur namque alii qui eamdem Regulam ex Italia in Gallias detulerunt; quos inter numeratur S. Martinus Vvertavenſis Abbas, qui, ut vult ipſius vitæ auctor, *Monaſterium inſtituit quod Vertavum dicitur, in quo turmam Chriſti militantium aggregans, ipſe quoque cum eis regulari lineæ morum ſe ſubdidit; quam Regulam priorum Patrum decretis inſtitutam a Tranſalpinis ferunt regionibus ab ipſo delatam*. Regula namque quæ priorum Patrum decretis fuit inſtituta, ipſiſſima eſt S. Benedicti Regula, cum alter Benedictus dicat, *Sanctum Benedictum ſuam a ceteris ſumpſiſſe Regulam, & veluti manipulis, unum ſtrenue contraxiſſe manipulum*; *quamque*, ut ſancta Hildegardis refert, *idem Monachorum inſtitutor e Sanctorum vitis Spiritu ſancto docente & oſtendente condidit*. Nec aliquid obeſt ſi dixerint, aut objecerint eruditiſſimi viri, tunc in Italia plures fuiſſe Regulas, niſi & hoc ipſum veritate niti docuerint, & inſuper oſtenderint aliam a Benedictina Regula diſtinctam viguiſſe, quæ priorum Patrum decretis fuerit inſtituta.

Sæc. primo Benedict. p. 373. & 374. tom. 2. ann. ad ann. 565. n. 12. & 13. In præfat. concord. Regul.

Sancti Benedicti Regula Gallis Monachis nota, antequam Sanctus Maurus ad eos accederet.

CAPUT XV.

Etiamſi docti reperiantur auctores, qui quoſdam Sanctos, qui in Galliis pauloante, aut circa S. Mauri adventum obiere, in Benedictinorum numerum adſcribant, quique proinde exiſtimaſſe videntur, Gallorum aliquos Benedictina inſtituta ſervaſſe antequam Glannafolium conderetur, aut ſanctus Maurus Benedictinam Regulam in Galliam afferret: attamen, ne jam a pluribus præconceptæ opinioni, qua contrarium opinantur, adverſari, aut aliquid quod non ſit manifeſte compertum proferre videar; in eam ſententiam ibo, quæ & veritatem demonſtret, & a nulla earum opinionum multum recedat. Etenim certum habeo repertos Abbates, qui ante annum ſexcenteſimum quadrageſimum tertium quædam Benedictinæ Regulæ capita, cum primum innotuit, deſumpſerunt; alios vero plura, cum deinceps maximam Regulæ partem a pluribus aſſumptam.

Non enim mihi etiam ipſi hactenus perſuaſi, priuſquam S. Maurus Regulam propagaturus accederet, aut etiam ſtatim atque Glannafolium inhabitavit, totas ad unguem, aut integre a Monachis Gallis Benedicti leges ſervatas eſſe. Hoc enim pedetentim contigiſſe puto. Nam ſi a Benedicto Indenſi aliqua Regulæ præcepta immutata fuere, plura a Clemente quinto ſummo Pontifice in quorumdam Monachorum gratiam modificata, quædam etiam a piiſſimis & ſanctiſſimis Congregationibus omiſſa, aut parumper inflexa; minime mirum videri debet, ſi Monachorum aliqui, etiam poſt S. Mauri in Gallias adventum, quædam anteriorum Patrum præcepta ſervaverint: neque enim, exempli cauſa, totam jejuniorum feriem a S. Benedicto præſcriptam & imperatam ſingula Monaſteria mox ſuſcepere, ſed antiquam tenuere jejuniorum conſuetudinem ad annum uſque quingenteſimum ſexageſimum ſeptimum. Quod approbare videntur Concilii Turonici Patres, cum ſtatuunt, *ut de jejuniis antiqua a Monachis inſtituta ſerventur*: quæ procul dubio a multis retineri videbant, ab aliis vero ob introductam Benedicti Regulam immutari. Quænam enim neceſſitas jubendi & ſtatuendi ut ſerventur inſtituta Majorum, ſi nulla immutatione prætermiſſa fuiſſent?

Per Concilium ergo licuit jejuniorum priſtinum morem iterum ſequi; jure tamen communi, quo ad meliora progredi fuit ſemper licitum, præcepta a beato Benedicto jejunia quælibet Monaſteria nullo Concilii contemptu aut offenſione obſervare potuerunt; cum id egerint Patres, ut liceret inſtituta a prioribus Monachis jejunia ſervare: nullus enim dixerit eos adſtringere voluiſſe Glannafolienſes, aut alios ejuſdem inſtituti Monachos, ut omiſſa S. Benedicti Regula alienis præceptis inhærerent, quod a ratione fuiſſet alienum. Antequam tamen hujuſcemodi inſtituti ſuſceptionem exhibeam, explicandum mihi videtur, qua ratione Galli ceterique per Europam Monachi tam faciles ad eam recipiendam fuere.

Quamobrem ſummopere eſt obſervandum, numquam opportuniori tempore Benedictinam Regulam ad ſui diffuſionem condi vel promulgari potuiſſe. Cum enim eam S. Benedictus edidit, nulla dabatur Latina Regula quæ obſervari poſſet, & Græcæ ſeu Orientales

tales

Digitized by Google

tales quæcumque circumferebantur Regulæ, adeo erant alienæ ab Occidentalium populorum inſtitutis, ut nullibi earum jugum diu ferri potuerit. Quam ob cauſam Sanctum Eugendum ſuis diſcipulis Orientalium Patrum Regulas nullatenus impoſuiſſe ipſius vitæ anonymus ſcriptor aſſerit. *Quia ſermo attulit*, inquit, *ut de inſtitutione Patrum per mutationem Beati Eugendi aliqua tangeremus juxta promiſſum* . . . . *abrenuntiantium exordia primitus intimamus. Sic namque quod non illa omnino quæ quondam ſanctus ac præcipuus Baſilius Cappadociæ urbis Antiſtes, vel ea quæ ſanctorum Lirinenſium Patres, ſanctus quoque Pachomius Syrorum priſcus Abbas, ſive illa quæ recentior venerabilis edidit Caſſianus, faſtidioſa præſumptione calcemus: ſed ea quotidie lectitantes, iſta pro qualitate loci & inſtantia laboris invicta, potius quam Orientalium perficere affectamus, quia procul dubio efficacius hæc, faciliuſque natura vel firmitas exequitur Gallicana.* Sæculo primo Bened. p. 575. & 576.

Non ergo Orientalium Regulæ, ſed S. Eugendi exempla ipſius diſcipulis pro legibus erant. Qua in re imitati ſunt Majoris Monaſterii Monachos, qui, ut ait Severus Sulpitius, *ad exemplar B. Martini inſtituebantur*, nulla lege ſcripta viventes. Lib. de vita B. Martini.

Hinc apparet quam docte quamque ſapienter Carolus Magnus legem tulerit, ut inquireretur, *qua Regula vixiſſent Monachi in Gallia, priuſquam Regula Sancti Benedicti in ea tradita fuiſſet*: nulla enim tunc temporis dabatur, aut admittebatur Regula, qua omnia, aut ſaltem Monaſteriorum Galliæ pars aliqua teneretur. Cumque nihil reſponſi circa hanc quam propoſuerat quæſtionem Carolus acceperit, inde colligi poteſt neminem demonſtrare potuiſſe, ullam Regulam, antequam Benedictina Gallis innoteſceret, in aliqua Galliarum parte, Monachis communiter præſcriptam fuiſſe; licet forte ſingulare aliquod Monaſterium, quale Reomaenſe, dari potuerit, quod aliquam ex Orientalibus Regulam pluribus aliis inſtitutis adjunctam, aut ex toto, aut ex parte ſervaverit aliquando. Breve cap.

Hæc omnia confirmari poſſunt ex Caſſiano, a quo diſcimus ſingula quæque Monaſteria propriis viguiſſe legibus. *Tot*, inquit, *propemodum typos ac Regulas vidimus uſurpatas, quot etiam Monaſteria Cellaſque conſpeximus.* Nam unumquodque, ut dixi, ſpecialibus inſtitutis pro voluntate renunciantium, aut imperantium mutandis, aut abrogandis regebatur. Hac enim in re Caſſianus Ægyptios a ceterarum gentium Monachis ſecrevit, quod eorum inſtituta immobilia ſemper & eodem modo ſervanda manerent, aliorum vero pro libitu variarentur ac mutarentur. *Itaque*, inquit, *per univerſam Ægyptum, & Thebaidem, ubi Monaſteria non pro uniuſcujuſque renunciantis inſtituuntur arbitrio, ſed per ſucceſſiones & traditiones Majorum uſque in hodiernum diem vel permanent, vel manſura fundantur* . . . . *ideoque diverſitates typorum ac Regularum per ceteras provincias cernimus uſurpatas, quod plerumque Seniorum inſtitutionis expertes*, &c. Lib. 2. Inſtitut. cap. 2.

In Europa ergo mutato, aut decedente uniuſcujuſque Monaſterii Patre aut Abbate Regula plerumque immutabatur, adeo ut incertæ neque eodem modo ſemper manſuræ imperarentur vivendi leges, quæ facillime pro imperantium nutu immutari poterant. *Experientia compertum eſt*, inquit B. Fundanenſis Abbas in Epiſtola ad Simplicianum Abbatem Sancti Benedicti ſucceſſorem, *multorum rectorum mores varias vivendi normas in Monaſteriis peperiſſe.* Hinc, ut opinor, contigit ut ſtatim atque Sancti Benedicti vivendi norma innotuit, certatim Italiæ, tum ceterarum gentium Monachi eidem ſervandæ ſe dederint, quo citius a crebris illis noxiiſque mutationibus ſe liberarent, ut ipſemet Fundanenſis Abbas obſervat eodem loci. *Hinc factum eſt*, inquit, *ut eam omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum provinciarum Italiæ, certam & rectam Regulam vivendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus Magiſter tuus inſtituit, ſervare decreverunt.* Quo nihil clarius ad propoſitum afferri poteſt. Apud. Angel. de Nuce in Chron. Caſſinenſe. Ibid.

Libentiſſime tamen concedam, multa ex Orientalium Patrum Regulis excerpta cum privatim, tum communiter a Gallis Monachis uſurpata fuiſſe; & ex iis prodiiſſe cellularum diſtinctionem & ab invicem ſeparationem. Quem uſum ab Ægyptiis Monachis noſtrates mutuati fuere, ut S. Eucherius ad S. Hilarium ſcribit. *Hæc nunc* (Lirinenſis inſula) *habet*, inquit, *ſanctos ſenes illos, qui diviſis Cellulis Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt.* Et hoc erat alterum Monaſteriorum incommodum, cum Anachoreſis ſit obſervatu difficillima, & pauciſſimi ad eam colendam idonei reperiantur. Quapropter ut utraque vivendi difficultate ſuos diſcipulos S. Eugendus levaret, primus omnium, ut quidem mihi videtur, mox ut S. Benedicti Regula prodiit in lucem, ex eadem multa deſumpſit, quæ diſcipulis ſervanda traderet. Tract. de laude eremi ſeu de fuga ſæculi.

Iſte namque, inquit Scriptor Anonymus in ejus vita, *refutato Archimandritarum more, utilius omnes univit in medium: deſtructis namque manſionum ædiculis, uno cunctos ſicut Xenodochio quieſcere fecit, ut quos cauſa unitæ refectionis una claudebat ædicula, diſcretiſque lectulis una ambiret & manſio, cui lumen diei ſicut in oratorio indeficiens noctibus præbebatur.* Quæ regularis vitæque communis ſpecialis ratio a Sancto Benedicto præſcripta fuit, cum ante ipſum non eſſet in uſu, nec ab aliquo Monachorum Legislatore conſtituta. *Singuli*, inquit S. Benedictus, *per ſingulos lectos dormiant*, Vita S. Eugendi n. 21. Sæc. 1. Ben. p. 573. Cap. 22. Reg.

lecti-

Digitized by Google

lectiſternia pro modo converſationis ſecundum diſpoſitionem Abbatis ſui ſinguli accipiant : ſi poteſt fieri, omnes in uno loco dormiant : ſin autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum Senioribus ſuis, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela jugiter in eadem Cella ardeat uſque mane.

Alios fuiſſe Monachorum Rectores, qui ex Benedictina Regula plura ad obſervandum deſumpſerint, ex ipſius vitæ Auctore colligere poſſumus. Sanctum enim Eugendum laudat, quod menſa Monachorum contentus, victum ſibi extra Refectorium commune offerri noluerit, licet aliter ſe gererent ceteri Monachorum Præpoſiti. *Iſte*, inquit, *Abbas ſanctus menſulam ſuam, ut quoſdam facere nuper audivi, nec victum unquam exceptavit a Fratribus.* Quæ de ſola menſa in eodem refectorio a ceteris ſeparata intelligi non poſ-
Cap. 56. ſunt, ſed de propria Abbatum vivendi ratione per ſolam Benedictinam Regulam in u-
Reg. Cap. ſum inducta. *Menſa Abbatis*, inquit S. Benedictus, *cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſem-*
53. *per.* Et alibi : *Coquina Abbatis & hoſpitum per ſe ſit, ut incertis horis ſupervenientes hoſpites, qui numquam deſunt Monaſterio, non inquietent Fratres.* Ex quo conficitur, multos Abbates ad exemplum B. Benedicti victum a Fratribus exceptaſſe.

Procedente vero tempore Monaſterium Romanum, ſeu S. Eugendi adeo Benedictinis legibus addictum, adeoque iis ſervandis deditum fuit, ut S. Vvandregiſilus illud præ ceteris Galliarum Columbanique Monaſteriis elegerit, ubi Monaſticem addiſceret, ad quod peragendum ex obſervato Benedictinæ Regulæ capite de hoſpitibus ſuſcipiendis fuit im-
Sæc. 2. Ben. pulſus. *Cum autem pergeret*, (S. Vvandregiſilus) inquit ipſius vitæ auctor, *per Monaſte-*
p. 529. n. 10. *rium quod eſt conſtructum ultra Jurenſes partes, cognomento Romanum, petiit ibidem hoſpitium. Qui ipſe Abba eum cum ſumma diligentia recepit. Ubi cum juxta moris conſuetudinem* (ex Regula namque Benedictina hoſpitum pedes tam Abbas quam cuncta Congregatio lavare debet) *mandatum Domini adimplentes ad lavandum pedes veniſſent ; cognovit ipſe Sanctus quod ibi erat illa via arcta, quam ille per deſiderium Chriſti volebat ſectari.*

Sancto Eugendo per ætatem licuit S. Benedicti Regulam legere & obſervare; quartus namque poſt S. Romanum Condateſcenſe Monaſterium rexit. Hujuſce Monaſterii primus Abbas fuit S. Romanus, ſecundus S. Lupicinus, tertius benedictus ille deceſſor, Ne-
In vita S. mauſus nomine, *quo ad Chriſtum migrato volens nolenſque S. Eugendus adminiſtrationem*
Eugendi *ſubterfugere non potuit ſubarratam* ; anno ſcilicet quingenteſimo ſeptimo, quo prædeceſſor
Sæc. 1. Ben. ejus diem clauſit extremum.

p. 572. n. 10. Quantum autem temporis præfuerit, facile dignoſcere poſſumus. Nam ſeptennis S. Romano fuit oblatus, tunc videlicet cum tam ipſe Romanus quam Lupicinus ejus frater exceſſiſſent e vita; dicuntur namque prædicti Sancti ſanctum Eugendum in viſu e pa-
Ibid p. 571. terna domo ad monaſticam vitam amplectendam evocaſſe. *In viſione*, inquit vitæ ipſius
n. 3. & 4. auctor, *puer ſanctus a duobus Religioſis*, ſanctis ſcilicet Romano & Lupicino, *extra domus paternæ veſtibulum ſiſtitur. Excuſſus a ſomno ac viſionis terrore perculſus rem geſtam illico refert Patri; confeſtim namque Presbyter ſanctus, cui potiſſimum proles dicari deberet, agnovit. Mox igitur eum litterarum inſtruit elementis, & anni exacto circulo, tamquam Samuel quondam, non in typico excubaturus templo, ſed ipſe potius Chriſti efficiendus templum, S. Romano oblatus eſt Patri, in quo vere ita beatorum Abbatum, qui eum in ſpiritu de incolatu terreſtri eduxerant, gratiarum gemina confluxit ubertas.*

At S. Lupicinus circa annum quadringenteſimum octuageſimum obiiſſe dicitur, quapropter circa eadem tempora S. Eugendus ortum habuiſſe, & conſequenter ad annum quadrageſimum ſupra quingenteſimum perveniſſe, & triginta tribus annis præfuiſſe dicendus erit, cum ſexagenario major animam exhalaverit, ut habetur ibidem numero 25.

Sancti Eugendi diſcipulorumque ejus agendi rationem qua primo quædam S. Benedicti inſtituta anterioribus adjunxere, tum multo plura, deinde omnia aliis omnibus omiſſis ſuſcepere ſervanda, quamplures imitati fuere: quod tanto facilius fuerunt executi, quanto frequentius diverſorum Patrum ſpecialia inſtituta ad ſuorum Monachorum directionem gubernationemque una ſimul ſervare ſolebant: quem agendi vivendique morem adeo tenuerunt, ut eo ipſo tempore quo Benedictinæ leges per S. Maurum Gallis innotuere, quidam reperti fuerint Abbates, qui ex omnibus Regulis ſtatuta ad ſui ſuorumque inſtitutionem deſumerent, quod in S. Aredio Gregorius Turonenſis contigiſſe refert.
Cap. 29. *Cœnobium fundavit*, inquit, *in quo non modo Caſſiani, verumetiam Baſilii & reliquorum Abbatum qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur Regulæ*, a quibus Benedictina ſejungi non debet, cum S. Benedictus ab iis Abbatibus qui monaſterialem vitam inſtituerunt, ſeparari non poſſit. Hinc etiam procliviores fuere quidam alii ad Cæſarii Columbanique Regulas, cum Benedictina jungendas, ut dictum eſt ſupra; ſed tandem, ut ſuperius etiam notavi, in his omnibus Monaſteriis, ceteris abrogatis Regulis, ſolum S. Benedicti inſtitutum ad noſtram ætatem permanſit.

Nul-

Digitized by Google

Nullum Monachorum Ordinem a Benedictino diverſum ad Ludovici pii tempora in Galliis viguiſſe, generali concluſione probatur.

CAPUT XVI. ET ULTIMUM.

HAC tota diſſertatione probaſſe mihi videor, antiqua illa quæ ſuperſunt Monaſteria, quæque aut ante Sancti Benedicti ætatem, aut ſaltem poſt Sancti Mauri in Gallias acceſſum conſtructa fuere, a prima ſui inſtitutione Benedicti legibus addicta, aut ſaltem ab incertis dubiiſque vivendi inſtitutis ad certam fixamque acceſſiſſe Benedicti Regulam, qua vitam monaſticam a prioribus Patribus inſtitutam mirabiliter temperarent. Sed hoc ipſum iterum generali quodam & univerſali, duplicique, ut ita dicam, argumento iterum confirmare venit in mentem, quorum primum a proprio Monachorum ingenio, ſpecialique eorum propenſione ad retinendam ſervandamque eamdem Regulam quam profeſſi fuere deſumitur. Secundum vero ab auctorum ſilentio, qui eadem Monaſteria ab anno quingenteſimo quadrageſimo quinto ædificata, ab una ſpeciali Regula ad Benedictinam tranſiſſe numquam ſcripſere, nullibique meminere. De ceteris vero quæ jam antea vigebant, S. Odonis & Audoeni ſufficiet auctoritas, quoad aliquis contrarium probaverit.

Specialius tamen Annaliſtæ opinionem impugnabo, qua Pachomii, Baſilii, Columbanique Regulas in pluribus Galliarum Monaſteriis uſu fuiſſe receptas, eaſque tres Monachorum Ordines a Benedictino diſtinctos, & ſeparatos conſtituiſſe, ſibi probaſſe videtur. Etenim licet varietas inſtitutionum, quibus ſucceſſive pro nutu ſuperiorum Aſcetæ quilibet alligabantur, vagoque vitæ generi tenebantur addicti; tum etiam Anachoreſis difficultas incertum, ſuſpenſum & ſolitudinis pertæſum eorum animum ad novam certamque profitendam Regulam ultro compulerint, ut probatum fuit ſuperius: fixo tamen eorum animo, certæque Regulæ mancipato, nulli ſuperfuit in poſterum mutationi locus, apud eos præſertim qui earumdem Regularum præceptis a converſionis initio imbuti fuere, qui nullo modo ab earum jugo patiuntur avelli, licet forte earumdem Regularum præcepta ſæpius quam par eſſet tranſgrediantur. Quæ cum vera ſint regulariter loquendo de quocumque ſingulari Monacho, quanto magis de certi cujuſdam Ordinis Monachis omnibus?

Suppreſſos quoſdam Ordines ex hiſtoricis didicimus, noſtriſque diebus nova extinctorum aliorum exempla vidimus, ſed ab hominum memoria ad hunc uſque diem dictum non fuit aliquem fuiſſe repertum Ordinem, cujus Monachi, Religioſi, Aſcetæ, Clerici abjecta priori Regula, ſeu poſthabitis priſtinis conſtitutionibus, novæ Regulæ, noviſque ſtatutis uno conſenſu, nemine reclamante, nulla intentata lite, nullo excitato tumultu, nullis ſcriptis in publicum datis, quibus aut præſentes aut futuri de illata vi penitus inſtruerentur, nomina dederint; neque ſolum id non eveniſſe dico, ſed ulterius idipſum moraliter loquendo impoſſibile factu exiſtimo. *Cum videamus* exemplis, ut ait Baronius, *quoſvis etiam diſciplinæ regularis ſolertiſſimos Monachos ſui ipſorum inſtitutoris tenaciſſimos eſſe, ut pro ea conſervanda parati ſint vitam quoque profundere.* Si vero memoriæ, quanto magis Regulæ, cui ſe ſacramento addixere, longe tenaciores futuri ſunt?

Idipſum manifeſtius fiet earum mutationum exemplis, quæ diverſis temporibus in diverſis Monaſteriis contigere. Caroli Magni ætate Monachi Sancti Dionyſii cucullam exuere, ut Canonicorum habitum vivendique morem ſequerentur, idipſum præſtitere Sancti Martini Turonenſis Monachi. Sed numquid omnes? nullo modo. Eorum enim quamplurimi ſui propoſiti Regulæque Benedictinæ tenaciſſimi ab aliis ſe ſegregavere, quo facilius illibatum Monachorum propoſitum ſervarent, a qua ſeparatione Cormeriacenſe Monaſterium, ut quidam volunt, originem duxit. Tanta vero animi contentione totque precibus Sandionyſiani apud Abbatem, Epiſcopos, & Imperatorem egerunt, ut coacta Synodo eorumdem ſodales ad priſtinum Regulæ modum revocati fuerint, ut dictum eſt ſupra.

Legere eſt in vita Sancti Odonis, quanta egerint Floriacenſes Monachi, ne Cluniacenſium alioqui Benedictinorum inſtitutis imbuerentur & inſtruerentur. *Miſerunt ei quædam præcepta regalia*, inquit Joannes Odonis diſcipulus ejuſque actorum ſcriptor, *in quibus continebatur, ut nulli ex alia congregatione ullo unquam tempore liceret ejuſdem loci prioratum ſubire. At illi cum viderent nullam ſuam prævalere induſtriam, vertebant ſe ad alia argumenta, modo Regem vocabant, modo occidere eum minabantur, hoc enim fiebat per triduum: ad poſtremum Pater noſter, cunctis ignorantibus nobis, aſcendit aſellum, & cœpit ire concite ad prædictum Monaſterium: Epiſcopi vero & qui cum ipſis erant Comites ſimul eum ſuis currebant poſt eum clamantes: Quo is, Pater, an fortaſſis mortem quæris? Anne vides quia parati ſunt te interficere? qua videlicet hora ad eos acceſſeris, morte morieris.*

Nec ſoli negligentes remiſſique Monachi, ſed etiam ſanctiſſimi viri Cluniacenſium progreſſibus obſtitere. S. enim Bernardus Tyronenſis Abbas ſe S. Cypriani Abbatia maluit

maluit abdicare, quam eam Cluniacenſium legibus obnoxiam reddere. *Monachi Cluniacenſes*, inquit Gaufridus Groſſus in ejus vita, *S. Cypriani Eccleſiam ſuæ ditioni debere eſſe ſubditam aſſerentes, Domnum Papam paſchalem, Romanum tunc temporis apicem gubernantem adierunt, & ut Bernardo, niſi ſe & Eccleſiam ſuis ſubjiceret legibus, officium Abbatis interdiceret compulerunt: quam interdictionem ſub disjunctione poſitam Bernardus audiens, unum membrum diſtinctionis, ideſt officium honoremque Abbatis ſatis libenter excepit, alterum autem excipere noluit.*

At ſi tantis conatibus non quidem a novis Regulis aſſumendis, ſed ab aliorum Ordinum intra Benedictinum Ordinem Monachis in ſuperiores agnoſcendis, non modo diſſoluti, tum etiam ſanctiſſimi Abbates deterriti fuere: quam audaciter, quam viriliter, imo quanto ſui periculo non obſtitiſſent, ſed ad accipiendam novam aliquam Regulam eos quiſpiam compellere voluiſſet & adigere? Si vero de toto Ordine immutando alienæque Regulæ ſubjiciendo quæſtio fiat, quis non videat tantos tumultus excitandos, vimque tantam ad eos comprimendos adhibendam fore, ut nonniſi plurimorum ſcandalo, damno, pernicie, perpetuæque ſalutis periculo hujuſcemodi mutatio fieri poſſit? Quamobrem licet ſummi Pontifices, ſummique Principes ingenti cura ad ſupprimendos quoſdam Ordines incubuerint alias, idque tandem perfecerint: nulli tamen, quod ſciam, aliquem Ordinem in alium immutare tentaverunt, etſi aliquando pro ſumma qua valent auctoritate quædam deſerta Monaſteria, aut per diſſolutos Monachos habitata, aliis Ordinibus addixerint, aut etiam ſæcularibus Canonicis ultro tradiderint, ut videre eſt in Annalibus variorum Ordinum: attamen, ut dixi, nullus unquam, quod legerim totum aliquem Ordinem in alium immutare, aut ad aliam aſſumendam Regulam compellere in animum induxit.

Quæ cum ita ſint, & nihil referant doctiſſimi viri, quo Gallicana Monaſteria ab anno quingenteſimo quadrageſimo ad noſtram ætatem, abjectis ſanctorum Patrum Baſilii, Pachomii, & Columbani Regulis, ad Benedictinum Ordinem confugiſſe probent, dicendum fidenter exiſtimo nullam iſtorum Patrum Regulam a Benedicti Regula ſejunctam in Gallicanis Monaſteriis uſu communi receptam fuiſſe. Quapropter non quærant a nobis, quo tempore S. Columbani Monachi a Benedictinis diverſi, aut S. Baſilii, aut aliorum Patrum diſcipuli Benedictina inſtituta fuerint amplexi; ultro enim fatemur nullum deſignari poſſe, ex eoque conjicimus nullos in Galliis fuiſſe ſanctorum Baſilii, Pachomii, aut Columbani Ordines. Viguit equidem S. Columbani Regula, ſed cum eſſet tantum S. Benedicti decretorum appendix, paulatim ſenſimque in deſuetudinem abiit; eodem modo quo S. Ricardi decreta, & Cluniacenſes, Tyronenſes, Majoriſque Monaſterii conſuetudines uſurpari, obſervarique deſiere. Qui namque fieri poteſt, ut celebres Religioſorum Ordines, quorum ſinguli plura poſſidebant Monaſteria, ſi Francorum Annaliſtæ credere fas eſt, ita ſubito & derepente adeo ſecrete adeoque procul ab omnium oculis in Benedictino Ordine quaſi in immenſo profundoque mari ſubmerſi ſepultique fuerint, ut nullibi ipſorum interitus memoria reperiri potuerit.

Quo tandem miraculo effici potuit, ut ſingulorum Monaſteriorum varios caſus ad eorum uſque principia annotare poſſimus, & ex hiſtoriis variiſque diplomatibus colligere quid in unoquoque Monaſterio contigerit: & de illa ſingulari & prodigioſa mutatione, nihil ab hiſtoricis; nihil etiam incerti ex chartis aliiſque relationibus cernere poſſimus. Scimus pleraque Monaſteria cum temporum, tum bellorum injuria ſolo adæquata fuiſſe, ſcimus etiam eorum quamplurima hactenus deſtructa manere, alia de novo variis temporibus iterum ædificata, ex aliis ejectos Monachos perpetuoque excluſos in alia iterum evocatos fuiſſe; Laicos, Clericos & Commendatarios Abbates, Advocatos, Principes, Reges eorum bona pluries occupaſſe, aliiſque tenenda dediſſe novimus. Uno verbo, nihil fere quod ſit alicujus momenti, aut quod notam mereatur, ad noſtra tempora iiſdem accidit quod nos prætereat, præter illam Regularum in iiſdem Monaſteriis ſucceſſionem, cujus nemo meminit, nec meminiſſe potuit: quis enim eorum quæ non fuere recordetur, aut ad memoriam revocet?

Dicamus ergo, fidenterque dicamus, nullum S. Baſilii, nullum Pachomii, nullumque Columbani Ordinem a Benedictino diverſum in Galliis extitiſſe, idque aſſeramus cum ſuperioribus rationibus adducti, tum auctoritate Caſſiani; qui ſuo tempore *tot typos, totque Regulas uſurpatas vidit, quot Monaſteria cellaſque conſpexit*. Fundenſis etiam Abbatis, *qui ſexto ſæculo multorum mores vivendi varias normas in Monaſteriis peperiſſe* ſcripſit. Hincque factum eſſe dixit, *ut omnia Monaſteria Campaniæ, Samniæ, Valeriæ, Tuſciæ, Liguriæ & aliarum Italiæ provinciarum, certam & rectam Regulam vivendi, quam ſanctiſſimus & Deo acceptus Benedictus inſtituerat, ſervare decernerent*. Ad quam opinionem firmandam etiam valet Caroli Magni, & eorum qui ipſi erant a conſiliis auctoritas; qui nullam noverunt Regulam quam ſervaſſent Monachi Galli, antequam Sancti Benedicti Regulam accepiſſent, quique in dubium vocabant, utrum aliqui Monachi eſſe poſſint præter eos qui Regulam S. Benedicti obſervant. Hi enim omnes una voce unoque conſenſu dicere videntur, nullam pluribus Monaſteriis communem fuiſſe Regulam, nullumque S. Baſilii, aut S. Pachomii Ordinem in iiſdem floruiſſe, antequam S. Benedictus Regulam ederet, eamque traderet obſervandam. Alias non

Digitized by Google

non tot Regulas, quot Monaſteria vidiſſet Caſſianus, nec Rectorum mores varias vivendi normas in Cœnobiis peperiſſe dixiſſet Fundenſis Abbas. Nec Carolus Magnus inquirendum juſſiſſet, qua Regula vixiſſent Monachi, priuſquam Benedictina tradita fuiſſet, ſi certum tunc temporis, aut a ſcriptoribus traditum, Baſilii, Pachomii, Columbanique Regulas pluribus Monachorum Ordinibus originem dediſſe.

Maneat ergo unicam S. Benedicti Regulam ad Ludovici Pii tempora communiter & generaliter Galliarum Monaſteriis impoſitam, ſanctumque Eugendum alioſque Monachorum Abbates, antequam S. Maurus in Gallias veniret, eam ex parte ſaltem accepiſſe, eandemqne præcipuum S. Benedicti diſcipulum ſuis exemplis docuiſſe, ceteriſque communicaſſe, longe lateque dilataſſe, ejuſque propagines S. Columbanum longius protuliſſe; & conſequenter maneat offuſas Ordini Benedictino per doctiſſimum virum tenebras, cum antiquitatis, tum rationis clarioribus radiis diſcuſſas, reſolutas fugataſque fuiſſe.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google